UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum. Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum, Regum ...

Trithemius, Johannes

S. Galli, 1690

urn:nbn:de:hbz:466:1-38550

Visual Library



Th. 497a.

N V. 7.
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JO
TR
SPA
Postea Divi
T
ANNALI
Opus nunc
C
HISTORIA
GESTA IM
EPISCOP
Nunc primum in
Bibliothe
C
Typis ejusde

JOANNIS TRITHEMII,

SPANHEIMENSIS,

ET

Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis,

Viri suo ævo doctissimi.

TOMUS I.

ANNALIVM HIRSAVGIENSIVM,

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.

COMPLECTENS

HISTORIAM FRANCIÆ ET GERMANIÆ,

GESTA IMPERATORUM, REGUM, PRINCIPUM, EPISCOPORUM, ABBATUM, ET ILLUSTRIUM VIRORUM.

Nunc primum in gratiam, & utilitatem Eruditorum è Manuscriptis Bibliothecæ Monasterij S. Galli publicæ luci datum.

Cum licentia Superiorum.

Typis ejusdem Monasterij S. GALLI, Anno MDCXC.

Excudebat Joannes Georgius Schlegel.

Collegii Soctis Jesv Paderborn 1697.

dono P. Kloppenburg SI.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

CAndide Lector, quisquis es, qui oculos huc conjeceris, tantillum urbanitatis ne deneges, donec pauca tecum in vestibulo hujus operis Trithemiani præloquar, quæ momenta editionem ejus persuaserint. Præfert titulus, id passim ab Eruditis desideratum esse; ita est, evolve si lubet, Clarissimi Viri Marquardi Freheri Consiliarij Palatini notas Chronico Hirsaugiensi primæ editionis ad calcem annexas; ubi imprimis inter alia: *Incertum*, inquit, *an Auctor opus longius produxerit, & fortè ad ætatem usque suam, ut Spanheimense.* Dubitationem Frehero moverat ipse Trithemius Ep. ad Rogerium Sicambrum Herbipoli data anno 1507. dum scribit: *Ad preces Blasii Abbatis Hirsaugiensis Chronicon eiusdem Cœnobij scribere adorsus maiorem partem complevi: sed illo mortuo editionem intermisi, incertus, quâ mercede Successor eius laborem recompensare futurus sit.* Ex quibus liquidò patet, calamum Trithemij, subitò ob alienæ metum ingratitudinis scribere desijsse. Econtra spem continuati operis rursus aut animavit, aut verius erexit Præfatio Trithemij Chronico Spanheimensi præmissa, in qua asserit: *Chronicon Hirsaugiensis Cœnobij hic quidem incœpi, sed apud Herbipolim urbem Francorum tandem complevi: opus magnum, & in duobus voluminibus partitum.* Meritò igitur Marquardus Freherus inter spem metúmque fluctuantis instar effatur: *Sanè aut subitò ab indignante abruptam hoc loco scriptionem apparet: aut alterum insuper paris magnitudinis volumen horum Annalium desiderari dolendum est.* Et ex eo Gerardus Joannes Vossius: *Vtinam* inquit, *totum opus aliquando videat lucem.* Ad amussim hæc omnia respondent dictis Trithemij, quæ sparsim inter opera ejus reperiuntur, si exactâ annorum serie observatâ conferantur cum præliminaribus Epistolis duorum voluminum secundæ compositionis, ut proinde Benevolo lectori omnem formidatæ forsitan suppositionis scrupulum tollamus, placuit ordine historiam utrúsque

que & veteris & noſtræ, id eſt, primæ & ſecundæ compoſitionis enarrare, nequis primam & ſecundam editionem pro una eadémque accipiendam falsò exiſtimet. Igitur ut ab ovo rem ordiar, ſcribit Trithemius ad Joannem Abbatem Hirſaugienſem anno 1511. *Iam ſedecim*, inquit, *ſunt anni elapſi, quòd Hiſtoriam Hirſaugienſem inchoavi.* Id de prima Editione imperfecti operis intelligendum eſſe patet, quàm Blaſio Abbate Hirſaugienſi urgente, Trithemius adhuc Spanheimenſis Abbas circa annum 1495. inchoâſſe videtur. Poſt Blaſij Abbatis deceſſum, qui ad annum 1503. refertur, Trithemius continuationem operis abrupit, ut ipſe teſtis eſt in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum ſuperius citata. Hanc verò Editionem non ultra annum Chriſti MCCCLXX. deduxit, quam ſic imperfectam Marquardus Freherus Conſiliarius Palatinus in Bibliotheca Palatina repertam publico Eruditorum bono typis Wechelianis vulgavit Francofurti anno Chriſti MDCI. Hoc enimverò eſt Chronicon illud Hirſaugienſe, cujus authoritas hactenus tam frequens Scriptoribus fuit, & in amoribus Huberto Thomæ Leodienſi in vita Friderici victorioſi Palatini, Frehero in libro de originibus Palatinis, Geſnero in Bibliotheca, Spondano in Annalibus Eccleſiaſticis, Nicolao Serario in rebus Moguntiacis, Voſſio de Hiſtoricis latinis, & alijs ſine numero; quibus illa ſemper in manu, at hæc noviſſima editio in ſolo deſiderio fuit. Opere ſic abrupto, Joannes Abbas anno ſuprà memorato 1503. ad Hirſaugiæ inſulam promotus, importunis iterum precibus Trithemium rogare & hortari non deſtitit, donec is urbanitate victus, ac ſpe remunerationis acceptâ ſecurus iterum ſe operi accingeret. Is tunc temporis Spanheimenſi Abbatiâ valere juſsâ S. Jacobi Herbipolenſi Cœnobio prælatus eſt, ibidémque anno circiter 1509. primam editionem mancam ad incudem revocavit, ut ipſe refert in Epiſtola ad Joannem Piemontanum Priorem Lacenſem: *Vt litteris reſpondeam tuis, te ſcire volo, quod iſto anno toto ſum occupatus in editione Chronicorum, ſive hiſtoriarum Monaſterij Hirſaugienſis. Opus eſt magnum, & per annos ferme ſeptingentos à fundatione prima uſque ad hæc tempora continuandum. Etenim primam Editionem mancam olim dimiſſam, iterum à principio nuper inchoavi, eritq; neceſſe continuare in finem.* Telam ergo hiſtoriæ ſuæ rurſus à primæva fundatione retexens, & quoſdam lapſus prioris editionis corrigens totum opus in duo volumina ſeu partes diviſit, itáque adauxit, ut ipſo Voſsio teſte, quadruplum conficiant primæ editionis. Primum quidem volumen uſque ad Volpoldum Abbatem XXV. incluſivè continuando deduxit, abſolutúmque ſcribit Anno 1511. ad Joannem

Abbatem

Abbatem Hirſaugienſem, ut legenti in limine hujus operis liquet. Anno tandem Domini 1514. utríque volumini, quibus ſe per menſes quinquaginta quatuor pertinaci conatu inſudâſſe fatetur, ſupremam manum, & finem impoſuit, uſque ad Abbatem tunc in vivis degentem id continuando. At mors Trithemij biennio poſt ſubſecuta, ſed immatura, in cauſa fuit, ut & hoc volumen, & alij præclari libri ab ipſo ſcripti non ederentur. *Eo enim defuncto*, ait Geſnerus ex Pirckheimero, *adeò repentè cuncta, quæ reliquerat, diſparuêre, ut ne veſtigia quidem ſupereſſe viderentur.* Latuit ergo ſecunda hæc compoſitio in latebris condita, & ſola per integrum ſæculum Hirſaugia tanto cimelio ſuperbiebat, ut ipſe Trithemius vel alius Hirſaugiæ incola in calce primi voluminis addidit: *Me ſola Hirſaugia gaudet.* Sed theſaurus inviſus, & Sapientia abſcondita, quæ utilitas in utróque? Anno tandem 1606 quantum quidem mihi conſtat, & ex Freheri originibus Palatinis conjicere datur, Marquardo Frehero videre hæc duo volumina, vix tangere, frui omnino non licuit. Frementibus deinde Proteſtantium & poſtea Suecorum armis, verus & unus hic Unio pulſos Hirſaugiâ Monachos & Abbatem Wunibaldum comitatus eſt ad Vineas (Weingartenſe Monaſterium) tanquam ad ſinum & concham, ſed cùm graſſante indies jamjam in Sueviæ viſcera bello inter manubias Martis rapi formidaret, ſecuritatis ergò in Helvetiam ad noſtrum D. Galli Aſceterium ex tot procellis elapſus appulit, ex quo dein ſagaci induſtriâ Apographum noſtrum Exemplar deſcripſimus, eundémque jam alteri ruinæ, quam dicemus, imminentem ab interitu vindicavimus. Eo adhuc madido & vix completo, avocatur rurſus, & alio portu quæſito naufragium reperit, ut enim tutius lateret, Blumeneggæ Caſtro in Walgoia ſito una cum ultimo Hirſaugienſi Abbate Wunibaldo immigrat. Invida & infida ſors! Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim: declinato feliciter Marte, Vulcano ſpolium infeliciter ceſſit Trithemij Chronicon, poſt tot pericula & ſortis inſidias quiete incaſſum quæſitâ; repentino etenim exorto incendio cum univerſis alijs Hirſaugienſium Documentis priusquam in lucem prodijt, in flammam & cineres abijt, Wunibaldo vix illæſo, & paulo poſt animam doloris acerbitate victam efflante. Audio quidem, jam antequam caſtrum flammis abſumeretur, juſſu & impenſis Sereniſſimi Ducis Bavariæ, & Electoris Maximiliani pleraque ex Documentis deſcripta, Monachiúmque deportata fuiſſe, quæ nunc ævi fortâſſis in Electorali Bibliotheca Monacenſi reperire liceat. Benevole Lector, quievit hactenus ſub umbra Bibliothecæ

noſtræ Sangallenſis Trithemij Chronicon, ſurgit nunc tanquam è cineribus (autographum enim, ut diximus, in cineribus Blumeneggianis ſepultum) redivivum, animante editionem ejus R.R. Clariſſimo Patre Joanne Mabillono Monacho S. Germani Pariſienſis, quem lares vel potius Tutelares noſtros inviſentem in ſancto Gallo vidimus, nec ſine ſenſu ſuavitatis recordamur. Viſo is apographo noſtro Chronici Hirſaugienſis, quaſi reperto theſauro exultans, mox editionem ejus impensè ſuaſit, & perſuaſit, quem Ἐργοδιώκτην hujus lucubrationis nuncupari non gravatè fero, ſed potius in acceptis habeo. Præter hunc & alij Eruditi & excellentis Doctrinæ Viri Abbates & Priores Monaſteriorum, quæ Hirſaugiæ aut Abbates ſuos, aut fundatores, aut colonos, aut reformatores debent, operi edendo (quod jamjam audierant ſub prælo gemere) ſtimulos addere non ceſsârunt; paucos memorabo. Ex his Reverendiſſimus & Ampliſſimus D.D. Placidus Zur Lauben, Monaſterij Murenſis apud Helvetios Abbas, qui promovendæ editioni hujus operis hocipſum Chronicum ſcriptum, & ex noſtro tranſſumptum mihi gratiosè communicavit; alter huic eruditione par Ampliſſimus & Reverendiſſimus D.D. Georgius Gaiſſer Monaſterij S. Georgij (quod Hirſaugiam ut Matrem filia veneratur) in Nigra ſylva Abbas meritiſſimus, gratius nihil ſibi ad aures accidiſſe, quàm editionem hujus operis teſtatur. His accedit Magnificus & Clariſſimus D. Gregorius Wipmberger Almæ Univerſitatis Salisburgenſis Rector, qui ut eſt hiſtoriarum amans, hocopere Antiquitati Germanicæ non minimum gloriæ & decoris acceſſurum ſperat: plures in medium adducerem, niſi importunum abitrarer. Habes ergo nunc Lector, quod alijs ne videre quidem contigit, ſolâ ſemper ſpe & deſiderio lactatis. Deſideravit videre Freherus, Hubertus Thomas Leodius, Voſsius & alij, ſed felicior illis Mabillonus, vidit, & gaviſus eſt. Vides modò & tu Candide Lector, gaude & fruere laboribus noſtris, & menda ſparſim occurrentia pro urbanitate tua ipſemet emenda. Præpoſuit operi Trithemius Indicem quemdam generalem, quem hic vides, arbitratus Indicem ſpecialem conficere & fini poſtponere fore laborem & inutilem, & difficilem, hunc tamen magno labore, tuo tantùm Erudite Lector, bono & commodo, confecimus. Ego interim te ad alia feſtinantem ultra non moror.

Vale. Ex S. Gallo, Pridie Idus Majas, Anno MDCXC.

Sequitur

Sequitur Indiculus pinacius quorundam in hac prima parte Chronicæ Hirsaugianæ contentorum, tam ipsum Monasterium, quàm Ordinem nostrum concernentium, ut patet.

Joannes Trithemius Abbas Lectori Salutem. Omnium dare indiculum, quæ memoratu digna in hac prima parte Hirsaugianæ continentur historiæ, quam non sine magno labore comportavimus, & difficile judicamus, & inutile: tum propter variam multitudinem gestorum, tum quòd satiùs esse judicamus, si totum legas, quàm partem. Verùm ne Hirsaugiensibus in hoc videar defuisse, qui Patrum suorum merita, & laudes sub una cupiant serie breviter intueri, omissis non solùm multis & varijs, sed etiam penè infinitis memoratu dignis, quæ facili Ordine registrari nequeunt, sequentium tabulam ordinavi.

In primo quidem Ordine secundùm temporis rationem viri continentur sancti, meritis Omnipotenti DEO specialiter Dilecti. In secundo Monachi ex Hirsaugianis ad Pontificatum assumpti. In Tertio, qui scriptis, & eruditione suâ illustrârunt Ecclesiam. In quarto, Monasteria nostri Ordinis per Hirsaugienses vel de novo instituta, vel ad Observantiam Regularis Disciplinæ reformata. In quinto, Nomina continentur Abbatum, qui ex Hirsaugianis Monachis ad diversa Cœnobia fuerunt destinati. In sexto, Nomina continentur Sanctorum Ordinis nostri, quorum in hac prima parte fit mentio. In septimo, Romani Pontifices, & Cardinales Ordinis. In octavo Archiepiscopi. In nono Episcopi. In decimo viri Ordinis eruditione, & scientiâ scripturarum illustres. In undecimo, Nomina quorundam Monasteriorum Ordinis nostri, quorum fundationes, vel rationes & Dignitates in hoc ipso volumine recitantur. Et hæc omnia sub CCCCXXVII. annis gesta, in hoc opere signata continentur, hoc est, à prima institutione Hirsaugiensium, quæ facta est anno Domini DCCCXXXVIII. usque ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum quintum.

Nomina Sanctorum, qui Monachi fuerunt in Monasterio isto Hirsaugiensi, quorum gesta in hoc volumine annotata continentur.

Sanctus Adelhardus Monachus, qui obijt 922.
Sanctus Egwardus Episcopus Slesuicensis anno 965.
Sanctus Wernboldus Monachus obijt anno 925.
Sanctus Wilhelmus Abbas XII. obijt anno 1091.
Sanctus Diemo Archiepiscopus Salzburgensis & Martyr. obijt, 1105.
Sanctus Gebhardus Episcopus Constantiensis eligitur 1082.
Sanctus Theogerus Episcopus Metensis 1100.
Sanctus Adelbertus Monachus & Prior anno 1088.
Sanctus Bertholdus Monachus anno 1111.

Sanctus

Sanctus Ermenoldus Abbas in Pruveningen anno 1114.
Sanctus Bruno Abbas XIV. hic anno 1105.
Sanctus Henricus Abbas in Breytenawe anno 1132.
Sanctus Diemo, hic Monachus obijt anno 1140.
Sanctus Roffoldus Abbas in Wirzburg obijt 1163.

Sequuntur Episcopi de Monasterio Hirsaugiensi assumpti.

Sigismundus Episcopus Halberstattensis, anno 894.
Regenboldus Episcopus Spirensis, anno 943.
Egwardus Episcopus Slesuicensis, anno 964.
Bernwardus Episcopus Herbipolensis, anno 989.
Diemo Archiepiscopus Salzburgensis, eligitur 1094.
Gebhardus Episcopus Constantiensis 1083.
Gebhardus Episcopus Spirensis 1105.
Theogerus Episcopus Metensis 1100.

Sequuntur Nomina Illustrium Monachorum atque Doctorum hujus Cœnobij Hirsaugiensis, qui varia scripserunt Opuscula.

Lutbertus primus Abbas Doctor varia scripsit.
Hildulphus Magister scholarum primus, Doctor.
Ruthardus Magister scholarum secundus, Doctor.
Richbodo Magister scholarum tertius, Doctor.
Helfridus Monachus Doctor plura scripsit.
Rudolphus Monachus Doctor multa scripsit.
Harderadus Magister scholarum quartus, Doctor.
Luthelmus Magister scholarum quintus, Doctor.
Cunzigo Monachus Doctissimus plura scripsit.
Hardericus Monachus, & Doctor Eruditus.
Adelbero Scholasticus datur ad S. Albanum.
Herbordus Magister scholarum sextus, Doctor.
Diethardus Monachus Doctor insignis.
Diethardus alius Magister scholarum septimus.
Megenradus Magister scholarum octavus.
Regenhardus Magister scholarum nonus.
Uuernboldus Monachus, & Doctor sanctus.
Theobaldus Magister scholarum decimus.
Arnoldus Scholasticus datur ad Herbipolim.
Wilhelmus Abbas hic duodecimus, Doctor.
Haymo Prior hic, & Doctor eruditissimus.
Conradus, qui & Peregrinus, Doctor Acutus.

Sequuntur

Sequuntur Monasteriorum nomina per Hirsaugienses Monachos aut noviter instituta, aut post ruinam magnificè reformata.

Monasterium construxerunt novum in Zwifalten Constantiensis Diœcesis.
Monasterium S. Georgij Martyris in nigra sylva novum.
Monasterium S. Petri Apostoli in Erpfurt novum.
Monasterium S. Martini in Carinthia novum.
Monasterium Pruveningen Ratisbonensis Diœcesis novum.
Monasterium in Weilheim novum construxerunt.
Monasterium Prioratus in Reichenbach novum.
Monasterium Præposituræ in Rothe novum.
Monasterium Prioratus in Schönrein novum.
Monasterium S. Nicolai in Camberg novum.
Monasterium in Breytenawe instituerunt novum.
Monasterium in Gozawe similiter novum.
Monasterium in Odenheim instituerunt novum.
Monasterium in Hasungen similiter novum.
Monasterium Cellæ Paulinæ instituerunt novum.
Monasterium Petri Domus in Constantia novum.
Monasterium Lauense in Carinthia novum.
Monasterium Possaugiense novum instituerunt.
Monasterium Hugshoffen Argentinensis Diœcesis.
Monasterium Schaffhausen reformaverunt.
Monasterium Laurissense reformaverunt.
Monasterium Rheinharzbronnen reformaverunt.
Monasterium in Altdorff reformaverunt.
Monasterium S. Albani Moguntiæ reformaverunt.
Monasterium S. Ferrucij in Blidenstatt reformaverunt.
Monasterium Montis S. Jacobi similiter.
Monasterium in Bruwiler Colonienſis reformaverunt.
Monasterium Mediolacense in Lotharingia reformaverunt.
Monasterium S. Disibodi Episcopi reformaverunt.
Monasterium Limburgense reformaverunt.
Monasterium in Weissenburg reformaverunt.
Monasterium Sunsheim instituerunt novum.
Monasterium Clingenmünster reformaverunt.
Monasterium in Hornbach similiter reformaverunt.
Monasterium in Dolegia Trevirensis Diœcesis reformaverunt.
Monasterium in Sels Argentinæ Diœcesis reformaverunt.
Monasterium S. Walpurgis novum instituerunt.
Monasterium in Morsmünster reformaverunt.
Monasterium in Gengenbach reformaverunt.
Monasterium in Schutteren similiter reformaverunt.
Monasterium Ettenheimmünster reformaverunt.
Monasterium Neuwiler Argentinæ Diœcesis reformaverunt.
Monasterium Schwarzach Argentinæ Diœcesis reformaverunt.
Monasterium Schwarzach Herbipolensis Diœcesis reformaverunt.
Monasterium S. Burckhardi Herbipolis reformaverunt.
Monasterium S. Stephani Herbipolis reformaverunt.
Monasterium in Amorbach reformaverunt.
Monasterium Neustatt Herbipolensis reformaverunt.

Monaſterium in Thariſſa juxta Moganum reformaverunt.
Monaſterium Montis Monachorum Bambergæ reformaverunt.
Monaſterium in Monichaurach reformaverunt.
Monaſterium in Steinach ſimiliter reformaverunt.
Monaſterium Uraugienſe novum plantaverunt.
Monaſterium in Salveld novum in Thuringia inſtituerunt.
Monaſterium S. Joannis Bergenſe reformaverunt.
Monaſterium in Rheinawe Conſtantienſis Diœceſis.
Monaſterium Admontenſe in Auſtria reformaverunt.
Monaſterium S. Udalrici in Auguſta reformaverunt.
Monaſterium in Yſne Conſtantienſis Diœceſis reformaverunt.
Monaſterium Roſatz prope Aquilegiam reformaverunt.
Monaſterium Elchingen reformaverunt.
Monaſterium Augienſe prope Conſtantiam reformaverunt.
Monaſterium in Weingarten reformaverunt.
Monaſterium in Beſſelbronn reformaverunt.
Monaſterium in Breganz reformaverunt.
Monaſterium Heremitarum ſimiliter reformaverunt.
Monaſterium Campidonenſe reformaverunt.
Monaſterium Altaich in Bavaria reformaverunt.
Monaſterium in Deckingen reformaverunt.
Monaſterium S. Benedicti in Alpersbach, ſimiliter.
Monaſterium in Ottenbüren reformaverunt.
Monaſterium in Blaubüren ſimiliter reformaverunt.
Monaſterium in Lorch novum inſtituerunt.
Monaſterium in Neresheim reformaverunt.
Monaſterium in Sluchteren reformaverunt.
Monaſterium in Ochſenhauſen reformaverunt.
Monaſterium S. Blaſij in nigra ſylva ſimiliter.
Monaſterium in Murbach reformaverunt.
Monaſterium in Mure ſimiliter reformaverunt.
Monaſterium Nawenſe reformaverunt.
Monaſterium Thariſienſe in Bavaria ſimiliter.
Monaſterium S. Ruperti Salzburgenſe ſimiliter.
Monaſterium in Heidenheim reformaverunt.
Monaſterium S. Petri in nigra ſylva.
Monaſterium in Wyblingen reformaverunt.
Monaſterium S. Trutberti reformaverunt.
Monaſterium in Trube ſimiliter reformaverunt.
Monaſterium in Elwangen ſimiliter.
Monaſterium in Thierhaubten ſimiliter.
Monaſterium S. Joannis in Thurtale.
Monaſterium Fabarienſe reformaverunt.
Monaſterium in Andex quod & Mons ſanctus.
Monaſterium in Fiſchingen reformatur.
Monaſterium in Blanckenſtetten ſimiliter.
Monaſterium in Beynweiler reformaverunt.
Monaſterium Amineburg reformaverunt.

Nomina sequuntur Abbatum, qui ex Hirsaugiensi Monasterio dati sunt ad institutionem, seu reformationem aliorum Cœnobiorum.

CUnzigo Abbas datur ad Monasterium Lauriſſense.
Adalbero sit Abbas in Blidenstatt.
Wernherus sit Abbas sancti Albani Moguntiæ.
Bernolphus sit Abbas sancti Ferrucij in Blidenstatt.
Adelbertus sit Abbas in Klingenmünster.
Giselbertus sit primus Abbas in Hasungen.
Giselbertus sit Abbas in Reingarzbronna.
Sifridus sit Abbas in Schaffhausen.
Diepoldus sit postea Abbas in eodem loco.
Henricus sit Abbas S. Georgij in Nigra sylva.
Gebhardus sit Abbas in eodem loco.
Conradus sit Abbas in eodem loco.
Theogerus sit Abbas in eodem Monasterio.
Theodericus sit Abbas primus Petri Domus.
Notgerus sit Abbas in Zwifalten primus.
Godfridus sit postea Abbas in eodem loco.
Guntherus sit primus Abbas in Camberg.
Henricus sit postea in eodem loco Abbas.
Joannes in eodem Monasterio Abbas.
Theodoricus Abbas in eodem Cœnobio.
Adelbero primus Abbas in Wilheim.
Diemo secundus Abbas in eodem loco.
Wilicho sit Abbas in Monasterio Altorff.
Azelinus sit Abbas in Buren, Augustanæ Diœcesis.
Otto sit Abbas in eodem postea Monasterio.
Otto sit Abbas in Monasterio Rheinaugiensi.
Hildeboldus sit Abbas Magdeburgensis.
Hugo sit Abbas postea in eodem Monasterio.
Erckenbaldus sit Abbas Ysnensis.
Bruno sit Abbas in eodem Monasterio.
Vuezilo sit Abbas Lauensis in Carinthia.
Sigewinus sit Abbas in Rosaz prope Aquilegiam.
Gaudentius sit Abbas in Carinthia.
Eberhardus sit Abbas in Bruwiler.
Eberhardus sit primus Abbas in Odenheim.
Richwinus sit Abbas postea in eodem loco.
Erhardus sit Abbas in eodem loco.
Gerungus primus Abbas Cellæ Paulinæ.
Udalricus sit Abbas in eodem loco.
Volpodo primus Abbas in Gozawe.
Burckhardus sit Abbas ibidem.
Rupertus sit Abbas in eodem Monasterio.
Rudolphus in eodem Monasterio sit Abbas.
Wolfframus Abbas datur ad Babenberg.
Ermenoldus sit Abbas S. Nazarij in Lorsch.
Sigehardus postea sit Abbas in eodem loco.

Ermenoldus fit primus Abbas in Pruveningen.
Burckhardus fit Abbas in Erpfurdt.
Wernherus fit Abbas in eodem loco.
Drutwinus fit primus Abbas in Breidenaw.
Henricus secundus Abbas ibidem.
Egbertus primus Abbas Posaugiensis.
Hugo fit postea Abbas in eodem Cœnobio.
Adelbertus fit Abbas in Elchingen.
Regenboldus datur Abbas ad Naw.
Adelbertus fit Abbas in eodem Monasterio.
Adelhelmus fit Abbas in Amorbach.
Adelhelmus fit Abbas Mediolacensis.
Wolfframmus fit Abbas in Schwarzach Francorum.
Theodoricus fit Abbas post eum ejusdem loci.
Conradus fit Abbas in Schwarzach Alsatiæ.
Hildebertus fit Abbas in eodem Cœnobio.
Burckhardus fit Abbas in Weingartten.
Diethmarus fit Abbas in eodem loco.
Megengas fit in eodem loco Abbas.
Rutgerus fit Abbas in Theris juxta Moganum.
Lupoldus fit Abbas in Bessels broana.
Godfridus datur Abbas in Bregenz.
Henricus mittitur Abbas in Blidenstatt.
Conradus fit Abbas in Hornbach.
Berengerus fit Abbas S. Stephani Herbipolis.
Roffoldus fit Abbas in eodem loco.
Adelgerus fit Abbas novæ Civitatis prope Herbipolim.
Henricus datur Abbas ad Eremitas.
Waltherus mittitur Abbas ad Monichaurach.
Manegoldus datur Abbas Campidonensis.
Marcquardus fit Abbas in Gengenbach.
Adelbertus fit Abbas S. Albani Moguntiæ.
Rupertus Abbas destinatur ad Sels.
Erckenbertus fit Abbas S. Jacobi Moguntiæ.
Burckhardus fit Abbas in eodem Cœnobio.
Henricus mittitur Abbas ad Neuwiler.
Ruthardus fit Abbas in Morsmünster.
Rupertus mittitur Abbas ad Altaich Bavariæ.
Sigefridus fit Abbas in Klingenmünster.
Sigehardus fit Abbas S. Burckhardi Herbipolis.
Conradus datur Abbas ad Hugshofen.
Marcquardus fit Abbas in Deckingen.
Eghardus primus Abbas in Uraw.
Ludovicus datus Abbas ad Weissenburg.
Conradus fit Abbas S. Benedicti in Alberspach.
Berchtoldus Abbas mittitur ad eundem locum.
Wilhelmus datur Abbas ad Ottenbüren.
Esso mittitur Abbas ad Beynwiler.
Adelmus destinatur Abbas ad Amineburg.
Fridericus constituitur Abbas in Murhart.
Erckenbertus mittitur Abbas ad Lymburg.
Godebaldus fit Abbas apud Sunsheim.
Wolfframmus fit Abbas S. Walpurgis in Alsatia.
Herbertus ad Lorch mittitur Abbas primus.
Joannes promovetur Abbas ad Schutteram.
Adelhun mittitur Abbas ad S. Disibodum.

Joannes

Joannes datur Abbas ad Dolegiam.
Bruno mittitur Abbas ad Ettenheimmünſter.
Harttmannus datur Abbas ad Steinach.
Wignandus mittitur Abbas ad Thariſſam.
Starckhardus ad Schutteram datur Abbas
Rupertus mittitur Abbas ad Elwangen.
Fridericus ad Augiam datus eſt Abbas.
Ad Salveld datus eſt Abbas nomine Ezzo.
Ad Cœnobium Admontenſe datus eſt Abbas.
Ad Auguſtam ſimiliter mittitur Abbas.
Ad Blaubüren datur Abbas.
Ad Neresheim quoque datus eſt Abbas.
Ad Ochſenhauſen ſimiliter datur Abbas.
Ad ſanctum Blaſium Abbas mittitur.
Ad Mure quoque Abbas miſſus eſt.
Ad Monaſterrium Thariſienſe in Bavaria quoque.
Ad S. Rupertum Salisburgenſe Abbas datur.
Ad Heidenheim ſimiliter Abbas datur.
Ad S. Petrum in Nigra ſylva Ludgerus datur.
Ad Fiſchingen Abbas datus eſt.
Ad Blanckenſtetten ſimiliter datus eſt Abbas.
Ad Wiblingen mittitur Abbas.
Ad S. quoque Trutpertum.
Ad Trube datus eſt Abbas Wilico.
Ad Thirhaubten Abbatem dederunt.
Ad Monaſterium in Thurtal ſimiliter.
Ad Cœnobium Fabarienſe datur Abbas.
Ad Andex montem ſanctum datus eſt Abbas.

Omnia & ſingula Monaſteria, quæ vel inſtituerunt, vel reformaverunt Hirſaugienſes, non ſolum Abbates ad illa, ſed etiam Monachos dederunt ſufficientes, cum libris & veſtibus neceſſarijs.

Nomina Sanctorum Ordinis noſtri, quorum in hoc volumine fit mentio.

Deusdedit Abbas Caſſinenſis & Martyr.
Probus Monachus S. Albani Moguntiæ.
Meginradus Monachus Augienſis Eremita & Martyr.
Ansbaldus Abbas Prumienſis Treverenſis Diœceſis.
Odo primus Abbas Cluniacenſis, anno 894.
Berno fundator & Abbas Gigniacenſis, anno 894.
Fulco ex Abbate S. Bertini Archiepiſcopus Remenſis.
Bado Abbas S. Bertini poſt Fulconem.
Wilhelmus Abbas Gellonenſis, anno 911.
Wigbertus fundator & Monachus Gemblacenſis.
Anno primus Abbas Bergenſis in Saxonia.
Adelbertus primus Archiepiſcopus Magdeburgenſis.
Libacius Epiſcopus Ruthenorum Monachus S. Albani.
Maiolus Abbas Cluniacenſis, anno Domini 959.
Maurinus Abbas & Martyr Coloniæ ſepultus.
Chriſtianus primus Abbas S. Pantaleonis.

Sanderatus primus Abbas in Gladbach, anno 913.
Myborinus primus Abbas S. Martini Coloniæ.
Adelmannus Monachus Stabulenſis, anno 953.
Adelbertus Monachus Mediolacenſis, anno 943.
Gregorius fundator & Monachus in Porticeto.
Medericus Abbas Eduorum, anno 985.
Berwardus Epiſcopus Hildesheimenſis in Saxonia.
Adelbertus Epiſcopus Pragenſis Monachus Fuldenſis.
Odilo Abbas Cluniacenſis, anno 993.
Gaudentius Epiſcopus Pragenſis Monachus Fuldenſis.
Auffridus ex Epiſcopo Monachus Trajectenſis.
Bruno Epiſcopus Ruthenorum Monachus & Martyr.
Reginhardus Abbas Senonenſis, anno 1014.
Simeon Monachus Treverenſis incluſus.
Elphegus Archiepiſcopus Cantuarienſis ex Abbate.
Gerhardus Epiſcopus Moriſenus Martyr. 1019.
Wilhelmus Abbas Divionenſis. 1019.
Poppo Abbas Stabulenſis, anno 1019.
Richardus Abbas Virdunenſis, anno 1010.
Godhardus Epiſcopus Hildesheimenſis, anno 1022.
Engelnotus Archiepiſcopus Cantuarienſis, anno 1025.
Cunegundis Imperatrix & Monialis. 1038.
Helias Abbas S. Martini Colonienſis obijt. 1040.
Amichardus Monachus Fuldenſis, anno 1043.
Clarus Monachus Selgenſtattenſis, anno 1041.
Guido Abbas Pompoſienſis in Italia. 1046.
Leo Papa Nonus Monachus Tullenſis. 1053.
Aaron Abbas S. Martini Coloniæ. 1055.
Beño Epiſcopus Myſnenſis primus Abbas in Goſſeck. 1054.
Paternus Monachus apud Padelbronnen Saxoniæ.
Arnolphus Epiſcopus Sueſſionenſis ex Abbate ibidem.
Mauritius Archiepiſcopus Rotomagenſis ex Monacho.
Theobaldus Monachus incluſus apud Vincentiam.
Ramboldus Abbas S. Emmerammi Ratisbonæ.
Wilhelmus Abbas XII. Hirſaugienſis.
Egbertus Abbas in Schwarzach apud Francos.
Marianus Scotus Monachus Fuldenſis.
Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis.
Diemo Archiepiſcopus Salzburgenſis.
Waldericus primus Abbas in Murhart.
Reinhardus primus Abbas in Rheinhauſen.
Hugo Abbas Cluniacenſis, anno 1109.
Odriſius Abbas Caſſinenſis, claruit anno 1209.
Rupertus Abbas Tuitienſis prope Coloniam.
Wolfhelmus Abbas Bruwilerenſis prope Coloniam.
Gunthildis prima Abbatiſſa in Bibelis Alſatiæ.
Macharius primus Abbas S. Jacobi Herbipolis.
Henricus ſecundus Abbas in Breydenawe.
Gutta Monialis in Comitatu Spanheimenſi.
Hildegardis Abbatiſſa Schönaugienſis. 1194.
Richardus Monachus & Eremita in Alſatia.

Nomina

Nomina Romanorum Pontificum ex Ordine noſtro tempore hujus primæ partis Hiſtoriæ Hirſaugianæ aſſumptorum.

Leo quartus ſit Papa ex Monacho, anno 886.
Leo quintus ſit Papa ex Monacho, anno 905.
Leo Octavus Papa ex Monacho factus eſt. 962.
Gregorius quintus Papa Monachus Teutonicus. 994.
Silveſter ſecundus Papa fuit Monachus Floriacenſis. 996.
Leo Papa nonus fuit Monachus Tullenſis. 1053.
Stephanus Papa nonus fuit Abbas Caſſinenſis. 1057.
Victor Papa tertius fuit Abbas Caſſinenſis. 1085.
Urbanus Papa ſecundus fuit Monachus. 1087.
Paſchalis Papa ſecundus ex Monacho. 1099.
Gregorius Papa ſeptimus fuit Monachus. 1072.
Gelaſius Papa ſecundus fuit Monachus. 1118.
Adrianus Papa quartus fuit Monachus 1155.
Anaſtaſius Papa quartus fuit Abbas S. Ruf.
Gregorius Papa primus præceſſit Hirſaugienſes.
Bonifacius Papa quartus ex Monacho præceſſit ſimiliter.
Adeodatus Papa ex Monacho S. Eraſmi præceſſit.
Agatho Papa primus ex Monacho ſimiliter præceſſit.
Stephanus Papa tertius ex Monacho S. Chryſogoni præceſſit.
Clemens Papa ſextus ex Abbate in ſecunda parte ponetur.
Urbanus Papa quintus Abbas Maſſilienſis in ſecunda parte ponetur.
Eugenius Papa tertius Regulæ fuit noſtræ, ſed Ordinis Ciſtertienſis.
Benedictus Papa duodecimus Regulæ fuit noſtræ, ſed Ciſtertienſis Ordinis.
Cœleſtinus Papa quintus Regulam noſtram fuit ſimiliter profeſſus.
Humbertus Cardinalis Monachus Tullenſis.
Hildebrandus Cardinalis Monachus Tullenſis.
Petrus Damianus Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis.
Odo Cardinalis Monachus Cluniacenſis.
Pontius Cardinalis Abbas Cluniacenſis.
Joannes Cardinalis Monachus Caſſinenſis.

Superſunt nomina Ordinis noſtri Cardinalium, centum octoginta quatuor, qui Hirſaugianam inſtitutionem præceſſerunt, de quibus nullam in hac prima Hiſtoriarum parte fecimus mentionem.

Hæc

Hæc sunt Nomina quorundam Archiepiscoporum Ordinis nostri, qui tempore hujus primæ partis historiarum continentur.

HEtti Archiepiscopus Trevirorum ex Abbate Mediolacensi,
Ansegisus Archiepiscopus Senonensis, Abbas ante Lobiensis,
Rabanus Archiepiscopus Moguntinus Abbas Fuldensis.
Anscarius primus Archiepiscopus Bremensis Abbas Corbeiensis.
Arnolphus Archiepiscopus Bituricensis Abbas S. Medardi.
Christianus Archiepiscopus Senonensis Monachus.
Walo Archiepiscopus Senonensis Monachus antea.
Egilo Archiepiscopus Senonensis Monachus.
Bertholdus Archiepiscopus Trevirorum Abbas Mediolacensis.
Radbodo Archiepiscopus Trevirorum Abbas Mediolacensis.
Rembertus Archiepiscopus Bremensis Monachus Corbeiensis.
Sonderoldus Archiepiscopus Moguntinus Abbas Fuldensis.
Adelgarius Archiepiscopus Bremensis Monachus Corbeiensis.
Hatto Archiepiscopus Moguntinus Abbas Fuldensis.
Fulco Archiepiscopus Remensis Abbas S. Bertini.
Wymo Archiepiscopus Bremensis Monachus Corbeiensis.
Artoldus Archiepiscopus Remensis Monachus ibidem.
Hildoinus Archiepiscopus Mediolanensis Abbas Lobiensis.
Hildebertus Archiepiscopus Moguntinus Abbas Fuldensis.
Gerlandus Archiepiscopus Senonensis Monachus Altisiodorensis.
Hildemannus Archiepiscopus Senonensis S. Dionysij.
Hatto alter Archiepiscopus Moguntinus Abbas Fuldensis.
Dunstanus Archiepiscopus Cantuarensis Abbas Glasconiensis.
Adelbertus primus Archiepiscopus Magdeburgensis Monachus Treverensis.
Odericus secundus Archiepiscopus Magdeburgensis Monachus Corbeiensis.
Lubentius Archiepiscopus Bremensis Monachus Hirsfeldensis.
Gerbertus Archiepiscopus Remensis Monachus Cluniacensis.
Gerbertus Archiepiscopus Ravennensis Monachus Cluniacensis, idem.
Erkenbaldus Archiepiscopus Moguntinus Abbas Fuldensis.
Elphegus Archiepiscopus Cantuarensis Abbas Balneorum.
Megenfridus Archiepiscopus Magdeburgensis Monachus Herbipolensis.
Piligrinus Archiepiscopus Colonensis Abbas Herbipolensis.
Engelnatus Archiepiscopus Cantuarensis Monachus.
Bardo Archiepiscopus Moguntinus Monachus Fuldensis.
Lanfrancus Archiepiscopus Cantuarensis Abbas Beccensis.
Sifridus Archiepiscopus Moguntinus Abbas Fuldensis.
Mauritius Archiepiscopus Rotomagensis Monachus Fiscanensis.
Anselmus Archiepiscopus Cantuarensis Abbas Beccensis.
Diemo Archiepiscopus Salzburgensis Monachus Hirsaugiensis.

Reliquorum verò Archipræsulum Nomina, qui ex Ordine nostro diversis temporibus assumpti Hirsaugiam præcesserunt, vel nobis manent incogniti, nullam in hoc opere fecimus mentionem, quorum numerus omnium penè ad duo se millia extendere perhibetur.

(o)

Sequuntur

Sequuntur Nomina Episcoporum Ordinis nostri, qui sub tempore 427. annorum in hac prima parte continentur.

Theodulphus Episcopus Aurelianensis Abbas Floriacensis.
Haymo Episcopus Halberstattensis Monachus Hirsfeldensis.
Freculphus Episcopus Lexoviensis in Normannia Monachus.
Aldefridus Episcopus quintus Hildeshemensis Monachus Corbeiensis.
Notkerus Episcopus Leodiensis Monachus S. Galli.
Salomon Episcopus Constantiensis Monachus S. Galli.
Heribaldus Episcopus Altisiodorensis Monachus S. Germani.
Ebbo Episcopus ibidem Frater Heribaldi Monachus S. Germani.
Egil Episcopus Altisiodorensis Monachus S. Germani.
Remigius Episcopus Altisiodorensis Monachus ibidem.
Amalricus Episcopus Spirensis Monachus Weissenburgensis.
Sigismundus Episcopus Halberstattensis Monachus Hirsaugiæ.
Bernhardus Episcopus Spirensis, Monachus obijt.
Dracholphus Episcopus Herbipolensis Monachus novæ Civitatis.
Becco Episcopus Altisiodorensis Monachus S. Germani ibidem.
Radbodus Episcopus Trajectensis Monachus obijt.
Ayrhardus Episcopus Noviomensis Monachus obijt.
Walbertus Episcopus ibidem Abbas Corbeiensis in Gallia.
Hildoinus Episcopus Leodiensis Abbas Lobiensis.
Hildoinus idem fit postea Episcopus Veronensis.
Richarius Episcopus Leodiensis Abbas Prumiensis.
Ratkerius Episcopus Veronensis Monachus Lobiensis.
Ratkerius idem Episcopus Leodiensis.
Godericus Episcopus Altisiodorensis ex Monacho.
Burckhardus primus Episcopus Misnensis Monachus, anno 923.
Diethardus Episcopus Hildesheimensis Abbas Hirsfeldensis.
Burckhardus Episcopus Herbipolensis Abbas Hirsfeldensis.
Nottingus Episcopus Constantiensis Monachus S. Galli.
Regenboldus Episcopus Spirensis Monachus Hirsaugiensis.
Boratho primus Episcopus Slesuicensis Monachus.
Liepdachus primus Episcopus Ripensis Daciæ Monachus.
Godfridus Episcopus Spirensis Monachus Weissenburgensis.
Adelbertus Episcopus Ruthenorum Martyr Monachus Fuldensis.
Libacius Episcopus Ruthenorum Monachus S. Albani.
Bernwardus Episcopus Herbipolensis Monachus Hirsaugiensis.
Egwardus I. Episcopus Slesuicensis Monachus Hirsaugiensis.
Ottgerus Episcopus Spirensis Monachus in Hornbach.
Richardus Episcopus Altisiodorensis Monachus S. Germani.
Wolffgangus Monachus Eremitanus Episcopus Ratisbonensis.
Adelbodus Episcopus Wintonensis Monachus Glascoriensis.
Oswaldus Episcopus Wintonensis Monachus Floriacensis.
Othwinus Episcopus Hildesheimensis Monachus Bergensis.
Odo Episcopus Beluacensis Abbas Corbeiæ in Gallia.
Bruno Episcopus Verdensis Monachus Corbeiensis.
Ostacus Episcopus Hildesheimensis Monachus Augiensis.
Berwardus Episcopus Hildesheimensis Monachus Corbeiensis.
Adelbertus Episcopus Pragensis Martyr Monachus Fuldensis.

Gebhardus Episcopus Augustensis Abbas in Elwangen.
Rupertus Episcopus Spirensis Monachus Weissenburgensis.
Brando Episcopus Halberstattensis Abbas Fuldensis.
Gaudentius Episcopus Pragensis Monachus Fuldensis.
Auffridus Trajectensis Fundator & Monachus S. Pauli.
Adelboldus Episcopus Trajectensis Monachus Lobiensis.
Burckhardus Episcopus Wormatiensis Monachus Lobiensis.
Bruno Episcopus Ruthenorum & Martyr Monachus.
Gerhardus Episcopus Morisenus & Martyr Monachus Romanus.
Dietacus Episcopus Pragensis Monachus Corbeiensis.
Arnoldus Episcopus Padelbronensis Abbas Hirsfeldensis.
Adelbero Episcopus Herbipolensis Abbas in Lambach.
Bruno Episcopus Tullensis Monachus & postea Papa.
Benno Episcopus primus Abbas in Gosseck.
Adelbero Episcopus Wormatiensis Monachus S. Galli.
Arnolphus Episcopus Suessionensis Abbas S. Medardi.
Hermannus Episcopus Babenbergensis fit Monachus in Schwarzach.
Marbodus Episcopus Redonensis ex Monacho.
Stephanus Episcopus Halberstattensis Abbas Ilsenburgensis.
Gebhardus Episcopus Constantiensis Monachus Hirsaugiensis.
Hugo Episcopus Altisiodorensis Abbas S. Germani.
Gebhardus Episcopus Spirensis Abbas Hirsaugiensis.
Theogerus Episcopus Metensis Monachus Hirsaugiensis.
Godhardus Episcopus Hildesheimensis Abbas in Altaich.
Arnoldus Episcopus Spirensis Abbas Lymburgensis.
Cuno Episcopus Ratisbonensis Abbas in Segeberg.
Godebaldus Episcopus Trajectensis fit Monachus in Oesbruch.
Durandus Episcopus Tholosanus Abbas Mosiacensis.
Gadomus Episcopus Sanctoniacensis Monachus Cluniacensis.
Malachias Episcopus Lessmorensis, Archiepiscopus Armachanus.
Wilhelmus Episcopus Tornacensis Abbas S. Vincentij.

Eos autem, qui ante Hirsaugianam institutionem de Ordine nostro claruerunt Pontifices, & qui ad notitiam meam non venerunt, huic inserere compilationi Historiarum haud potui: quorum numerus ut à majoribus accepimus, quatuor penè millia excedit, qui diversis temporibus in Ordine floruerunt.

Nomina Illustrium Virorum Ordinis nostri, qui continentur in hac prima historiarum parte, multa & varia scribentes.

Rabanus Maurus Abbas Fuldensis Doctor insignis.
Lutbertus primus Abbas Hirsaugiensis Doctor.
Einhardus Abbas Fontanellæ; qui fundavit Selgenstatt.
Hildulphus Monachus & Scholasticus in Hirsaugia primus.
Hildoinus Abbas S. Dionysij Parisiensis.
Theodulphus Episcopus Aurelianensis Abbas Floriacensis.
Haymo Episcopus Halberstattensis Monachus Hirsfeldensis.
Freculphus Episcopus Lexoviensis Monachus Fuldensis.
Angelomus Monachus Luxoviensis in Burgundia.
Ansegisus Archiepiscopus Senonensis Abbas Lobiensis.
Columbanus Fundator & Abbas Luxoviensis & Bobiensis.
Joannes Erigena Abbas Vercellensis.
Bertramus Monachus S. Dionysij Parisiensis.
Christianus, qui etiam Drutmarus, Monachus Corbeiensis.
Otfridus Monachus Weissenburgensis.
Ruthardus Monachus Hirsaugiensis.
Richbodo Monachus Hirsaugiensis.
Strabus Monachus Fuldensis Rabani Discipulus.
Lupus Servatus Abbas in Gallia Rabani Auditor.
Wandelbertus Monachus Prumiensis.
Notkerus Monachus S. Galli Episcopus Leodiensis.
Wandelbertus Monachus & Scholasticus S. Galli.
Salomon Monachus S. Galli Episcopus Constantiensis.
Egil Abbas Prumiensis in Diœcesi Trevirorum.
Hubertus Dux & Abbas S. Richarij in Gallia.
Micho Monachus & Scholasticus S. Richarij.
Wernbertus Monachus Monasterij S. Galli.
Hartmundus Monachus S. Galli in Suevia.
Berwardus Monachus & Scholasticus Fuldensis.
Ericus Monachus S. Germani Altisiodorensis.
Milo Monachus S. Amandi Elvonensis Tornacensis Diœcesis.
Hugobaldus Monachus ejusdem Cœnobij Elvonensis.
Helfridus Monachus Hirsaugiensis, anno 878.
Humbaldus Monachus S. Amandi Elvonensis.
Remigius Monachus Altisiodorensis & Episcopus.
Pascasius Ratbertus Abbas Corbeiæ veteris.
Altmannus Monachus Altvillarensis Cœnobij.
Floribertus Monachus Sancti Matthiæ apud Treviros.
Eberhardus Monachus ejusdem Cœnobij.
Regino Abbas Prumiensis, anno 893.
Rudolphus Monachus Hirsaugiensis Doctor.
Harderadus Monachus Scholasticus & Abbas ibidem.
Rupertus Monachus S. Albani Moguntiæ.
Ambrosius Ansbertus Monachus Lobiensis.
Adrewaldus Monachus Floriacensis.

Luthelmus Monachus & V. Scholasticus Hirsaugiensis.
Cunzigo Monachus Hirsaugiensis & Abbas in Lorsch.
Hardericus Monachus Hirsaugiensis Poëta.
Adelbero Monachus Hirsaugiensis Scholasticus S. Albani.
Richardus Monachus S. Matthiæ apud Treviros.
Sigebertus Monachus Corbeiæ novæ in Saxonia.
Adzo qui & Henricus Monachus Floriacensis.
Radolphus Monachus Flaviacensis doctissimus.
Herboldus Monachus & Scholasticus Hirsaugiensis.
Joannes Monachus & Scholasticus S. Albani.
Smaragdus Monachus S. Maximini Treviris.
Diethardus Monachus Hirsaugiensis doctissimus.
Diethelmus Monachus & Scholasticus S. Matthiæ.
Marcquardus Monachus Epternacensis.
Reinhardus Monachus S. Burckhardi Herbipol.
Diethardus septimus Scholasticus Hirsaugiensis.
Helpericus Monachus & Scholasticus S. Galli.
Heribertus Monachus & Scholasticus Epternacensis.
Meginradus Monachus & octavus Scholasticus Hirsaugiensis.
Adelbertus Monachus & Scholasticus S. Matthiæ.
Windekindus Monachus & Scholasticus Corbeiæ novæ in Saxonia.
Adelbertus Monachus & Scholasticus S. Vincentij Metensis.
Hedericus Monachus & Scholasticus Weissenburgensis.
Rudegerus Monachus & Scholasticus Epternacensis.
Abbo vel Ebbo Abbas Monasterij Floriacensis doctissimus.
Aymonius Monachus Floriacensis doctissimus.
Wernbaldus Monachus Hirsaugiensis doctissimus.
Regenhardus nonus Scholasticus Hirsaugiensis.
Boppo Monachus & Scholasticus Fuldensis.
Rosuida Monialis docta in Gandersheim Saxoniæ.
Adelbertus Monachus Scholasticus Mediolacensis.
Herigerus Abbas Lobiensis undecunque doctissimus.
Adelbertus Abbas Gemblacensis æquè doctissimus.
Theodoricus Monachus & Scholasticus S. Matthiæ.
Theobaldus Monachus & decimus Scholasticus Hirsaugiensis.
Arnoldus Monachus Hirsaugiensis datur Herbipolim.
Remigius Abbas Mediolacensis.
Erhardus Monachus & Scholasticus Lunæburgensis.
Adelgerus sive Algerus Monachus & Scholasticus Corbeiensis.
Osbertus sive Osbernus Monachus Cantuariensis.
Theodoricus Monachus & Scholasticus S. Albani.
Bruno Monachus & Scholasticus in Gladbach.
Meginfridus Monachus & Scholasticus Fuldensis.
Engelbertus Monachus S. Matthiæ apud Francos.
Engelbertus Abbas Monasterij Admontensis.
Theodoricus Monachus Floriacensis vir doctissimus.
Adelharius Monachus & Scholasticus Epternacensis.
Richerus Monachus Remensis Historiographus.
Theodoricus Monachus & Scholasticus S. Matthiæ.
Marinus Monachus & Scholasticus S. Maximini Treviris.
Rathbodo Monachus & Scholasticus post Marinum.
Arnoldus Monachus & Scholasticus S. Burckhardi Herbipolensis.
Egilwardus Monachus & Scholasticus ibidem post Arnoldum.
Indegerus Monachus & Scholasticus Lunæburgensis.
Hermannus Contractus Monachus S. Galli.
Adelboldus Episcopus Trajectensis Monachus Lobiensis.
Burckhardus Episcopus Wormatiensis Monachus Lobiensis.

Richardus Scholaſticus Fuldenſis poſtea ibidem Abbas.
Golskerus Monachus S. Matthiæ Treviris.
Rogerius Monachus, & Scholaſticus Corbeienſis.
Rutgerus Monachus S. Pantaleonis Coloniæ.
Berno Abbas in Augia Majore prope Conſtantiam.
Eberwinus Abbas S. Mauritij in Dollegia Trevirenſis Diœceſis.
Guido Aretinus Monachus de Cruce S. Leutfredi.
Engelratus Archiepiſcopus Cantuarienſis ex Monacho.
Erhardus Monachus & Scholaſticus Corbeiæ novæ.
Lampertus Monachus & Scholaſticus S. Matthiæ.
Gwimundus Monachus S. Leufredi Archiepiſcopus Averſanus.
Rogerius Monachus ejuſdem Cœnobij.
Lampertus Monachus & Scholaſticus S. Laurentij Leodienſis.
Joannes Monachus & Scholaſticus S. Matthiæ.
Marcquardus Monachus S. Burckardi Herbipolenſis.
Humbertus Monachus Tullenſis poſtea Cardinalis.
Bernhardus Monachus & Scholaſticus Corbeienſis.
Leo Papa nonus Epiſcopus & Monachus Tullenſis.
Lampertus Monachus Hirsfeldenſis Chronographus.
Anshelmus Monachus Remenſis doctiſſimus.
Petrus Damiani ex Monacho Cardinalis Epiſcopus Hoſtiæ.
Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis Abbas Beccenſis.
Ruthardus Abbas Hirsfeldenſis doctiſſimus.
Marianus Scotus Monachus Fuldenſis.
Arnoldus Monachus & Scholaſticus S. Matthiæ.
Walrammus ex Monacho Fuldenſi Abbas Mersburgenſis.
Guntherus Monachus Elvonenſis.
Theodoricus Abbas S. Trudonis in Brabantia.
Merbodus ex Monacho Epiſcopus Redonenſis.
Wilhelmus Abbas Hirſaugienſis duodecimus.
Joannes Monachus S. Burckhardi Herbipolenſis.
Joannes Monachus & Scholaſticus S. Matthiæ.
Hermannus Monachus & Scholaſticus Corbeienſis.
Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis Abbas Beccenſis.
Giſelbertus Abbas Monaſterij Weſt in Anglia.
Franco ſecundus Abbas Haffliginij in Brabantia.
Wolfhelmus Abbas in Bruwiler prope Coloniam.
Conradus Monachus in Bruwiler doctiſſimus.
Haymo Monachus Hirſaugienſis & Prior.
Stephanus Abbas in Ilſenburg Epiſcopus Halberſtattenſis.
Reinhardus primus Abbas in Reinhauſen.
Theodoricus Abbas ſancti Trudonis.
David Monachus ſancti Jacobi Herbipolenſis.
Sigebertus Monachus Gemblacenſis.
Eckhardus primus Abbas Uraugienſis.
Rudolphus Abbas ſancti Trudonis.
Rupertus Abbas Tuitienſis prope Coloniam.
Rupertus Abbas Lympurgenſis.
Henricus ſecundus Abbas in Breydenawe.
Conradus Monachus Hirſaugienſis.
Lucas Abbas Monaſterij ſancti Cornelij Colonienſis Diœceſis.
Odo Abbas ſancti Remigij in Gallia Remenſi.
Gratianus Monachus in Italia Claſſenſis.
Hugo Monachus Corbeiæ Veteris in Gallia.
Hildegardus Monachus Cluniacenſis.
Wilhelmus Abbas ſancti Theodorici.
Egbertus Abbas in Schönawe.

Emicho Abbas ibidem claruit post eum, anno Domini 1220.
Elisabeth docta Monialis apud Schönawe.
Joachim Abbas Florensis in Calabria.
Helinandus Monachus Frigidi Montis.
Theodoricus Abbas sancti Disibodi.
Petrus Abbas Cluniacensis.
Wernherus Abbas sancti Blasij Martyris.
Simon Monachus Haffligmensis in Brabantia.

Hæc sunt nomina Illustrium scriptorum Ordinis nostri, quorum mentionem fecimus in prima parte Chronicorum Hirsaugiensium, qui sub annis quadringentis viginti septem, quibus ipsum primum historiarum volumen à principio Hirsaugiensi deduximus, qui florentes in humanis multa & varia scripserunt. Porrò qui temporibus Divi Patris nostri Benedicti Hirsaugianam fundationem præcesserunt, huic nequivimus compilationi nostræ inserere: de quibus tamen in quarto libro illustrium virorum Ordinis nostri pleniorem fecimus mentionem.

Sequuntur nomina quorundam Monasteriorum Ordinis nostri, quorum in prima parte hujus operis fit mentio.

Monasterium Fuldense in Diœcesi Herbipolensi.
Monasterium Weissenburgense Spirensis Diœcesis.
Monasterium S. Albani prope Moguntiam.
Monasterium S. Galli Constantiensis Diœcesis.
Monasterium Augiense, quod sanctus Pirminius fundavit.
Hirsfeldiam fundavit sanctus Lullus Archiepiscopus.
Cœnobium sancti Matthiæ apud Treviros antiquissimum.
Cœnobium Mediolacense fundavit sanctus Luthwinus Dux.
Cœnobium Dollegiense Trevirensis Diœcesis fundavit sanctus Pirminius.
Cœnobium Prumiense Trevirensis Diœcesis fundavit Dagobertus.
Cœnobium Stabulense Leodiensis Diœcesis insigne.
Cœnobium Corbeiæ antiquæ in Gallia famosum.
Cœnobium Corbeiæ novæ in Saxonia insigne.
Cœnobium sancti Maximini apud Treviros antiquum.
Cœnobium Luxoviense fundavit sanctus Columbanus.
Cœnobium Elvonense sanctus Amandus Episcopus fundavit.
Cœnobium in Monte Blandinio Gandavi idem sanctus fundavit.
Cœnobium sancti Bavonis Gandavi sanctus Amandus fundavit.
Cœnobium Pontiniacense, aliàs sancti Richarij in Gallia.
Cœnobium Fontanellæ antiquum in Normandia.
Cœnobium Lobiense famosissimum in Gallia nullius Diœcesis.
Cœnobium Bobiense in Lombardia sanctus Columbanus fundavit.
Cœnobium in Sithiu aliàs sancti Bertini in Flandria Morinensis Diœcesis.
Cœnobium Fossatense nunc sancti Mauri Parisiensis Diœcesis.
Cœnobium Marciacense fundavit sanctus Amandus.
Cœnobium Resbacense in Gallia, cujus primus Abbas sanctus Agilus.
Cœnobium Meticense, ubi sanctus Philibertus præfuit.
Cœnobium Wormholt in Flandria Morinensis Diœcesis.
Cœnobium Egmuntense in Hollandia sanctus Adelbertus fundavit.
Cœnobium sancti Medardi Suessionis in Gallia.
Cœnobium sancti Martini apud Turonensem Urbem.

Cœnobium

Cœnobium S. Dionysij apud Parisiensem Urbem.
Cœnobium Crispinienſe, in quo S. Adelmus claruit.
Cœnobium Floriacenſe, cujus primus Abbas S. Leodibaldus.
Cœnobium S. Quintini Martyris in Gallia.
Cœnobium Altiwilarenſe, in quo S. Bercharius Abbas.
Cœnobium Ebroicenſe, alias de Cruce S. Leufridi.
Cœnobium Nobiliacenſe, ubi S. Liebhardus Monachus fuit.
Cœnobium Divionenſe, in quo S. Wilhelmus Abbas.
Cœnobium Altimontenſe fundavit Vincentius Comes Hannoniæ.
Cœnobium Cuſantiæ, in quo S. Ermenfridus.
Cœnobium S. Romani, ubi S. Amatus Abbas claruit.
Cœnobium Caſſinenſe in Italia Divus Benedictus fundavit.
Cœnobium Florenſe in Calabria, ubi Joachim Abbas.
Cœnobium Vercellenſe in Longobardia Famoſum.
Cœnobium S. Vincentij de Vulturno.
Cœnobium SS. Petri & Pauli in Anglia, ubi Beda fuit Monachus.
Cœnobium Ripenſe in Anglia, ubi S. Bonifacius fuit Monachus.
Cœnobium Waltheim, ubi S. Kylianus fuit Monachus.
Cœnobium Beccenſe in Normandia, ubi S. Anſelmus fuit Monachus.
Cœnobium Schutterenſe fundavit S. Pirminius in Alſatia.
Cœnobium S. Gumberti in Anolzbach Herbipolenſis Diœceſis.
Cœnobium S. Diſibodi Moguntinæ Diœceſis antiquum.
Cœnobium Epternacenſe Trevirenſis Diœceſis fundavit Dagobertus.
Cœnobium Schwartzach Herbipolenſis Diœceſis.
Cœnobium Murbach in Alſatia fundavit S. Pirminius.
Cœnobium Murhart fundavit Ludovicus Rex primus.
Cœnobium in Hornbach fundavit S. Pirminius.
Cœnobium Altaich in Bavaria fundavit S. Pirminius.
Cœnobium Hugshoffen Argentinenſis Diœceſis.
Cœnobium Fontis Reinhardi Moguntinæ Diœceſis.
Cœnobium Altdorff Argentinenſis Diœceſis.
Cœnobium S. Ferrucij in Blidenſtatt Moguntinæ Diœceſis.
Cœnobium Klingenmünſter Spirenſis Diœceſis.
Cœnobium in Sels Argentinæ Diœceſis.
Cœnobium Morſmünſter Argentinæ Diœceſis.
Cœnobium in Gengenbach Argentinæ Diœceſis.
Cœnobium in Ettenheimmünſter Argentinæ Diœceſis.
Cœnobium in Neuwiler Argentinæ Diœceſis.
Cœnobium Schwarzach Argentinæ Diœceſis.
Cœnobium S. Burckhardi in Suburbio Herbipolenſi.
Cœnobium in Amorbach Herbipolenſis Diœceſis.
Cœnobium Neuſtatt Herbipolenſis Diœceſis.
Cœnobium Monichaurach Herbipolenſis Diœceſis.
Cœnobium Steinach Herbipolenſis Diœceſis.
Cœnobium Reinawe Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium Admontenſe in Auſtria Famoſum.
Cœnobium S. Udalrici in Auguſta.
Cœnobium Yſne Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium Roſatz prope Aquilegiam.
Cœnobium in Elchingen juxta Danubium.
Cœnobium Weingartenſe Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium S. Nazarij in Lorch Moguntinæ Diœceſis.
Cœnobium Beſſelbron Auguſtenſis Diœceſis.
Cœnobium in Bregenz Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium Campidonenſe Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Deckingen Auguſtenſis Diœceſis.
Cœnobium in Alberſpach Conſtantienſis Diœceſis.

Cœnobium Ottenbüren Auguſtenſis Diœceſis.
Cœnobium Beynwiler in Alſatia Provinciæ Biſuntinæ.
Cœnobium Amineburg.
Cœnobium Benedictenbeuren Auguſtenſis Diœceſis.
Cœnobium in Blaubeuren Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Neresheim Auguſtenſis Diœceſis.
Cœnobium in Schluthera Herbipolenſis Diœceſis.
Cœnobium Ochſenhauſen Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium S. Blaſij in nigra ſylva Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Mure Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Nawe.
Cœnobium Thariſienſe in Bavaria Ratisbonenſis Diœceſis
Cœnobium S. Ruperti Salisburgenſis.
Cœnobium Heidenheim Eichſtattenſis Diœceſis.
Cœnobium S. Petri in nigra ſylva Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Wiblingen Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium S. Trudperti Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Trube Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Elwangen Auguſtenſis Diœceſis.
Cœnobium in Thierhaubten Auguſtenſis Diœceſis.
Cœnobium S. Joannis in Thurtal Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium Fabarienſe Curienſis Diœceſis.
Cœnobium Andex alias Mons ſanctus.
Cœnobium in Fiſchingen Conſtantienſis Diœceſis.
Cœnobium in Blanckenſtetten Eichſtattenſis Diœceſis.
Cœnobium ſancti Remigij Remenſe in Gallia.
Cœnobium Gellonenſe in Gallia, ubi S. Wilhelmus Abbas.
Cœnobium S. Petri Apoſtoli Senonenſe.
Cœnobium S. Mederici Heduorum in Gallia.
Cœnobium Virdunenſe in Gallia Famoſum.
Cœnobium Cantuarienſe in Anglia Metropolitanum.
Cœnobium Confugienſe Monialium Ordinis noſtri.
Cœnobium Pompoſienſe Ravennenſis Diœceſis.
Cœnobium Tullenſe ubi Leo Papa IX. fuit Monachus.
Cœnobium Abdinckoven in urbe Padelbornenſi.
Cœnobium apud Vincentinam Civitatem.
Cœnobium S. Emmerammi Ratisbonenſis.
Cœnobium S. Germani Altiſiodorenſe.
Cœnobium Gláſconienſe in Anglia.
Cœnobium Lambach in Bavaria circa Danubium.
Cœnobium Illſenburgenſe in Saxoniæ partibus.
Cœnobium Moſiacenſe in Gallia Famoſum.
Cœnobium S. Malachiæ propè Leſmor in Scotia.
Cœnobium S. Vincentij Martyris in Gallia.
Cœnobium Flaviacenſe famoſum in Gallia.
Cœnobium Mersburgenſe in Saxonia.
Cœnobium S. Trudonis in Brabantia.
Cœnobium quod vocatur Weſt in Anglia.
Cœnobium S. Cornelij Colonienſis Diœceſis.
Cœnobium Claſſenſe in Italia, ubi Gratianus fuit Monachus.
Cœnobium S. Theodorici in Gallia.
Cœnobium Frigidi Montis, ubi Helinandus fuit Monachus.
Cœnobium S. Blaſij Martyris in nigra ſylva.

Sequuntur

Sequuntur nomina quorundam Monasteriorum Ordinis nostri, quorum tempora Fundationis in præsenti opere ponuntur.

Cœnobium Selgenstatt fundatur, anno Domini. 838.
Cœnobium Cluniacense fundatur, anno 894.
Cœnobium Gigniacense fundatur, anno 894.
Cœnobium Gemblacense fundatur, anno 915.
Cœnobium Gandersheim Monialium fundatur, anno 854.
Cœnobium Brunteshausen fundatur in Saxonia, anno 854.
Cœnobium Theris fundatur juxta Moganum, anno 905.
Cœnobium Thariense in Bavaria fundatur, anno 1075.
Cœnobium Ringelnheim in Saxonia fundatur, anno 921.
Cœnobium Bergense prope Magdeburg fundatur, anno 940.
Cœnobium ad Eremitas fundatur, anno 955.
Cœnobium Hildesleven in Saxonia fundatur, anno 958.
Cœnobium S. Pantaleonis in Colonia fundatur, anno 961.
Cœnobium S. Vincentij Metis fundatur, anno 968.
Cœnobium Monichen Nuenburg in Saxonia fundatur, anno 972.
Cœnobium Luneburgense in Saxonia fundatur, anno 972.
Cœnobium Gladebach Colonienſis Diœceſis fundatur, anno 973.
Cœnobium S. Martini in Colonia fundatur, anno 973.
Cœnobium in Porticeto fundatur, anno 974.
Cœnobium S. Justi Martyris in Italia fundatur.
Cœnobium S. Petri Apostoli prope urbem Eporediam fundatur.
Cœnobium S. Michaëlis de Stella juxta Avilianum fundatur.
Cœnobium S. Benigni prope Thaurinum fundatur.
Cœnobium S. Januarij in Monte Ferrato fundatur.
Cœnobium S. Victoris in Monte Ferrato fundatur.
Cœnobium S. Michaelis in Hildesheim fundatur, anno 992.
Cœnobium S. Stephani Herbipoli fundatur, anno 1057.
Cœnobium Tuitiense prope Coloniam fundatur, anno 995.
Cœnobium S. Pauli in Trajecto fundatur, anno 1005.
Cœnobium Montis Monachorum fundatur, anno 1007.
Cœnobium S. Jacobi Leodiense fundatur, anno 1011.
Cœnobium Bruwiler prope Coloniam fundatur, anno 1014.
Cœnobium Fiscaniense in Normandia fundatur, anno 1016.
Cœnobium Lympurgense fundatur, anno 1033.
Cœnobium Præposituræ novi Castri fundatur, anno 1048.
Cœnobium S. Jacobi Moguntiæ fundatur, anno 1051.
Cœnobium Segebergense fundatur, anno 1056.
Cœnobium Goseck in Saxonia fundatur, anno 1057.
Cœnobium in Schaffhausen fundatur, anno 1059.
Cœnobium Grafschafft in Saxonia fundatur, anno 1064.
Cœnobium Salfeld in Thuringia fundatur, anno 1064.
Cœnobium Haffliginium Brabantiæ fundatur, anno 1065.
Cœnobium Prioratus Richenbach fundatur, anno 1087.
Cœnobium S. Georgij in Nigra sylva fundatur.
Cœnobium S. Martini in Bavaria fundatur.
Cœnobium S. Petri in Erpfurd constructur.
Cœnobium in Zweifalten ad duplicem aquam fundatur.
Cœnobium in Wielheim à S. Wilhelmo fundatur.
Cœnobium Lauense in Carinthia fundatur ab eodem.
Cœnobium in Hasungen fundatur, anno 1073.

Cœnobium Pegavienſe fundatur, anno 1076.
Cœnobium Cambergenſe fundatur, anno 1078.
Cœnobium Hirſaugienſe majus fundatur, anno 1082.
Cœnobium Prioratus Schönrein fundatur.
Cœnobium Præpoſituræ Rothenſis fundatur.
Cœnobium in Sundelfingen conſtruitur.
Cœnobium Petershauſen in Conſtantia fundatur, anno 1085.
Cœnobium in Luckesheim à S. Theogero fundatur.
Cœnobium Lacenſe prope Andernach fundatur, anno 1090.
Cœnobium Reinhauſen in Saxonia fundatur, anno 1096.
Cœnobium Burſfeldenſe in Saxonia fundatur, anno 1098.
Cœnobium Inſulæ Rolandi fundatur, anno 1099.
Cœnobium S. Apollinaris in Reinmagen fundatur, anno 1099.
Cœnobium Sunsheim fundatur, anno 1084.
Cœnobium S. Matthiæ reparatur, anno 1106.
Cœnobium Schutterenſe reparatur, anno 1007.
Cœnobium S. Diſibodi reparatur, anno 1108.
Cœnobium Lorch Auguſtenſis Diœceſis fundatur, anno 1108.
Cœnobium S. Joannis in Ringaugia fundatur, anno 1108.
Cœnobium Godiſaugienſe fundatur, anno 1110.
Cœnobium S. Ægidij in Brunſuich fundatur, anno 1113.
Cœnobium in Bruveningen fundatur, anno 1114.
Cœnobium S. Laurentij Uraugienſe fundatur, anno 1118.
Cœnobium Breydenaugienſe fundatur, anno 1119.
Cœnobium S. Laurentij in Oesbruck fundatur, anno 1121.
Cœnobium Spanheimenſe fundatur, anno 1124.
Cœnobium in Ballenſtat fundatur, anno 1124.
Cœnobium Poſaugienſe fundatur, anno 1124.
Cœnobium Schönaugienſe fundatur, anno 1125.
Cœnobium Monialium ibidem fundatur, anno 1125.
Cœnobium Richenbach in Bavaria fundatur, anno 1130.
Cœnobium Gronaugienſe fundatur, anno 1130.
Cœnobium Scheuren in Bavaria fundatur, anno 1130.
Cœnobium S. Walpurgis fundatur, anno 1131.
Cœnobium Monialium Bibelis fundatur, anno 1131.
Cœnobium S. Jacobi Herbipolenſis fundatur, anno 1134.
Cœnobium S. Jacobi Viennæ fundatur, anno 1170.
Cœnobium Lutherenſe in Saxonia fundatur, anno 1135.
Cœnobium Monialium Lobenfeld fundatur, anno 1135.
Cœnobium S. Ruperti apud Bingen fundatur, anno 1147.
Cœnobium Monialium in Ryndorff fundatur, anno 1151.
Cœnobium Monialium S. Afræ Herbipolis fundatur, anno 1151.
Cœnobium Monialium Nuenburg Heidelbergæ inſtituitur, anno 1195.
Cœnobium S. Servaſij in Quedelburg fundatur, anno 930.
Cœnobium S. Godhardi in Hildesheim fundatur, anno 1022.

NB. Lector. Errat Truthemius hic, & fol. 267. circa tempus fundationis Petridomus & quidem integro ſæculo; confundit enim geſta Gebhardi I. cum geſtis Gebhardi II. Epiſcoporum Conſtantienſium.

Sequuntur nomina Monaſteriorum Ordinis noſtri Provinciæ Moguntinæ, quorum Abbates Provinciale Capitulum viſitare tenentur.

In Diœceſi Moguntina Monaſteria ſunt Ordinis noſtri numero viginti.

Monaſterium Hirsfeldenſe ab Ordinario exemptum, Imperiale.
Monaſterium S. Jacobi prope Moguntiam.
Monaſterium SS. Marcellini & Petri in Seligenſtatt.

Monaſterium

Monasterium S. Martini in Spanheim.
Monasterium S. Joannis Baptistæ in Rinchaugia.
Monasterium S. Thomæ in Bursfeldia.
Monasterium B. Mariæ in Reinhausen, & S. Christophori.
Monasterium B. Mariæ in Steina.
Monasterium S. Blasij Martyris in Northeim.
Monasterium S. Mariæ in Breytenawe.
Monasterium in Breytungen subest Hirsfeldensi.
Monasterium S. Petri in Erpfurdia.
Monasterium in Hasungen.
Monasterium in Gerode.
Monasterium in Oldesleven.
Monasterium S. Jacobi Scotorum in Erpfurdia.
Monasterium in Salfeldia.
Monasterium Cellæ Paulinæ.
Monasterium in Homburg.
Monasterium Reinhardsbronn, aliàs Fontis Reinhardi.

Ab Ordine sunt translata in Diœcesi præscripta.

Monasterium S. Bonifacij Fritislariense, circa annos Domini 900.
Monasterium S. Nazarij in Laurissa Imperiale, anno 1232.
Monasterium S. Disibodi prope Spanheim, anno 1259.
Monasterium Conrazburg in Hassia, circa annum 1410.
Monasterium S. Albani prope Moguntiam, anno 1418.
Monasterium S. Ferrucij in Blidenstatt, anno 1498.
Monasterium S. Mariæ Monialium Moguntiæ, anno 1340.

In Diœcesi Herbipolensi sunt Monasteria nostri Ordinis XV.

Monasterium S. Bonifacij in Fulda, Imperiale, exemptum.
Monasterium S. Stephani Proto-Martyris in Herbipoli.
Monasterium S. Jacobi Apostoli in Suburbio Wirzburgensi.
Monasterium S. Mariæ in Schluthera.
Monasterium S. Januarij in Murhart.
Monasterium S. Felicitatis in Schwarzach.
Monasterium S. Laurentij in Uraugia.
Monasterium in Monichroten.
Monasterium in Monichaurach.
Monasterium in Steinach.
Monasterium in Amorbach.
Monasterium in Neustatt juxta Moganum.
Monasterium in Theris, latinè Thariſſa.
Monasterium in Panz.
Monasterium S. Michaelis Archangeli prope Veyelsdorff.

Ab Ordine translata sunt in eadem Diœcesi.

Monasterium S. Gumberti in Anolsbach, circa annum Domini 1000.
Monasterium S. Burckhardi juxta Herbipolim, anno 1464.

Monasterium S. Nicolai in Camberg, anno 1489.
Monasterium S. Liobæ Monialium circa Bischofsheim.
Monasterium S. Teclæ circa Mogum Cizzingen dudum perierunt.

In Diœcesi Spirensi Monasteria sunt Ordinis nostri hodie IV.

Monasterium in Weissenburg Imperiale & exemptum.
Monasterium SS. Petri & Pauli in Hirsaugia.
Monasterium S. Crucis in Lympurg exustum.
Monasterium B. Mariæ semper Virginis in Gozawe.

Ab Ordine translata sunt in eadem Diœcesi.

Monasterium in Clingenmünster transfertur, anno 1491.
Monasterium in Odenheim transfertur, anno 1495.
Monasterium S. Michaelis prope Sunsheim, anno 1497.

In Diœcesi Argentinensi Monasteria sunt nostri Ordinis IX.

Monasterium Beatæ Mariæ semper Virginis in Schuttera.
Monasterium in Gengenbach.
Monasterium in Schwarzach.
Monasterium S. Walpurgis prope Hagenawe.
Monasterium in Hugshoffen.
Monasterium S. Mauri, quod Morsmünster nominatur.
Monasterinm in Ebersheimmünster.
Monasterium in Ettenheimmünster.
Monasterium in Altorff.

Ab Ordine translata sunt in eadem Diœcesi.

Monasterium in oppido Sels translatum est anno Domini 1485.
Monasterium in Neuwiler translatum fuit anno 1495.

In Diœcesi Constantiensi Monasteria sunt Ordinis nostri XXVI.

Monasterium Petri Domûs, aliàs Petershausen in Constantia.
Monasterium sancti Galli.
Monasterium S. Marci in Augia Majori.
Monasterium Campidonense.
Monasterium S. Georgij in Nigra sylva.
Monasterium S. Petri in Nigra sylva.
Monasterium S. Blasij in Nigra sylva.

Monasterium

Monasterium in Zwifalten.
Monasterium in Mure.
Monasterium S. Mariæ Eremitarum.
Monasterium S. Benedicti in Alperspach.
Monasterium in Reinawe.
Monasterium in Ysne.
Monasterium in Steyna.
Monasterium S. Trutberti.
Monasterium in Brigantio, aliàs Bregenz.
Monasterium in Schaffhausen.
Monasterium in Ochsenhausen.
Monasterium in Wiblingen.
Monasterium S. Joannis in Thurtal.
Monasterium in Trube.
Monasterium in Weingarten.
Monasterium in Blawbeuren.
Monasterium Montis Angelorum Engelberg nuncupatum.
Monasterium in Fischingen.
Monasterium in Wagenhausen.

In Diœcesi Augustensi Monasteria sunt Ordinis nostri XIV.

Monasterium S. Udalrici in Augusta.
Monasterium S. Crucis in Werdea.
Monasterium in Elchingen.
Monasterium in Deckingen.
Monasterium in Faucibus, zun Füssen.
Monasterium in Lorch.
Monasterium in Benedictenbeuren.
Monasterium in Ottenbeuren.
Monasterium in Neresheim.
Monasterium in Thierhaubten.
Monasterium in Ursee.
Monasterium in Fultenbach.
Monasterium in Brenzahausen.
Monasterium in Besselbron.

Ab Ordine translatum est in eadem Diœcesi.

Monasterium in Elwangen fuit translatum anno Domini 1489.

In Diœcesi Eichstattensi Monasteria sunt Ordinis nostri V.

Monasterium Castellense quondam optimè reformatum.
Monasterium in Wiltzpurg.
Monasterium in Blanckenstetten.
Monasterium in Heidenheim.
Monasterium in Wernizahusen, aliàs Ahusen nominatum.

In Diœcesi Curiensi Monasteria sunt nostri Ordinis IV.

Monasterium Disertinense.
Monasterium Fabariense, aliàs vulgariter Pfeffers.
Monasterium S. Mariæ semper Virginis, aliàs Mariæ Mons.
Monasterium S. Joannis.

In Diœcesi Babenbergensi Monasteria sunt Ordinis nostri IV.

Monasterium S. Michaelis in Monte Monachorum.
Monasterium S. Ægidij in Nürenberga.
Monasterium in Michelfeld.
Monasterium S. Bonifacij in Wisenawe.

In Diœcesi Hildensheimensi Monasteria sunt Ordinis nostri IV.

Monasterium S. Michaelis in Hildensheim.
Monasterium S. Godhardi prope Hildensheim.
Monasterium in Clusa.
Monasterium in Ringelnheim.

In Diœcesi Halberstattensi sunt Monasteria nostri Ordinis X.

Monasterium S. Ægidij in oppido Brunsuicensi.
Monasterium in Luthera regali, id est, Königslutern.
Monasterium in Husburg.
Monasterium in Ilsenburg.
Monasterium in Hildesleven.
Monasterium Cellæ Mariæ prope Elversdorff.
Monasterium in Reinsdorff.
Monasterium in Wimelburg.
Monasterium in Goseck prope Nuenburg.
Monasterium in Ballenstetten.

In Diœcesi Verdensi Monasteria sunt Ordinis nostri tantum duo.

Monasterium S. Michaelis in oppido Lunenburgensi.
Monasterium in Veteri Ulsen, aliàs in Odenstatt.

In Diœcesi Padelbornensi Monasteria sunt Ordinis nostri V.

Monasterium Abdinghofen in ipsa civitate Padelborna.
Monasterium S. Viti Martyris in Corbeia Saxoniæ.
Monasterium Mariæmünster.
Monasterium in Flechtorff.
Monasterium in Helmershausen.

Monasteria

Monasteria Ordinis Abbatialis Capituli CXXII.

SUmma itaque Monasteriorum Ordinis nostri Provinciæ Moguntinæ, ac Diœcesis Babenbergensis exemptæ, quorum Abbates tam de Jure, quàm de consuetudine ad Capitulum Generale seu Provinciale, quod de triennio in triennium semel habetur, venire, dum celebratur, tenentur, cessante impedimento legitimo, centum & XXII. Sunt in eâdem Provincia Moguntina Ordinis nostri & alia complura Cœnobia Monialium; præposituræ quoque Monachorum, & Prioratus, quorum isthic nullam fecimus mentionem, propterea quòd Abbatibus suis omnino subijciuntur.

Quæ sint Diœceses Provinciæ Moguntinæ, quótque Cœnobia in qualibet.

ARchiepiscopus Moguntinus XII. sub se habet Episcopos, Cœnobia XX.
Episcopum Herbipolensem, in cujus Diœcesi Monasteria habemus XV.
Episcopum Spirensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis IV.
Episcopum Argentinensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis IX.
Episcopum Constantiensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis XXVI.
Episcopum Augustensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis XIV.
Episcopum Eichstattensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis V.
Episcopum Curiensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis IV.
Episcopum Hildensheimensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis IV.
Episcopum Halberstattensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis X.
Episcopum Verdensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis II.
Episcopum Padelbornensem, in cujus Diœcesi Monasteria sunt Ordinis V.
Episcopum Wormatiensem, in cujus Diœcesi nullam habemus Abbatiam.
Porrò Episcopus Bambergensis exemptus Monasteria sub se habet IV.

Hæc est Tabula Successionis Abbatum Hirsaugiensium per tempus CCCCXXVII. annorum, sub quibus prima pars operis continetur.

ANno Domini DCCCXXX. Indictione Romanorum octavâ, sub Imperio Ludovici ejus nominis primi. Et Anno Domini DCCCXXXVIII. consummatur Mōnasterium Hirsaugiense.

Lutbertus Abbas Hirsaugiensis I. institutus est Anno Dñi DCCCXXXVIII. præfuit annis XVI. demptis mensibus tribus, obijtque Anno Domini DCCCLIII.

Gerungus Abbas S. Aurelij II. ordinatur Anno Domini DCCCLIII. præfuit annis XXXII. moritur anno Domini DCCCLXXXIV.

Regenbodo Abbas S. Aurelij III. fuit electus Anno Domini DCCCLXXXIV. præfuit annis VI. Et resignavit anno Christianorum DCCCXC.

Harderadus Abbas Hirsaugiæ IV. præficitur Anno Domini DCCCXC. præfuit annis XXVII. Et moritur anno DCCCCXVIII.

Rudolphus Abbas Hirsaugiæ V. ordinatur Anno Domini DCCCCXVIII. præfuit annis VII. & mortuus est anno Christianorum DCCCCXXVI.

Diethmarus Hirsaugiæ Abbas VI. instituitur Anno Domini DCCCCXXVI. præfuit utiliter annis XXVI. Et mortuus est anno DCCCCLII.

Nomina XXV. Abbatum Hirsaugiensium in hoc Volumine contentorum.

Sigerus

Sigerus Abbas Hirſaugiæ VII. præficitur anno Chriſtianorum DCCCCLII. præfuit annis XXX. & moritur anno DCCCCLXXXII.

Lupoldus Abbas Hirſaugiæ VIII. fuit inſtitutus Anno Domini DCCCCLXXXII. præfuit annis IV. Et mortuus eſt anno DCCCCLXXXVI. Indictione XIV.

Hartfridus Abbas Hirſaugiæ IX. ordinatur Anno Domini DCCCCLXXXVI. præfuit annis duntaxat II. & moritur anno DCCCLXXXVIII. Indictione prima.

Conradus Abbas Hirſaugiæ X. inſtituitur Anno Domini DCCCCLXXXVIII. præfuit annis XII. & moritur anno MI. Indictione XIV.

Vacavit Abbatia Monaſterij S. Aurelij Hirſaugienſis poſt mortem Conradi Abbatis ab Anno Domini milleſimo primo uſque ad milleſimum ſextum per annos ſexaginta quinque.

Fridericus Abbas Hirſaugiæ XI. inſtituitur Anno Domini MLXVI. præfuit annis II. & deponitur ab Officio cum injuria anno MLXIX.

Sanctus Wilhelmus Abbas Hirſaugiæ XII. inſtituitur Anno Domini MLXIX. præfuit annis XXII. novum Monaſterium Hirſaugiæ conſtruxit, ordinem reformavit. Obijt anno MXCI.

Gebhardus Abbas Hirſaugiæ XIII. præficitur anno MXCI. præfuit annis XIV. Et fit Epiſcopus Spirenſis anno Domini MCV.

Bruno Abbas Hirſaugiæ XIV. ordinatus fuit Anno Domini MCV. præfuit annis XIV. & moritur anno MCXX.

Volmarus Abbas Hirſaugienſis Monaſterij XV. inſtituitur Anno Domini MCXX. præfuit annis XXXVII. Et moritur anno MCLVII.

Hartwigus Abbas Hirſaugiæ XVI. ordinatur Anno Domini MCLVII. præfuit menſibus duntaxat duobus, & moritur eodem anno.

Manegoldus Abbas Hirſaugiæ XVII. inſtituitur Anno Domini MCLVII. præfuit annis VII. Et moritur anno MCLXV.

Rupertus Abbas Hirſaugiæ XVIII. electus eſt Anno Domini MCLXV. præfuit annis XI. Et reſignavit Abbatiam anno MCLXXVI.

Conradus ejus nominis ſecundus fit Abbas Hirſaugienſis XIX. Anno Domini MCLXXVI. præfuit annis XII. & obijt anno MCLXXXVIII.

Henricus Abbas Hirſaugiæ XX. ordinatur anno Domini MCLXXXVIII. præfuit annis VIII. & reſignavit Abbatiam anno MCXCVI.

Marcquardus Abbas Hirſaugiæ XXI. inſtituitur Anno Domini MCXCVI. præfuit annis VIII. & obijt anno MCCV. Indictione VIII.

Lutfridus Abbas Hirſaugiæ XXII. ordinatur anno Domini MCCV. præfuit annis XI. Et moritur anno MCCXVI.

Eberhardus Abbas Hirſaugiæ XXIII. inſtituitur anno Domini MCCXVI. præfuit annis XV. Et moritur anno MCCXXXI.

Erneſtus Abbas XXIV. ordinatur ad Hirſaugiam Princeps Anno Domini MCCXXXI. præfuit annis XIII. Et moritur anno MCCXLV.

Volpoldus Abbas Hirſaugiæ XX. inſtituitur Anno Domini MCCXLV. præfuit annis XX. Et obijt anno MCCLXV.

Et cum hoc Abbate inſignis Monaſterij Hirſaugienſis primam operis noſtri Hiſtorici partem concludimus, temporum ordinem & ſeriem à principio inſtitutionis Monachorum apud S. Aurelium per annos quadringentos, cum ſeptem atque viginti, quæ potuimus, & licuit, narratione digerentes. Quæ autem ſuperſunt Hirſaugienſium ſucceſſiones Abbatum uſque ad eum, qui hodie principatur, Joannem de Calba, in ſecundo volumine hujus operis Domino largiente continuabimus.

Laus DEO Redemptori noſtro.

EPISTO-

EPISTOLA
JOANNIS TRITHEMII ABBATIS

D. Jacobi prope Herbipolim civitatem Francorum Orientalium, quondam verò Spanheimensem, ad Joannem insignis Monasterij Hirsaugiensis Abbatem, super editione subjecti operis Chronicorum Hirsaugiensium Patrum.

Reverendo in Christo Patri Domino Ioanni dignissimo Abbati insignis Monasterii SS. Apostolorum Petri, & Pauli Hirsaugiensis, Ordinis D. Patris Benedicti, Spirensis Diœcesis, Ioannes Trithemius inutilis Abbas apud S. Iacobum in suburbano Civitatis Poapolitanæ, quam Würzburg vulgariter appellant, eiusdem Ordinis, salutem, & Fraternam in Domino Charitatem. Sedecim annorum tempus, nî fallor, effluxit, quo primùm famosi, atq; insignis Monasterij Hirsaugiensis, cui divinâ ordinatione Prælatus, & Moderator dignissimus es constitutus, inchoavi historiam, quam vanis, caducisque mundi curis, & sollicitudinibus quasi continuè nimiùm occupatus, hactenus ad finem perducere non potui. Spanheimensis etenim plena laboribus Abbatia, in qua per annos fermè quatuor atq; viginti in multa sollicitudine præfui, tantis me laboribus rei familiaris, mundique curis absque intermissione oppressit, ut mihi rarò, ac solùm

lùm per intervalla nocturnis, quas ipse mihi de somno plerumq; sufurabar, horis codicem liceret contingere. Addo & illud, quod omnibus & manifestum, quasi mihi non sufficeret unius pauperrimi cura Monasterij, per continuos viginti annos in causis, & negotijs Ordinis nostri publicis, atq; communibus, visitando per quæq; Monasteria in multis Germaniæ Diœcesibus, mandato Patrum meorum multipliciter occupatus fui. Legationes pro defensione Ordinis ad Principes varias peregi, ac vicinorum simul, & longè distantium causas, ut proprias sæpius invocatus, aut iussus ad pacis concordiam revocavi. Vnde non parùm detrimenti rerum mearum tandem consecutus sum: quippe qui utilitatibus aliorum necessariò intentus, propria intermittere studia, Fratrumq; commoda meorum cogebar. Hinc factum est, ut inchoatum Historiæ Hirsaugiensis opus per tot annos consummare minimè potuerim; quamvis id me cituùs editurum in lucem speraverim, sæpiusq; promiserim urgentibus. At nunc posteaquàm, Christo IESV miserante, labyrinthum inexplicabilem Spanheimensis Abbatiæ meis & studijs, & institutis animi semper adversum simul, atq; contrarium, occasione datâ per cynonotos evasi, Monasterium S. Iacobi memoratum, pietate ac munificentiâ Reverendissimi Principis Domini Laurentij de Bibra Herbipolensis Episcopi, ac Ducis Francorum, simul & Fratrum electione regulari assecutus, in quo sicut mundi rebus vivo tenuis & pauper, ita remotus sum à curis sæculi vanis, & liberior ad philosophandum. Nam inter curas mundi, & ardens studiũ scripturarũ vera, & continua non potest manere concordia, sed alterum ex altero corrumpitur; dum aut litterarum continuata intentio familiaris rei profectum negligit: aut sollicitudo rerum temporalium nimiâ lectione desiderium extinguit. Rarus est enim nostris temporibus inter Prælatos Monasticos, qui ut Aioth ambidexter, & curis rerum domesticarum debitum, & conveniens litteris impendat studium, & interni profectûs animi nullum propterea sentiat detrimentum. Frequenter siquidem alterum necessariorum minùs perfectè prosequimur: dum circa curam alterius diligentiùs occupamur. Ego autẽ qui studium scripturarum cunctis mundi rebus & curis semper præposui, datã mihi occasionem dimittendi Abbatiã Spanheimensem caducis sollicitudinibus plenã libenter acceptavi: Vivo enim nunc Laus Deo mente tranquillus, & nimijs mundi curis liber & vacuus: atq; ad institutum animi perficiendum magis dispositus. Vnde ne tuis precibus me crederes ex proposito reluctari, opus historiarum Hirsaugiensiũ diutius intermissum, locum assecutus tranquillum, & com-

Chronicorũ Hirsaugiens. postulata compilatio.

petens

petens otium ad manus resumpsi tandem aliquando perficiendum: quod & amoris mei perpetuum erga Fratres tuos Hirsaugienses erit testimonium, &, quantæ apud me sis auctoritatis Tu Princeps Monachorum, & Pater præstantissime Ioannes, evidens documentũ. Enimverò nisi & obsequijs tuis essem voluntarius, promptâq; benevolentiâ deditissimus, & Fratrum tuorum Hirsaugiensium omnium amator sincerus, nemo mihi unquam persuadere potuisset, ut opus tam arduum, ac laboriosum meo studio perficiendũ in manus desumpsissem meas, quòd & animum & calamum sacratioribus maluissem occupâsse institutis, & mentis propriæ culturam exercere potiùs, quàm temporis transacti mortalium gesta litteris commendare pro voluptate Posterorum. Sed nimiâ dilectione Hirsaugiensium devictus laborem hunc magnum libens subivi, Chronicon vestri Cœnobij, ùt cernitis, consummavi, memoriã omnium vestrûm immortalem reddidi, & quicquid ornare vos maximè potuit, multo sudore in unum comportavi: Vos ego, quâ possum humilitate, precor, hanc mihi vicem laboris mei rependite, & DEVM pro anima mea, cùm de corpore tandem egressa fuerit, studiosiùs orate. Verùm quia tempus à prima fundatione Hirsaugiana, longũ paulò minùs septingentorũ annorum, plura memoratu digna mihi scribenda obtulit, visum mihi fuit, opus totum in duo volumina, sive partes dividere, ne aut pondus unius codicis in immensũ evaderet, aut brevitatis necessaria consideratio gestorum seriem detruncaret. Primã igitur partem ab introitu Monachorũ de cœnobio Fuldensi, ad S. Aureliũ anno Christianorũ octingentesimo tricesimo octavo incepimus, quam per annos septem & viginti, supra quadringentesimũ continuantes, Abbatum ordinatas successiones per seriem temporis, usq; ad vicesimũ quintũ, nomine Volpoldum, inclusivè perduximus. Porrò multa per digressũ facta Germanorũ memoratu digna ubiq; inserui, exterasq; nationes, ùt ipsæ fecêre nostris, quantùm licuit, silentio transivi. Vale. Ex meo cœnobio scripsi quintâ die mensis februarij. Anno Christianorum M. D. XI.

Cur historiarum opus diviserit in duo volumina.

Scriptũ anno M. D. XI.

In Nomine Domini nostri JESV Christi FILIJ DEI OMNIPOTENTIS INCIPIT PRÆFATIO JOANNIS TRITHEMII ABBATIS,

in Chronicon Monasterij Hirsaugiensis, &c.

Diligentia Veterum circa historias.

HIstorijs conscribendis magnam veteres adhibuêre diligentiam: quippe qui non secus ac legibus, memoriâ rerum transacti temporis, rem exornari publicam crediderunt. Historia namq; sempiternæ quædam memoriæ conservatrix est, quæ sola famam bonorum virorum, qui sapientiâ, fortitudine, vel sanctitate, sese præstare cæteris magno labore conati sunt, venerandâ quâdam recordatione facit immortalem. Quis originem mundi, annorúmq; omnimodam supputationem, & ea, quæ interea sunt facta inter mortales, hoc tempore nescientibus innotescere? Quis incarnationem, Nativitatem in mundum ex Virgine, Doctrinam, Miracula, Passionem, Mortem ac Resurrectionem D. N. Jesu Christi persuadere posset ignorantibus? Aut quis Passiones Martyrum, vitam, conversationes, & miracula Sanctorum, Trojanorum excidium, latum in orbe Romanorum imperium, memorabilia Regum, Philosophorum, & Principum dicta vel facta, cæteráque scitu dignissima, hodie nobis vel panderet, vel pandentibus crederet? si nulli ante nos historiarũ Scriptores extitissent? Sola igitur historia est, quâ fit, ut qui longissimi temporis intervallo à veteribus illis disjungimur, & illorum gestis interfuisse, & illis ijsdem vixisse temporibus per lectionem videamur. Historia etenim suo vigore immortalitatem confert mortalibus, prudentiam animo legentis copiosam aperit, & in gestis veterum quid agendum, cavendúmve sit, omni tempore ostendit. Historia fidem instruit, spem erigit, charitatis igniculum accendit. Historia nos cautos reddit ad pericula, in agendis facit providos, & in omni negotio, quod occurrerit, astutos. Historia parvulis addit scientiam, & mentes infirmorum incitat ad virtutem. Enimverò dum gesta vel dicta memoratu digna bonorum virorum ad memoriam legendo reducimus, quid aliud quàm eorum nos imitatione ad virtutum exercitia præparamus? Rursus verò, cùm pravorum impia dicta vel facta legimus, docemur, ut pernicioſa fugiamus. Unde rectè historia mortuorum vivum exemplar

Demonstratio dictorum per exempla.

Historia præsentes facit absentes.

Historiæ utilitatis commendatio brevis.

plar, mortaliumq; lumen inextinguibile dicitur, per quam ad pravorum detestationem, bonorum verò imitationem provocamur. Monemur etenim per historias malum fugere, bonum amplecti, & in ejus amore jugiter permanere. Sic ergo nobis in hac mortalitate vivendum est, ut lectione historiarum studeamus ex imitatione veterum semper in melius proficere, & boni operis exemplum etiam posteris commendare. Unde quoties historia pravorum impiè dicta, vel facta, probra seu meritas pœnas nobis reducit ad memoriam, non ideò scripta putemus, ut vel imitatione digna sint, vel præconio laudis, sed nobis potiùs in avisamentum digesta credamus, ne similia committens quispiam ex nobis pares recipiat pœnas, quas illi pro demeritis susceperunt. Adijciendum rectè putamus, quòd per multarum experientiam rerum in nobis tandem prudentia nascitur, ad quam arte longâ existente, ac vitâ brevi, nusquam facilior patet accessus, quàm si veritatis, ac rectitudinis amore omnem honestatis & pietatis historiam lectione sedulâ revolvamus. Quæ cùm ita sint, non studio vanitatis, neque curiositatis instinctu, sed divino potiùs Spiritu afflatum crediderim, optime Joannes insignis Monasterij Hirsaugiensis Reverendissime Princeps, Dux ac pastor, & Abba, qui me toties hortari precibus, ac sollicitare promissis, importunè, ac opportunè non cessas, monens, rogans, postulans, quatenus historiam memorati cœnobij tui Hirsaugiensis, quam Venerabili Prædecessore quondam tuo Blasio Abbate, ego tunc Abbas Cœnobij Spanheimensis existens postulante inchoaveram ex Schedis, & monimentis per te mihi denuo transmissis, vel serò tandem aliquando perficiam. Cohortantur me non minùs Fratres tuo imperio subjecti, qui unà tecum hoc à me opus Chronicorum ex multo jam tempore instantiùs postulârunt; quibus nimiâ charitate devinctus impium duxi aliquid monentibus denegare: Nam etsi res ardua sit meo judicio, & magna, parvisq; viribus ingenij mei multùm difficilis, rerum gestarum seriem, Abbatumq; Monasterij tui memorati Hirsaugiensis tempora, & Successionis ordinem ab octoginta ferme annis supra sexcentos ad memoriam reducere, & in unius corpus voluminis servatâ ubique continuatione historiæ ordinare, Tibi tamen, Monasterio tuo, & monachis omnibus in regulari subjectione commissis tantâ sum dilectionis familiaritate constrictus, ut vestris jussis, & sanctissimis votis, etiam supra vires in majoribus obedirem. Volens igitur, & libens postulationibus vestris pro viribus præstabo obsequium, & diu desideratum historiæ opus Domino largiente perficiam.

Historia confert Prudentiam.

Difficultas hujus historiæ.

Duo sunt præcepta, quæ dantur historiam scribere volentibus: Alterum, ut inviolata veritas in omni narratione ubiq; permaneat: Alterum verò, ut ipsa narrationis integritas proprijs, aptis, & concinnis sermonum ornatibus decoretur. In primo me quidem satisfacturum instituto & velle, & posse, non abnuo: quippe quem & ipsa professio Monastica simul, & Christiana fides abhorrere compellunt mendacium, & veritatis jubent esse amicum. *Os etenim, quod mentitur, occidit animam:* & Scriptor, qui veris miscet mendacia, confundit historiam. In altero verò me non posse fore sufficientem manifestè considero: utpote qui veritatem sine fuco sermonis apertè, àtque simplici

Duo præcepta dantur historiographis.

Historiarum tria sunt genera.

verborum congerie scribo. Sunt autem tria historiarum genera. Ex his primum nominatur Catholicon, quod universale quidem existens totius mundi complectitur historiam, & si non omnium, multorum tamen Regum, Principum, Nationum, & Provinciarum gesta commemorat. Hoc scribendi genere usi sunt Titus Livius Historiographorum lacteum flumen, Eusebius quoq; Cæsariensis Episcopus, Cassiodorus Monachus in Tripartita historia, Freculphus Episcopus Lexoviensis, Orosius Presbyter in Hormesta mundi, Vincentius Belluacensis in speculo historiali, Marianus Scotus Monachus Fuldensis, Martinus Romanus, Gottfridus Viterbiensis, Helinandus Monachus Frigidi montis, Rupertus Monachus, Hugo Floriacensis Monachus, Joannes de Columna, Antoninus Archiepiscopus Florentinorum, Marcus Antonius Sabellicus Venetus, Jacobus Philippi Bergomensis, Sebaldus Schedel Nürenbergensis: & alij multi; quorum nomina ratione prætermittimus.

1. Universale.

2. gen^s speciale nominatur.

Secundum historiæ genus Idicon dicitur, id est, speciale, vel proprium: quod unius vel Regni, vel Gentis acta solùm comemorat. Hoc scribendi genere usus est, Josephus Judæus de bello Judaico, & antiquitatum libris, Philo quoq; Judæus in libro Successionum, Egesippus ex Judæo Christianus, de Excidio Hierosolymorum, Beda Monachus in gestis Anglorum, Gregorius Episcopus Turonensis in gestis Francorum, Jordanes Episcopus in gestis Gottorum, Windekindus Monachus in historia Saxonum, Regino Prumiensis Abbas in historia Gallorum, Rupertus Gangvvinus in gestis Francorum, Andreas Monachus Ratisponensis in gestis Bavarorum, & alij multi, quos transimus.

3. Topicum sive locale dicitur.

Tertium verò genus historiarum nominatur Topicon, id est locale: quod historiam unius Civitatis, Familiæ, seu loci complectitur, & ad externa non vagatur. Hoc scribendi genere usus est Beda Monachus in Anglia, qui localem Monasterij sui, & Abbatum historiam composuit, & aliena non curavit. Sigebertus quoq; Monachus Gemblacensis, Strabus Monachus Fuldensis, & complures alij Bedam imitati, Monasteriorum & Abbatum suorum conscripserunt historias, quorum exemplo & ego Joannes Trithemius Abbas Monasterij S. Jacobi Majoris Apostoli Herbipolensis, retro actis annis cùm in Cœnobio Divi Martini Spanheimensi Abbatis nomen adhuc portarem indignus, ejusdem Monasterij historiam, tempora quoque, & Successiones omnium Abbatum ejus ab initio Fundationis per annos CCCLXXXII. usq; ad mei translationem in Herbipolim, quæ facta est anno salutis Christianorum M.D.VI. indictione IX. certè non sine labore maximo in unum volumen comportavi. Hoc ipso quoq; scribendi genere historiam Hirsaugiensis Monasterij tui Joannes Abbatum modestissime, sicut præcepisti mihi, contexere statui, cui etsi nitorem eloquentiæ necessarium adhibere nequeam, à veritatis tamen semita non recedam. Multa deniq; sparsim in Germania facta huic historiæ nostræ per digressum mihi placuit inserere, quo non solùm Hirsaugiensibus, sed omnibus quoq; legentibus honestam animorũ conferat voluptatẽ.

Idi-

Idipsum ante me feciſſe plures invenio, qui Monaſteriorum ſuorum hiſtorias, Abbatumq; Succeſſiones litteris commendârunt. Erit forſitan aliquando tempus, quando opus hoc noſtrum in unius anguſtia Cœnobij minimè latere poterit, ſed hominum curioſitate laudabili extractum in manus plurimorum veniat diſcutiendum. Vt ergo nuſquã progrediatur vacuum, nullíque fiat oneroſum, clauſulis rerum memorandarum in Germania noſtra geſtarum certo illud moderamine decorare volui, quatenus & rerum varietas jucunda fiat neſcientibus, & prolixitas brevitate compreſſa ſcientibus non generet in mente faſtidium. Auctorum verò de quibus auxilium habui, iſta ſunt nomina: Megenfridus Monachus Fuldenſis, qui multa ſcribit de prima Fundatione Hirſaugienſis Monaſterij, & Succeſſione Abbatum apud Eccleſiam S. Aurelij. Windekindus Monachus Corbejenſis in Saxonia. Regino Abbas Prumienſis in hiſtoria Metenſium. Benno Abbas in hiſtoria Suevorum. Theodoricus, & Goldsherus Monachi S. Matthiæ in geſtis Trevirorum. Marianus quoq; Scotus Monachus in omnimoda Germanorum hiſtoria. Otto Friſingenſis Epiſcopus. Andreas Monachus S. Hemmerammi Ratisponenſis. Henricus de Erfordia. Gottfridus Viterbienſis. Gottfridus quoque Monachus S. Pantaleonis in Colonia. Joannes de Hildensheim Carmelita. Rupertus Præmonſtratenſis Canonicus. Hugo Floriacenſis. Joannes Monachus Caſtellenſis. Ebervvinus Monachus Segenbergenſis. Bernardus Monachus Corbejenſis. Bertrandus Monachus Hirsfeldenſis. Multa deniq; ex alijs diverſis Chronicis, & hiſtorijs Francorum, Bavarorum, Suevorum, Moguntinenſium, Neometenſium, Vangionum, comitumq; Palatinorum Rheni dudum per Wernherum Monachum Loriſſenſis Cœnobij comportatis, huic operi noſtro inſerui, quorum mihi narratio ad ſeriem hiſtoriæ non inutilis videbatur. Ex Annalibus quoq;, privilegijs, & litteris ipſius Monaſterij Hirſaugienſis non mediocriter adjutus ſum, quorum continentiâ Succeſſiones Abbatum deducantur. Plura etiam ex Legendis Sanctorum, Epiſtolis quoque, & opuſculis Patrum convenientia propoſito meo non absq; labore magno ſum aſſecutus. Placuit autem mihi totam hiſtoriam juxta ſeriem annorũ Dominicæ Nativitatis cum minio diſtribuere: quatenus factum cujuslibet temporis lector ſub regimine Abbatum faciliùs poſſit invenire. Tali etenim ordine ſeries diſtincta temporum & minùs legentem aggravat, & pulchrâ varietate hiſtoriam per amplius ornat.

Auctores quos Compilator ſecutus eſt.

Finis Præfationis.

FUN-

FUNDATORUM NOMINA,

Qui tam veterem, quàm novam Hirſaugiam vel fundârunt, vel dotârunt, vel reformârunt.

I. ERlafridus Comes de Calvva cum filijs Nottungo Epiſcopo Vercellenſi, & Ermenfrido Comite, fundator anno 830.

II. Lutbertus poſtulatus ex Monaſterio Fuldenſi Diſciplinæ Hirſaugienſis inſtitutor.

III. Diethmarus ex Monaſterio S. Galli poſtulatus, Primus Diſciplinæ Hirſaugienſis reformator.

IV. Leo Papa IX. ex Comite de Dagsburg Auctor ſecundæ fundationis Hirſaugienſis.

V. Adelbertus Comes de Calvva ſecundus fundator, cum Wiltrude uxore devotiſſima.

VI. Fridericus ex Monaſterio Einſidlenſi poſtulatus ſecundus Hirſaugienſis Diſciplinæ inſtaurator, poſt 63. annorum vacationem.

VII. S. Wilhelmus ex S. Emmerammo poſtulatus primus fundator novæ Hirſaugiæ.

VIII. Wolfframmus Mayſer Reformationis Burſfeldenſis introductor.

IX. Bernardus ſecundus fundator novæ Hirſaugiæ.

FUN-

FUNDATIO INSIGNIS MONASTERIJ Hirsaugiensis facta per Erlafridum Comitem de Calba, & Nottungum Filium ejus Episcopum Vercellensis Ecclesiæ, Anno Dominicæ Nativitatis Octingentesimo atque Tricesimo.

SCripturus auxiliante Domino nostro Jesu Christo historiam insignis Monasterij Hirsaugiensis, operæ pretium fore arbitratus sum ab ejus fundatione prima initium sumere, & quæ causa moverit ipsius Fundatores, inprimis demonstrare. Fuit eo tempore, quo Ludovicus primus Magni Caroli Filius Romanum gubernabat Imperium, Comes quidam in Calba, nomine Erlafridus, vir dives, potens, ac magnus, etiam in conspectu Cæsaris Ludovici Hic habebat filium gentili vocabulo Nottungum, in omni doctrina Scripturarum eruditum, qui propter scientiam litterarum, & morum integritatem sub Carolo Imperatore Magno, Vercellensis Ecclesiæ Pontificatum fuerat assecutus. Is postquam Ecclesiæ suæ per aliquot annos strenuè præfuisset, dulcem revisendi patriam cupidinem incidit, quam ne vacuus cerneret, cogitare anxius cœpit, quo illam munere honoraret. Impetrârat non longè priùs magnis quidem precibus ab Archiepiscopo Mediolani Corpus Divi atque sanctissimi quondam Præsulis Rhedicianorum Aurelij Armeni, sacras reliquias, omni auro & jaspide pretiosiores, quas de Mediolano ad Ecclesiam suam Vercellensem deferens, in Mausolæo pulchro, quod eis præparaverat, collocavit. Visurus itaque patriam, & dulces in natura parentes, hunc thesaurum inferre Germanis loco muneris præcipui cogitavit. Inter spem metumque fluctuans omnino, ne forsitan hæc illatio aut sanctissimo displiceret Aurelio, aut si populo innotuisset Vercellensi, à suo cogeretur resilire proposito, rem omnem Divino nutui commisit terminandam. Tota igitur mente conversus ad Deum, ac prope sepulchrum S. Aurelij noctem ducturus insomnem, humi devotus provolvitur; & his verbis ad Sanctum Christi Confessorem Aurelium precatur: *Aureli sanctissime*

Nottung. Ep. Vercellensis Filius Erlafridi Comit.

Corpus S. Aurelij transfertur Vercellas.

sime Pater, Decus meum, & unicum animæ meæ post Christi Matrem præsidium; Tibi pando nunc desiderium meum, quod in lumine divinæ speculationis Tibi posito, nequaquam potest esse absconditum. Rogo te per divinum amorem, qui te mihi venerabilem, Ecclesiæ celebrem, & ægris medicum fecit, ne me in hoc ambiguo diutiùs fluctuare permittas, sed exaudi me famulum Tibi humiliter prostratum, & doce me, quid agere debeam secundùm Dei, & tuam voluntatem. Cumque oraret diutiùs, & lachrymans humi jaceret prostratus, paulisper obdormivit. Cùm mox dormienti S. Aurelius Pontificali mitrâ decorus apparuit, ac pavore aliquantulùm concussò similia dixit: *Salus tecum Frater Nottunge: nihil metuas velim, sed consurgens animæquior esto: Ego sum Aurelius Rhedicianorum quondam Episcopus, quem precibus vocasti, & ad hoc veni, ut pergam tecum in tuam Alemanniam. Quo cùm perveneris, Monasterium servorum Dei meo nomine in eo loco constituas, in quo cæcum ad invocationem nominis mei videris illuminatum.* Quibus dictis visio sancti disparuit: At verò Nottungus Reverendissimus Præsul gaudens, & lætus de somno consurgens, in ipsa mox nocte Sarcophagum Sancti aperuit, & sacras ejus Reliquias nemine sciente in suum cubiculum portavit. Mausolæum verò diligentissimè recludens, multo Vercellenses tempore delusit, qui Sanctum se habere hospitem crediderunt, quem non habebant. Post hæc Venerandus Christi Præsul Nottungus, omnibus paratis, quæ ad itineris tanti rationem videbantur necessaria, de familia sua fideliores quosdam socios peregrinationis assumpsit & comites, impositisque jumento viario Reliquijs Sacris, in Dei nomine proficiscitur. Cúmque post dies aliquot ingrederetur Alemañiam, magnâ suorum lætitiâ exceptus est, & quàm pretiosum intulisset patriæ thesaurum genitoribus in occulto primùm aperuit. Verùm cùm locus non esset in promptu tanto hospiti conveniens, nec videretur Antistiti Religiosum sacras Reliquias ultra triduum inter homines detinendas, cum genitore anhelus deliberat, quo ponantur intereà, donec Monasterij construendi mansio disponatur. Erat autem non procul à Castello Comitis Erlafridi, qui morabatur in Calba, unde & nomen habebat, Capella sub honore S. Nazarij consecrata, quæ nomen monti dedit, in quo constructa fuit usque in præsentem diem. Placuit ergò cunctis, qui Pontificis interfuère consilio, ut Aurelij sanctissimi busta in eam cum honore debito reponerentur. Posterâ itaque luce mane consurgentes, Nottungus Episcopus, Comes quoque Erlafridus, & filius ejus alter Ermenfridus cum tota eorum familia, prædispositis ad hoc opus necessarijs, sacras Reliquias per declivum montis circumgirando ad memoratam Divi Martyris Capellam ferre cœperunt. Venientes autem in eum locum, ubi nunc Ecclesia S. Aurelij trans fluvium videtur constructa, cæcus quidam in medio turbæ, quæ convenerat, sanctis Reliquijs obvius voce altissimâ clamavit: Sana me sanctissime Cultor Dei Aureli, restitue mihi lumen oculorum meorum, sicuti pollicitus es. Ad quem Nottungus Præsul Reverendissimus inquit: Dic mihi ô homo, qui clamitas; ubi S. Aurelius tibi visum dare promisit? Cui cæcus: Domine hac nocte mihi dormienti in angustia cordis mei Sanctus iste apparuit dicens:

S. Aurelius transferturin Alemañiam.

Erlafrid. Comes de Calba.

Crastino

Crastino in nomine Domini illuminaberis; Et respondi: Domine quis es? Ego sum, inquit, Aurelius Episcopus, quem Filius Domini tui Erlafridi Comitis novum hospitem his regionibus pridem adduxit. His dictis iterum clamavit dicens: S. Aureli adjuva me. Statimque aperti sunt oculi ejus, & visum perfectè recepit. Mirabantur omnes, qui tanto interfuêre miraculo, & S. Aurelij merita magnis laudum præconijs extollebant. Dixit ergo Nottungus Præsul ad Comitem; Hic locus est Pater, in quo Monasterium Servorum Dei constitues. Post hæc montem concito gradu ascendentes immolato nostræ salutis remedio, Pontifex sacras Reliquias dicti Præsulis Aurelij ad præparatum in Capella S. Nazarij locum reposuit. Reversus ad Castrum Nottungus Episcopus votum suum Patri, & Germano exposuit, monens, rogans, & contestans eos, quatenus amore Dei Omnipotentis, ad honorem B. Petri Principis Apostolorum, & S. Præsulis Aurelij Monasterium Servorum Dei secundùm Regulam S. Benedicti eo in loco ædificare meminerint, in quo cæcum viderant illuminatum. Persuasit Patri sine difficultate filius, quem tanti novitas miraculi præ nimia admiratione satisfecit attonitum. Erat nomine Comes Erlafridus homo in fide Christiana devotus, Deum timens, & de suis bonis libenter ministrans pauperibus: quippe qui cælestia præponere terrenis jam olim didicerat, cujus voto junior filius consensit in omnibus.

Cæcus illuminatur ad merita Præsulis.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis DCCCXXX. Indictione VIII. Nottungo Reverendissimo Vercellensium Episcopo ad suam Ecclesiam post menses duos reverso, Comes Erlafridus Deo factæ promissionis memor, Cœnobium Hirsaugiense sub declivo montis, ubi cæcus fuerat illuminatus, ad invocationem Divi Aurelij construere de suis facultatibus cœpit; quod celeri consummatione in septem annis feliciter tandem perfecit; Copiam enim tam lapidum, quàm lignorum ad manum habuit, & dives pecunijs non pepercit. Intereà perstabat sollicitus metuens casum, qui accidere potuisset, ne si morte præveniretur, Sanctum opus maneret sub filio imperfectum. Nam etsi Ermenfridus junior Comes Patri fidelis cooperator in hac ipsa fundatione videretur existere; propter juvenilem tamen ætatem, si libertatem fuisset assecutus, Seniori levitas animi semper extitit suspecta. Intereà dum hæc agerentur circa novam constructionem Ecclesiæ S. Aurelij; Nottungus Reverendissimus Antistes sæpe nominatus Vercellensis, ut operis sancti particeps mereretur existere, magnum pondus auri, & argenti per nuntium destinavit ad Patrem; quo non solùm inchoatum perficeretur ædificium, sed & monachis inibi coadunandis vitæ præsentis necessaria coemerentur: misit insuper & Cruces aureas, argenteasque, & Calices in ministerium Divinæ servitutis, libros quoque, & ornamenta varia, quibus nova Domus Domini intrinsecus ornaretur.

Monast. Hirsaugiens. consummatio.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis DCCCXXXVII. Indictione XV. structura Monasterij S. Aurelij per Comitem Erlafridum de Calba perfecta & consumata est, qui fuit Ludovici Imperatoris annus XIV. atque à transitu sanctissimi Legislatoris nostri Benedicti, CCXXXI. Erat autem Ecclesia pro consuetudine illius temporis admodùm pul-

chra, sine columnarum substitutione fabricata, ampla satis, & ligneo tabulatu superiùs cooperta, ac quatuor duntaxat altaribus redimita. Porrò claustri dispositio intrinsecus veterum imitatione simplex & ampla fuit, ligneo similiter tabulatu desuper contexta per totum, quæ non ad fastum, sed ad habitationem Monachorum satis videretur idonea. Reliqua Monachorum habitacula per girum claustri ordinatim dispositа juxta morem illius temporis erant pulcherrima, quamquam, si nostri his temporibus clausträles, similibus includerentur mansionibus, non Cœnobijs, sed carceribus se crederent mancipatos: sic mutantur tempore mores, & sancta veterum simplicitas curiosâ semper novitate confunditur. Nam veteres quondam ordinis nostri Monachi cellulas inhabitabant humiles & tenebrosas; sed corda eorum lumine divini amoris splendida fuerunt & lucida, átq; in scientia sanctarum scripturarum mirabiliter illustrata. Nostræ verò tempestatis Monachi cellas hodie pulchras inhabitant & lucidas; mentes autem sine lumine sanctitatis negligunt vitijs & ignorantiâ tenebrosas. Ita similiter cum calices olim essent cuprei, fuerunt (ut sic loquamur) aurei sacerdotes, nunc autem calices sunt aurei, & in cuprum sacerdotes videntur esse mutati. Monasterium itaque Hirsaugiense ab Erlafrido Comite primùm in eo fuit loco sicut diximus ædificatum; in quo & cæcus ad invocationem S. Aurelij illuminatus fuerat, & ipse pro suis venationibus domum saltûs nuncupatam ex consuetudine habebat. Quod tamen post annos ferme quatuor & triginta supra ducentos, ut suo loco dicemus, in sequentibus à Comite quodam Adelberto de Calba dirutum, in eam formam, quâ hodie cernitur, extitit reformatum; prioris etenim Monasterij ab Erlafrido fundati, nullum hodie remansit vestigium.

Clausträ Veterum tenebrosa: Corda lucida.

Quãdo, & de quo Monasterio primi Monachi ad Cœnobium S. Præsulis Aurelij, quod Hirsaugia nominatur, assumpti fuerint, & introducti.

POsteaquam Erlafridus Comes magnificus Monasterium Hirsaugiense memoratum non sine multis impensis atque laboribus anno septimo tandem complevit, anxiâ mente cogitare cœpit, unde ad novum Cœnobium veteris conversationis viros sub norma S. Benedicti optimè institutos habere posset. Vigebat eo tempore in Cœnobio Fuldensi sub moderamine Rhabani Abbatis magna Monachorum religio: cujus se fama per totam penè Europam diffuderat, eratq́ue memoria laudis Fuldensium Monachorum, utpote qui doctrinâ & sanctitate omnes inter Monachos occidentales facilè obtinuêre principatum. Multi enim ex ijs in diversis Christianorum Ecclesijs propter eruditionem Scripturarum, & meritum sanctitatis ad Pontificatûs honorem fuerunt assumpti. Comes itaque Erlafridus habito suorum consilio, nuntios misit, ad Rhabanum Abbatem, Otgari Archiepiscopi Moguntini precibus adjunctis, postulans sibi transmitti Monachos quindecim & Abbatem, novo, quod construxerat,

S. Religio Fuldensium.

ſet at, Monaſterio ſecundùm Regulam S. Benedicti inſerendos, ſe quoque facturum omnia promiſit, quæcunque illorum judicio ad utilitatem inſtitutionis monaſticæ neceſſaria viderentur, & opportuna. Fuerunt illo tempore, ut Meginfridus teſtatur, in Cœnobio Fuldenſi ſub directione Rhabani Mauri ſanctiſſimi Abbatis pluſquam ducenti & ſeptuaginta Monachi, inter quos, juxta numerum Apoſtolorum duodecim viri erant in omni varietate ſcripturarum Magiſtri præ ceteris doctiſſimi. Hos ergo duodecim Rhabanus in unum convocans preces tam Archiepiſcopi Moguntini, quàm Comitis Erlafridi coram eis litteris patentibus expoſuit: & quid ipſi ſentirent in hoc negotio, requiſivit: qui unanimi conſenſu reſponderunt, ſanctum Comitis deſiderium non eſſe contemnendum, quod & Omnipotenti Deo fore placitum, & pro ſalute multorum nemo dubitaret eſſe futurum. Ad hanc igitur Provinciam ſubeundum quindecim ex fratribus delegerunt, præficientes illis in Abbatem Lutbertum unum ex duodecim præcipuis Doctoribus, hominem provectioris ætatis, eruditione & moribus valde notabilem, fratrémque germanum Reverendiſſimi Abbatis Brunonis, & Principis Monaſterij Hirsfeldenſis.

Monachi Fuldæ 270.

Anno igitur Chriſtianorum DCCCXXXVIII. Indictione Romanorum I. menſis Maij die 25. Lutbertus Abbas cum 15. Monachis de Monaſterio Fuldenſi venit in Hirſaugiam, quos Erlafridus Comes de Calba Fundator ſæpe dictus cum ingenti lætitia ſuſcipiens ad novum Cœnobium lætus introduxit, eiſque de omnibus vitæ neceſſarijs copioſiſſimè providit: & omnia cum eorum conſilio tractabat. Eo tempore corpus S. Aurelij adhuc ſervabatur in Capella B. Nazarij ſupradicta, propterea quòd Eccleſia Monaſterij nõdum eſſet conſecrata. Poſt menſes igitur paucos ut omnia prædiſpoſitum conſequerentur effectum, Comes Erlafridus ad Curiam Imperialem cum alijs Principibus ad Francofordiam evocatus eſt, ubi terminatis negotijs Regni, pro quibus Otgarium pulſavit Moguntinum Archipontificem, quatenus novum Cœnobium, quod conſtruxerat, convenienti tempore dignaretur conſecrare. Annuit Præſul votis ſupplicantis, ſe quàm primùm daretur opportunitas, promittens eſſe venturum.

Monachi veniunt Hirſaugiam anno 838.

Quo tempore, per quem, & quibus præſentibus primum Cœnobium S. Aurelij Hirſaugienſe fuerit dedicatum, & repoſitione Reliquiarum ejuſdem.

CUm eo tempore inter Ludovicum cognomento Pium Imperatorem, & ejus filios gravis fuiſſet exorta diſſenſio, factus eſt denuo Principum conventus in civitate Neometenſi, quæ nunc Spira vocatur, octo ferme diſtans ab Hirſaugia milliaribus. Convenerant illuc multi Principes, Epiſcopi, Abbates per Imperiale mandatum ad Curiam more ſolenniter evocati, inter quos comparuit nobilis ille Comes Erlafridus, qui nactus opportunitatẽ, denuo Moguntinum Præſulem Otgarum pro dedicatione novi operis ad-

eundum putavit. Consensit Otgarius, & de licentia Imperatoris diem consecrationis statuens, ad necessariorum dispositionem Comitem Erlafridum ad propria præmisit, post diem tertium subsecutus. Anno igitur Christiano prænotato videlicet DCCCXXXVIII. Indictione I. die mensis Septembris XI. hoc est in Festivitate SS. Martyrum Proti & Hyacinthi, Otgarius Moguntinæ Sedis Reverendissimus Archiepiscopus novam Hirsaugiensis Monasterij Ecclesiam sub honore Principis Apostolorum Petri, & S. Aurelij Rhedicianorum quondam Præsulis consecravit, in præsentia multorum Principum, Episcoporum, Abbatū, & Comitum, quos fundator comes Erlafridus de Curia Imperatoris invitaverat. Quorum ista sunt nomina per Meginfridum separatim expressa. Hildebaldus Archiepiscopus Colonienſis, Wilericus Episcopus Bremensis, Eppo Episcopus Hildeshemensis, Thiagrius Episcopus Halberstatensis, Hildouinus Abbas S. Dionysij sacri palatij Archicapellanus, Rhabanus Abbas Fuldensis, Lutbertus Abbas primus Hirsaugiensis, & frater ejus Bruno Abbas Hirsfeldensis, Henricus Dux, Bernardus Dux, Bruno Dux, & filius ejus Ludulfus, Erlafridus de Calba comes, & filius ejus Ermenfridus, Ortrungus Comes, Adelhardus Comes, & complures alij, quorum nomina Deo sunt cognita, sed in gestis Otgarij Præsulis ex negligentia scriptoris non expressa. Consecratione autem Ecclesiæ cum 4. altaribus suis peractâ solenniter, memoratus Pontifex allatum de Capella S. Nazarij Corpus beatissimi Præsulis Aurelij subtus altare magnum cum reverentia & devotione magna reposuit, quod illic postea multis miraculis coruscavit. Deinde post annos LIII. cùm Nortmanni sub Arnulpho Imperatore devastarent Wormaciam, Harderardus Hirsaugiensis Monasterij IV. Abbas metuens incursum Barbarorum, testudinem fecit in Ecclesia subterraneam, in qua sanctas Reliquias in Sarcophago lapideo novo reposuit, cum inscriptione nominis, & dignitatis, ipsamque cameram ita rursus terra operuit, ut nullus deinceps quidquam ibi latere potuerit suspicari. Manserunt in eadem crypta Reliquiæ sanctæ occultatæ per annos CLXX. usque ad tempora Comitis Adelberti, qui sub Henrico IV. Imperatore renovavit Hirsaugiam, ita ut penè in oblivionem venisset S. Aurelius, excepto, quòd solâ famâ, & relatione Proavorum illum Hirsaugiæ sepultum audivit industriosa posteritas. Et de his postea suo loco mentionem non abscondemus.

Ecclesia prima S. Aurelij consecrata.

Principum præsentium nomina.

Corpus S. Aurelij infertur.

Reliquijs itaque Divi Præsulis Aurelij sub altare per sæpe dictum Archiepiscopum repositis, Lutbertus instante Erlafrido Comite pastoralis curæ baculum de manu Pontificis Moguntini susceepit, & realem possessionem Monasterij coram omnibus, qui aderant, solenni introniſatione acceptavit.

Lutbert. ordinatur in Abbatem.

Deinde Comes Erlafridus accedens cum filio ad S. Hagiasterium coram Archiepiscopo Pontificalibus induto, & multitudine Principum traditione solemni manumisit, & dedit Omnipotenti Deo, S. Petro Apostolorum Principi, & Divo Aurelio Monasterium hoc novum, quod construxerat, cum vicis, pascuis, nemoribus, aquis, aqua-

Dotatio Monasterij.

aquarúmque decursibus venationibus, piscationibus, agris, pratis, & molendinis, cum universis emolumentis, atque proventibus, juxta tenorem Eulogij donationis, quod super sanctum Altare deposuit, in quo continebantur & ista: *Do etiam Ecclesiæ huic sancti Aurelij traditione perpetuâ Ecclesiam in stamhem cum parte ipsius Villæ præcipua, & universis viculis ad eam pertinentibus: Ecclesiam quoque in Dec Renbronna cum omnibus ad eam pertinentibus. Item terræ arabilis in Gilstein Hubas duodecim: Ecclesiam in Meuching, & Hubas duodecim. In Muching prædium bonum. In Toffingen similiter contrado Ecclesiam; Villas quoque dono subscriptas; Luzenhart, Aliburg, Luzelhart, Eberspüel, Cellenbach, Cugelbach, Nagaltart, Ottenbronnam, Hugstetten, Humbrechtzwiler, Altiburam villam dimidiam cum omnibus pertinentibus ad eam.*

Alia quoque multa pro sustentatione Monachorum ad idem Cœnobium tradidit, quæ tunc temporis in libro donationum fuerant confirmata. Hanc autem Comitis Erlafridi solennem donationem Otgarius Reverendissimus Præsul Moguntinus, vice Domini Papæ Gregorij IV. banno perpetuæ stabilitatis communivit, ipsum Monasterium cum omnibus donationibus inibi factis in manus prænominati Abbatis Lutberti, Successorúmque ejus in perpetuum gubernandũ tradidit, hac videlicet interpositâ conditione: quòd vita Monastica secundùm Regulam S. Benedicti perpetuis in eo temporibus custodiatur, & quotiens mori Abbatem contigerit, vel curæ aliàs cedere pastorali, in Fratrum consistat electio liberrima potestate. Advocatum verò consecrati Monasterij memoratus Pontifex ipsum Comitem Erlafridum ad dies vitæ sub tali conditione esse voluit: ut eo mortuo filius in advocatia non succedat, nisi ad eam fuerit per Abbatem & Fratres spontaneâ voluntate assumptus. Verebatur enim religiosissimus Comes, ne Monasterium post mortem suam per filium, sive nepotes futuro tempore (sicut contigit) aliquam sustineret injuriam; ideo voluit in Abbatis pendere arbitrio, convenientem pro tempore perquirendi Advocatum. Et hæc libertas Hirsaugiensi Monasterio privilegijs tam Apostolicis, quàm Imperialibus varijs confirmata, usque in præsentem diem inviolata perseverat; quamvis aliquotiens fuerit in contrarium attentatum. Eodem quoque anno hæc donatio Comitis Erlafridi per Ludovicum Imperatorem apud Neometin ad ejus instantiam simul & Lutberti Abbatis, in præsentia multorũ Principum fuit confirmata. Et hæc de consecratione & dotatione primi Monasterij Hirsaugiensis breviter conscripta sufficiant, ut properemus ad cetera, quæ restant.

Advocatiæ libertas.

Vita, conversatio, & obitus S. Rhedicianorum Præsulis Aurelij, cujus ossa per Nottungum Vercellensem Episcopum ad Hirsaugiam sunt translata.

CAlamum deinceps ad tempora Lutberti primi Abbatis directuri, vitam sanctissimi Præsulis Aurelij sub brevi compendio duximus præmittendam, ut quicunque hæc nostra synthemata lecturi sunt, cujus sit meriti apud Deum S. Aurelius Præsul intelligant.

Et ne

Et ne prolixiores inveniamur, quàm oportet, ita veterem hujus Sancti historiam nobis oblatam percurrimus, ut verborum quidem plurimũ, sententiarum verò aut nihil, aut parùm immutemus. Natus igitur in Germania B. Aurelius ex parentibus Christianis atq; Nobilibus, ubi primum per ætatem licuit, litteris traditus fuit. Qui providentiâ divinâ operante, brevi non parùm in omni scripturarum scientia proficiens, universa quæ vel scire potuit, vel discere, ad exercitium divini convertit amoris, noctes diésque meditator existens divinę legis, animum cœpit à terrenis subtrahere, & in contemplationem supernorũ dulciter elevare. Crescentibus annis, omnibúsque exornatus virtutibus, præcipuâ sanctitate fulgebat, norma & exemplar bonorum operum cum admiratione omnium factus, utpote qui ætate juvenis, moribus & sapientiâ multis senibus senior apparebat. Unde per omnes Ecclesiastici ordinis gradus decenter promotus, tandem ad Pontificatûs apicem in Civitate Rhedicianorum, quæ nunc Orsa vocatur, maximo populi non minùs, quàm Cleri applausu, quamvis renitens conscendere meruit; eo videlicet tempore, quo Dionysius Archi-Episcopus Mediolanensis ab Arrianis in exilium mittitur. In quo honore constitutus magnis honoribus clarus effulsit, formam se Dominici gregis præbens irreprehensibilem, & non minùs exemplo, quàm verbo populum sibi ad observantiam mandatorum Dei adhortabatur. Pater erat pauperum, & consolator miserorum, qui totum, quod habere potuit, in usus egentium promptissimâ voluntate libens ministravit: tam sanctæ conversationis extitit, ut nemo in tota fuerit Armenia, qui Aurelium Episcopum Domini famulum non miris laudibus honoraret. Omnes suæ diœcesis viculos circuire monendo, prædicando, & corrigendo solebat. Cunctis in Christum credentibus verbum salutis cum maxima hilaritate annuntians. Erudiebat justos, pusillanimes confortabat, bonos hortabatur, ut semper in melius conarentur proficere; malis comminabatur pœnas, ut discerent se bonorum operum exercitijs occupare, bonis & rectis corde hominibus per humilitatem se comitem exhibebat & socium: improbis autem & non rectè conversantibus, se duræ & justæ severitatis ostendit Magistrum. Interea dum sanctis his operibus instaret B. Aurelius, contigit S. Dionysium Mediolanensis Ecclesiæ Archi-Episcopum ab Arrianis jussu Imperatorum expulsum relegari in exilium, ad illam videlicet civitatem Rhedicianorum, cui Aurelius præsidebat Episcopus, divinâ id providentiâ sic ordinante, ut in tribulatione Confessori suo necessaria non deesset consolatio. Hæc autem sanctissimi Viri Confessoris orthodoxæ fidei relegatio facta est ab impijs Arrianæ factionis Episcopis sub Constantino, Constantio & Constante Imperatoribus anno Domini nostri Jesu Christi CCC.LXI. Indictione IV. Liberio Papa Romanæ Ecclesiæ præsidente, qui & ipse eodem anno in exilium mittitur. At verò S. Præsul Aurelius venientem beatum Dionysium in civitatem Rhedicianam, ut verum Christi discipulum cum lætitia magna suscepit, & auditis sui adventûs causis, cum lacrymis iterum atque iterum Dei Confessorem osculatus est: cui sanctus inquit

Vita S. Aurelij.

Aurelius ordinatur Ep.

inquit Præsul Dionysius: Lachrymas frater amantissime tandem compesce; Domini est terra & plenitudo ejus, & omnis mundus Christiano patria est. Mutuæ igitur conversationis consuetudine introductâ, magnæ inter eos familiaritatis amicitia subsecuta est, quæ cæpta ex tempore, jam permanet in æternitate. Tanta in ambobus merita sanctitatis rutilabant, ut totam Armeniam fama eorum percurreret, & omnes in admirationem, Deique laudationem excitaret. Confluebant undiq; pauperes & infirmi, & à suis ægritudinibus precibus eorum curabantur: nec erat morbus in homine aliquis, qui sanctorum meritis non sanaretur. Tanta siquidem Omnipotens Deus per eos miracula hominibus præstitit, ut ad fidem Catholicã utrámque Armeniam, majorem videlicet ac minorem, gratia S. Spiritûs eorum operatione converterit. Et S. Aurelius omnes instantissimè commonebat, Arrianam impietatem fugere, & in fide sanctæ Trinitatis cum Romana Ecclesia permanere. Quamvis autem B. Dionysius in custodia teneretur captivus, sancto tamen Aurelio semper ad nutum patebat accessus, à quo in omnibus vitæ necessarijs providebatur. Cùm tandem post aliquot annos Dionysius mortem sibi appropinquantem cerneret, B. Aurelium ad se vocatum his alloquitur verbis dicens: Scio, Frater charissime, Domino revelante tempus mihi instare moriendi: Unum est quod peto absre, ut cum mortuus fuero, quamprimum tibi facultas data fuerit Corpus meum ad Ecclesiam Mediolanensem referas, ut quia me vivum habere non potuit, saltem vita defunctum recipere me mereatur. Non te perterreat itineris longi consideratio, quia Dominus meus Jesus Christus erit tecum, & merces laboris tui magna nimis. Cui S. Aurelius nimio ejus amore devictus facilè consensum præbuit, & se facturum omnia repromisit. Sanctus igitur Domini Confessor Dionysius, consumato jam ordine vivendi, moritur octavo Calendarum Julij. Anno Christianorum CCC.LXXIX. Indictione Romanorum VII. Fuerunt, qui scriberent, eum ab Arrianis relegatum in Cappadociam, ibique mortuum, & ejus reliquias per Basilium Episcopum Mediolanum missas ad D. Ambrosium; quæ sententia, ne assertioni nostræ videatur esse contraria, brevi est demonstratione veritatis declaranda. Notandum ergo, quòd Cappadocia minori Armeniæ, in qua Rhediciana civitas habetur, omnino est contermina, & sæpe una scribitur pro alia: Sanctus autem Basilius Cæsarienſis in Cappadocia Episcopus, ut magis notus, litteras commendatitias Aurelio potuit dedisse ad Ambrosium, & propterea visus sit à populo corpus B. Dionysij Præsulis misisse Mediolanum. Sanctus itaq; Confessor Domini Aurelius virtutũ, & miraculorum gloriâ insignis, tum ut opinionem sanctitatis declinaret inanem, tum ut mortuo satisfaceret amico, post annos paucos Reliquias Divi Dionysij ad mare traductas mediterraneum navi imposuit, & ponto feliciter transmisso, ad Mediolanum, post longæ navigationis tædia, B. Ambrosio Episcopo cum omni cœtu populi extra civitatem in occursum properante, lætus tandem invexit. Quantâ verò exultatione omnium corpus sanctissimi Confessoris Domini fuerit exceptum, nemo facilè dixerit; quoniam pastorem suum plebs sanctissimum, devotissimúmque, & vivum dilexerat, & mortuum laudibus dignum celebrabat. Posthæc verò B. Aurelius (ut brevior sim) peracto pietatis officio, cùm redire ad suam meditare-

S. Dionysius moritur.

tur Eccleſiam, hortante ſanctiſſimo Archi-Præſule Ambroſio Mediolani remanſit, & multos ſuâ converſatione ſanctiſſimâ ad virtutum exercitia convertit, cumque ſuam peregrinationem Domino quotidianis precibus committeret, tandem poſt anni revolutionem, quo Mediolanum venerat, apparuit ei S. Dionyſius in viſione dicens: Exauditæ ſunt orationes tuæ apud Dominum mi frater Aureli: ecce Salvatore omnium te vocante, morieris ſecundùm deſiderium tuum, & juxta tumbam Corporis mei accipies monumentum. Non diu poſtea languore febrium tangitur, & diſpoſitis omnibus quæ voluit, inter manus Divi Ambroſij cum verbis ſacræ orationis Spiritum emiſit, octavo Calendas Junij, eo videlicet die, quo & S. Dionyſius ante triennium in Armenia obierat. Tranſiit autem S. Aurelius Gratiano, & Valentiniano regnantibus, anno Dominicæ Nativitatis CCC. LXXXIII. Indictione Romanorũ XI. ſepultus in Eccleſia Mediolanenſi ad latus B. Dionyſij memorati Archiepiſcopi. Cujus exequias B. Præſul Ambroſius cum multis lacrymis proſecutus, homiliam ad populum dixit inſignem: cujus tale fuit exordium. Amiſimus fratrem, & Paſtorem dulciſſimum, imò præmiſimus pium Advocatum. Manſit itaque corpus ſanctiſſimum Aurelij Pontificis in eodem loco ſepultum à temporibus Gratiani, & Valentiniani Principum uſque ad Carolum Imperatorem Magnum, per annos ferme quadringentos, & triginta ſeptem. Temporibus verò Caroli Imperatoris Magni Nottungus Epiſcop. Vercellenſis illud ab Archiepiſcopo Mediolanenſium precibus obtinuit, & in ſuam Eccleſiam, ſicut antè diximus, Vercellas deportavit. Quod non diu poſtea ſub Ludovico Imperatore primo tranſtulit in Allemanniam, & apud Hirſaugiam collocavit. Miraculis apud Mediolanum ſimul & Vercellas innumeris claruit, quæ nimia intercapedo temporis tetrâ oblivione ſepelivit. Poſt ejus translationem in Hirſaugiam infinita ferè miracula ad illius Reliquias facta ſunt, quæ partim ſcripta habentur, partim in oblivionem hominum tranſierunt: ſed nunc ratio poſtulat, ut ad cœptam hiſtoriam calamum dirigentes, vitam, mores, Religionem & geſta Lutberti Abbatis primi conſcribamus.

S. Aurelius Mediolani moritur A. Dñi 380.

Translatio S. Aurelij.

De Lutberto Monaſterij Hirſaugienſis I. Abbate, qui præfuit in magna Religione annis XVI. & de quibuſdam geſtis illius temporis.

Lutbertus fit I. Abbas Hirſaug.

ANno igitur Dominicæ Nativitatis DCCCXXXVIII. Indictione Romanorum I. temporibus Ludovici Imperatoris I. anno Regni ejus tertio & viceſimo, Lutbertus Monachus Fuldenſis primus Hirſaugienſis Monaſterij Abbas ordinatus eſt, die menſis Septembris undecimâ, & præfuit annis XVI. demptis menſibus tribus. Natus fuit ex gente Suevorum parentibus honeſtis, & non infimæ conditionis, cujus frater ex utroque parente germanus fuit Bruno Abbas inſignis Monaſterij Hirſfeldenſis in Buconia, qui & ipſe multo tempore in Fuldenſi Cœnobio Monachus antea extitit ſub diſciplinâ Baugolphi ſtrenui Abbatis. Lutbertus autem cùm puer eſſet ingenio docilis, ad ſcholas à genitore poſitus, brevi ſupra ætatem doctus evaſit. Monachus autem factus

eſt,

est, sub memorato Abbate Baugolpho, qui S. Sturmo primo Abbati Fuldensi in Prælatura successit, anno circiter decimo nono ætatis suæ: & per incrementum temporis sub tribus videlicet Abbatibus, Baugolpho, Egilone, & S. Rhabano multùm profecit tam sanctitatis merito, quàm eruditione scripturarum. Itaque Monachum induit anno Christianorum septingentesimo, nonagesimo sexto, indictione Romanorum quarta: ad Hirsaugiam venit anno Christianorum prænotato, ætatis verò suæ sexagesimo, conversionis autem quadragesimo secundo, & præfuit annis XV. mensibus novem. Fuit enim vir multùm venerabilis, & sicut diximus, non ultimus inter duodecim eruditissimos Fuldensis Cœnobij præcipuos Doctores. Scientiâ litterarum profundus: Vitâ & conversatione devotus, Regularis Disciplinæ studiosissimus cultor extitit, qui subditos sibi Monachos sedulò non solum verbo instituit, sed omni tempore in sanctis operibus similiter præcessit. Unde complures in circuitu famâ eruditionis & sanctitatis ejus concitati ad Hirsaugiam confluunt, & ejus se magisterio humiliter submittunt. Crevit sub ejus regimine non parùm temporalis provisionis substantia, & numerus fratrum servientium DEO paulatim fuit ampliatus; in studio litterarum Rhabanum multo tempore Præceptorem habuit, & tandem Magistro Discipulus non inferior evasit. Consuetudo fuit eo tempore in Monasterio Fuldensi, quam Albinus Præceptor Caroli Magni Imperatoris Bedæ quondam Discipulus introduxerat, ut Monachis præficerentur doctissimi Præceptores, qui eos non solùm in scripturis divinis, sed in omni quóque litteratura sæcularium studiorum instruerent, & qui post longum exercitium litterarum evasissent doctiores, ceteris Magistri præponerentur, & ad similia Duces. Inter quos duodecim semper erant præcipui, quorum consilio Abbas in arduis rebus utebatur. Et quoties aliquis ex eorum numero vel morte fuisset sublatus, vel ad aliud Monasterium missus, mox alius qui magis videbatur idoneus, in locum ejus consueverat computari; unde non solum Fuldensis Cœnobij Monachos, sed etiam complures, qui propter studium de alijs mittebantur Cœnobijs, illi duodecim in omni facultate scripturarum instituerunt. Lutbertus ergo pretiosæ opinionis Abbas à bonis Præceptoribus quam optimè institutus, doctor magnus, & in omni terra nominatissimus evasit: Regibus charus, & suis charissimus, vitâ simul & eruditione præclarus, qui non spernendæ lectionis quædam scripsisse fertur opuscula. Legi sub ejus nomine pulchrum in Cantica Canticorum Salomonis tractatum, in quo fidelis anima Deum sitiens vario dilectionis exercitio suum Creatori pium exponit amoris desiderium.

Conversat. Lutberti.

Lutbertus doctissimus

Scripsit in Cant. Canticorum.

Annus DCCCXXXVIII. Iste fuit annus primus Lutberti primi Abbatis Monasterij Hirsaugiensis, à quo deinceps nostram continuamus historiam. Circa hæc tempora Monasterium Corbejense in Saxonia Ordinis nostri primùm inhabitari cepit; quod S. Ansearius ex Abbate Corbejensi antiquæ in Gallia Bremensis Archiepiscopus ordinatus, anno Domini octingentesimo, vicesimo secundo construxit, & jussu Imperatorum Caroli ac pij Ludovici ad Christi fidem Saxoniam convertit: multi per successum temporis in eodem Cœnobio Viri Sancti & doctissimi claruerunt. His etiam temporibus vir quidam dives & potens, nomine Einhardus Ludovici Imperatoris quondam cubicularius & familiaris amicus fundavit

Monaster. Corbejense in Saxonia.

Monaſter. Seligenſtat. Monaſterium Selgenſtat Moguntinæ Diœceſis circa Moganum, tribus à Frankenfurt in aſcenſu ejuſdem fluminis milliaribus, in quod corpora Sanctorum Marcellini & Petri Martyrum ante decennium per Imperatorem Ludovicum à Roma translata collocavit, ipsúmque Monaſterium ad ſuſtentationem Servorum Domini neceſſarijs proventibus copiosè cumulavit. In eodem Cœnobio Monachus deinde factus fuit, ſub Erhardo I. Abbate vitam ſuam in omni ſanctimonia puram inſtituit, & ceteris Monachis Religioſis converſationis exemplum dedit. Poſthæc juſſione Imperatoris Abbas Monaſterij S. Bavonis in Gandavo conſtituitur. Cui nihilominus famoſum illud Monaſterium in Normandia Fontanellæ dictum per ſeptennium gubernandum commendatur, quemadmodum in utriuſque annalibus continetur. Mortuus tandem in Cœnobio S. Bavonis Gandavi ſepultus eſt. Sunt qui opinentur illum Abbatem I. extitiſſe in Selgenſtat, ubi Monachum induerat, quod ſtare cum veritate nullatenus poteſt. Nam primus illius Cœnobij Abbas fuit Erhardus, Secundus Hartungus, & tertius Hartmannus, quorum tempore Einhardus utique moriens quartus ibidem eſſe rector non potuit. Hoc idem Cœnobium poſt aliquot annos per Ungaros incenſum extitit, & tam corpora præſcriptorum SS. Martyrum, quàm Reliqua Monachorum habitacula ſimul cum Eccleſia in cinerem redacta ſunt. Einhardus autem memoratus Abbas cùm eſſet doctiſſimus ſcripſit, vitam & geſta Caroli Imperatoris Magni *lib. 3.* Translationem quóque prædictorum Martyrum, *lib. 1.* Hiſtoriam tranſacti temporis, *lib. 1.* & quædam alia, ad notitiam noſtræ lectionis non venerunt.

Einhardus Monachus.

Opuſcula Einhardi.

Hildulph. Monachus Hirſaug. Anno DCCCXXXIX. Lutberti Abbatis II. Hildulphus Monachus in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, ſcholæ Monachorum apud S. Aurelium præficitur: ſub cujus Magiſterio Fratres haud mediocriter in omni genere doctrinarum profecerunt. Fuit Rhabani Fuldenſis quondam Abbatis auditor, atque diſcipulus, & unus de primis quondam Monachis, qui cum Lutberto ex Fuldenſi Monaſterio venerant in Hirſaugiã, homo non minùs vitæ ſanctimoniâ, quàm eruditione ſcripturarum venerandus. Conſuetudinem Fuldenſium valde laudabilem Hirſaugienſes etiam per annos plures obſervârunt, ut ſcholæ Monachorum unus doctior ceteris in Cœnobio præficeretur: qui Fratres non ſolùm in ſacris ſcripturis, ſed etiam in ſæcularibus litteris ad perfectum erudiret. Nam quod Gymnaſia publica hodie ſunt omnibus, hoc eo tempore Monaſteria certa fuere clauſtralibus, quando Monachi ad diſcendũ idonei ad præcipua mittebantur Cœnobia, pro ſcientia ſcripturarũ omnimoda plenius conſequenda. In omnibus enim Monaſterijs Ordinis noſtri antiquis per totam Germaniam, & reliquas nationes ſcholaſtici habebantur Monachorum ex Monachis doctiſſimi, quorum informatione Fratres juniores ingenio valentes, in omni doctrina erudirentur ſcripturarum. Et quamvis in ſingulis Cœnobijs haberentur Scholaſtici, moribus, & ſcientiâ potiores, quorum inſtitutione juniores ad optima quæque proficerent, in certis tamen Monaſterijs inſignibus, ubi & numerus Monachorum extitit copioſior, & rerum temporalium abundantia major, generalia tenebantur Monachorum Gymnaſia, ad quæ Monachos mittebant Abbates, quos altioribus voluiſſent erudiri doctrinis. Et quicunque

Monachor. Gymnaſia.

que ex his famam majoris acquisiviſſet eruditionis, plures etiam habebat diſcipulos.

Primum ex his in Germania Fuldenſe Monaſterium extitit, quod olim S. Martyr Bonifacius Moguntinenſium Archi-Epiſcopus impenſis Pipini, & Caroli Magni Regum Francorum in Buchonia ſylva in finibus Thuringiæ novum conſtruxit. Secundum fuit ſanctorum Petri & Pauli in Weiſſenburg, Spirenſis diœceſis, quod ipſis referentibus Rex Francorum Dagobertus per viſionem admonitus fundavit. Tertium fuit Monaſterium S. Albani prope Moguntiam antiquâ fundatione Regum Francorum inſigne: cujus noviſſimi Abbas, & Monachi, ut ſuo loco dicemus in ſecunda parte hujus operis, diabolum ſecuti ab Ordine apoſtatarant. Quartum fuit Cœnobium ſancti Galli, in Suevia antiquiſſimum, per S. Columbani Abbatis ordinationem non multùm poſt mortem ſancti Legislatoris noſtri Benedicti conſtitutum. Quintum fuit Monaſterium in Augia majore prope Conſtantiam, quod S. Pirminius Epiſcopus Meldenſis in Gallia beati Mauri quondam diſcipulus, prædicator Chriſtianæ fidei, olim per Sueviam magnificus, & inſignis fundavit. Sextum fuit Hirsfeldia, quod ſanctus Lullus Moguntinenſium Archi-Epiſcopus beati Martyris Bonifacij Succeſſor anno Dominicæ Nativitatis DCC. LXXIV. in Buchonia ſylva quatuor à Fulda milliaribus conſtruxit. Septimum fuit Cœnobium ſancti Matthiæ prope civitatem Trevirorum, omnium Monaſteriorum Teutonici Regni antiquiſſimum, quod longè ante ſanctum Benedictum pro Monachis à ſancto Euchario I. Trevirorum Archi-Epiſcopo fuit inſtitutum. Octavum Monaſterium Mediolacenſe in Lotharingia extitit, quod ſanctus Lutvvinus olim Dux, poſtea Monachus ibidem & Abbas, ac deinde Trevirorum Archiepiſcopus fundavit. Nonum fuit Monaſterium ſancti Mauritij, apud Dolegiam in finibus Lotharingiæ Trevirenſis diœceſis, quod ſanctus Pirminius ſupra dictus Meldenſis Epiſcopus olim conſtruxit, & ſanctum Wandalinum diſcipulum ſuum Abbatem I. inſtituit, ac ſæpius inviſere conſuevit. Multi fuere in ea regione Ordinis noſtri Fratres Eremitæ. In quo Cœnobio antiquitus, & magna Monachorum religio viguit, & ſtudium divinarum ſcripturarum omnibus celeberrimum fuit. Decimum fuit Brumienſe Cœnobium antiquâ Regum Francorum in diœceſi Trevirorum fundatione conſtructum, in quo per intervalla temporum viri complures in ſcripturis doctiſſimi claruerunt, varia ingeniorum ſuorum opuſcula ad utilitatem poſteritatis in ordine lucubrantes. Undecimum fuit Monaſterium Stabulenſe in diœceſi Leodienſium quondam famoſum, & potentiſſimum, in quo antiquitus maxima Monachorum multitudo extitit. Inter quos complures doctrina & ſanctitate coram Deo & hominibus magno in pretio claruerunt. Duodecimum fuit Nova Corbeja Monaſterium in Saxonia, conſtructum per Abbatem alterius Corbejæ in Francia ſitæ, & eſt Hirſaugienſi Cœnobio, ſicut diximus ſupra, contemporaneum, cujus Monachi plures numero eruditione, & ſanctitate glorioſi totam Saxoniam, Marchiam, Bohemiam, & Auſtriam, cum provincijs adjacentibus ſuis prædicationibus, & exemplis ad fidem veritatis converterunt. Tertium decimum fuit Cœnobium S. Maximini propè muros civitatis Trevirorum antiquâ fundatione glorioſum, in quo magnæ ſanctitatis, & eruditionis

Fuldenſe. 1.

Weiſſenburg. 2.

S. Albani 3.

S. Galli 4.

Augienſe 5.

Hirsfeld. 6.

S. Matth. 7.

Mediolacenſe 8.

Dolegia 9.

Brumiē. 10.

Stabulē. 11.

Corbejē. 12

S. Maximini. 13.

tionis olim Monachi plures claruerunt, de quibus multi apud diversas nationes Pontificatûs apicem ascendere meruerunt. Quartum decimum fuit Monasterium præsens Hirsaugiense, cujus in manibus tractamus historiam, in quo per multos annos & magnæ sanctitatis Religio viguit, & studium scripturarum Monachis in usu continuo fuit. Quarum primus institutor in suo loco, sicut diximus, Hildulphus Presbyter insignis extitit, qui multos in omni scripturarum scientia nobiliter erudivit. In omnibus Monasterijs prænominatis veterum lectione constat nobis manifestè, per multos annos studium maximum viguisse scripturarum, cujus hodie quantum ad imitationem pertinet, in nullo penitus remansit vestigium. Propterea Ordo S. P. N. Benedicti per totam Europam ubique quondam potens, glorioſus, & venerabilis, ad nihilum penè redactus est, & quantũ in numero Cœnobiorũ, & merito personarum olim creviſſe legitur, tantum in utróque nostris temporibus penè quotidie invenitur deficere, & amissis turpiter Cœnobijs jam cunctis Ordinibus esse miserabilior. Duo siquidem Ordinem nostrum quondam insignem reddiderunt, vitæ scilicet meritum, & eruditio scripturarum: quorum à Monachis dum alterum negligitur, ad alterum rarò pervenitur. Nam ut verum fatear, inter omnes Claustrales, præsentis temporis Monachi Ordinis S. Benedicti ubique indoctiores ceteris reperiuntur.

Hirsaugia.

Hildulfus Monachus.

DCCCXL. Anno Lutberti Abbatis tertio Ludovicus Imperator primus die mensis Junij vicesimâ moritur, & in Ecclesia Metensi sepelitur. Reliquit autem tres filios Lotharium, Carolum, & Ludovicum, qui ob Imperij & Regni paterni divisionem inter se debellantes multa hominum millia perdiderunt. Ob quam causam viribus eorum diminutis tandem convenerunt, ut diviso imperio Regnóq; paterno Lotharius cum nomine Imperatoris possideret Italiam, Ludovicus Germaniam, Carolus Galliam: & Pipinus patrui eorum filius haberet Aquitaniã, & sic terminata fuit diuturna fratrum dissensio. Claruit his quóque temporibus Hetti ex Abbate Monasterij Mediolacensis supradicti Archiepiscopus Trevirorum. Qui monitus per S. Maternum in somnis Cœnobium Canonicorum Regularium fundavit, in confluentia, in cujus Ecclesiam corpus S. Castoni Presbyteri Mossellani de Cardona transferens collocavit. Verùm ejusdem loci Canonici ante complures annos Regulam abjecerunt. Claruit his etiam temporibus Dionysius Hildoinus Abb. S. Dionysij Parisiensis Archicappellanus Imperialis Palatij, vir doctus, & potens in opere & sermone, qui inter cetera ingenij opuscula scripsit ad Ludovicum Pium Imperatorem gemino stylo, metrico videlicet, & prosacio vitam S. Dionysij Martyris Areopagitæ, Pauli quondam Discipuli & Athenarum Episcopi. Hic sub Imperium Ludovici Romam destinatus Orator ossa B. Martyris Sebastiani dono Romani Pontificis transtulit in Galliam. Cujus caput in Cœnobio Gromaugiensi Ordinis nostri in diœcesi Trevirorum nunc ostenditur. Claruit similiter his diebus in Gallia Theodulphus ex Abbate Floriacensis Monasterij Aurelianensis Episcopus, non minus vitæ merito, quàm eruditione scripturarum venerabilis. Hic nescio quam ob causam Ludovico Imperatore præcipiente in custodia positus, forsitan quòd filijs in Patrem conspirantibus, videretur præbuisse consensum. Hymnum illum, qui cantatur in Dominica Palmarum in statione pu-

Ludovicus Imperator obijt.

Hetti Archiepisc.

Hildoinus Abbas.

Theodulphus Episc. Aurelian.

ne publica, & incipit: *Gloria, laus & honor.* composuit, quem Imperatore prope custodiam eodem die in solemni processione transeunte, cùm dulci modulamine sonorâ voce cantaret, delectatus ille tam viri constantiâ, quàm dulcedinis cantilenâ mox liberum exire jussit.

Haymo Ep. Halberstatensis.

Scripsit idem Pontifex & alia quædam opuscula adhuc nobis incognita. Haymo etiam ex Monacho Hirsfeldensis Cœnobij anno prænotato, Lutbetti Abbatis tertio, Præsul Ecclesiæ Halberstatensis in Saxonia, tertius in ordine Episcoporum ordinatus est, & præfuit annis 13. Qui cùm vir esset in omni scientia scripturarum eruditissimus, multa reliquit ingenij sui præclara opuscula: Etiam totam Bibliam suis commentarijs explanavit, quemadmodum in libro nostro de Scriptoribus Ecclesiasticis dudum ostendimus.

Freculfus Episc. Lexovien sis.

Similiter his temporibus claruit sanctus Freculphus, ex Monacho nostri Ordinis Episcopus Lexovienſis in provincia Rothomagensi, ad quem Rhabanus Abbas Fuldensis multis voluminibus exercitavit ingenium, vir sanctitate morum venerabilis, & eruditione scripturarum gloriosus: qui suis prædicationibus multos ad Dei agnitionem convertit. Scripsit inter cetera ingenij sui monimenta ad Helisachar Abbatem insigne volumen, quod de sex mundi ætatibus prænotavit, in quo res gestas ab origine mundi usque ad incarnationem Domini complectitur, & quæstiones divinarum scripturarum difficiliores, pulchrâ & subtili discussione resolvit.

Angelomus Monachus Luxovienſis.

Angelomus etiam Luxovienſis Cœnobij in Burgundia Monachus nostri Ordinis vir undequaque doctissimus, his floruit temporibus, qui jussione Trogonis Episcopi Metensis Fratris Ludovici Imperatoris I. scripsit excellentissimum opus, in quatuor libros Regum, quo nec pulchrius, nec utilius legimus unquam. Ad Lotharium quoque Imperatorem pulchrum volumen edidit in Cantica Canticorum. De divinis etiam officijs opus insigne composuit.

Anſegisus Archiepisc. Senonẽsis.

Anſegisus quoque Abbas Monasterij Lobienſis, & postea Senonensis Archiepiscopus, vir doctissimus ijsdem temporibus apud Imperatores magno in pretio fuit, qui multa ad utilitatem posteritatis volumina edidit: Leges etiam, & Constitutiones Caroli Magni, & Ludovici Filij ejus Imperatorum, tam mundanas, quàm Ecclesiasticas necessarijs capitulis distinguens in singula volumina, singulari quoque adinventione studiosè comportavit.

Anſegisus Abb. Fontanellensis.

Anſegisus alius ijsdem temporibus floruit Abbas Monasterij Fontanellæ in Normania vir æquè doctissimus, qui & ipse nonnulla ingenij sui opuscula composuit, quorum se memoriâ immortalem fecit. Non solùm enim apud Germanos in Monasterijs Ordinis nostri studium litterarum antiquis temporibus floruit, sed pari frequentiâ, & in ceteris nationibus Europæ Monachis communiter in usu fuit. Inter quorum Cœnobia hæc apud Gallos, qui & Franci occidentales, fuêre præcipua: Primum quippe fuit Monasteriũ Luxovienſe, quod S. Columbanus in Burgundia fundavit temporibus S. Legislatoris nostri Benedicti.

Luxovij Schola.

Cujus Monachi aliquandiu S. Columbani servabant Regulã, sed omnes postea in Europa Monachi colla jugo Regulæ S. P. Benedicti sine contradictione subdiderunt. A principio fundationis B. Columbanus scholam Monachorum in Luxovienſi Cœnobio instituit, & Fratres non solùm in divinis, sed etiam in omni scientia sæcularium scripturarum ad plenum eruditi fecit. Nam ipse Columbnaus undecunque doctissimus extitit, & multa

multa contra hæreticos maximè Arrianos scripsit. Multi ex posteris diversarum Ecclesiarum Pontifices, multi Sancti, multi Viri sapientissimi, atque doctissimi inter Monachos Luxovienſis Cœnobij floruerunt. Secundum verò Cœnobium fuit Elvonense fundatum à Dagoberto magno Rege Francorum, in quo sanctus Amandus dimisso Traiectensi Episcopatu primus Abbatis gessit officium, & mortuus in eo sepultus est. Construxerat ante Gandavi Ordinis nostri in monte Blandino insigne Monasterium, cui Abbatem præfecit Florbertum, virum omni sanctitate conspicuum, cujus festum in die animarum colitur, qui tam in vita, quàm post mortem infinitis coruscasse miraculis perhibetur. Aliud etiam Gandavi Monasterium Ordinis nostri constituit, quod nunc ad sanctum Bavonem dicitur: quia Bavo Comes illic depositis militaribus insignijs Monachus factus est, & in magna sanctitate moriens ibidem sepultus. Et in illis tribus Monasterijs ab initio fundationis per annos plures maximè studium viguit litterarum, quod omnes viri sancti & docti semper in ordine colentes, etiam Monachis suis persuaserunt. Est & aliud Monasterium Pontiniacense, quod nunc sancti Richarij vocabulo nominatur, in quo multi doctissimi Monachi Ordinis nostri quondam claruerunt, in quo etiam tempore Lutberti Abbatis Hirsaugiensis prænominati scholæ fratrum præfuit Micho eruditissimus Monachus, qui gemino stylo scribens multa utiliter composuit, & discipulos in omni doctrinarum genere nobilissimos reliquit. Ut ne sim plùs, quàm oportet in narratione prolixior, vel sola nomina quorundam in Gallia Cœnobiorum referam; in quibus Monachorum studia gloriosè antiquitus floruerunt. Antiqua Corbeja in Francia, cujus Abbas S. videlicet Anscarius Episcopus Bremensis ordinatus, Corbejam novam, sicut dictum est supra, construxit in Saxonia, & Saxones ad Christi fidem convertit. Monasterium quoque Fontanellæ dictum in Normannia multos viros, & Sanctos & doctos protulit.

Item Monasterium Lobiense, quod antiquitus magnificum fuit, cujus Abbates multo tempore per successum Leodiensem rexerunt Ecclesiam. Monasterium in Sithim, quod nunc ad S. Bertinum nuncupatur, in Flandria potentissimum, in quo S. Fulco fuit Abbas, Rhemensis postmodum Archiepiscopus. Monasterium insuper Fossatense, quod S. Bobolenus primus ejusdem Abbas in Parisiensi diœcesi construxit, viros similiter, & doctos & sanctos in ordine nutrivit: & nunc dicitur apud S. Maurum propter ejus Reliquias illuc per Reges Francorum olim translatas. Item Cœnobium Mariacense, quod S. Amandus Episcopus pro monialibus construxit, quibus B. Jonthum discipulum suum præfecit in Præpositum, & S. Ritrudem Abbatissam. Quod postea in virorum Monasterium commutatum est, sicut hodie cernitur. Est & Monasterium Resbacense, quod S. Agilus primus Abbas strenuè gubernavit, in quo postea viri sanctissimi atque doctissimi plures claruerunt. Cœnobium quoque Meticense, in quo S. Abbas Pilibertus trecentis Monachis viris Sanctis atque doctissimis præfuit. Item sanctus Winocus frater B. Ludovici Presbyteri in Sythin receptus à S. Bertino, Monasterium construxit in Wormholt villa Flandriæ Morinensis sive Toruanensis diœcesis, in quo multis miraculis claruit, & studium divinarum scri-

Cœnobiũ Elvonense.

Blandinũ.

S. Bavonis.

Pontiniacense aut S. Richarij.

Corbeja antiqua.

Corbeja Nova.

Fontanella Cœnob.

Lobiense Cœnob.

Ad S. Bertinum.

Fossatense Cœnob.

Mariacens. Cœnob. & alia multa.

pturarum

pturarum magnificè ampliavit. In Monaſterio denique Eckmundenſi, quod S. Adelbertus in Hollandia fundavit, ſtudium ſcripturarum multo tempore viguit. Similiter in ſubſcriptis Galliæ Cœnobijs: Turonenſi, quod S. Martinus olim fundavit. In Cœnobio S. Medardi Sueſſionis. In Monaſterio S. Dionyſij Pariſienſi. In Monaſterio Cluniacenſi. In Monaſterio Pentalienſi, in quo S. Germanus Abbas claruit. In Monaſterio Criſpinienſi, in quo S. Monachi Adelmus & Domitianus cum multis alijs claruerunt. In Monaſterio Floriacenſi, in quo primus Abbas fuit S. Leodebaldus, & multi poſtea in eo viri doctiſſimi claruerunt. In Monaſterio S. Quintini, ubi S. Ebertramus Abbas claruit. In Monaſterio Altvillarenſi, in quo S. Bercharius Abbas floruit. In Monaſterio S. Crucis Ebroicenſi, in quo S. Leufredus Abbas claruit, & nunc dicitur de Cruce S. Leufredi. Monaſterium Nobiliacenſe, in quo S. Liebhardus Monachus claruit. Monaſterium Igniacenſe, in quo S. Berno Abbas primus claruit anno Chriſtianorum Nongenteſimo. Monaſterium Gemblacenſe, multos doctiſſimos viros habuit. Monaſterium Divionenſe, in quo S. Abbas Wilhelmus claruit. Monaſterium Altimontenſe, quod S. Vincentius, qui & Madelgarius Comes quondam Annoniæ, fundavit, & illic Monachus factus, ac deinde Abbas cum trecentis Monachis Dño ſervivit. Monaſterium Cauſanciæ, in quo S. Ermenfridus claruit. Monaſterium S. Romarici, ubi S. Amatus claruit Abbas. In Italia quóque Monaſterium Caſſinenſe. Monaſterium Florenſe. Monaſterium Bobienſe, quod S. Columbanus Abbas fugatus à Burgundia conſtruxerat. Monaſterium Vercellenſe. Monaſterium S. Vincentij de Vulturno cum alijs multis. In Anglia quóque Monaſterium SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in quo S. Beda Monachus & Presbyter ſcholæ Monaſticæ Prælatus extitit. Monaſterium Ripenſe, in quo S. Bonifacius Martyr, & primus Moguntinenſium Archiepiſcopus MONACHUS fuit. Monaſterium Waltheim, ubi MONACHI fuerunt SS. tres Martyres Kylianus Apoſtolus Francorum Orientalium, Colonatus Presbyter, & Tothnanus Diaconus, qui apud Herbipolim paſſi ſunt anno Domini ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, indictione Romanorum quintadecimâ. Monaſterium Bectenſe, in quo Lantfrancus, & S. Anſelmus Epiſcopi Cantuarienſis Eccleſiæ ambo MONACHI & Abbates immediati fuerunt. Et alia Ordinis noſtri Cœnobia multa fuerunt antiquitus; quorum nomina ſeriatim exprimere nimis foret tædioſum, in quibus olim fuerunt MONACHI plures, doctiſſimique ſcholis publicis præſederunt, & varia lucubraverunt opuſcula.

Caſſinenſe Monaſter.

Bobienſe Monaſter.

Monaſter. Bedæ.

DCCCXLI.

Lotharius primus imperavit annis xv.

Anno Lutbetti Abbatis quarto poſt annalem concertationem inter ſe habitam filij Ludovici Imperatoris primi ſicut diximus Regnum Francorum in quatuor partes diviſerunt. In qua diviſione Lotharius Romanum cum Italia obtinuit Imperium, & eam Regni partem, quæ ab eo uſque in præſentem diem Lotharingia nuncupatur. Imperavit autem ſolus annis decem, & poſtea cum Ludovico filio annis circiter quinque. Hæc autem diviſio Regni Francorum tali fuit partitione completa. Lotharius Imperator Italiam cum nomine Imperij, ſicut diximus, obtinuit, ac quidquid inter MOSAM & Rhenum Fluvios interjacet, hoc eſt, Galliam Belgicam totam. Carolus verò eam Regni partem ſorte accepit,

Diviſio Imperij.

pit, quæ à mari Britannico usque ad Mosam protenditur. Ludovicus autem à Rheno versus Orientem, & Aquilonem Germaniam totam, Saxoniam, Franciam Orientalem, Sueviam & Bavariam in sortem acceptavit. Pipinus autem Patrui filius Aquitaniæ Rex constitutus fuit. Claruit

Joannes Abb. Vercellensis.

his ferme temporibus Joannes Erigena Abbas Monasterij Vercellensis Nottungo Pontifici sæpe dicto charus & amicus, vir undecunque doctissimus, Græco, & Latino ad plenum instructus eloquio, qui subtilis ingenij sui non spernendæ lectionis opuscula edidit. Nam jubente Carolo Rege Gallorum fratre Lotharij Imperatoris de Græco transtulit libros B. Dionysij Areopagitæ quondam Athenarum Episcopi, & eos Commentarijs suis fecit clariores. De natura quoque, & divisione librum subtilis adinventionis edidit, & alia multa composuit. His quoque temporibus Otgarius Archiepiscopus Moguntinus quintus Corpora sanctorum Severi Episcopi quondam Ravennatensis, Vincentiæ Uxoris ejus, Innocentiæq; amborum filiæ ad Moguntiam cum honore maximo transtulit. His etiam temporibus Heriolus Rex Dacorum cum Uxore, & filijs ad fidem Christi magna cum gentis suæ multitudine per Monachos Corbejenses convertitur, & veniens ad Imperatorem apud Moguntiam baptizatur. Sanctus enim Anscharius primus Archiepiscopus Bremensis, fundator Corbejæ Novæ in Saxonia, Monachos quosdam ejusdem Cœnobij doctiores ad prædicandum misit in Daciam, qui verbo & exemplo gentem illam converterunt ad fidem, & plura Ordinis nostri

Bertrammus Monachus Doctor.

Monasteria in eodem Regno pro fidei tutamento construxerunt. Bertramus quóque Presbyter & Monachus Cœnobij S. Dionysij Parisiensis vir magnæ doctrinæ & eruditionis his temporibus inter alia scripsit ad Carolum Regem Gallorum Imperatoris Lotharij fratrem librum unum de prædestinatione. Aliud similiter scripsit de Corpore & Sanguine Domini.

Christianus Monachus Doct.

Eodem tempore claruit Christianus, qui & Truthmarus Monachus Corbejensis Cœnobij in Gallia declamator sermonum egregius, & in scripturis Sanctis valde eruditus, qui scripsit magnum, & insigne volumen super Evangelium Matthæi ad instantiam videlicet Monachorum Stabulensium, & Malmondarienſium, qui sub uno Abbate etiam hodie consistunt in Leodiensi diœcesi. In præfatione dicti operis pollicetur, se etiam in alios Evangelistas scripturum, quod an fecerit, necdum satis habemus expertum.

DCCCXLII.

Sergius Papa II.

Anno Lutberti Abbatis quinto Gregorius Papa quartus obiit. Cui Sergius Papa secundus præfuit annis tribus. Hic ante Pontificatum vocabatur Osporci, primus inter Romanos Pontifices proprium nomen mutavit, postea observatum durat usque in præsentem diem, qui juxta Basilicam S. Sylvestri Monasterium construxit. Claruit his temporibus

Deusdedit Abb. Cassinensis Doctor.

Deusdedit Abbas Monasterij Cassinensis, vir integritate morum sanctissimus, & in divinis scripturis multùm eruditus, qui plura ingenij sui monimenta reliquit. Hunc S. virum Sicardus Beneventanorum impius Tyrannus Dei hostis, & Sanctorum inimicus ob negatam sibi pecuniam cepit, & in carcerem conjecit, in quo tandem non sine Martyrij opinione præsentem vitam finiens transivit ad æternam.

Hoc

DCCCXLIII.

Hoc anno, qui fuit Lutberti Abbatis sextus, Erlafridus Comes de Calba fundator Monasterij hujus Hirsaugiensis, divino spiritu compunctus Principatum suum dimisit filio suo Ermenfrido, rebusque sapienter dispositis Monasterium, quod fundaverat, ingreditur, & Monachus factus, reliquum vitæ sanctissimè conversatur. Eodem anno Lotharius Rex cum magno exercitu Romam proficiscitur, & à Sergio Pontifice Imperiali benedictione sublimatur. Filium quoque suum Ludovicum in Regem obtinuit similiter coronari.

Comes Erlafridus fit Monachus.

Lotharius Romæ coronatur.

Claruit his temporibus Otfridus Monachus Wissenburgensis in diœcesi Nemetensi Monasticæ scholæ Magister, in omni litteratura tam divina, quàm humana doctissimus, Rhabani Mauri quondam auditor, atque discipulus, qui multa præclara conscripsit opuscula, quibus nomen suum posteritati commendavit, quorum jam dudum in libro de Ecclesiasticis scriptoribus ad Joannem Dalburgium Wormatiensem Pontificem fecimus mentionem.

Otfridus Monachus Doctor.

DCCCXLIV.

Anno Lutberti Abbatis septimo, Indictione VII. bellum fuit atrocissimum inter Carolum Regem Gallorũ fratrem Imperatoris Lotharij, & Pipinum Senioris Pipini filium Aquitaniæ Principem, sive Regem, quod non sine multorum effusione sanguinis, & perditione hominũ fuit terminatum.

Bellum in Gallia.

DCCCXLV.

Anno Lutberti Abbatis octavo, Otgarius Moguntinus Archiepiscopus quintus moritur: in cujus locum sanctus Rhabanus Abbas Fuldensis ordinatur, & præfuit annis novem, vir in omni eruditione scripturarum longè doctissimus: qui penè innumerabilia composuit volumina: quorum titulos & nomina in memorato libello scriptorum Ecclesiasticorum ex parte consignavimus. Hic biennio ante mortem Otgarij Pontificis, Monachorum suorum provocatus injurijs, Monasterium suum Fuldense spontaneâ voluntate deseruit, & ad Ludovicum Regem Germaniæ fratrem Imperatoris Lotharij declinavit. Monachi tandem pœnitentiâ ducti, rogaverunt, quatenus reverteretur ad Monasterium, qui preces eorum contemnens, mansit cum Rege præfato usque ad mortem dicti Archipræsulis, & in ejus locum, sicut diximus, meruit ordinari, homo certè conversationis sanctissimæ, & sempiternâ memoriâ dignus imitator Apostolicæ perfectionis.

Rhabanus Archiepis. Moguntinus.

Strabus quoque Fuldensis Cœnobij Monachus, & scholæ monasticæ Magister Auditor quondam Rhabani atque discipulus, eodem tempore magno in pretio fuit. Qui cùm vir in divinis scripturis esset doctissimus, multa, & varia conscripsit: & glossam Bibliæ, quam vocant ordinariam, primus ipse in unum ex diversis Patrum voluminibus comportavit. Chronicon etiam Fuldensis Monasterij edidit, & Abbatum ejus gesta pulchrè ordinavit.

Strabus Fuldensis.

Anno prænotato Theophilus Imperator Constantinopolitanus anno Imperij sui sexto decimo nondum completo, moritur, post quem Michael Filius ejus imperavit annis undecim cum Theodora, & postea solus annis XIII.

DCCCXLVI.

Anno Lutberti Abbatis nono, Sergius Papa II. obijt, cui Leo quartus

Leo Papa IV. Monachus.

Monachus Ordinis ſancti Benedicti ſuccedens præfuit annis octo, menſibus tribus, diebus ſex: vir ſanctiſſimæ vitæ, qui & in vita, & poſt mortem innumeris fertur claruiſſe miraculis. Hic ſanctiſſimus Pontifex Octavas Feſti Aſſumptionis Beatæ Mariæ ſemper Virginis celebrandas inſtituit, ſub quibus maximum Romæ incendium per ſignum Crucis extinxit: Draconem mortiferum orando necavit. Hatto poſt Rhabanum factus eſt Fuldenſis Monaſterij Abbas, annis octo, qui alio nomine dicebatur Waldo, vir in omni ſcriptura doctiſſimus.

DCCCXLVII.

Altfridus Epiſc. Hildeshemenſis.

Anno Lutberti Abbatis decimo, Altfridus Monachus Corbejenſis Cœnobij in Saxonia quartus Hildesheimenſis Eccleſiæ ordinatus Epiſcopus, præfuit in omni ſanctitate, annis octo & viginti: Vir doctus, & morum integritate multùm venerabilis: qui majorem ſuæ urbis Eccleſiam novam à fundamentis erexit, in qua & ſepultus jacet. Hoc anno Judith uxor quondam Ludovici Imperatoris primi obijt, filia Ducis Bavarorum, cujus occaſione, & inſtinctu Fridericus Trajectenſium Epiſcopus anno Lutberti Abbatis primo in atrio Eccleſiæ ſuæ, vel ut alij dicunt, in armario, xv. Calendas Auguſti Martyrium poſt miſſarum celebrationem velut alter Baptiſta Joannes paſſus eſt. Ajebat enim Imperatori primo Ludovico: *Non licet tibi habere Judith filiam ducis Bavariæ uxorem, cùm tibi ſit proxima ſanguine: ſed niſi abjeceris eam, noveris te communione privandum.* His exaſperata verbis mulier, præconem veritatis in oratione procumbentem, per duos ſatellites mercede conductos, crudeliter fecit occidi. Quo ſcelere Gregorius Papa quartus audito, Ludovicum Imperatorem pro agenda pœnitentia in Monaſterium Sueſſionenſe ad tempus poſuit, & Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus, mandato Papæ Imperatricem Judith, alteram Herodiadem, impoſito velo monialem fecit. Ex hac muliere Ludovicus Imperator filium genuit Carolum cognomento Calvum, poſtea Cæſarem, quem ducem Burgundiæ Bavariæ & Sueviæ conſtituerat: alijs ex priore uxore filijs id ægrè ferentibus.

S. Fridericus Epiſc. occiditur.

Judith Imperatrix Monialis.

Angliæ Romanæ Eccleſiæ fit tributaria.

His quoque temporibus Adolfus Rex Angliæ Romanæ Eccleſiæ devotiſſimus Romam veniens ad Sedem Apoſtolicam ob honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli regnum ſuum Pontifici fecit tributarium, ſtatuens ut perpetuâ donatione quælibet in Anglia domus Romanæ Eccleſiæ ſingulis annis nummum perſolvat argenteum: cujus vita miraculis coruſcavit.

DCCCXLVIII.

Concilium Moguntinum.

Anno Lutberti undecimo, Rhabanus Archiepiſcopus apud Moguntiam Concilium Epiſcoporum & Abbatum generale habuit: in quo hæreticum quendam Godeſchalcum nomine, Presbyterum, diſputatione convictum per ſententiam de communi conſilio Prælatorum condemnavit. In hoc autem concilio multa ad communem Eccleſiæ utilitatem conſtituta leguntur: quæ nos in hoc opere brevitatis causâ pertranſimus ſilentio. Fuerunt in eo Concilio præſentes Hildeboldus Archiepiſcopus Colonienſis, Altfridus Epiſcopus Hildesheimenſis, Ludericus Epiſcopus Bremenſis, Haymo Epiſcopus Halberſtatenſis, & alij multi. Waldo Abbas Fuldenſis, Bernardus Abbas Hirſfeldenſis, Lutbertus Abbas Hirſaugienſis, Bertolfus Abbas Mediolacenſis, Adventitius Abbas

Me-

Metensis, postmodum Episcopus, Radulfus Abbas Suessionensis, Bituricensis postea Archiepiscopus, Erhardus primus Abbas Selgenstatensis, Lupus Servatus Abbas Trecasensis: & complures alij Pontifices, Abbates, Presbyteri, & monachi doctissimi viri. His temporibus mulier quædam asserens sibi Angelum Domini apparere solitum, multos per diœcesim Moguntinam tam de Clero quàm de populo suis figmentis decepit, pronuntians de proximo diem instare novissimum. Quæ tandem comprehensa ad examen Rhabani Archiepiscopi ducitur, & quòd hæc quæstûs causâ excogitaverit, consilio cujusdam Presbyteri palàm confitetur. Mulieris falsa prænuntiatio.

Anno prænotato corpus S. Helenæ matris Constantini Imperatoris magni per quendam Theogisum monachum à Roma transfertur in Galliam, & in Rhemensi Parochia collocatur. Postea caput ejus in Ecclesiam Trevirorum translatum est, ubi cum magna pietate ostenditur. Corpus S. Helenæ.

DCCCXLIX.

Anno Lutberti Abbatis duodecimo fames prævalida totam Germaniam miserabili vastatione consumpsit, ita ut multa hominum millia fame morerentur. Lutbertus Abbas eo tempore in pauperes munificus extitit, & quidquid invenire potuit, eorum necessitatibus ministravit: tanta enim ciborum inopia fuit, quòd parentes multi parvulos suos præ multitudine famis mortuos coquentes comederunt in delitijs. Rhabanus Archiepiscopus Moguntinus vir pius, & misericors his diebus habitabat apud Ringavienses in Vinicella, vico, quem incolæ corrupto nunc vocabulo Winkel nominant: qui pauperes undecunque ad ventantes humanissimè suscipiens, præter extraneos quotidie plusquam trecentos in præsentia sua pascebat. Venit die quodam inter alios pauperes mulier una parvulum in brachijs gestans lactentem, inediâ diuturnâ consumpta, quæ prius, quàm pedem ad limen domus Episcopalis poneret, viribus deficiens cecidit, & nimiâ fame consumpta subitò expiravit. At parvulus mamilla genitricis mortuæ, sicut potuit, more suo lac sugere cœpit, & omnes, qui erant præsentes, ad gemitum convertit. Archiepiscopus autem cognito miserabili casu ingemuit, & per omnem terram denuntiari fecit, ut quisquis premeretur inopiâ, ad ejus stipem veniret. Fames maxima. Rhabanus Pater pauperum. Miserabile spectaculũ.

DCCCL.

Anno Lutberti Abbatis hujus Cœnobij decimo tertio, Lotharius Imperator Ludovicum filium suum regni consortem statuit, & ambo simul annis quinque regnaverunt. Eodem anno Lupus Servatus, de quo supra jam diximus, Presbyter, & Abbas suo tempore doctissimus obijt: ad quem olim necdum Abbatem Rhabanus Abbas Fuldensis in Epistolam Pauli ad Romanos octo libris commentaria explicuit. In Concilio Moguntino præsens iste Servatus Godescalcum hæreticum de prædestinatione liberóque arbitrio, & Sanguine Domini malè sentientem, ac multos errore suo perturbantem disputatione fortissimâ confutavit, & non solùm verbis, sed etiam scriptis in eum vibravit. Lupus Abbas moritur.

Anno prænotato Erlafridus fundator hujus Cœnobij, & ex comite monachus, vicesimâ nonâ die Mensis Januarij obijt, & in Ecclesia S. Au- Erlafridi obitus.

relij quam constructerat, non sine opinione sanctitatis cum honore sepultus fuit, vir omnipotenti Deo semper devotissimus.

DCCCLI.

Wandelbertus Monachus Doctor.

Anno Lutberti Abbatis XIV. claruit Wandelbertus Monachus, & Magister Monasticæ scholæ Cœnobij Brumiensis Trevirorũ diœcesis, vir in divinis scripturis eruditus, & in sæcularibus litteris magnificè doctus: qui scripsit ad Marquardum Abbatem vitam & miracula S. Goaris Presbyteri Aquitanici, sed in finibus Trevirorum juxta Rhenum quondam Eremitæ, & usque in præsentem diem sepulti: à cujus nomine oppidum hodie ad sanctum Goarem vocatur: quod olim cum thelonio pertinuit ad Brumiam, sed nunc juris est Comitum Hassorum Provincialis, & Ecclesia in illo quondam præpositura nostri Ordinis hodie est sæcularis. Scripsit etiam Martyrologium Metricum, & complura in scripturis alia.

Wandelbertus alius Monachus sancti Galli.

Fuit eodem tempore & alius ejusdem nominis Wandelbertus, apud sanctum Gallum Cœnobita, & monasticæ scholæ Magister, undecunque doctissimus, & metro excellens, & prosâ, multa scripsit ad utilitatem posterorum.

Notkerus ex Monacho Doct. Episcopus.

Hisdem quoque temporibus claruit Notkerus ex Monacho, vel Abbate Cœnobij sancti Galli in Suevia, Episcopus Leodiensis in Gallia, vir doctus, atque sanctissimus, qui multorum Fratrum ante Wandelbertum præceptor in eodem loco extiterat, quos in omni scientia nobiliter erudivit. Scripsit librum sequentiarum ad Lutvvardum Episcopum Vercellensem, adhuc juvenis tempore Caroli Magni. De musica etiam & Symphonia librum unum, de expositionibus sacræ scripturæ librum unum. Epistolarum ad diversos librum unum, & alia plura composuit, quæ in manus nostras minimè pervenerunt. Ejus prosas, sive Sequentias Nicolaus Papa primus confirmavit, & ad missam cantandas Ecclesijs Gallicanis indulsit, nam Itali susc ipere illas usque in præsens despiciunt.

Salomon ex Monacho sancti Galli Doct. Episcopus.

Salomon ex Monacho sancti Galli Episcopus Constantiensis in Suevia, his etiam claruit temporibus, Notkeri adhuc Monachi auditor, atque discipulus, homo multæ doctrinæ, atque profundi intellectûs, qui scripsit de septem artibus liberalibus instructum volumen, & quædam alia, quorum titulos in libro de Scriptoribus, sive Luminaribus Germaniæ commemoravimus.

DCCCLII.

Hildulfus Monachus Hirsaugiẽsis.

Anno Lutberti Abbatis decimo quinto, Hildulphus Monachus scholasticus hujus monasterij Hirsaugiensis, primus librum suum de computo Ecclesiastico pro Fratrum institutione composuit, sicut ex calce ejusdem operis datur intelligi, ubi nomen suum cum temporis inscriptione apposuit.

S. Anscharius Bremensis.

Sanctus Anscharius primus Archiepiscopus Bremensis, hac tempestate in pretio fuit. Is etenim, sicut ante diximus, cùm esset Abbas Corbejensis in Gallia, & audisset multos adhuc in Saxonia fidem ignorare Christianam, divino amore succensus quosdam è fratribus, qui ad hoc negotium videbantur idonei, secum accepit, & in Saxoniam perrexit; construxit autem in primis Corbejense novum Monasterium, & collegit in eo multitudinem Monachorum, per quos cum tempore gentem illam omnem ad Christi fidem convertit.

Corbeja nova.

Postea

Postea primus Archiepiscopus Bremensis Ecclesiæ ordinatus est, & vitam in omni sanctitate consummavit, translatâ videlicet Sede Pontificiali de Hamburgensi civitate à Danis constructa ad Bremam jussu Lotharij Imperatoris. Nam antea Sedes Episcopalis fuit in Hamburg sub Archiepiscopatu Colonienſi, in qua primus Episcopus fuit Wilhardus, secundus Willericus, tertius Ludericus, & quartus S. iste Anscharius, qui & Hamburgensis ultimus & Bremensis primus Archiepiscopus fuit, præfuit autem in Archiepiscopatu annis ferme xxxiv. vir doctus, & sanctus, qui multis in vita, & post mortem miraculis claruit. Sepultus est in Ecclesia Bremensi, cujus festū tertia die mensis Februarij annuâ solemnitate magnâ populi devotione colitur.

Hamburgenses Episcopi ante Bremenses.

Claruit his etiam temporibus Arnulphus ex Monacho S. Medardi Suessionensis, Archiepiscopus Bituricensis, vir secundum sæculi dignitatem nobilis, sed fide Religionis, & merito sanctitatis multò nobilior, qui signis, & virtutibus tam in vita, quàm post mortem mirandis, & multis coruscâsse perhibetur. Anno prænotato Bosobaldus Herbipolensis Ecclesiæ octavus Episcopus moritur vicesimâ primâ die mensis octobris. Cui Anno succedens præfuit annis xxxv. mensibus 6. diebus 12. vir justus & sanctus, qui multis fertur claruisse miraculis: & tandem pro justitia in bello quodam Misnensium in Saxonia fuit occisus. Eodem anno Benedictus Neometensis, sive Spirensis Ecclesiæ decimus Episcopus moritur. Cui Hertinus succedens præfuit annis xxv. mensibus 4.

Arnulphus Archiepisc.

Bosobaldus Episc. Herbipolensis.

Hertinus Episc. Spirensis.

DCCCLIII.

Anno Lutberti Abbatis decimo sexto currente obiit Haymo, ex Monacho tertius Halberstatensis Episcopus doctrinâ, & morum integritate sanctissimus, in Ecclesia sua Principali sepultus, cui S. Hildegrinus succedens præfuit annis xxxiv.

S. Haymo Episcopus obijt.

Eodem anno, xvii. die mensis Julij obijt S. Leo ex Monacho nostri Ordinis Papa quartus, & Romæ in Ecclesia S. Petri sepelitur, miraculis clarus, & propterea in catalogum Sanctorum relatus. Huic in Pontificatu successit Joannes Papa septimus, & præfuit annis duobus, mensibus 3. Hic est Joannes ille natione Anglicus, quem tradunt fuisse fæminam: cujus historia cum penè nota sit omnibus, à nobis ad necessaria festinantibus silentio est committenda.

S. Leo Papa moritur.

Hoc ipso anno Nortmanni Britanniam & Galliam crudeliter devastantes multas civitates & oppida subverterunt: Clerum & populum Christianum sine misericordia perimentes. Ecclesiam quoque S. Martini Turonensem incendio destruxerunt, & infinita Christianis mala in tota Gallia fecerunt. Anno quoque prænotato Lutbertus hujus Monasterij Hirsaugiensis primus Abbas senio confectus, & labore S. Religionis ex longo tempore attenuatus, tertiâ die mensis Junij moritur, ultimo videlicet anno Lotharij Imperatoris, ætatis autem suæ LXXVI. & in medio Ecclesiæ S. Aurelij cum honore sepelitur.

Lutbertus I. Abb. hic moritur.

De

De Gerungo hujus Monasterij Hirsaugiensis secundo Abbate, qui præfuit annis XXXII. Mense uno, diebus viginti sex, & historia illius temporis.

MOrtuo autem, atque sepulto Reverendissimo Abbate Lutberto, non sine Fratrum tristitia magna, utpote qui Pastorem animarum dulcissimum amisissent, alterâ mox die ad electionem novi Ducis in Dei nomine convenerunt. Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato octingentesimo quinquagesimo tertio, Indictione Romanorum primâ, ultimo anno Lotharij Imperatoris, consensu, & electione omnium Fratrum Gerungus Presbyter, & Monachus hujus Cœnobij Abbas constitutus est quartâ die mensis Junij, & præfuit annis duobus, & triginta, mense uno, diebus sex atque viginti. Hic olim sancti Rhabani Fuldensis Abbatis Monachus auditor, atque discipulus fuit, sub cujus Magisterio in omni scientia scripturarum mirabiliter profecit. Nam etsi multi hujus Monasterij Fratres ad curam animarum satis hoc tempore viderentur idonei, nullus tamen erat judicio omnium, qui Gerungo posset comparari. Hic unus fuit de primis quindecim Monachis, quos sanctus Rhabanus de Fulda miserat in Hirsaugiam: verus Christi discipulus, & regularis disciplinæ studiosissimus amator, quam & in se, & in alijs semper diligentissimè observari curavit. Constat eum in Cœnobio Fuldensi Strabum habuisse præceptorem, qui sub Abbate Rhabano Magister scholæ fuit monasticæ, & inter duodecim doctores non ultimus. Extat inter alia Strabi Monachi opuscula de arithmeticis dimensionibus libellus, quem scripsit ad istum Gerungum Hirsaugiensis Cœnobij Abbatem, cujus Epistola libello præposita tale habet principium. Reverendissimo Gerungo Abbati merito Patri, ætate filio, litterâ discipulo, gratiâ magistro, æternæ beatitudinis præmium possidere. Ex his Strabi litteris facilè conjecturâ assequi possumus, Gerungum in omni scientia scripturarum extitisse doctum, quoniam nisi magnificè fuisset eruditus, de tam subtili materia vir tantus in tanta abundantia doctorum virorum ad ignarum non scripsisset. Utrum verò Gerungus ipse scripserit aliquid, certum non habemus: proinde quod intercapedo temporis longa, utpote plusquam sexcentorum & quinquaginta annorum omnia Hirsaugiensium præclarè gesta ad nostram pervenire notitiam non permisit.

Gerungus Abb. Hirsaugiensis.

Rhabani Auditor.

Auditor Strabi.

DCCCLIV.

Gandersheim fundatur.

His temporibus Bruno Dux Saxonum construere cœpit Monasterium illud Monialium Ordinis S. Benedicti, quondam famosum in Saxonia, quod Gandersheim appellatur, quod Ludulfus Dux filius ejus postea magnificè consummavit. Prima ejus Cœnobij Abbatissa fuit Hademodis filia ipsius Ducis Ludulfi senior, quæ præfuit sacris virginibus annis XXII. Huic in regimine successit soror ejus Gerburgis virgo sanctissima, quæ multis in vita & post mortem effulsit miraculis, & præfuit annis quatuordecim. Quâ mortuâ tertia Ludulfi Ducis filia junior nomine Christina successit, quæ in sancto virginitatis proposito religiosissimè

mè conversando à sanctitate præcedentium sororum in nullo penitus recessit.

Brunteshusen fundatur.

Idem Ludulfus Dux prænominatus construxit & aliud Cœnobium Virginum Ordinis Sancti Benedicti in partibus Saxoniæ, quod Brunteshusa nominatur, & utriusque confirmationem cum multis Sanctorum Reliquijs à Papa Nicolao primo impetravit. Claruerunt his temporibus in ordine Monastico multi Pontifices doctrinâ & sanctitate insignes: Abbates quoque & Monachi non minus vitâ, quàm eruditione scripturarum celeberrimi: qui multa, & varia ad ædificationem posteritatis volumina ediderunt. Inter quos claruit S. Heribaldus ex Monacho Cœnobij sancti Germani Episcopus Altisiodorensis, vir doctrinâ & conversatione magnificus: qui verbo & exemplo corda multorum ad semitam justitiæ, & rectitudinis convertit. Quo tandem mortuo sanctus Abbo frater ejus, prænominati Cœnobij Monachus ei in Episcopatu successit: qui cùm esset in omni scientia scripturarum doctissimus, nonnulla ingenij sui opuscula composuit, & miraculis claruit. Egil quoque Abbas Brumiensis Cœnobij in Euphalia diœcesi Trevirorum his temporibus in pretio fuit, vir doctus, & magnæ Religionis; sub cujus Magisterio Lotharius Imperator Romanorum anno sequenti factus est Monachus.

Heribaldus Episc.

Abbo Frater ejus Ep.

Egil Abbas clarus.

DCCCLV.

Lotharius filijs divisit Imperium.

Anno Gerungi Abbatis hujus Cœnobij tertio, Lotharius Imperator senio confectus, & mente salubriter compunctus ad Deum, convocatis ad se Principibus, & habito cum eis mysterio consilij sui, regnum inter filios tali partitione divisit.

Ludovico primogenito suo dedit Italiam simul, & nomen Imperij. Lotharium Regem fecit illius portionis, quam à suo nomine Lotharingiam diximus esse vocatam. Et Carolo juniori filio Regnum Provinciæ assignavit. His legitimè ordinatis rebúsque suis dispositis valedicens sæculo ad Cœnobium Brumiense in Euphalia Trevirorum se contulit, & sub Egilone memorato Abbate Monasticæ conversationis habitum suscepit: in quo usque ad mortem secundùm Regulam sanctissimi Patris nostri Benedicti religiosissimè vixit, & tandem tertio Calendas Octobris moriens ibidem sepultus fuit. Ludovicus igitur Romanorum declaratus Imperator Italiam cum exercitu ingreditur: & coronatus à summo urbis Pontifice imperavit annis uno & viginti, & penè omne tempus vitæ, & imperij deinceps in Italia consummavit. Anno prænotato sanctus Rhabanus Archiepiscopus Moguntinus moritur, & in Cœnobio S. Albani Moguntiæ sepelitur. Huic sanctissimo atque doctissimo viro in Pontificatu successit Carolus quidam nomine, & præfuit annis septem.

Lotharius Imperator fit Monachus.

Rhabanus Archiepis. obijt.

Eodem quoque anno major Ecclesia sancti Kiliani Martyris in Wirzburg de fulmine incensa penè totaliter concremata fuit, & ingens damnum pertulit.

DCCCLVI.

Nortmanni devastãt Hollandiã.

Anno Gerungi Abbatis quarto, Nortmanni cum Danis Hollandiæ cum ingenti multitudine classium applicantes, Durstaden vicum nominatissimum, in quo Parochiales Ecclesiæ fuisse dicuntur quinquaginta quinque, omnibus habitatoribus ejus crudeliter interfectis usque ad solum penitus destruxerunt. Deinde Trajectum venientes Clerum & populum

occidentes civitatem ſimili veſaniâ uſi funditus ſubverterunt. Hungerus autem ipſius Epiſcopus fugâ elapſus cum paucis Clericis venit ad Brumiam, ubi Lotharius erat Monachus.

Benedictus Papa III.

Anno prænotato poſt mortem Joannis Papæ ſeptimi Benedictus ejus nominis tertius ſuccedens præfuit annis duobus, menſibus quinque diebus novem: vir per omnia Pontificatu ſummo dignus, miſericordiæ operibus ſtudioſiſſimè intentus.

DCCCLVII.

Edmundus Rex.

Anno Gerungi Abbatis quinto obijt Adolfus Rex Anglorum ſapientiſſimus, & Chriſtianæ Religionis amator cuſtos & defenſor conſtantiſſimus. Cui filius ſuus Edmundus in Regno ſuccedens regnavit annis quatuordecim. Vir quidem & ipſe Patris exemplo Religione & ſanctitate præcipuus. Qui multa cum Danis bella geſſit, pro defenſione & amore ſacroſanctæ Religionis Catholicæ.

Hugbertus Dux Monachus.

Claruit his temporibus Hugbertus ex Duce Monachus & Abbas S. Richarij, frater Thietbergæ uxoris videlicet Lotharij Regis, vir ſapiens & ſtrenuus: cui Lotharius Rex ducatum inter Iuram & montem Veneris regendum commiſit; verùm cùm Lotharius poſtea Reginam abijceret, ſuperinducens Waldradam Guntheri Archiepiſcopi Colonienſis ſororem, ſcandala multa fuerunt ſecuta.

DCCCLVIIII.

Nicolaus Papa I.

Anno Gerungi Abbatis ſexto, Benedictus Papa tertius moritur: & ante fores Eccleſiæ ſancti Petri ſicut ex humilitate mandaverat ſepelitur. Huic Nicolaus primus in Pontificatu ſuccedens præfuit annis novem, menſibus duobus, diebus viginti: vir per omnia ſanctiſſimus, & Deo dilectus.

DCCCLIX.

Hildulfus ſcholaſticus hic moritur.

Anno Domini Gerungi Abbatis ſeptimo mortuus eſt Hildulfus Monachus & primus hujus Cœnobij Hirſaugienſis magiſter ſcholaſticus, vir non minus ſanctitate morum quàm eruditione ſcripturarum æternâ dignus memoriâ.

Ruthardus ſcholaſticus.

Huic in regimine magiſterij ſcholaſtici Ruthardus Monachus æquè doctiſſimus ſucceſſit, qui & ipſe unus ex primis quindecim Monachis extitit, quos Rhabanus Abbas Fuldenſis in Hirſaugiam miſit. Hic Strabi quondam auditor juvenis in omni doctrina conſummatus evaſit, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, metro excellens & proſa, inter Doctores Eccleſiaſticos ſui temporis non ultimus extitit, nam ut Megenfridus Monachus Fuldenſis refert in Chronicis, vir in omni ſcientia & ſanctitate conſpicuus fuit, ac tantæ apud Principes & Magnates illo in tempore æſtimationis, ut Imperator eum ad Epiſcopatum Halberſtatenſis Eccleſiæ poſt mortem Haymonis omnino voluerit promovere.

Ruthardus contempſit Epiſcopatum.

Cui Ruthardus tale fertur dediſſe reſponſum. *Dato Pontificatum alteri, qui ſit dignus, ego quietem Monaſticam, & ſtudium ſcripturarum cunctis mundi honoribus atque divitijs longè præponere non dubito.*

Ruthardi opuſcula.

Scripſit ingenij ſui nonnulla præclara volumina, de quibus inveniuntur ſubjecta. Vitam & Paſſionem S. Bonifacij primi Archiepiſcopi Moguntini Heroico carmine in duobus libellis edidit, quos Rhabano ſancto Pontifici dedicavit. De Muſica quoque, de Geometrica, de Arithmetica, & alijs humanæ litteraturæ facultatibus elegantiſſima Synthemata compilavit. Denique primus omnium, quos ego legere hactenus potui, Regulam ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti commentarijs gloſſare apud Alemannos auſus eſt. Cujus

expoſi-

expoſitionis Proëmium ſic incipit. Tres ſunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Prima Phyſica id eſt naturalis, ſecunda Ethica id eſt moralis, tertia Logica id eſt rationalis. Nam Phyſica derivatur ab eo, quod eſt Phyſis id eſt natura, &c. Sanè ut Meginfridus eſt teſtis, tantæ fuit eruditionis iſte Ruthardus, quod non ſolum Monachi de diverſis Cœnobijs ad audiendum eum mittebantur in Hirſaugiâ, verùm & ſæculares quam plurimi ejus ſe magiſterio ſubdiderunt. Nullibi enim ſtudia litterarum in illo tempore magis quàm in Cœnobijs Monachorum per totam Italiam, Germaniam, & Galliam floruerunt. Ruthardi laus.

DCCCLX.

Anno Gerungi Abbatis octavo, Spiritus quidam malignus in civitate Moguntina ſenſibiliter apparens manifeſtum dedit indicium, quanto humani generis odio, & nequitiâ plenus ſit. Lapides de feneſtris domorum projecit in homines: percuſſit noctibus horribili ſonitu parietes: multorum pulſabat ad januas noctu, loquebatur, clamabat, inquietabat dormientes, paſſim furta & adulteria prodidit, & magnam inter homines diſcordiam ſeminavit. Tandem animos omnium contra unum quendam hominem concitavit, dicens ſe propter illius peccata hæc tanta facere, & minabatur ſe facturum adhuc graviora: unde fruges ejuſdem hominis poſt meſſem in horreo congregatas igne ſuppoſito idem ſpiritus concremavit. Denique ſpiritus tanto ſtudio hominem illum perſequi cœpit, ut ubicunque intrâſſet, ſtatim domus per dæmonium incenſa publicè ardebat, ita ut ei jam niſi in agris nullus eſſet manendi locus. Sacerdotibus ob hanc dæmonis nequitiam litanias agentibus, & omnia loca quibus demorari conſueverat, aquâ benedictâ aſpergentibus, ad momentum ſe occuluit & quievit: quibus recedentibus dæmonium clamans horribiliter, & cachinnans dixit, ſe latuiſſe ſub unius cappa Presbyteri: cujus & nomen expreſſit, & quòd fornicatus fuerit cum procuratoris cujuſdam filia, coram omni populo palàm accuſavit. Itaque per continuum triennium in tali hominum vexatione perſeverans multa ædificia, & habitationes hominum incendio deſtruxit. Audiebatur loquens, & ululans ab omnibus: percutiebat januas atque parietes, lapides projecit in adſtantes: ſed videri ſpiritus ipſe à nullo potuit. Nec minus hæc in die faciebat, quàm in nocte, & loquebatur in diverſis locis nunc videlicet in iſta domo, nunc in alia. Tandem orationibus & conjurationibus exbannitum, poſt triennium diſparuit. Alibi legimus iſta non in civitate Moguntina contigiſſe, ſed in quodam vico Moguntinæ diœceſis, cujus nomen tamen ibi non exprimitur. Dæmoniũ vexat Moguntinos. Dæmonis improbitas.

Anno prænotato ſanctus Probus presbyter Monachus in Cœnobio ſancti Albani Martyris prope Moguntiam omni ſanctitate plenus & glorioſus moritur, & in eadem Eccleſia ſepelitur, qui doctrinâ & vitæ merito præclarus Moguntiam verbo & opere multis temporibus palàm gloriosè illuſtravit. S. Probus moritur.

Eodem quoque anno XII. Calendas Februarij ſanctus Meginradus Monachus Cœnobij, quod S. Pirminius Epiſcopus in Inſula prope Conſtantiam quondam fundavit, & nunc Augia major ſive dives vulgò nuncupatur, & eremita in nigra ſylva, moritur nocte à duobus ruſticis crudeliter in cellula ſui eremitorij occiſus, qui ſe putabant magnam apud S. Meginradus Eremita.

eum pecuniam reperturos: qui pauper factus pro Christo, nec obulum possidebat. Cujus corpus ad Monasterium Augiense relatum ac sepultum infinitis mox cœpit clarere miraculis. Porrò latrones perscrutatâ viri Dei cellâ, cùm nihil reperissent fugerunt, quos duo corvi à S. Meginrado nutriti ad omnia loca volando insequentes, crocitatu & clamore homines in stuporem converterunt. Unde proditi latrones & capti sceleris sui magnitudinem confessi sunt, & pœnas mortis debitas rotatione solitâ dederunt.

Pœna occisorum.

DCCCLXI.

Anno Gerungi Abbatis nono Egil Abbas Brumiensis senio confectus, & amore quietis, solitudinis, pacísque Abbatiam spontaneâ voluntate resignavit, cui Ansbaldus Monachus ejusdem Cœnobij successit, vir omni bonitate & sanctitate conspicuus, nec minus in omni scientia peritus.

Ansbaldus Abbas in Brumia.

Claruit his temporibus Egil ex Monacho nostri Ordinis Senonensis post Walonem Archiepiscopus, vir prudentiâ & peritiâ rerum valde notabilis, qui scientiâ scripturarum erat doctissimus, & vitæ sanctimoniâ claruit.

Egil Archiepisc.

Claruit ijsdem quoque temporibus Micho Monachus Cœnobij sancti Richarij, cujus in anterioribus commemorationem modicam fecimus, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris valde doctus, qui in eodem Cœnobio monasticæ scholæ multo tempore præfuit; de cujus lucubrationibus extant subjecta. Epigrammaton libri quatuor: Ænygmaton liber pulcherrimus unus; Flores Poëtarum liber similiter unus: Epistolarum ad diversos liber unus. Et quædam alia, quæ hâc vice memoriæ nostræ non occurrunt.

MichoMonachus Doctor.

DCCCLXII.

Anno Gerungi Abbatis decimo, Indictione Romanorum decimâ, Ludovicus Imperator multos in Italia, & Longobardia Principes truncari capitibus fecit, ob conspirationis adversum se sive veram, sive falsam, ut dicitur, suspicionem. Anno etiam Gerungi prænotato Waldo, qui & Hatto, Fuldensis Abbas, qui sancto Rhabano successerat, per mandatum Ludovici Imperatoris depositus est, & in locum ejus Diedo Monachus fuit substitutus, qui præfuit annis ferme duodecim.

Claruit his temporibus Wernbertus Monachus Cœnobij sancti Galli, in Suevia, vir in omni doctrinarum genere multùm exercitatus, & eruditus, nec minùs prosâ, quàm carmine disertus; qui multa, & varia composuit, quibus nomen suum cum laudis memoria ad posteros transmisit. E quibus nos vidimus de Musica librum unum. De arte Metrorum libros duos. In Tobiam librum unum. In Proverbia Salomonis librum unum. In Threnos Hieremiæ Prophetæ librum unum. Et quædam alia, quæ memoriæ jam non occurrunt.

Wernbertus S. Galli Monachus Doctor.

DCCCLXIII.

Anno Gerungi Abbatis XI. obijt Carolus Archiepiscopus Moguntinensis, cui Lutbertus in Archiepiscopatu succedens præfuit annis XVIII. ad quem Otfridus Monachus Wissenburgensis Rhabani quondam Auditor, & monasticæ scholæ Magister, de quo jam antea fecimus mentionem, de sanctissimo Christi Evangelio elegiaco carmine in lingua nostra

Lutbertus Archiepisc. Mogunt.

Otfridi Wissenburgensis opera.

Aleman-

Alemannica libros edidit quatuor, opus certè mirandum, quod gratiam Theotiscæ prænotavit. Ad Ludovicum quoque Imperatorem pari modo composuit librum unum. In Psalterium etiam libros tres simili carmine lucubravit. Ad Salomonem Episcopum Constantiensem librum unum. Ad Monachos sancti Galli similiter librum unum. Epigrammatum in utraque lingua libros duos. Epistolarum quoque & sermonum libros plures. Carolus Imperator quondam Magnus, in omni littera studiosissimus, dolens linguam nostram Teutonicam, in qua natus erat, Barbaram, & sine decore contemni ab Italis, & Græcis, sibi persuasit ad regulas eam posse reduci Grammaticales. Convocatis igitur Magistris suis, atque doctoribus, quos & plures habuit, & omnifariam eruditissimos, consilium mentis suæ coram eis exposuit; & eorum auxilio fretus, rem nimis arduam fortiter aggressus fuit. Verùm postquã rei stupendæ contulisset exordium, & jam regulas invenisset complures, alijs occupationibus, & arduis, & multis à proposito revocatus est: & negotium omnino dimisit imperfectum. Hujus novæ tunc Grammatices inventio postea in manus Otfridi Monachi sæpe dicti pervenit: cujus traditionem secutus in lingua Teutonica Versus, & Carmina scribere tentavit regulata.

Linguæ Teutonicæ per Carolũ regulatio.

DCCCLXIV.

Anno Gerungi Abbatis XII. Nicolaus Papa Lotharium Regem, Fratrem Imperatoris Ludovici, post multas admonitiones in adulterio pertinacem, Apostolicisque mandatis inobedientem, atq; rebellem excommunicavit. Guntherum quoque Colonienſem, & Thietgaudum Trevirorum Archiepiscopos, qui Lothario in repudiationem Thietbergæ sententiâ datâ, publicè consenserunt, & quatenus Waldradã superinduceret, deposuit, & ab omni dignitate sacerdotali rejectos, in statum laicorum constituit. Qui tam per se, quàm per alios multotiens restitutionem Pontificalis honoris, quem justè amiserant, à sanctissimo Papa Nicolao postulantes, impetrare nullâ ratione potuerunt. Unde tam ipsi, quàm cæteri omnes, qui huic nefando divortio præbuere consensum, brevi miserabiliter perierunt.

Excomũnicatio Lotharij

Anno prænotato, Saraceni ex Africa in Italiam magnâ classe navigantes, Beneventanorum fines hostili more aggrediuntur, & omnia igne, ferróque depopulati sunt, ac multa Christianorum millia crudeliter occiderunt.

Saraceni devastant Italiam.

DCCCLXV.

Anno Gerungi XIII. obijt Ruthardus secundus hujus Cœnobij scholasticus, sepultus in Ecclesia sancti Aurelij, vigesimo quinto die mensis Octobris: Vir æternâ memoriâ dignus: quippe, qui in omni doctrina Monachos plures eruditissimos Auditores reliquit. Cui Richbodo Monachus, & per 24. annos in schola monastica hujus Cœnobij successor tale composuit ad monumentum ex pietate Epitaphion:

Ruthardus Scholasticus obijt.

Richbodo succedit.

Hoc per iter, rogito, qui pergis ritè Viator.
Paulisper siste gressum: hunc titulúmque lege:
Ipsóque perspecto supplex memorare sepulti,
Ruthardíque pius, dic miserere DEUS.

Mortuo itaque Ruthardo, atque sepulto, memoratus Richbodo Monachus Imperio Gerungi Abbatis Scholasticus ordinatur.

DCCCLXVI.

Bulgaria ad fidem Christi cõvertitur.

Anno Gerungi Abbatis XIV. Imperator, sive Rex Bulgarorum cum omni gente sua ad Christi fidem conversus est: & non diu postea etiam Cœnobium intrans, pro Dei amore Monachus factus fuit. Sed cùm Filiũ suum juveniliter agentem, ad ritúmque gentilitatis volentem redire cognovisset, resumpto Imperiali cingulo insecutus est eum, captúmque & oculis ambobus privatum in carcerem trusit. Minorem deinde filium Regem constituens in locum senioris, ipse ad Monasterium reversus, in omni sanctitate vitam terminavit.

DCCCLXVII.

Hartmondus S. Galli Monachus Doctor.

Anno Gerungi Abbatis XV. Basilius occiso Domino suo Michaële Imperatore Constantinopolitano, regnavit annis XVII. Hartmondus Cœnobij sancti Galli Monachus, in omni genere scientiarum doctissimus, hæc tempora ingenio, scriptísque reddidit clariora, scripsit enim de miraculis Sanctorum plura opuscula; ad institutionem quoque noviter Conversorum ad Ordinem monasticum, non parvæ utilitatis librum edidit, in quo vires ingenij plurimùm exercitavit. Nam, ut Menfridus testatur, monasticæ scholæ similiter præfuit, & multa junioribus necessaria Monachis lucubravit.

DCCCLXVIII.

Anno Gerungi Abbatis XVI. Corpus beati Mauri Abbatis discipuli quondam SS. Legislatoris Nostri, propter metum Nortmannorum Galliam crudeliter infestantium de Glandifolio transfertur ad Monasterium Fossatense, quod sanctum Babolenum in diœcesi Parisiensi olim construxisse superius jam diximus, ubi & manet usque in præsentem diem. Eodem anno, sanctus Nicolaus Papa I. obijt, cui Adrianus ejus nominis Secundus in Pontificatu succedens, præfuit annis quinq;, mensibus novem; Vir quidem optimus, & in pauperes pius, atque munificus, qui pro Dei amore quidquid potuit boni operis facere, nullo unquam tempore omisit.

Adrianus Papa II.

DCCCLXIX.

Sanguis pluit.

Cruces in cœlo visæ.

Anno Gerungi XVII. apud Brixiam civitatem Italiæ, tribus diebus sanguinem de cœlo pluisse perhibent, & multa ijsdem temporibus apparuisse miranda portenta leguntur, sanguinis humani præsignantia effusionem, quæ per Nortmannos postea in diversis locis facta est. Cruces etiam à quibusdam noctu rubræ in cœlo visæ sunt, idipsum prænuntiantes, & timor Nortmannorum incubuit super universum Imperium Romanum, cùm non esset, qui posset eorum crudelitatem armorum potentiâ compescere.

DCCCLXX.

Bertolfus ex Monacho Archiepisc. Trevirensis.

Anno Gerungi Abbatis 18. Bertolfus Abbas Mediolacensis post depositionem Dietgandi, quemadmodum prius diximus, Trevirorum Archiepiscopus communi fratrum electione ordinatus est. Vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus; libertatis quóque Ecclesiasticæ propugnator & defensor acerrimus, utpote qui Ecclesiæ suæ privilegia nec in minimo passus est violari. Ejus tempore

Treve-

Treverenſes omnia ornamenta Eccleſiaſtica, vaſa & reliquias Sanctorum metu Nortmannorũ in ſpeluncis & cryptis ſubterraneis abſconderant: ne à tam nefandis hominibus inveniri potuiſſent; qui omnia fædantes nec ſanctis pepercerunt. Eodem anno Lotharius Rex ab Adriano Papa Romam citatus propter adulterium, cum ſanis conſilijs Pontificis nollet acquieſcere, denuo excommunicatus eſt. Qui apud Placentiam urbem in reditu ſuo mortuus fuit. Lotharius Rex obijt.

Anno etiam prænotato locuſtæ per univerſam ferè Galliam ſegetes & arbuſta depaſcentes, miſerabilem terris cladem famis & penuriæ induxerunt; Heu quid mali non merentur peccata mortalium! Totam replentes terram locuſtæ, poſteaquam conſumpſiſſent omnia, in mare Britannicum præcipites ſeſe dederunt, ab undíſque demerſæ in terram rejectæ fuerunt, & aërem inficientes maximam & generalem hominum mortalitatem ſuſcitarunt. Et ſic juſto Dei judicio luxuriam humani generis punivit fames: avaritiam peſtis: ſuperbiam rabies Nortmannorum caſtigavit. Spectaculũ locuſtarum.

DCCCLXXI.

Anno Gerungi Abbatis 19. Edmundus Rex Anglorum Chriſtianiſſimus poſt multa pietatis opera, poſt varios contra infideles Danos conflictus à Nortmannis victus interficitur: & Deo ſic ordinante glorioſo martyrio coronatur, qui mox infinitis coruſcat miraculis. Eodem anno Strabus Monachus, & Scholaſticus Fuldenſis Cœnobij moritur anno ætatis ſuæ 74. vir æternâ memoriâ celebrandus, qui verbo & exemplo multos ad juſtitiam erudivit. Huic in ſchola monaſtica ex more ſucceſſit Bernvvardus Monachus, & ipſe in omni genere doctrinarum eruditiſſimus annis ferè quatuordecim. Edmundus Rex Anglorum occiditur. Bernvvardus Scholaſticus Fuldæ.

DCCCLXXII.

Anno Gerungi Abbatis Hirſaugienſis 20. claruit Chriſtianus ex Monacho Altiſiodorenſis Epiſcopus, vir moribus & ſanctitate conſpicuus, & in omni eruditione ſcripturarum valde doctus; qui nonnulla ingenij ſui præclara fertur lucubraviſſe opuſcula. Quo tandem mortuo Walo & ipſe Monachus ei in Pontificatu ſucceſſit, frater Anſegiſi Senonenſis Archiepiſcopi, de quo in ſuperioribus fecimus mentionem, vir ſcientiâ & moribus clarus; cujus maximum fuit ſtudium viros ingenio præſtantes charitativè amplecti, eorúmque pro viribus relevare inopiam, conſilio adhibere ſuo, & inſtructis delectabiliter uti colloquijs. Omni loco & tempore præſentiam ſibi adhibuit Clericorum, ne vel modicam invenirent laici occaſionem detrahendi. Unde & dicere ſolebat: *Neſciant laici, quid agant Clerici: ſemperq́ pares paribus conjungantur.* Chriſtiani & Walo Epiſcopi & Monachi. Nota Clerice.

DCCCLXXIII.

Anno Gerungi Abbatis 21. Adrianus Papa moritur, & in Baſilica S. Petri Apoſtolorum Principis ſepelitur. Cui Joannes ejus nominis VIII. ſuccedens in Pontificatu præfuit annis decem, diebus ſex. His temporibus claruit Ericus Monachus Cœnobij Altiſiodorenſis in divinis ſcripturis multùm eruditus, & ſæcularis litteraturæ non ignarus, metro ſimul exercitatus & proſâ: declamator ſermonum popularium egregius; qui multas ad populum homilias edidit, & alia nonnulla ſcripſit. Joannes Papa VIII. Ericus Monachus.

DCCCLXXIV.

Anno Gerungi Abbatis 22. Ludovicus Imperator Beneventanos, Luca-

Lucanos & Campanos suo rebelles Imperio in multitudine bellatorum aggreditur: qui victi ab eo postea in ejus authoritatem consenserunt. Eodem anno Diedo Fuldensis Abbas moritur: cui Sigehardus successit, & præfuit annis viginti: vir prudentiâ & eruditione ubique nominatus: sub cujus regimine viri in Fulda plures claruerunt simul, & in scripturis docti, & in observantia monasticæ conversationis sanctissimi.

Sigehardus Abbas Fuldensis.

DCCCLXXV.

Anno Gerungi Abbatis 23 Indictione Romanorum octavâ, in mense Junio subita & nimia aquarum inundatio facta est. Ita quòd in partibus Saxoniæ longè remotam à fluminibus villam quandam unà cum hominibus, jumentis, ædificijs, Ecclesia & cunctis rebus in ea contentis penitus absorbens subvertit: de qua nullum omnino vestigium remansit.

Villa subvertitur abinundatione.

DCCCLXXVI.

Anno Gerungi Abbatis 24. cometes solito rutilantior apparuit: qui mortem Ludovici Imperatoris, quasi mox futuræ præsagus, paululum præcessit. Nam eodem anno Ludovicus ipse Imperator hujus nominis secundus in Italia mortuus est quinto Kalendarum septembrium. Sunt qui scribunt eum in Franckfordia oppido Germaniæ obijsse, & in Regali Monasterio Lauriscensi nostri tunc Ordinis fuisse sepultum.

Cometes. Ludovicus Imperator obijt.

DCCCLXXVII.

Anno Gerungi Abbatis 25. Carolus II. cognomento Calvus, Filius Ludovici primi, & nepos Caroli Magni Imperium sumens Romanum à Joanne Papa VIII. coronatus est: & imperavit annis 6. vel ut alij volunt, cum fratris sui filijs Carolomanno & Ludovico annis 11. mortuo autem Imperatore supradicto Joannes Romanus Pontifex Ludovicum Balbum superioris Caroli filium Regem Gallorum in Imperatorem sublimare tentavit. Cujus rei gratiâ commoti Romani Papam custodiri, ut captum jubent: & Carolum Grossum in imperio post Calvum supradictum faciunt successorem.

Carolus Calvus imperat annis VI.

DCCCLVIII.

Anno Gerungi Abbatis 26. obijt Hertinus Spirensis Ecclesiæ Episcopus: cui Gebhardus in Pontificatu succedens præfuit anno uno, & mensibus paucis: cujus tempore Canonici Spiræ fuerunt Regulares, & erant eis more primitivæ Ecclesiæ omnia communia, sicuti ex donatione Hildeberti fratris memorati Pontificis, & privilegio regali ostenditur: fuit autem Gebhardus iste in ordine Pontificum Spirensium XII. Ludovicus Rex Germanorum & Bavarorum frater Caroli Calvi supradicti Imperatoris apud Franckfordiam moriens, & in Lauriscensi Monasterio sepultus reliquit tres filios, Carolomannum videlicet, Ludovicum & Carolum. Audiens verò mortuum fratrem suum Ludovicum Imperator memoratus Carolus Calvus regnum Lotharingiæ molitur invadere. In primis ergo palatium Aquisgrani occupavit; & inde usque Coloniam cum exercitu processit. Interea Carolomannus primogenitus Ludovici Regis defuncti Italiam ingreditur, & pro corona imperij laborare conabatur; cujus frater Ludovicus apud Germanos & Bavaros jam cœperat regnare. Qui cùm audivisset Patruum suum occupasse regale palatium, & regno inhiare Lotharingiæ, magnum congregavit exercitum, & venit contra eum ad prælium. Bellum juxta Rhenum prope Andernacum atrox committitur,

Gebhardus Episcopus Spirensis.

Ludovicus Rex Germanorum moritur.

Carolus Aquisgranũ occupat.

mittitur, & multis utrinque cæsis, Carolus in fugam convertitur, & contingere regnum nepotum armis prohibetur. Claruit his temporibus Milo Monachus Cœnobij S. Amandi Elvonensis in pago, qui Pabula nuncupatur, vir undecunque doctissimus, Orator, Poëta, Musicus & Theologus insignis, nec minùs honestate morum, quàm scientiâ scripturarum venerandus, qui inter cetera ingenij sui opuscula scripsit opus metricum ad Carolum Calvum, cùm adhuc Rex esset Burgundionũ, de sobrietate prænotatum, librum unum. Vitam quóque S. Amandi Pontificis in Elvone quiescentis librum unum. Et alia plura quæ ad manus nostras non venerunt. Hucbaldus etiam memorati Elvonensis Cœnobij Monachus hoc ipso tempore doctrinâ & sanctitate clarissimus apud Gallos habetur, & multa scripsit legentibus utilia; quibus ingenium suum posteris commendavit. Ad Carolum Calvum Imperatorem opus centum & triginta versuum mirabile condidit de laude calvorum, cujus omnes dictiones à littera C. sumunt exordium, & sic incipit: *Carmina clarisonæ calvis cantate Camenæ.* De arte Musica *lib. 1.* Gesta quóque S. Lebuini librum unum. Vitas etiam complurium sanctorum ornato conscripsit eloquio; & cantus varios dulci modulatione composuit.

Milo Mon. Elvonensis Doctor.

Hucbaldus Monachus Doctor.

Humbaldus quoque Monachus ejusdem Cœnobij Elvonensis, quod vix quatuor à civitate Tornacensi milliaribus distat, nepos supra dicti Milonis, vir & ipse tam in divinis, quàm in sæcularibus litteris studiosus atque doctissimus, hisdem temporibus magno in pretio fuit: qui cùm in arte musica esset peritissimus, de S. David Rege quondam Hæbreorum, & alijs multis cum Christo regnantibus in cælo cantus regulari, atque dulcissimâ modulatione plures composuit. Claruit etiam tempore prænotato in Cœnobio S. Aurelij Hirsaugiensi, de quo scribimus, Helfridus Monachus sub magisterio Ruthardi scholastici, cujus memoriam antehac fecimus, in omni genere doctrinarum ad plenum institutus: qui scripsit de spirituali monomachia libellum valde utilem ad institutionem claustralium. Ad quendam Marquardum presbyterum de Sacramento Altaris *lib. 1.* De continentia quóque sacerdotum longam epistolam, & quædam alia. His quóque temporibus filij Ludovici Regis Germanorum defuncti fratris Imperatoris Caroli Calvi, de quibus dictum est, paternum inter se regnum tali proportione diviserunt. Carolomannus accepit in portionem hæreditatis Bavariam, Austriam, Bohemiam, Moraviam, & Carinthiam. Ludovico sors dedit omnem Franciam orientalem usque ad Rhenum, Thuringiam quoque, Saxoniam, Frisiam & Lotharingiam. Carolo autem qui natu minor erat, sors contulit Alemanniam & Sueviam. & quasdam civitates Burgundiæ propter necessariam vini copiam, quam in Suevia non habebat.

Humbaldus Monachus Doctor.

Helfridus Monachus Doctor.

Regnũ Ludovici inter filios dividitur.

DCCCLXXIX.

Anno Gerungi 27. Joannes Papa VIII. Synodum Episcoporum, Abbatum, & Prælatorum apud Trecas Galliæ urbem præsente Imperatore Carolo Calvo celebravit; in qua multa pro utilitate constituit. Inter quæ illud potissimum statuit, ut si quis clericus vel laicus commisisset homicidium, perpetuò sit irregularis, & ad sacros Ordines nullatenus admittatur, nec Missam celebrare præsumat. Ad hunc Pontificem Joannes S. R. E. Diaconus conscripsit vitam S. Gregorij Papæ Magni in qua-

Synodus apud Trecas

tuor libris, sicuti habetur nunc. Anno etiam prænotato moritur Ludovicus cognomento Balbus Gallorum Rex, filius Caroli junioris, relictis duobus filijs Ludovico & Carlomanno. Tertium qui postea dictus est Carolus, adhuc mater in utero portabat. Quo mortuo ejus regni Provinciam, quam Avus Lotharius videlicet Imperator in divisione Carolo patri ejus tradiderat, Boso Tyrannus invasit; & primò veniens Lugdunum ab ejus loci Archiepiscopo in Regem coronatus est: sed postea per memoratos Ludovici filios armis violenter expulsus est. Erat temporibus ipsis Sedechias quidam Judæus Ludovici quondam Imperatoris, ut dicebatur, physicus, magus & præstigator maximus, qui multa principibus & alijs stupenda exhibebat spectacula, de quibus ignorantes subtilitatis illius principia in variam opinabantur sententiam. Arte namque præstigiosâ homines integros devorare putabatur & bestias: nec minus fæno currus onustos cum equis & rusticis in ventrem suum videbatur traijcere: amputabat hominibus capita manus vel crura: quæ postquam visenda præstitit cæteris, ad locum unde videbantur desumpta, mox sine detrimento vel læsione reposuit. Multa his operabatur similia, quæ vel dæmonum auxilio, vel alicujus subtilissimæ fictionis similitudine, ut pictura vesicarum facta fuisse creduntur.

Ludovicus Rex Gallorũ moritur.

Judæus præstigiator.

DCCCLXXX.

Anno Gerungi Abbatis 28. obijt Gebehardus Ecclesiæ Spirensis Episcopus duodecimus, cui Gottancus succedens præfuit annis tribus. Anno prænotato sol horâ diei nonâ ita obscuratus est, quòd stellæ viderentur in cælo tanquam si in medio noctis fuisset. Eodem anno Ludovicus Rex Alemannorum adhuc vivente fratre suo Carlomanno Bavariam ingreditur; & non multum postea Carlomannus ipse Rex Bavarorum mortuus est, filium relinquens ex nobili quadam fœmina, sed non legitima, nomine Arnulfum: qui postea Principum electione ad Romanum Imperium sublimatus fuit; ut suo loco plenius dicemus. Ludovicus autem Francorum Orientalium Rex auditâ morte fratris sui prænominati, quia jam in Bavaria constitutus fuerat, omne quod possederat, obtinuit, & Arnulfo Ducatum Carinthiæ solum concessit.

Gottanc. fit Episc. Spir.

Carloman. Rex Bavar. obiit.

DCCCLXXXI.

Anno Gerungi Abbatis 29. Carolus Imperator cognomento Calvus moritur, cùm ex Italia proficisceretur in Galliam, non sine veneni suspicione. Quo mortuo Carolus junior cognomento Grossus Rex Alemannorum filius Ludovici quondam Regis Germaniæ cum magno exercitu properat in Italiam, & Longobardiâ in deditionem acceptâ Romam proficiscitur, & cum uxore sua Richarda benedicitur, atque à Joanne Papa in Imperatorem sublimatur. Eâ tempestate Nortmanni Regnum Ludovici per fluvium Wala, qui tertium est Rheni ostium, navigio ingressi, Noviomagum Regale palatium incendunt: deinde progressi ad Coloniam & Aquasgrani omnem Provinciam circumiacentem crudelissimè devastârunt.

Carol. Grossus fit Imp.

Nortmañi incendio grassantur.

DCCCLXXXII.

Anno Gerungi Abbatis 30. Nortmanni bestijs crudeliores multa Christianorum millia interfecerunt: nam post incendium palatij ad Aquasgrani cum inæstimabili multitudine Trajectum super Mosam,

Nortmañi Trajectum occupant.

Tungren-

Tungrenſem quóque civitatem capiunt, eaſque interfectis omnibus, quos invenerunt, habitatoribus incendunt, Monaſteria quóque Ordinis noſtri Stabulenſe, Malmundarienſe, Brumienſe, S. Walerici, S. Richarij, & alia multa incenderunt, Monachis omnibus qui ante non fugerant crudeliter occiſis. Deinde civitatem Trevirorum Belgicæ Metropolim antiquiſſimam capiunt, ſpoliant, & incendunt, nulli parcentes ſexui, nec ætati, nec gradui deferentes. Bertolfus verò Archiepiſcopus fugâ ſibi conſuluit, qui tamen proximo anno ſequenti mortuus in pace fuit. Ad Metenſem poſt hæc civitatem veniunt, & commiſſo cum civibus prælio, etiam ibi victores evaſerunt. Inter multos, qui in eodem certamine ceciderunt, etiam Walo ejuſdem urbis Epiſcopus occubuit; qui vir in omni ſcientia & doctrinarum genere magnificus fuit.

Monaſteria deſtructa à Nortmannis.

DCCCLXXXIII.

Anno Gerungi Abbatis 31. obijt Bertolfus Archiepiſcopus Trevirorum, qui ante Pontificatum fuerat Abbas Mediolacenſis, vir prudens, & in agendis rebus tam Eccleſiaſticis quàm Imperialibus omnium ſagaciſſimus. Eodem anno Joannes Papa octavus moritur: cui Martinus ſuccedens præfuit anno uno, menſibus quinque, ut ſcribunt; ſuperbus & arrogans, qui Pontificatum malis artibus obtinuiſſe legitur, quem etiam brevi tempore poſſedit. Claruit his temporibus Remigius ex Monacho noſtri Ordinis Altiſiodorenſis Epiſcopus: vir in omni ſcientiarum genere doctiſſimus, præceptor S. Odonis primi Abbatis poſtea Cluniacenſis. Multa reliquit ingenij ſui præclara monimenta, quibus ſe, & tunc præſentibus reddidit utilem, & futuris poſtea memorandum. Scripſit enim in Cantica Canticorum lib. 1. Expoſitionem in Pſalmos valde notabilem; in quatuor ſancta Chriſti Evangelia libros totidem. De divinis officijs lib. 1. De ſanctorum feſtis lib. 1. Ad Epiſcopum Heduorum lib. 1. Alia inſuper multa compoſuiſſe dicitur, quæ hactenus in manus noſtras minimè pervenerunt. Paſchaſius quóque Ratbertus Abbas Monaſterij Corbejenſis in Gallia, ſive ut aliqui volunt in Saxonia, Ordinis D. P. N. Benedicti vir græcè & latinè peritus, & in omni litteratura doctiſſimus, ſcribendo & docendo hæc tempora reddidit clariora. Scripſit ad Placidum quendam Abbatem de Sacramento Altaris librum unum pulcherrimum. Vitam quóque S. Adelhardi Epiſcopi. In Threnos etiam Hieremiæ Prophetæ librum unum. E græco in latinum fertur nonnulla tranſtuliſſe ſermone, & ſcripſiſſe multa.

Bertholfus Archiepiſ. Trevirorũ obijt.

Remigius ex Monacho Epiſc.

Paſchaſius Abb. Corbejenſis Doctor.

Claruit etiam hiſdem temporibus Almannus Monachus Altvillarenſis Cœnobij vir doctus, metro exercitatus, & proſâ, cujus tempore Galliam devaſtârunt Nortmanni. Inter reliqua mala etiam Altvillarenſe Cœnobium funditus deſtruxerunt. Scripſit ergo Hieremiæ Prophetæ exemplo ejuſdem Monaſterij deſolationem quadruplici alphabeto in carmine elegiaco librum unum. Vitam quoque ſancti Vivardi Epiſcopi librum unum. Vitam ſancti Syndulphi. Vitam, Tranſlationem, & Miracula ſanctæ Helenæ Imperatricis. Alia denique plura lucubrâſſe dicitur, quæ ad manus meas non venerunt.

Almannus Monachus Doctor.

DCCCLXXXIV.

Anno Gerungi Abbatis 32. qui & ultimus fuit, obijt Gottdancus Epiſcopus Spirenſis tertius decimus, cui ſucceſſit Einhardus in ordine Pontificum

Einhardus Epiſc. Spirenſis.

tificum Neometenſium quartus decimus, & præfuit annis 6. Eodem anno, ultimâ die menſis Julij, Gerungus hujus Monaſterij ſancti Aurelij Hirſaugienſis Abbas ſecundus moritur, & juxta Lutbertum Anteceſſorem ſuum cum debita ſolemnitate ſepelitur. Anno videlicet eatenus tranſactæ vitæ primo & ſeptuageſimo, aſſumpti autem officij dignitatis Abbatialis triceſimo ſecundo completo, & tertio inchoato: Vir per omnia Deo devotus, & non minus in ſpiritualium moderatione idoneus, quàm in adminiſtratione temporalium circumſpectus.

Gerungus Abbas II. moritur.

De Regenbodone hujus Monaſterij Hirſaugienſis tertio Abbate, qui præfuit annis ſex, Menſibus tribus, diebus decem & novem.

REverendiſſimo autem Gerungo Abbate, hujus Monaſterij ſecundo viam univerſæ carnis ingreſſo, & honorificè juxta conſuetudinem Ordinis ſepulto, convenientes ad locum Capitularem Fratres, quorum jam magnus fuit numerus, poſt orationes ad Deum, & neceſſarios pro inſtante negotio tractatus inter ſe habitos, Senem quendam Monachum venerabilem, cujus nomen Regenbodo fuit, in Abbatem concorditer elegerunt: qui præfuit annis ſex, menſibus tribus, diebus verò 19. homo Religioſus, pius, & ad Dei cultum ſingulari devotione ſtudioſus. Erat autem teſtante Megenfrido Monacho, natione Bavarus, & de notabili proſapia procreatus. Qui puer ad ſcholas poſitus, ſemper in melius diſcendo proficere ſtuduit, & brevi tempore ſatis doctus in omni ſcriptura tam humana, quàm divina evaſit. Hic poſtea Canonicus factus in Conſtantienſi Eccleſia honoribus mundi glorioſus apparuit: & ob id paulatim etiam animo defluere cæpit. Sed miſerante Deo ad ſeipſum reverſus compungitur, & arctioris vitæ ſemitas ſecum in animo meditatur. Tandem poſt multos anfractus fluctuantium cogitationum venit ad Hirſaugiam, & ſub magiſterio Gerungi Abbatis monaſticum ſchema induit, & uſque ad mortem in omni puritate converſationis monaſticæ ſtudioſus fuit. Magnæ pietatis, & miſerationis in pauperes extitit, utpote qui cibos ſibi competentes ſæpius in uſus pauperum diſtribuens, jejunus, & eſuriens ipſe permanebat.

Regenbodo Bavarq natione.

Fuit his temporibus quidam homo, nomine Hetvvidus, qui tyrannidem agens in pauperes, etiam ſanctam D. Aurelij Congregationem injurijs, & contumelijs perturbare non timuit; Pecuniarum etenim ſummam non parvam ſe mutuâſſe Gerungo Abbati, dum viveret, mendaciter aſſeruit; quam niſi celeriter reſtituant Fratres, grandia Cœnobio incommoda ſe allaturum comminatus fuit. Jubet Regenbodo pientiſſimus Abbas Fratres orationibus inſiſtere, & negotium omnipotentis Dei judicio commendare. Et ecce, nocte præcedente diem placitandi ab utráque parte præfixam, apparuit exactori falſidico in ſomnis dormienti beatiſſimus Præſul Aurelius dicens: *Cur mendaciſſime hominum, ſervientes mihi Monachos tuis inquietare mendacijs non metuiſti? Certò non cedet tibi impunè hæc tantæ præſumptionis audacia.* Et hæc dicens, percuſſit paſtorali ferulâ Tyrannum, adjiciens: *Accipe tuorum in me commiſſorum primitias, poſt tri-*

Hetvvidus tribulat Monaſterium.

post triduum recepturus graviora: Nisi & mihi & fratribus meis satisfeceris, quos injustè perturbare non timuisti. At mox Tyrannus tam pavore, quàm verbere experrectus, totam nimio clamore domum replevit, convertens omnes in stuporem. Posterâ die lecto decumbens infirmus, & verberum impositione in toto corpore lividus, fecit ad se vocari quosdam è Fratribus, coram quibus veniâ petijt injuriarum, postulans cum lacrymis preces eorum ad S. Aurelium, quatenus & pristinam mereretur sanitatem recipere; & minas graviorum tormentorum evitare. Orantibus autem servis Dei pro eo brevi convaluit, & veniens ad Ecclesiam cum oblationibus promissis, placare sibi sanctum Aurelium anxius curavit. Veniam precatur.

Anno prænotato Christianorum *DCCCLXXXIV.* mortuo Berthol-fo Trevirorum Archiepiscopo, sicut diximus, Rathbodo, qui post eum in Cœnobio Mediolacensi Abbas fuerat constitutus, etiam in Archipræsulatu Successor factus est, & præfuit annis ferme sex, & triginta, vir magnæ prudentiæ, & doctrinæ; qui tempore sui regiminis multa privilegia impetravit Ecclesiæ Trevirensi, tam ab Imperatoribus, quàm & à summis Pontificibus. Rathbodo Trevirorũ Archiepisc.

DCCCLXXXV.

Anno Regenbodonis Abbatis secundo, Martinus Papa obijt, cui Adrianus tertius successit, & præfuit a nno uno, mensibus tribus; Vir magnanimus, qui mox in exordio sui Pontificatûs statuit electionem Romani Pontificis debere esse in Cleri potestate liberam, & neque Imperatorum voluntati, neque alterius cujusquam mortalium arbitrio penitùs subjectam. Adrianus Papa III.

Eodem anno vicesimâ die mensis Martij, obijt Florbertus Monasterij sancti Matthiæ prope Treverim Monachus, atque Scholasticus; Vir certè undecunque doctissimus, qui multorum Præceptor Monachorum extitit, quos in omni genere doctrinarum nobiliter multùm erudivit. In omni siquidem scriptura, tam divina, quàm humana fuit doctissimus, & non minùs vitâ, quàm eruditione venerandus. Scripsit de compositione Monochordi librum unum, de mortuorum resurrectione librum unum. De Trevirorum excidio, quod Nortmanni nuper Patriæ Mosellanæ intulerant, elegiaco versu libros quinque. In Proverbia Salomonis commentarios edidit pulcherrimos. Alia quoque nonnulla composuit, quæ ad manus nostras necdum pervenerunt. Huic in schola Monastica successit Eberhardus Presbyter & Monachus, omnifariam & ipse doctus, & præfuit magisterio annis ferme quatuor & viginti, qui etiam non spernenda composuit, & discipulos plures erudivit. Florbertus Mo nachus Doctor.

DCCCLXXXVI.

Anno Regenbodonis Abbatis tertio, Julij mensis die 12. obiit Ansbaldus Abbas Brumiensis, vir summæ Religionis & sanctitatis, cujus animam regnare cum Christo in supernis non dubitamus. Cui in Abbatia successit Farabertus Monachus ejusdem loci multùm venerabilis. Claruit his quoque temporibus Rembertus ex Monacho Corbejensis Cœnobij in Saxonia Archiepiscopus Bremensis, vir sanctissimæ conversationis, & magnus verbi prædicator divini, qui multorum corda hominum ad justitiæ semitas convertit. Annis autem novem in Pontificatu laudabiliter exactis, sextâ die mensis Februarij moritur, & in Ecclesia sua Cathedrali sepultus, multis deinceps miraculis coruscavit. Cujus festum S. Ansbaldus Abbas moritur.

S. Rembertus ex Monacho Archiepiscop.

annuâ ſolemnitate die obitûs ſui colitur. Anno quoque prænotato Arnulfus Rex Gallorum moritur, anno regni ſui ſecundo necdum completo, relinquens filium parvulum nomine Carolum. Mortuo autem rege Arnulfo, quoniam Carolus adhuc vix triennis fuit, proceres Galliarum de Rege creando cæperunt habere conſilium, non ut genus deſererent Carolini ſteṁatis, ſed ut hoſtibus poſſent reſiſtere, qui urgebant, in vicino manentibus Nortmannis. Communi itaque decreto Ottonem virum militarem ac ſtrenuum in palatio Compendij Regem Gallorum creaverunt. Hic patrem habuit ex equeſtri ordine nomine Rupertum, avum verò paternum vocabulo Wittichindum de Saxonia Germaniæ profugum. Creatus verò Rex ſtrenuè ãtque utiliter omnia geſſit, Nortmannóſque ſignis collatis intra Neuſtriam, hoc eſt, circa Sequanam in regione Pariſiorum ſepties fudit, & novies in fugam convertit, & hoc ferè in quinquennio. Quibus tandem pulſis fames valida ſubſecuta eſt, cùm triennio terra Gallorum inculta remanſerit. Eodem anno Adrianus Papa III. obijt, cui Stephanus ejus nominis quintus in Pontificatu ſuccedens, præfuit annis ſex. & diebus novem. Hic quoad vixit, in multa perturbatione Nortmannorum, Hunnorumque & Italicorum ſemper fuit. Qui cùm eſſet in ſancta religione probatiſſimus, conſtans in omni adverſitate extitit, & ſpem ſuam omnem in adjutorio Altiſſimi collocavit. Ejus tempore in magna ſanctitate claruerunt coram Deo & hominibus Luitprandus Papienſis Eccleſiæ diaconus, Vuldradus Bavarus, & Gerardus Pictavienſis Epiſcopus, quorũ orationibus & conſilijs mirificè fuit adjutus, qui multa in utráque Gallia Ordinis noſtri Cœnobia conſtruxerunt.

Otto fit Rex Galliarum.

Stephanus Papa V.

DCCCLXXXVII.

Anno Regenbodonis Abbatis quarto Carolus Imperator tertius cognomento Groſſus, poſtquam ſuperioribus annis bella quædam cum Pannonijs geſſerat, ita animo & corpore debilitatus eſt, ut in privatum ſe redigens vivendi modum, ad tantã penuriam devenerit, ut etiam pane carens ab Arnulfo patruele paucos redditus ad vitæ ſuſtentationem gratanter acciperet. Ab hoc tempore uſque ad primum Ottonem ferme per annos quinquaginta Imperium ſatis confuſè fuit gubernatum. Nam in Italia Berengarius Forojulienſis uſurpavit Imperium, ut ſuo loco dicemus.

Carolꝰ abdicat imperiũ.

DCCCLXXXVIII.

Anno Regenbodonis Abbatis quinto, indictione Romanorum ſextâ, Rudolfus Monachus S. Aurelij Hirſaugienſis vir undecunque doctiſſimus commentarium edidit ſuper librum Tobiæ, ſicut in principio ipſius operis patet: ubi præceptor Regenbodo Abbas introducitur. Eodem quoque anno Arno Epiſcopus Herbipolenſis inter Miſſarum ſolemnia in Saxonia occiſus eſt. Qui præfuerat annis 36. menſibus quóque ſeptem; fuit enim præſul magnæ prudentiæ religionis, & ſanctitatis, qui occiſus tertio iduum Julij inter Miſnenſes in prælio, dum celebraret ex more in caſtris, multis clarere cœpit miraculis. Huic in Epiſcopatu ſucceſſit Rudolfus, & præfuit annis 17. & aliquot diebus: vir & ipſe magnificus, qui multa impetravit Eccleſiæ ſuæ ab Imperatoribus privilegia.

Rudolfus Monachus Doctor.

ArnoEpiſc. Herbipolẽſis occiditur.

Anno prænotato Arnulfus Dux Carinthiæ filius Carlomanni quondam Regis Bavariæ, de nobili concubina procreatus, communi electione Principum Imperator eligitur, & annis ferme duodecim imperavit:

Arnulphus Dux eligitur Impetator.

cujus

cujus anno primo Carolus cognomento Groſſus ſive tertius quondam Imperator in magna, ſicut dicitur, paupertate diem vitæ clauſit extremum. Dominabatur autem inprimis potens Imperator Bavaris, Suevis, Francis orientalibus, Lotharingijs átque Saxonibus. Cui Zvventeboldus Moravorum Dux viriliter repugnavit. Uſque ad hæc tempora gens Ungarorum, cujus penè omnes nationes Europæ ſævitiam ſunt expertæ, quibuſdam difficillimis interpoſitionibus, quas cluſas nominat vulgus, ſeparata erat à nobis: ut neque ad meridianam, neque ad occidentalem plagam exeundi facultatem habuerit ullam. Arnulfus autem Rex cùm Ducem Zvventeboldum prædictum ſuperare nequiret, depulſis, prô dolor! his munitionibus, Ungarorum gentem ſcelerum cupidam in auxilium vocat: ſi tamen auxilium dici potuit, quod paulo poſt eo morente, cum genti ſuæ, tum ceteris in meridie, occaſúque degentibus grave periculum imò exitium penè ultimum fuit. Devicto igitur Zvventeboldo Arnulfus ſecurè jam regno potitur, habens ſub Imperio ſuo, ſicut diximus, Bavariam, Sueviam, Franciam orientalem, Lotharingiam, Rhenum, Thuringiam, Friſiam, Saxoniam, Moraviam, Auſtriam, & omnes circumjacentes regiones. Ungari verò interim obſervato exitu, contemplatíque regionem, malum in cordibus ſuis machinabantur, quod operibus poſtea demonſtrârunt.

Zvventeboldus Moraviæ Dux vincitur.

DCCCLXXXIX.

Anno Regenbodonis Abbatis ſexto, Indictione Romanorum ſeptimâ, obijt Richbodo Monachus, & Scholaſticus ſancti Aurelij Hirſaugienſis, vir omnium doctiſſimus, qui non minus exemplo ſanctitatis, quàm doctrinâ eruditionis commiſſos ſibi Monachos juniores inſtituit. Huic Harderardus in ſchola monaſtica ſucceſſit, natione Francus orientalis, vir doctus, & bonus, qui vix biennio docendi magiſterio præfuit, quoniam poſt reſignationem Regenbodonis in Abbatem hujus Monaſterij aſſumptus fuit.

Richbodo Scholaſtic. obijt.

Anno prænotato, moritur Lutbertus Archiepiſcopus Moguntinus, cui ſanctus Sonderoldus Monachus Fuldenſis in Pontificatu ſuccedens præfuit annis duobus: vir doctus, & in omni ſanctitate conſpicuus, quem Nortmanni poſtea in civitate Wormatienſi occiderunt, ſicut ſuo loco inferius dicemus. His quoque temporibus mortuo Carolo Imperatore tertio Italienſes contempto Arnulfo perturbaverunt Imperium. Quorum una pars Berengarium filium Eberhardi Forojulienſem ſibi regem conſtituerunt: Alij verò Guidonem Spoletanorum principem ſuæ parti regem creaverunt. Qui conſerto inter ſe prælio, tandem Guido victor evaſit, & Berengarium de regno expulit. Mortuo autem Guidone filius ejus Lambertus Romam veniens Imperatorem ſe vocari ab omnibus voluit & præcepit. Arnulphus Imperator potentiſſimus, 12. annis ſtrenuè imperans uxorem habuit nomine Lucardem filiam Guelfonis Bavariæ Ducis, quæ peperit ei duos filios & unam filiam. Quorum primogenitus nomine Ludovicus poſt mortem Patris obtinuit Imperium Secundo-genitus fuit Conradus Lotharingiæ Dux, cujus filius itidem Conradus poſt Ludovicum patruum etiam Imperator fuit. Porrò filia materno nomine Lucardis vocabatur, quæ Ottoni Saxonum Duci nupta peperit Henricum poſtea Imperatorem primum. Ipſum verò Conradum

S. Sõderoldus ex Monacho Archiepiſc.

Guido & Berengar. regnant.

Arnulfi uxoris & filiorum nomina.

Lotha-

Lotharingiæ Ducem Secundo-Genitum Arnulphi Imperatoris Adelbertus comes Bambergensis postea interfecit: & ipsum Adelbertum comitem Heinricus supradictus Imperator primus dolo Hattonis Archiepiscopi Moguntini circumventum capite truncari præcepit. Erat Arnulfo Imperatori ex concubina filius nomine Cendeboldus homo temeritatis multæ, quem Lotharingiæ regem fecit: quem post mortem patris ad imperium aspirantem principes propter suam ferocitatem contemnentes abjecerunt; quoniam tantæ fuit insolentiæ, ut nec manibus temperaret summos Christi invadere sacerdotes. Percussit pugno tam fortiter Archiepiscopum Colonienſem, quòd velut mortuus jacuit horis 24. Regnabat eo tempore in Gallia, sicut diximus, Otto vir magnificus, qui multotiens Nortmannorum in bello victor existens, postremò Ducem eorum Anscatillum nomine cepit, quem secum ad urbem Lemovicensem captivum duxit, ibique vitæ ac mortis optionem dedit; si baptizaretur, vitam; si renueret mortem intendens. Tyrannus mox absque contradictione baptizari se petijt, de quo dubium est, an fidei quidquam habuerit. Quia verò instabat solennitas Pentecostes, ac Episcoporum conventus regi aderat, ab Episcopis ei triduanum intenditur jejunium: die verò constitutâ, cùm in Basilica S. Martialis Martyris post Episcoporum peracta officia in ipsum sacrum fontem à Rege Ottone excipiendus descenderet, jamque trinâ immersione in nomine Patris & filij & Spiritûs Sancti baptizatus esset, Ingo antea signifer gladio educto, lethaliter eum transverberat, ac fontem sacratum vulneris effusione immaniter cruentat. Rex tantum facinus indignans Principibus trementibus homicidam rapi ac trucidari mandavit. At ille projecto in terram gladio fugiens, aram S. Martialis complexus est, indulgentiam à Rege & Principibus postulans, atque locum multis clamoribus respondendi petens. Jussu igitur Regis de commisso facinore responsurus mox coram omnibus sistitur, ortúsque sic ait: *Deum voluntatis meæ conscium testor, nihil mihi charius fuisse vestrâ salute, ô rex & viri. Amor vestri ad hoc me compulit, ob vestram salutem in has miserias præcipitavi me, pro omnium vita tantum subire periculum solus non formidavi. Et grande quidem facinus me perpetrâsse confiteor, sed majora inde commoda reor profutura. Regiam majestatem me provocâsse ad iram certè non abnuo; sed maximam reipublicæ utilitatem exinde comparatam, non diffido. Consideretur animus in hoc facto meus, & quanta sit ex hac mea culpa utilitas patriæ oritura, sapiens quisq; recogitet. Tyrannum captum metûs causâ petivisse baptismum, quis vestrûm qui dubitat? qui post baptismum dimissus vicem certè pro viribus redditurus videbatur injurijs, ac suorum gravissimè ulturus interitum. Consultius ergo visum est mihi de medio auferre Tyrannum, quàm totius nostræ gentis rursum exspectare, quod futurum imminebat, exitium. Hæc est meæ causa facinoris, hæc me consideratio ad scelus commissum impulit, hoc pro salute Regis, atque suorum non trepidavi subire periculum. Et utinam mortem meam Patriæ libertas, ac rerum sequatur tranquillitas. Nunc si occisus propterea fuero, ob Regis, & vestram, ô Principes, salutem libenter occumbo.* His voce prolatis parumper lugubri, alios traxit ad lachrymas, alios ad sui benevolentiam concitavit. Unde & milites pro illo agentes Regis animum demulcent, & ad pietatis clementiam reducunt, nihil prodesse Regi asserentes, si quispiam suorum intereat, sed potius in occisione Tyranni esse lætandum,

Cendeboldus Spurius Arnulfi.

Otto Rex Ducem cepit Nortmannorũ.

Ingo Ducẽ baptizatũ interficit.

Ingo causam agit.

Concedit Rex veniã Ingoni suo.

dum, vel quia in Domino vivat, si fidelis in fide discessit; vel quia cessaverunt ejus insidiæ penitus, si baptismum in dolo susceperit. Quibus Rex animum temperans, tumulato Tyranno, Ingonem ad gratiam recepit, & insuper castrum, quod Blesum nominant, ei liberaliter concedit; eò quòd ille, qui custodiam ejus habuerat in bello pyratico, fuerat occisus, cujus & relictam viduam Ingoni dedit uxorem, quæ peperit ei Gerlonem virum patri perquam simillimum.

DCCCXC.

Hoc anno, cujus major portio ultimo Regenbodonis Abbatis anno connectitur, Arnulfus Imperator exercitum movit contra Nortmannos, & multis eorum millibus trucidatis victor extitit. Claruit his temporibus Adelgarius ex monacho Corbejensis Cœnobij in Saxonia Bremensis Archiepiscopus, vir doctus in scripturis divinis, & in conversatione sua sanctissimus, qui strenuè rexit Ecclesiam sibi commissam annis viginti: qui tandem moriens catalogo Sanctorum inscriptus est miraculis clarus, cujus festum idibus maij celebratur.

Arnulfus Nortmannos debel. lat.

Adelgarius ex Monach. Archiepisc.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, Regenbodo Abbas S. Aurelij Hirsaugiensis à prima fundatione tertius, jam senio gravatus, cùm se privari amplexibus dulcissimæ Rachelis propter occupationes rei familiaris, diutius ferre non posset, Abbatiam suam in manus Conventûs spontaneâ voluntate resignavit, vicesimâ scilicet die mensis Novembris. Qui privatæ conversationi redditus, tantam vitæ religiosæ puritatem assumpsit, tantáque corpus suum austeritate macerabat, ut cunctis non solùm in exemplum cederet, sed etiam omnes, quotquot illum noverant, in stuporem verterentur. Nullum deinceps verbum otiosum unquam protulit, levia vel scurrilia non solùm non dixit unquam, sed nec audire quidem talia ab aliquo consensit. Ejus ori, dum loqueretur, Christus nunquam defuit, sed quidquid de ejus labijs processit, ædificatorium ad cælestis regni amorem fuit. Nemini obloquebatur penitus; imò detrahentibus proximo suo in faciem contradixit: *De nobis male loquamur*, inquit, *quoniam mali sumus, parcendum est proximis non præsentibus; quia detractores Deo odibiles, regno cælorum penitus judicantur indigni.* Præter Dominicam castissimè jejunabat, parcus ciborum, sed vini semper parcissimus: Appetitum carnis fortissimè in omnibus reprimebat, nec unquam necessarijs ad satietatem vel mediocriter indulsit. Somno utebatur modico, & quantum naturæ postulabat extrema necessitas. In orationibus die ac nocte semper fuit continuus, & nullo unquam tempore otiosus. Cúmque aliquotiens interrogaretur à fratribus, cur tantâ se maceraret inediâ, qui omnem vitam suam, ex quo Monasterium intravit, sine crimine irreprehensibilem custodisset, ita respondit: *Quamvis protegente me gratiâ Dei vitam sine crimine in hanc usq; ætatem perduxi, multa nihilominus bonitatis opera neglexi, ex eo præsertim tempore, quo indignum me vobis præfecistis Abbatem. Afferre namq; solet plures negligentias prælatura infirmis hominibus, quàm virtutes. Unde oportet nos, quamdiu vivimus, pœnitentiam agere, & nunquam à bonis operibus cessare.* Et dixit & fecit Regenbodo venerabilis senex, & in sancta conversatione úsque ad mortem stabilis permansit.

Regenbod. resignat.

Effatũ elegans.

De Harderado hujus Monaſterij Hirſaugienſis quarto Abbate, qui præfuit annis XXVII. menſibus VIII. diebus XIX. & geſtis illius temporis.

Harderad9 fit Abbas.

POſt voluntariam & liberam reſignationem Domini Regenbodonis Reverendiſſimi, atque ſanctiſſimi Viri, convenientes in unum Fratres, Paſtore amantiſſimo jam, ut ita ſit dictum, viduati, communi aſſenſu in Abbatem hujus Monaſterij Hirſaugienſis quartum unanimiter elegerunt, Harderadum quendam venerabilem Monachum, ſcholæ monaſticæ Magiſtrum, in omni genere doctrinæ ſingulariter eruditum, annorum ætatis ferme quatuor & triginta. Ita electio facta eſt anno Dominicæ Nativitatis præſcripto *DCCCXC.* Indictione Romanorum octavâ, die verò Kalendarum duodecimo, quo & anteceſſor ejus officio ſimul ceſſit ac dignitate, ſicut antehac jam ſuprà diximus. Præfuit autem Harderadus Abbas in regimine, paſtorali annis 27. menſibus 8. diebus 19. Natione fuit Teutonicus, patriâ Francus orientalis, honeſtis parentibus ortus, qui ordinem Monaſticum ſub Gerungo Abbate intravit adoleſcens, in quo deinceps tantâ ſinceritate vixit, tamque promptus & voluntarius ad omnem obedientiam ſemper extitit, ut Placidus à cunctis quaſi alter haberetur. Nec immeritò quidem. Humilitate fuit præcipuus, patientiâ conſtans & firmus, mente placitam Deo & hominibus conſervans in omnibus manſuetudinem, & innocentiæ & puritatis amicam. Nemo mente turbatum vidit unquam, nemo illum aliquando reperit otioſum. In ſcripturis tam divinis, quàm humanis fuit ſtudioſus átque doctiſſimus, omnium judicio dignus & idoneus, qui poſt mortem præceptoris ſui Richbodonis Scholæ præficeretur Monaſticæ, fierétque cæterorum Magiſter Monachorum ſimul & inſtitutor. Qui mox ut Abbas ordinatus fuit, ne præceptor neceſſarius deeſſet in Monaſterio diſcipulis, de conſilio fratrum ſcholæ Magiſtrum præfecit Luthelmum doctiſſimum in omni ſcientia Monachum, patriâ Suevum, humilibus quidem natalibus ortum, ſed eruditione ſcripturarum cunctis tunc fratribus meritò venerandum. Magnam eruditionis ſuæ laudem obtinuit, & multorum inſtitutor Monachorum fuit.

Patria Harderadi & mores.

DCCCXCI.

Amalricus fit Epiſcop. Spirenſis.

Anno Harderadi Abbatis primo, obiit Eynhardus Epiſcopus Spirenſis in ordine quartus decimus: cui Amalricus Monachus Cœnobij Wiſſenburgenſis ſucceſſit, & præfuit annis duobus, menſibus quatuor: vir doctus & prudens, qui reliquit nonnulla ingenij ſui monimenta.

Harderad9 timet Nortmannos.

Anno prænotato Nortmanni denuo collectis viribus cum magno exercitu Romanum Imperium devaſtare cœperunt: memoréſque cladis ab Imperatore ſuſceptæ, ſe omne regnum illius deleturos comminabantur. Harderadus itaque Abbas audiens vires reſumpſiſſe Nortmannos, metuenſque futurum eorum ad partes Rheni, ſicut poſtea contigit, adventum; & timens ne locum S. quoque Aurelij Hirſaugienſem deſtruerent, quod cum multis alijs Cœnobijs antea fecerunt, ſapienti fratrum uſus conſilio teſtudinem in Eccleſia ſubterraneam fecit, in qua corpus ſan-

pus sanctissimi Præsulis Aurelij cum tabula, inscriptionem nominis & dignitatis ejus continente, tantâ subtilitate abscondit, ut considerari penitus à nullo mortalium posset in eo loco quicquam esse repositum. Ungaris autem Nortmannis in turbatione totius Imperij Romani postea succedentibus, átque per multos annos bellis & perturbationibus in Alemannia nimium multiplicatis, repositorium sanctarum reliquiarum in oblivionem omnium devenit; & latuit sub terra corpus venerandi Pontificis absconditum, per annos centum & septuaginta úsque ad tempora Comitis Adalberti, de quo suo loco dicemus.

DCCCXCII.

Formosus præfuit annis sex.

Anno Harderadi Abbatis secundo Stephanus Papa quintus obiit, cui Formosus Episcopus Portuensis in Pontificatu succedens, præfuit annis quinque mensibus sex, qui Arnulfum postea in Imperatorem coronavit. Qui Papa multas à Romanis contumelias & injurias pertulit, qui non solùm in viventem, sed etiam in mortuum graviter sævierunt. His diebus multa in cælo miranda in diversis locis apparuerunt. Etenim visæ sunt imprimis acies quasi igneæ ab oriente in occidentem discurrere, ac impetum rursus in meridiem ordinare. Terræ motus in diversis locis fuerunt horribiles, cruces apparuerunt in cælo & ignes, quibus portentis nimium tremuere mortales, ultimum instare diem mundo existimantes: sed fuerunt hæc miranda futurorum tunc malorum indicativa quædam prænuntia, quæ paulo post per Nortmannos & Ungaros sunt subsecuta.

DCCCXCIII.

Bernardus fit Episcop. Spirensis.

Anno Harderadi Abbatis tertio, obiit Amalricus ex Monacho Episcopus Spirensis, cui successit Bernhardus, & præfuit annis 18. vir strenuus & consilio cautus ac prudentissimus, qui & ipse Monachus fuit.

Bingen destruitur abs Nortman.

Anno quoque prænotato Nortmanni pervagantes Galliam in magna multitudine venerunt usque ad Rhenum, prædam, incendia & interfectiones hominum ubique sine miseratione agentes. Oppidum quoq; Bingionum, tunc ab alia parte fluminis Nahæ situm in planicie verticis montis, injecto igne funditus destruxerunt, cunctis habitatoribus, qui ante non fugerant in nemora, crudeliter interemptis. Post Nortmannorum recessum, qui remanserant in nemoribus cives, ad oppidum reversi, desolatum penitus invenerunt. Habito inter se consilio non in eodem loco, sed trans fluvium Naham reædificare oppidum statuerunt, quò inter prædictum fluvium & Rhenum, ut hodie cernitur, positum direptioni amplius facilè non pateat inimicorum. Porrò Nortmanni à Bingionibus moventes exercitum Castellum Ducis quondam S. Ruperti, quod Osterburgium dicebatur, in Nagavio situm juxta villam Stauronesum, vulgaritur Creüzenach, capientes simili furiâ destruxerunt, omnesque in circuitu vicos in favillam redegerunt. Fuit autem Castrum illud in planicie situm in eo loco, ubi nunc est Ecclesia S. Kyliani quondam, Parochialis: cujus murorum quædam particula nostris ibidem adhuc videtur temporibus, reliquum verò loci spatium partim agricultura, partim vini cultura obtinuit. Inde moventes excercitum Nortmanni Gaviodorum castellum videlicet S. Rufi, quod juris tunc erat Ecclesiæ Metensis, funditus everterunt, incensis & desolatis in omni circa regione villis & hominum mansionibus cunctis. Post hæc ad Moguntiam castra moven-

Osterburg & Cruzenach similiter.

tes, aquæductum illum pretiosum átque magnificum, per quem de villa, quæ propterea Fontheim vocabatur, copia influebat aquarum in castellum civitati proximum, Schonberg dictum, ubi postea Monasterium S. Jacobi per Archiepiscopum quendam Moguntinum erat constructum. Castrum deinde occupaverunt prædictũ, quo tandem obtento funditus destruxerunt. Postremò etiam civitatem ipsam incendio subverterunt, omnibus quos repererunt, interemptis. A Moguntia venerunt ad Wormatiam, quæ semper Imperatoribus fidem servare consuevit inviolatam, quam tandem obtentam, igne consumpserunt, interfectis habitatoribus cunctis. Ibi etiam Sonderoldus Moguntinæ Ecclesiæ sanctissimus Archiepiscopus à Nortmannis crudeliter occisus est, sexto videlicet Kalendas Julij, quæ fuit mensis Junij dies xxvi. Anno Christianorum prænotato octingentesimo nonagesimo tertio, indictione Romanorum undecimâ. S. autem Sonderoldo in Pontificatu Moguntino successit Hatto Monachus Fuldensis, vir obscuro quidem genere natus, sed ingenio subtilis & acutus, qui difficilè posset discerni, melior consilio fuerit an peior, & præfuit Ecclesiæ Moguntinæ annis xxi. Anno etiam præscripto Farabertus Abbas Brumiensis in dissensione Regum Gallorum Abbatiam suam resignavit, cui Regino ejusdem Cœnobij succedens præfuit annis sex; vir certè tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris doctissimus, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula ad Adalberonem Metensis Ecclesiæ Præsulem Chronicon satis conveniens à Nativitate Domini usque ad annum ejusdem nongentesimum octavum. Ad Archiepiscopum quoque Trevirorum comportavit ex Decretis SS. Patrum de disciplina Ecclesiastica duo volumina: quæ capitulis ferme nongentis per ordinem sunt distincta.

S. Sonderoldus à Nortmannis occiditur.

Regino fit Abbas Brumiensis Doctor.

Anno prænotato Fulco Rhemorum Archiepiscopus, Ratbodo quóq; Trevirensis, Hatto Moguntinensis, Hermannus Colonensis, cum suis suffraganeis, & multis alijs Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, atque Nobilibus Galliarum primâ die mensis Februarij convenientes Rhemis in Ecclesia sancti Remigij, Carolum puerum necdum septem annorum, ultimi Regis Caroli filium, de quo suprà diximus, ex stirpe Caroli Imperatoris Magni descendentem, Regem totius Galliæ tripartitæ creaverunt, & purpuratum regio more per civitatem circumducunt. Et ex Celtica quidem pauci ejus partes sequebantur. Ex Belgica verò penè omnes pro rege illum devotissimè susceperunt. Quod factum Otto Rex comperiens, quem ante quinquennium constituerant propter Nortmannos, ut suprà diximus, Regem Gallorum, qui tunc in civitate morabatur Petragoricensi, dissimulabat injuriam, nec reditum propterea maturabat. Tandem vero rediit Neustriam ingrediens, urbemque Turonicam petens, S. Martinum donis honorat regalibus, ac deinde Parisium receptus, Ecclesiam simili donatione honorat S. Martyris Dionysij. Deinde fluvio Matrona transmissò Belgicam ingreditur, & receptus in oppido, quod Fara dicitur, nimiâ anxietate mente turbatus insomnietatem continuam incurrit. Quæ cùm nimium succresceret, & omnino dormire non posset, in mentis alienationem incidit, & ex ea tandem anno Regni sui decimo mortuus fuit, apud S. Dionysium regio more sepultus. Carolus itaque puer Rex creatus, Galliam omnem cum tempore obti-

Carol. puer fit Rex Gallorum.

Otto Rex Gallorum injuriam dissimulat.

Otto Rex Gallorũ insaniens moritur.

obtinuit, & annis xxvi. regnavit, ac postea per desertores Principes in carcerem apud Peronam conjectus miserabiliter decessit. Et fortè per omnia felicior extitisset, si in uno, quod memoriæ commendare operæ pretium fore censuimus, nimium non errâsset. Nàm cùm multâ benignitate Principes coleret, præcipuâ tamen & singulari amoris prærogativâ unum colebat Haganonem nomine, quem ex mediocribus potentem effecerat, adeò ut magnatibus quibusque procul stantibus ipse regio lateri solus adhæreret: pileum etiam de capite Regis multoties raptum, palàm sibi imponeret: ædes verò sibi suíſq; audacter deputaret: ad suum quoq; jus retorqueret, quæcumq; regij juris esse viderentur. Et ut rei summa paucis dicatur, ad integrum nihil præter suum velle in rerum negotijs à Rege disponebatur: tanta fuit vis patrati maleficij, tanta penès Haganonem virtus incantationis. Fertur enim, quòd cujusdam Suessionicæ mulieris maleficio Regem sibi allexerit, séque Regi præ omnibus diligendũ tantæ maleficæ confectionibus aptaverit. Quod cùm ad multorũ notitiam pervenisset, rapitur tandem malefica, & ad confessionem maleficij tormentis urgetur. At illa tormentis facta constantior, vim maleficij pertinaciter negavit; & dum acriter torqueretur, ita fertur cum cachiño respondisse tortoribus: *Cædite viri, ac fortiter percutite, quia non me, sed equam Rantheiverbera lædunt, quæ mihi inferre putatis; Ecce, videte, quàm sint omnia corporis mei membra sana penitus & intacta.* Tortores, & hi, qui propè astabant, cernentes omnia sana, vehementer admirabantur, & currentes quidam ex eis ad Rantheum, ejus in pascuis equam plagis, & verberibus enormiter cæsam, & cicatricibus plenam invenerunt, tantáque contusam multitudine vulnerum, ut surgere à terra penitùs non valeret. Interrogavere, qui fuerant missi, Rantheum, unde hæc tanta vulnera equæ provenerint. At ille, *hodie*, inquit, *sanam integram, & intactam dimisi ad pascua, unde verò hæc illi acciderint, penitus ignoro.* Tandem primates comperto Haganonis maleficio, ac vehementissimè indignantes, Regem adeunt, & de tanto hominis scelere validissimè conqueruntur, asserentes hominem obscuris parentibus natum, regiæ dignitati multùm derogare, cùm ac si Nobilium indigentiâ ipse tanquam consultus Regi assistat, & nisi ab hujusmodi consuetudine quiescat, sese à Regis consilio jam deinceps penitus discessuros. Quorum admonitionem Rex contemnens, à suo dilecto nequaquam discedere voluit, quod ei paulatim succrescens in malum, gravem intulit calamitatem; Etenim facti indignitate moti recesserunt ab eo Henricus magnus Dux Saxonum, & Rupertus Dux Galliarum, cum alijs multis Principibus, atq; Nobilibus, quod ultimum tandem Carolo fuit exterminium. Erat autem Dux ille Rupertus Frater Othonis quondam Regis Gallorum, qui Regi Carolo nimium infestus propter Haganonem, sibi usurpationem totius regni promittebat, & multos sibi fautores quotidie adjunxit. Unde malum imprimis moliebatur in Fulconem Archiepiscopum Rhemorum, qui Regem Carolum à cunabulis educaverat, & in regnum, sicut dictum est, promoverat. Putabat enim, quia Fulcone vel interempto, vel è medio quovis ingenio sublato, regnum se facilius posse obtinere. Id etiam apud Baldvvinum Morinorum Principem desertorem Regis admodum agitabat. Morinorum principalis civitas eo tempore Atrebatensis, in qua est Abbatia sancti Ve-

Hagano fit Regi maleficio charus.

Mulieris maleficiũ.

Haganonẽ noluit Rex dimittere.

Fulco Rhemorum Archiepiscop. occiditur.

dasti Ordinis nostri quondam nobilissima. Rex in odium Baldevvini desertoris Atrebatum obsidione cingens in deditionem accepit. Abbatiam sancti Vedasti memoratam Fulconi Archiepiscopo Rhemorum donatione regali concessit. Unde majori vesaniâ concitatus Baldevvinus, Fulconem Archiepiscopum in itinere constitutum ad Regem, trucidari per suos satellites crudelissimè mandavit. Sepulto autem Fulcone Reverendissimo Rhemorum Archiepiscopo, Heinricus donatione regiâ, & Episcoporum consensu in locum ejus Archipræsul ordinatus est. Ambo fuerunt magnifici, ac Religiosissimi Viri, quorum vitam & mores integerrimos Flodoardus Presbyter dictæ Rhemensis Ecclesiæ sufficienter prosecutus est, in libro, quem ab urbe condita de ejusdem Ecclesiæ Pontificibus uberrimè descripsit. Sed & Richerus Monachus Rhemensis in libris de gestis Gallorum, quos edidit ad Gerbertum ex Monacho Archi-Episcopum Rhemensis Ecclesiæ, multa de actis per eos complexus est. Anno etiam præscripto Nortmanni post cædem in Rhenanos patratam per Euphaliam revertentes in Galliam, denuo Cœnobium Brumiense Ordinis nostri quondam celeberrimum spoliantes incendio concremârunt, interficientes Monachos, & familiam quotquot invenire potuerunt. Abbas autem cum paucis fugâ elapsus ab interitu salvatus est.

Heinric. fit Archiepis. Rhemorũ.

Brumia destruitur à Nortmannis.

DCCCXCIV.

Anno Harderadi Abbatis quarto, Indictione Romanorum duodecimâ, obijt Sigehardus Abbas Monasterij Fuldensis, vir per omnia magnificus, cui Hugo Monachus ejusdem Cœnobij succedens, præfuit annis viginti sex, qui Monasterium in multis ædificijs illustravit. His temporibus claruit Rupertus Monachus Cœnobij sancti Albani prope Moguntiam, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, Græcè & Latinè peritus, & non minùs carmine, quàm prosâ exercitatus: qui scholæ Monasticæ in eodem Cœnobio multis annis præfuit, & plura ingenij sui monimenta posteris reliquit. Vitam inprimis sancti Martyris Albani carmine descripsit, librum unum. Epigrammaton quoque & diversorum carminum librum unum. Chronicon, sive Historiam sui Monasterij, librum unum. Sermones, & Homilias denique plures lucubravit, non spernendæ lectionis. De musica insuper, quædam etiam alia composuit, quæ in manus nostras non venerunt.

Hugo sit Abbas Fuldensis.

Claruit his etiam temporibus Sebulo Abbas S. Dionysij Parisiensis, vir prudens atque magnificus, qui ob rerum multarum experientiam, & Regibus Galliarum, & Principibus metuendus erat. Is dum castellum quoddam in Aquitania situm incautius expugnaret, ictu lapidis percussus interijt. Eutrandus etiam Ticinensis Ecclesiæ Diaconus hæc tempora suâ eruditione reddidit clariora. Fuit enim vir omnifariam doctissimus, Græcè & latinè peritus; carmine quoque simul, & prosâ multùm exercitatus. Hic aliquanto tempore fuit Cancellarius Berengarij Regis Italiæ, à quo tandem pulsus venit in Germaniam, & apud Franckenfurt positus scripsit insigne opus, historiam sui temporis, & tyrannidem ipsius Berengarij continentẽ, quod vocabulo græco Antapodosin, id est, retributionem prænotavit, & in libros septem distinxit. Scripsit autem memoratum opus ad Regimundum Liberitanæ Hispaniarum Ecclesiæ Pontificem, carmine & prosâ, sed & Græco sermone intermistum, quod in præ-

Sebulo Abbas S. Dionysij Parisiensis.

Eutrandus Historiographus.

in præfato Franckfordiæ oppido incæpit; & ut ipſe teſtatur, in Conſtantinopoli complevit. De alijs, quæ ſcripſit, hactenus nihil invenire potuimus. Claruit etiam in Burgundia his temporibus Berno Comes fundator, & primus Abbas Monaſterij Gigniacenſis, vir doctus & ſanctiſſimæ converſationis, qui multis in vita, & poſt mortem fertur coruſcâſſe miraculis. Nobilis quidem genere, ſed multo nobilior fide, multorum Monachorum Pater extitit. Wilhelmus etiam Comes Alverniæ cognomento pius, & Aquitaniæ Dux hiſdem temporibus, fide, converſatione, moribus, religione, atque doctrinâ maximo in pretio fuit: qui cùm prole careret mortali, Deum, ſanctúmque Benedictum habere volens hæredes, Monaſterium Cluniacenſe paternæ hæreditatis locum fundavit in Burgundia, quod multis prædijs, & proventibus magnificè dotavit; in quo primum Abbatem habere meruit ſanctum Odonem Gigniacenſis Cœnobij memorati, ſub Bernone ſanctiſſimo Abbate Monachum, virum æternâ memoriâ dignum, qui tam eruditione ſcripturarum, quàm integritate morum apud omnes magno in pretio fuit. Hic ante Religionis ingreſſum magnus in arte muſica magiſter fuit, & Archicantor Eccleſiæ Turonenſis, qui auditâ famâ ſanctitatis prædicti Bernonis ad eum venit, & de manibus ejus ſanctæ Religionis habitum humiliter ſuſcepit. Scripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula vitam S. Gerardi, librum unum: Laudes quoque S. Martini Epiſcopi Turonenſis: Chronicon ſive hiſtoriam ſuccinctam temporum: homilias quoque, ſermones, hymnos & cantus varios in laudes & honorem SS. Patrum compoſuit. Rogatu quoque fratrum ſuorum libros Commentariorum in Job ſanctiſſimi Papæ Gregorij magni abbrevians in unum volumen comportavit. Item claruit hiſdem temporibus in Cœnobio S. Aurelij Hirſaugienſi primo Tranſpontem ſub regimine Harderadi Abbatis Sigiſmundus Monachus tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæculari litteratura non infimus, vitâ & moribus conſpicuus, & declamator ſermonum egregius, quem ferunt multorum poſtea ſuffragio in Eccleſia Halberſtatenſi apicem meruiſſe Pontificatûs, quem laudabiliter gubernavit annis triginta, & jacet in eadem Eccleſia ſua cathedrali tumulatus. Cunzigo quoque alius & ipſe ſub Harderado Abbate hujus Cœnobij Monachus fuit in omni ſcriptura tam divina quàm humana doctiſſimus, & magnâ prudentiâ commendatus, qui ſub Arnulfo Imperatore Abbas Monaſterij regalis S. Nazarij in Lauriſſa prope Wormatiam fuerat ordinatus propter excellentiam ſapientiæ ſuæ; in quo uno tantùm præfuit anno, mortéque ſublatus in eodem Monaſterio jacet ſepultus. Fuit & Herdericus, hujus Cœnobij Monachus eodem tempore in pretio habitus; vir ingenio clarus, & in omni ſcientiarum genere doctiſſimus, qui, ut Menfridus eſt teſtis, multa & varia conſcripſit opuſcula, præcipuè in Muſica, & varios in honorē Sanctorum cantus ordinavit: carmina quóque diverſa & multa epigrammata conſcripſit. E cujus opuſculis adhuc nihil me vidiſſe memini, præter hos duos verſiculos, quos memoratus ſcriptor eum dixiſſe recitat, alterum ſuper cibum, alterum verò ſuper potum loco benedictionis, quorum primus: *Appoſitis Chriſti benedicat dextera donis.* Secundus autem: *Alma Dei noſtrum benedicat dextera potum.* Brevis quidem, ſed conveniens feſtinanti benedictio, ne potaturus Chriſti omnino videatur oblitus.

Berno ex Comite Abbas Gigniacenſis.

Cluniacenſis Monaſt. fundatio.

Opuſcula S. Odonis I. Abbatis.

Herdericus hujus Cœnobij Monachus.

Hirsaugia virorum Doctorum nutrix.

litus. Claruerunt his ipsis quóque temporibus inter claustrales hujus Cœnobij Hirsaugiensis & alij complures Monachi, tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris omnifariam doctissimi, quorum multi multa scripserunt, quæ malitia temporum perpetuâ oblivione sepelivit.

DCCCXCV.

Arnulfus Rex intrat Italiam.

Anno Harderadi Abbatis quinto, Arnulfus Imperator exercitum duxit in Italiam, eámque in manu forti obtinuit, Guidone fugiente, & vim armatorum ejus sustinere non valente. Inde Arnulfus expeditionem movit in Lotharingiam contra Nortmannorum incursum, quorum notabilem multitudinem interficiens, reliquos in fugam convertit. Interea Carolus Gallorum Rex pacem, & fœdus cupiens renovare cum Heinrico Duce Saxonum potentissimo, missis Oratoribus illum ad Wormatiam vocavit. Quò cùm Carolus ipse Rex unàcum multis Episcopis, & Duce prænominato convenissent, diligentissimè tractabatur, ut firmissimis pactionibus Dux Regi ascisceretur. Rex etiam Duci ubiq; modestissimus fieret. Interea dum Principes huic negotio diligentissimè

Conventus Gallorum in Wormatia.

intenderent, Germanorum juvenes & Gallorum, qui ex Celtica advenerant, ut eis mos est, multâ animositate maledictis sese lacessere cæperunt, linguarum idiomate offensi; consertísque manibus se gladijs lethaliter mutuò sauciant. In quo famulatu cùm ad sedandam litem Erlebaldus quidam Comes propius accederet, à furentibus occisus est. Rex proditionem ratus, ociùs surgit, suísque stipatur. Dux quoque Heinricus insidias, & dolum arbitrans, cum suis ad naves properat, móxque à regijs stipatoribus Rhenum transire compellitur. Existimabant enim & ipsi, in dolo venisse Ducem. Ab eo die cæpit Dux Heinricus Carolo Regi magis esse infestus. Hinc itaque Heinrico Saxoniæ, inde Ruperto fratre quondam Ottonis electi Regis Gallorum, Celticæ Galliæ Ducibus urgebatur, factúsque eorum medius utrímque premebatur. Redit ergo ad interiora Belgicæ, & in urbe Suessionica sese recipiens coram amicis suum infortunium querebatur. Veruntamen quantumlibet moneretur ab amicis Episcopis atque Principibus, ut Haganonem omnium malorum causam à se dimoveret, consentire non potuit. Quod cùm Rupertus Celticæ Dux memoratus in ejus animo fixum perciperet, Heinricum

Rupertus Dux insidiatur Regi

Saxoniæ Ducem præfatum sibi legatione missâ conciliat, & de Regis abjectione, & sui promotione cum amicis diligentissimè tractat. Largitur plurima, & pollicetur infinita. Tandem inductos de transfugio jam Principes evidenter alloquitur: insidiæ clanculò regi parantur, qui & tandem in palatio Suessionico per Tyrannum captus est. Herveus autem Rhemorum Archiepiscopus, Regi fidelissimus inopinatè cum mille quingentis equitibus civitatem Suessionicam ingreditur, stipatúsque armatis concilium desertorum terribilis factus penetrat, & liberato Rege traditores fugat. Qui nihilominus post aliquot annos raptus in carcere moritur, ut suo tempore inferius dicetur. Horum omnium causa malorum ipse Hagano fuit.

DCCCXCVI.

Synodus Episcoporũ apud Triburias.

Anno Harderadi Abbatis sexto, Indictione Romanorum 14. magna Synodus 26. Episcoporum, & multorum Abbatum celebrata fuit in villa Triburiensi prope Moguntiam juxta Rhenum: Cui multi Principes

& Pon-

& Pontifices interfuerunt ex Germania & Gallia, qui multa utiliter ſtatuerunt. Comparuit in eodem Conſilio ex Monacho noſtri Ordinis Hatto Moguntinenſium Archiepiſcopus, Ratbodo etiam noſtri Ordinis Archiepiſcopus Trevirenſis, Hermannus Archiepiſcopus Colonienſium, Adelgarius ex Monacho Archiepiſcopus Bremenſium, Sigiſmundus ex Monacho hujus Cœnobij Epiſcopus Mediæ civitatis, id eſt, Halberſtat, S. Ratbodo Epiſcopus Trajectenſis, Sigehardus ex Monacho Epiſcopus Hildensheimenſis, Luthelmus ex Monacho S. Maximini Epiſcopus Tullenſis, Adelbero Epiſcopus Metenſis, Rudolphus Epiſcopus Herbipolenſis, Salomon ex Monacho Epiſcopus Conſtantienſis, Bernardus Epiſcopus Spirenſis, & alij numero quatuordecim, quorum nomina memoriæ non occurrunt. Ex Abbatibus verò nomina iſtorum ſignata invenimus. Hugo qui & Herigerus Abbas Fuldenſis, Harderadus Abbas hujus Cœnobij Hirſaugienſis, Harderadus quoque Abbas Hirsfeldenſis, Murhardus Abbas Selgenſtattenſis, Adelbertus Abbas Corbejenſis, Wilhardus Abbas S. Albani Moguntinenſis, Bertolfus Abbas S. Ferrucij Blidenſtatenſis, Regino Abbas Brumienſis, Hiltvvinus Abbas Lobienſis. Et alij multi, quorum vocabula non tenemus. Et notandum, quòd villa prænominata Triburia inter Rhenum & Moganum ſita non procul à Moguntia in deſcenſu fluminis ab Oppenheim ad manum dextram, olim magna nobilis & inclita fuit, in qua Reges frequenter Conventus celebrare Principum conſueverunt: ſed nunc parvula eſt, & nullius æſtimationis, nullúmque cernitur prioris pulchritudinis remanſiſſe veſtigium, præter muros Caſtelli, quod vocant Burgum Bohemorum, pauculos, qui & ipſi quotidie imminuuntur.

Anno prænotato Formoſus Papa injuriatus à Romanis Alemannorum Regem Arnulfum vocavit in Italiã, à quo in priſtinam dignitatem reſtitutus multis Romanorum occiſis, Imperij coronâ illum donavit. Arnulfus coronatur in Imperat.

DCCCXCVII.

Anno Harderadi Abbatis ſeptimo Moguntini cives Hattonem Archiepiſcopum ſuum de civitate expulerunt, & in hoc Arnulfum Imperatorem ſibi fecerunt infenſum, à quo & poſtea bello graviter fuerunt attriti & Archiepiſcopum ſuum ſatisfactione præmiſsâ compulſi admittere. Hatto Archiepiſcop.

Anno prænotato Heinricus Dux Saxonum bellum geſſit cum Danis, fines Saxoniæ crebrâ irruptione devaſtantibus, & multis eorum occiſis, Victor triumphat, fugientéſque à finibus Saxonum procul diſcedere compulit. Hoc ipſo anno ſecundum Chronicum Eckhardi Abbatis Uraugienſis obijt Otto Rex Gallorum melancholiâ deficiens, de quo in ſuperioribus dictum eſt. Henricus Dux Saxon. Danos ſuperat.

DCCCXCVIII.

Anno Harderadi Abbatis octavo Formoſus Papa poſt multas injurias à Romanis ſuſceptas tandem moritur; cui ſucceſſit Bonifacius Papa ſextus natione Tuſcus, & præfuit quindecim tantùm diebus, in Baſilica S. Petri ſepultus. Huic in Pontificatu ſucceſſit Stephanus ſextus patria Romanus, Anagninus antea Epiſcopus, & præfuit anno uno, menſibus quóque tribus. Qui mox ut Pontifex creatus fuit, tanto Formoſum prædeceſſorem ſuum odio proſecutus eſt, ut omnia ejus decreta ſtatim abrogaverit, corpuſque defuncti exhumari præcepit, indutumque Pontifica- Formoſus obiit. Stephanus ſucceſſit.

Ambrosius Monachus Doctor.

libus indumentis mortui caput amputari fecit, & abscissis duobus dexteræ illius digitis in Tiberim proijci mandavit. Claruit hisdē temporibus Ambrosius, qui & Ansbertus presbyter, & Monachus Lobiensis Cœnobij, vir tam in divinis scripturis quàm in sæcularibus litteris doctissimus, qui scripsit in Cantica Canticorum breve sed utile opus, librum unum. Super psalmos librum unum, in Apocalypsin Joannis libros 10. De cupiditate librum unum. Et alia plura, quæ non vidimus. Adrevvaldus qui & Albertus Monachus Floriacensis, vir in omni doctrina eruditissimus hac tempestate in pretio fuit. Scripsit autem inter cetera ingenij sui opuscula, miracula S. Patris Nostri Benedicti à tempore translationis Corporis ejus de Monasterio Cassinensi in Floriacum, usque ad regnum Ottonis suprascripti Regis Gallorum in eodem Cœnobio facta, & multis probat rationibus veram ejus translationem.

Adrewald. Monachus Doctor.

DCCCXCIX.

Regino Abbas Brumiensis deponitur.

Anno Harderadi Abbatis nono, Indictione Romanorum secundâ, Regino Abbas Brumiensis vir certè doctissimus, jussione Caroli Regis Gallorum à sua dignitate deponitur, propterea, quòd cum Ruperto Duce Galliæ Celticæ fratre quondam Ottonis sentire videretur. Quod verúmne fuerit an falsum, scire non possumus, maximè cùm ipse Regino depositus in chronica sua ita inter cætera dicat: *Anno Domini DCCCXCIX. Richarius Abbas Monasterij Brumiensis constituitur. Qualiter autem erga me actum sit, idcirco in hoc loco adnotare distuli, ne fortè injurijs provocatus, ultrà quàm Christiana patientia permittit, persecutionis meæ causas exaggerasse viderer.* Reginone per Regem, sicut diximus, injuriosè deposito Richerus Monachus ejusdem Cœnobij Abbas in locum ejus ordinatus est, qui partes Regis secutus, tandem ab eo in Episcopum Leodiensem, abrogato Hiltuino ejus loci præsule, fuit sublimatus, sicut infra suo loco plenius dicetur..

Anno prænotato fames magna genus humanum in Germania & Gallia præcipuè oppressit, quæ in multis locis usque adeò invaluit, quòd se homines mutuò (quod horrendum est audire) cogebantur manducare.

Eodem anno Stephanus Papa sextus obiit, cui Romanus Cardinalium electione succedens præfuit mensibus tribus, diebus 21. Quo mortuo Theodorus ejus nominis secundus constituitur, & præfuit diebus viginti.

Joannes Papa IX.

Huic successit in Pontificatu Joannes Papa nonus, & præfuit annis duobus mensibus tribus, qui Synodum Ravennæ celebravit.

DCCCC.

Arnulfus veneno infirmatur.

Anno Harderadi Abbatis 10. Arnulphus Imperator, dum Guidonem Italiæ Tyrannū persequitur, mortis incidisse periculū memoratur. Nam Tyranno fugiente à facie Imperatoris, uxor poculum venenosum paravit, quod per unum familiarem Arnulfi multâ pecuniâ corruptū ipsi procuravit exhiberi. Quo hausto per triduum excitari non potuit, apertísq; oculis nihil vidit, nihil omnino loquebatur, nihil penitus sentire potuit. Triduo tandem exacto ad semetipsum aliquantulum reversus est, sed corpore nimium debilitatus & animo, infecto negotio repedare coactus est.

Guido occiditur.

Quem recedentem Guido Tyrannus insecutus ab exercitu ejus interemptus est; Imperator autem in Bavariam deportatur infirmus: non enim subitò fuit extinctus, sed longâ infirmitate decoctus. Et sive operatione

poculi

poculi venenosi contigerit, sive proprietate medicaminis adhibiti, nescio, tantis cœpit scaturire pediculis, quòd totius superficiem corporis operientes miserabili plagâ usque ad mortem illum corroserint. Unde postea moritur eodem videlicet anno. 3. Calend. Decembris juxta patrem suum in Odingas Bavariæ cum honore & pompâ Imperiali tumulatus. Post cujus mortem Ungari magno suorum collecto exercitu Bavariam ingrediuntur, villas & Castella diruunt, Ecclesias igne consumunt, populos sine discretione ordinis, ætatis vel sexûs crudeliter occidunt. Et quo magis timorem sui omnibus incuterent, se interfectorum sanguine potant. Simili rabie provinciam Moravianorum, quam eorum auxilio Imperator Arnulfus suo dominio subjecerat invadunt, sibique vendicant, ac deinde paulatim per omne ferme Imperium grassantur.

Arnulfus Imper. corroditur à pediculis.

Ungari devastant Bavariam.

DCCCCI.

Anno Harderadi Abbatis XI. Ludovicus Arnulfi defuncti Imperatoris filius in oppido Franciæ Orientalis Forcheim nuncupato Rex Romanorum creatus est, qui tamen propter sævitiam Tyrannorum in Italia ad coronam Imperij non pervenit. Regnavit autem annis ferme duodecim. Denique à Principibus Lotharingiæ, qui offensi erant Centeboldo spurio, invitatus ad regnum totius Belgicæ, cum exercitu intravit, & promissum sibi regnum liberè obtinuit. Centeboldus autem posteaquam multa commisisset mala, regnum multâ prædâ, incendio, & cæde cruentâsset, tandem à Comitibus Stephano, Gerardo & Manfrido in bello fuit occisus, homo crudelitatis amicissimus.

Ludovicus fit Imperat.

DCCCCII.

Anno Harderadi Abbatis 12. Ungari Carinthiam invadunt, & commissâ in Sabbatho sancto paschatis pugnâ vincuntur à Christianis in nomine & fide ipsius Domini nostri Jesu Christi pugnantibus. Eodem anno Saraceni ab Africa missi à suo Rege in Italiam, ut Apuliam & Calabriam sub illius ditionem redigerent; quibus fortiter debellatis, Romam versus girantes Garelianum montem occupant, ibique munitione sibi factâ, multas Italiæ urbes debellaverunt, omnia incendio replentes.

Ungari Carinthiam devastant.

DCCCCIII.

Anno Harderadi Abbatis 13. Joannes Papa 9. moritur, cui Benedictus ejus nominis quartus succedens præfuit annis 4. Hoc ipso anno mortuus est Franco Episcopus Tungrensis sive Leodiensis, vir magnarũ virtutum, doctrinâ & sanctitate multum venerabilis. Cui in Pontificatu successit Stephanus Clericus Ecclesiæ Metensis, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularib⁹ litteris egregiè doctus, nec minus sanctitate, quàm eruditione clarissimus, qui inter cetera ingenij sui opuscula scripsit ad Hermannum Archiepiscopum Colonienſem vitam & passionem sancti Lamberti Martyris atque Pontificis elegantiore Stylo. Hic etiam ex libro Albini Abbatis Turonensis cantum ordinavit, de Sancta Trinitate, quo in octavis Pentecostes Gallica jam utitur Ecclesia. Item de Inventione S. Stephani, de S. quóque Lamberto, & alijs multis Sanctis cantus varios ordinavit. Et alia quàm plurima fertur lucubrâsse.

Benedictus Papa quint.

Stephanus fit Episcop. Leodiens.

DCCCCIV.

Anno Harderadi Abbatis decimo quarto, Elfredus Rex Anglorum regnare cæpit, & regnavit annis ferme quadraginta; vir in omni con-

S. Elfredus fit Rex Anglorum.

versatione sua Christianissimus: prudentiâ, & eruditione scripturarum celeberrimus, & multâ sanctitate conspicuus: qui horas diei, & noctis in tres partes divisit æquales. Et primas quidē octo horas deputavit Deo, in quibus orationi, lectioni, meditationi, & scripturis sanctis in toto vacare consuevit. Secundas octo horas ad procurandum negotia Regni, prout necessitas postulabat, impendere solebat; ultimas verò horas octo in cura sui corporis prudentissimâ distributione expendebat. Plura in Anglia pro Dei honore Cœnobia construxit: in quibus Domino famulantes abundantissimè providit; misericordissimus fuit in pauperes, & omnia eis necessaria voluntate promptissimâ, etiã suâ manu quotidie ministrabat. Anno quoq; prænotato Fulco Rhemorum Episcopus, de quo per anticipationem suprà est dictum, anno Harderadi Abbatis tertio, à quodam satellite Balduini Comitis Flandriæ occisus est, propter Abbatiam sancti Vedasti Atrebatensem. Erat enim Baldevvinus Comes, cum alijs desertoribus conspirans in Carolum Regem Gallorum: Fulco autem Archi-Episcopus Regi fidelissimus perseverabat. Quo Rex comperto in Baldevvinum fertur, ac multâ obsidionis vi castrum Atrebatense ab eo abstulit, & cum tota Abbatia sancti Vedasti Fulconi Archiepiscopo prædicto concedit. Verùm cùm post aliquot annos propter nimiam locorum distantiam, & itineris longinquitatem, causarúmque incommoditatem, Altmarum Comitem accersiens; Abbatiam sancti Medardi Suessionensem, quam ipse Comes tenebat, ab eo accepit: & pro ea prænominatam Abbatiam sancti Vedasti cum Castro Atrebatensi Comiti Altmaro resignavit, de consensu Regis Caroli. Hinc nimirum Amaricatus Comes Flandriæ Baldevvinus ad ultionem sese penitus convertit. Amicitiam ergo circa Archiepiscopum simulat: eique per Legatos multam benevolentiam, & fidelitatem mandat. Illud tamen multâ curiositate explorat, utrum privatus, an cum regijs copijs palatium petat: privatum multo nisu impetere cupiens. Intereà verò contigit Episcopos Belgicæ convocari ad Regem: quo iturus & Fulco iter cum paucis accelerat. Cui mox in via Wimarus quidam cum cohorte, missus à Baldevvino Comite occurrit, intercipiensque cum suis Pontificem, fugiendi locum nulli concessit, omnes circumvallantur, & pauci trucidantur à multis. Wimarus Archiepiscopum adortus inermem, lanceâ transfixit: atque inter suos septem vulneribus impositis præcipitat. Cui cùm adhuc ictum intenderet, quidam ex ministerialibus Archiepiscopi, multo ejus amore ducti super eum procumbunt, qui etiam mox cum eo transfixi & occisi sunt. Quatuor tantùm fugâ elabuntur: qui factum regi denunciaverunt in civitate Rhemorum existenti cum Episcopis. Rex autem resolutus in lachrymas, de casu tanti Pontificis vehementissimè dolebat. Itaque occisum Præsulem cum suis ad civitatem portari jussit: quem Episcopi tunc præsentes, cum debito honore sepulturæ tradiderunt. Inito tandem Consilio Wimarum cum suis complicibus horribili anathemate damnârunt. Qui in brevi deficiens, insanabili hydropis morbo à Domino percussus est. Ventre itaque turgidus, exterius quidem lento igne, interius verò gravissimo incendio urebatur. Pedum tumor subsecutus est maximus: vermibus pudebunda scaturiebant: crura tumentia ac lurida, anhelitúsque fœtidus. Viscera etiam paulatim per collum diffluebant: & super hæc

Balduinus Flandriæ comes perversus.

Wimarus Fulconem Episcopum interficit.

omnia

omnia sitim continuè patiebatur intollerabilem. Insomnietatem quoq; jugem incurrit: qui & esuriebat interdum, sed illati mox cibi fastidium inducebant. Omnibus igitur præ nimio fœtore factus intollerabilis, omniumque odio habitus: ab amicis quoque desertus, & in tantum abominabilis cunctis, ut nullus Medicorum saltem medendi causâ ad eum accedere posset, propter intollerabilem fœtorem: omni communione Christianitatis privatus: à vermibus jam ex parte consumptus: flagitiosus ac sacrilegus homicida, cum tormentis maximis ab hac tandem vita decessit. Fuit autem Fulco prænominatus Rhemorum sanctissimus Archiepiscopus Ordinis Divi Benedicti, primùm Monachus in Cœnobio S. Bertini, deinde communi fratrum electione factus est Abbas, & postremò Archiepiscopus, vir in omni litteratura, tam divina, quàm humana doctissimus, & regularis disciplinæ amator perspicuus, qui multis post mortem miraculis claruit. Cui in Abbatia S. Bertini Bado Monachus successit, vir & ipse doctus átque sanctissimus, qui anno prænotato Harderadi Abbatis quartodecimo, metu Balduini comitis, Flandriam deserens, intravit Angliam, ibíque usque ad mortem perseverans, catalogo Sanctorum insertus est. In Archipontificatu Rhemensi Herveus, vir spectabilis & Palatinus, sicut supra diximus, Fulconi, Præsulum, Cleri & populi electione successit, qui Ecclesiam sibi commissam, in magna religione strenuè satis gubernavit.

Wimarum ultio divina persequitur.

S. Fulco Monachus antea fuit.

S. Bado Abbas post Fulconem.

DCCCCV.

Anno Harderadi Abbatis 15. Adelbertus comes Babenbergensis, Ludovico Regi Romanorum inobediens & rebellis, Rudolphum Episcopum Herbipolensem Regi fidelem, de sua Ecclesia fugat, & totam Diœcesim ferro & incendio crudeliter devastat. Hinc Ludovicus Imperator commotus, exercitum congregat, & bellum Adelberto Comiti parat. Committitur itaque prælium in ea parte Thuringiæ, quæ nunc Hassia dicitur, juxta Fridislariam, & ab utraque parte atrociter fuit dimicatum. In eo quidem prælio comes Adelbertus prænominatus, Conradum Lotharingiæ Ducem Patrem Conradi postea Imperatoris primi, & fratrem Ludovici Regis interfecit, septimâ & vicesimâ die Mensis Februarij anno Domini prænotato, videlicet nongentesimo quinto, indictione Romanorum octavâ. Eodem anno in Mense Julio, Rex Romanorum Ludovicus, convocavit principes Regni ad villam Triburiensem, prope Moguntiam: & habuit cum eis mysterium Consilij sui, querelam movens contra comitem Adelbertum gravissimam: imperavítque principibus, ut se præpararent ad prælium contra rebellem, diem eis statuens & locum in idipsum conveniendi. Postea in Mense Septembri, Rex Ludovicus una cum auxilio principum suorum collectum bellatorum exercitum magnum duxit per Franciam Orientalem, & Castellum comitis Adelberti memorati, circa Moganum, quod Thariſſa dicebatur, obsidione vallavit, cepit, & destruxit funditus: qui locus postea in Monasterium nostri ordinis mutatus est. Adelbertus autem comes sese in castro Bambergensi fortissimo cum suis continebat; qui tandem dolo Archiepiscopi Moguntini, ad Regem ductus, capite truncatus est, nonâ die Mensis Decembris anno præsignato; quod quomodo sit factum, breviter fuerit referendum. Cùm rex Ludovicus anxius æstuaret, quomodo posset

Rudolphus Episc. Herbipolensis fugatur.

Conradus Dux Lotharingiæ occiditur.

Castrũ Theris destruitur.

Adelbertum comprehendere & occidere, conſilium habuit cum Archiepiſcopo Hattone, qui dixit ad eum: *Animæquior eſto Rex: & noli mente turbari, ego te hac ſolicitudine citius relevabo, & inimicum hunc tuum tibi vivum adducam.* Conſurgens Hatto Archiepiſcopus venit ad Comitem Adelbertum, Bambergæ ad caſtrum munitiſſimum reſidentem, & ſimulans ſe amicum intromittitur; exorſuſque ſic comitem affatur: *Tui causâ vir magnifice adveni, tuam atq; tuorum quæro ſalutem. Hactenus tuâ prudentiâ, tuo conſilio, tuâ fortitudine imperium floruit: pax inter Principes fuit. At poſtquam malevolentium invidiâ receſſiſti ab imperio, diſcordiæ venenum ubique emerſit, unde & reſpublica vehementer confunditur, & tua negotia in deterius quotidie prolabuntur. Cernis etiam, in quantis malis hodie ſis conſtitutus: & quibus perſequentibus urgearis Principibus: ante quorum faciem nec ſtare poteris nec reſiſtere. Ecce jam totum Comitatum operuit calamitas, & niſi revertaris ad gratiam Regis, omne contra te provocaſti Imperium. Sed audi conſilium meum, & perge mecum ad præſentiam Domini noſtri Regis: ubi tot invenies interceſſores, quot Principes: Ego quoq; fideliter pro te agam; teq; in fide mea ſub jnrejurando, ſalvum & incolumem huc in tua reducam.* Itaque perſuaſus comes Adelbertus inductione Hattonis, receptâ fide & promiſſione ſeductoris ire conſenſit. Cùm ergo manè jam eſſent ituri, dixit comes ad Pontificem: *Domine placeat veſtræ Sanctitati, oro, priùs guſtare aliquid, ne diuturno jejunio nimium hodie gravemur.* Erat autem via quatuor ferè milliarium Theutonicalium de caſtello Bambergenſi ad Theris, ubi Rex Ludovicus finem negotij præſtolabatur cum exercitu. Reſpondit Archiepiſcopus comiti dicens: *Nimis eſt manè, non poſſum hac hora comedere.* Cumque caſtellum egreſſi pergerent, ac paululum proceſſiſſent, doloſus ingemiſcens Pontifex, clamavit dicens: *Heu quàm fruſtra petit, qui oblata ſpernit. Quare non acquievimus tuo conſilio: ut vel parùm quid deguſtaſſemus; grave nobis erit totum jejunare diem.* Cui Adelbertus, *obſecro*, inquit, *Domine revertamur ad caſtrum & parùm comedamus: quoniam nec longè ſumus digreſſi, nec tempus deerit nobis ad Regem progrediendi.* Ad quem Archiepiſcopus. *Rectè*, inquit, *locutus es. Revertamur in caſtrum, & modicum comedamus.* Adelbertus comes nihil mali ſuſpicatus de Pontifice, ſimplicibus auribus ejus verba in dolo prolata ſuſcipiens, ad caſtrum cum eo revertitur. Dato, acceptóque prandio, denuo egrediuntur; & nullâ ſecuritate aliâ interpoſitâ, ſimul ad Regem profecti ſunt; mox verò, ut venerunt in exercitum Regis, Adelbertus capitur, & decreto Principum capitali ſententiâ condemnatur. Qui videns ſe moriturum, Hattonem Archiepiſcopum ſuper jurata ſecuritate inclamavit, dicens: *O Domine Epiſcope, ubi eſt fides tua, ubi promiſſio, ubi juramentum?* Ad hæc Archiepiſcopus Comiti tale fertur dediſſe reſponſum: *Ego, quod tibi juraveram, opere complevi, ſemel enim ſalvum & incolumem te reducturum in tua promiſi: ſalvum & incolumem ſemel reduxi. Cur ſecundo egreſſus es? ſatisfeci juramento: qui non bis, ſed ſemel te reducturum promiſi.* Et Comes, *ô doloſe Præſul*, inquit, *en tuis fraudibus deceptus innocens morior: ſed crede mihi, quoniam citò recepturus es mercedem operis tui. Omnipotens Deus animam meam de tuis manibus indubitanter requiret.* Et tali quidem modo Comes Adelbertus Bambergenſis, Nobilis, & ſtrenuus comprehenſus, capite truncatus eſt: & in Monaſterio de ſuo patrimonio poſtea fundato in eo loco, ubi occubuit, ſepultus. Eſt autem

Hattonis Archiepiſc. dolus incomitem.

Hatto decepit comitem.

Adcaſtrum Hatto doloſus revertitur.

Comes capite truncatur.

tem Cœnobio nomen Theriſſa, quod vulgò Theris, circa Moganum Fluvium in Diœceſi Herbipolenſi, non procul ab Hasfordia ſitum, nuncupatur, in eo videlicet loco, ubi quondam fuit caſtrum Adelberti Comitis: quod Ludovicus Romanorum Rex tertius, ſicut diximus, cepit, & deſtruxit. De bonis verò memorati Comitis Adelberti, non ſolum prædictum Ordinis noſtri Monaſterium fundatum extitit, ſed etiam Bambergenſis Eccleſia in Epiſcopatum, ut legimus, per ſanctum Heinricum ſublimata fuit. Anno quoque prænotato, Benedictus Papa moritur: cui Leo Papa, ejus nominis quintus, Monachus Ordinis ſancti Benedicti de Brandalo ſuccedens, præfuit diebus quadraginta tantùm. Hic habebat in domo ſua quendam familiarem, nomine Chriſtophorum, hominem ſuperbum, & dominandi cupidine inflatum: qui Presbyteratûs honore non contentus, Dominum ſuum conjecit in carcerem, die Pontificatûs ſui quadrageſimo: ubi ex animi mærore deficiens in brevi quidem mortuus eſt. Ipſe itaque Chriſtophorus, Leone dejecto, Pontificatum invaſit, quem ſicut malis artibus acquiſivit, ita & citò, & turpiter amiſit: & menſuram, quam Leoni Domino ſuo menſus fuerat, in ſinum ſuum recepit. Nam ſeptimo menſe Pontificatu dejectus, in Monaſterium detruditur: & Sergius ejus nominis tertius in Pontificatu ſubrogatur, & præfuit annis VII.

Cœnobium Theris.

Leo Pap. V. ex Monac.

Chriſtoph. invaſor Papatûs.

DCCCCVI.

Anno Harderadi Abbatis 16. Ungari per Imperium totum ubique ſævientes, magnâ tandem clade ſuorum acceptâ retrocedere coacti ſunt: qui tamen reſumptis viribus acrius poſtea ſurrexerunt. Anno prænotato, obijt Otto Rex Gallorum, de quo longè ſuprà fecimus narrationem, apud ſanctum Dionyſium, ut ſuprà diximus, more regali ſepultus. Hic Fratrem reliquit ſuperſtitem nomine Rupertum, virum induſtriâ, & audaciâ plurimum, qui poſt mortem fratris in verba Caroli Regis Novelli Gallorum jurans, Ducatum totius Galliæ Celticæ ab eo ſuſcepit. Verùm poſtea Regem deſerens, multa in eum mala commiſit, quem mori etiam in carcere fecit, ut ſuo plenius loco dicemus, partímque diximus.

Ungari devaſtant Imperium.

Otto Rex Gallorum obijt.

Rupertus Galliæ Celticæ.

Fuit his temporibus magno apud Carolum Regem pretio, Heinricus Dux Saxonum, qui poſt Conradum primum Rex Romanorum factus, multa prælia fortiter geſſit, cujus pater fuit Otto Dux Magnus Saxoniæ, mater Hadvvigis, avus verò paternus Dux ille Magnus Saxonum Lutolphus, qui de ſtirpe Widekindi Regis, ac primi Chriſtiani deſcendit. Hic Lutolphus habuit filios duos, Brunonem & Ottonem, patrem Heinrici; quorum prior Bruno poſt obitum Patris cum totius Saxoniæ ducatum adminiſtrâſſet per annos aliquot, exercitum contra Danos duxit ad pugnandum, qui Saxonum fines crebrâ irruptione turbaverant, & inundatione aquarum repentinâ circumfuſus, non habens locum pugnandi, aut fugiendi, perijt cum omni exercitu, fratri natu quidem minori, ſed omni virtute multò potiori relinquens Ducatum. His duæ fuerunt ſorores, quarum altera vocabatur Mathildis, quæ Ludovico Regi nupſerat Romanorum, Arnulfi Imperatoris filio, de quo liberos non ſuſcepit. Altera verò Gerberga nomine, cuidam magno Principi Gallorum nupſit.

Heinricus Dux Saxon. potens.

Lutolphus Dux magn. Saxoniæ.

DCCCCVII.

Anno Harderadi Abbatis 17. Carolus Rex Gallorum, cum memorato Saxonum Duce Heinrico potentiſſimo fœdus inire ſtatuit, & pro eo in Sa-

Carolo Rex Gallorum fuit.

in Saxoniam personaliter venit, qui cernens tantam Ducis potentiam, obstupuit, & ejus amicitiam instantius postulavit. Nam iste Heinricus ab eo tempore, quo Saxones fidem Christi susceperunt per Carolum Imperatorem Magnum compulsi, primus liberè Saxonibus imperavit.

DCCCCVIII.

Rudolphus Epis. Herbipolensis obijt.

Anno Harderadi Abbatis 18. obijt Ruodolphus Episcopus Herbipolensis in die inventionis sancti Protomartyris Stephani, quæ est tertia dies mensis Augusti. Post hunc in Pontificatu Peapolitano successit Pracholfus, & præfuit annis ferme quatuor, ut legitur. Hoc ipso anno Ungari devastaverunt Bavariam, & multis Christianorum millibus interfectis, cum præda, & spolijs in sua redierunt.

Ludovicus Berengariũ Tyrannum pellit.

Eodem quoque tempore, Ludovicus filius Bosonis in Italia, Berengarium tyrannum expulit, & sibi regnum usurpavit. Cúmque totius Italiæ regno pro suo arbitrio liberè potiretur, dimisso exercitu, Veronam cum paucis ingreditur, captúsque à civibus per traditionem, & revocato Berengario, lumine oculorum excæcatur. Berengarius autem ex tunc potenter tyrannizat in Italia non sine multorum contumelia.

DCCCCIX.

Eberhardꝰ Monachus Trevirens.

Anno Harderadi Abbatis 19. obijt Eberhardus Monachus, & Scholasticus sancti Matthiæ Apostoli in suburbano Trevirorum, qui inter cetera ingenij sui monimenta complura ad historiam Trevirorum addidit, vitam quoque sanctorum Eucharij, Valerij, & Materni primorum Trevirensium Pontificum, tam metro, quàm prosâ elegantiori stylo conscripsit. Hymnos etiam varios, cantus, & prosas in laudem Sanctorum plures edidit; ac diversa Epigramata lucubravit. Post hunc Richardus monasticæ scholæ præficitur, quam scribendo, & docendo per annos fermè 16. strenuè gubernans, multos in omni scriptura discipulos eruditos instituit.

S. Wymo ex Monach. Archiepisc.

Anno prænotato, sanctus Wymo Corbejensis in Saxonia Cœnobij Monachus, in Archiepiscopum Ecclesiæ Bremensis eligitur: vir doctus, atque sanctissimus, & præfuit utiliter annis 18. quibus exactis, pro Dei amore transivit in Gothiam, annuncians ibidem degentibus fidem Christi: quo ferente auxilium, totam penè insulam ad agnitionem veritatis convertit. In eadem insula tandem in Domino quievit, & tam in vita, quàm post mortem infinitis penè fertur coruscâsse miraculis. Hujus sanctissimi Præsulis Wymonis discipulus, & comes peregrinationis fuit Sigebertus, memorati Cœnobij Monachus, in omni varietate scripturarum doctissimus, qui mortuo in Gothia sancto Wymone, ad Corbejam reversus, vitam, peregrinationem, & miracula ejus, gemino descripsit eloquio, videlicet prosâ simul, & metro. Alia insuper nonnulla edidit, quibus sui memoriam immortalitati consecravit.

Sigebertus Monachus Corbejæ.

Ungari devastant Saxoniam & Thuringiã.

Anno etiam prænotato, Ungari gens nimium inquieta, factâ denuo irruptione Thuringiam simul devastant, & Saxoniam; sed virtutem, & potentiam Heinrici Ducis Saxoniæ non ferentes, retrocedere coacti sunt, multas tamen villas, & oppida funditus incendio destruxerunt.

DCCCCX.

Adelbero Monachus S. Aurelij.

Anno Harderadi Abbatis 20. Adelbero Monachus hujus Cœnobij sancti Aurelij Hirsaugiensis, Luthelmi discipulus, in omni varietate scriptura-

pturarum doctissimus, postulante Abbate, & Conventu ad Moguntiam mittitur, & in Monasterio sancti Albani Scholasticus ordinatur; ubi Monachos in omni scientia gloriosè instituens, magnam eruditionis suæ famam, & laudem obtinuit: qui non multos post annos, jussione Herigeri Moguntini Archiepiscopi, Abbas Monasterij sancti Ferrucij factus est.

Ungari devastat Franciam & Sueviam.

Anno prænotato, Ungari terminos suos denuo cum magno exercitu egressi, Franciam orientalem, Saxoniam, & Allemanniam, quæ nunc Suevia dicitur, devastant, igne, ac ferro omnia demolientes. Hinc moti Principes, & Duces dictarum Provinciarum, plura cum eis bella, non satis fortunatè gesserunt, & multus Christianorum sanguis effunditur.

DCCCCXI.

Ungari pugnant cum Francis.

Anno Harderadi Abbatis 21. Franci orientales & Saxones iterum pugnaverunt cum Ungaris, & multa ab eis damna, tam rerum, quàm corporum, multo tempore sustinere compulsi sunt. Anno prænotato 14. die Kalendarum Septembrium, hoc est, nonâ decimâ die ipsius Mensis Augusti, obijt sancta Richardis nostri ordinis Abbatissa, quondam Imperatrix, Caroli Grossi relicta uxor vidua: mulier S. conversationis, quæ multis post mortem coruscavit miraculis. Claruit hisdem quóque temporibus Wilhelmus ex Comite Monachus Cœnobij Gellonensis, vir magnæ humilitatis, & eximiæ coram Deo & hominibus sanctitatis, qui ardentem clibanum suo scapulari purgavit, & in nullo læsum est vestimentum. Multis quóque alijs & signis & virtutibus, tam vivus, quàm mortuus valde clarus enituit, & in SS. Catalogum relatus est, cujus festum quinto Kalend. Junij colitur.

S. Richard. ex Imperatrice Monialis.

S. Wilhelmus ex Comite Monachus.

DCCCCXII.

Ludovicus Rex Rom. obijt.

Anno Harderadi Abbatis 12. obijt Ludovicus Romanorum Rex ejus nominis tertius, qui propter tyrannidem Berengariorum in Italia suo tempore sævientium, ad coronam Imperij non pervenit. Hic filius quondam Arnulfi Imperatoris, paululum ante vitæ finem uxorem duxerat Lucardem, vel ut alij scribunt, Mathildem filiam Ottonis magni Ducis Saxonum, Sororem videlicet Heinrici postea Imperatoris I. ut quidam scriptores voluerunt. Sed eorum mihi sententia verior apparet, qui uxorem ejus filiam fuisse dicunt Lutolfi Ducis Saxonum, sororem videlicet Ottonis, de quibus superius anno Harderadi Abbatis 16. plenius dictum est. Regi autem Ludovico cùm non esset filius, post mortem ejus omnis populus Francorum Orientalium & Saxonum quærebat diadema imponere Regni prænominato Duci Ottoni, filio Lutolfi magni: qui jam senio gravatus, onus subire Imperij recusavit. Ejus autem consilio Conradus Dux filius Conradi quondam Ducis Lotharingiæ, quem occisum ab Adelberto Bambergensium comite diximus, Romanorum Imperator Principum electione designatus fuit.

Otto Saxō, Dux Mag.

Anno prænotato moritur Bernardus Episcopus Spirensis Monachus ante Pontificatum Ord. Divi Patris Benedicti, cui successit in Episcopatū, Amalricus ejus nominis II. & præfuit annis 25. mensibus decem. Alibi legitur, quòd annis præfuerit 35. quod magis videtur convenire veritati pro eo, quòd anno Christianorum nongentesimo quadragesimo Mercke cum omnibus appendicijs suis ab Ottone I. in beneficium acceperit. Eodem quoque anno moritur Dracholfus ex Monacho novæ civitatis,

Amalricus fit Episcop. Spirensis.

Diodo fit Episc. Herbipolensis. prope Rotenfels, Episcopus Herbipolensis, in ordine Pontificum decimus. Cui Successit Diodo, & præfuit annis 24. mensibus duobus, diebus quatuordecim, vir prudens & religiosus.

DCCCCXIII.

Conrado I. Rex fit Romanorum. Anno Harderadi Abbatis XXIII. Conradus filius illius Conradi, quem comes Adelbertus occidit, Francorum ex genere natus, vir strenuus, bellorúmque exercitio doctus, omnium electione Principum regnum accepit, & annis septem sine corona Imperiali regnavit: quem ultimum fuisse constat de stirpe Caroli Magni Imperatoris inter Reges Orientalium Francorum. Sub quo isti fuerunt potentissimi Germaniæ Principes. Arnulphus dux in Bavaria, qui & Arnoldus more Saxonum dictus est. Burkardus Allemannorum dux, qui nunc Suevi nominantur. Eberhardus potentissimus dux Francorum Orientalium. Henricus dux magnus Saxonum. Giselbertus dux Lothariensium, qui uxorem habuit Girbergam sororem prænominati Henrici ducis Saxonum, simul & Thuringorum. Anno prænotato Berengarius secundus Regnum usurpavit in Italia, & sicut scribit Eutrandus Ticinensis Diaconus, multam in populo tyrannidem exercuit, & Clerum odio maximè persecutus est.

Berenga. II. sævit in Italia.

DCCCCXIIII.

Anno Harderadi Abbatis XXIIII. Ungari ad depopulationem Imperij rursus effusi, à Suevis & Bavaris juxta fluvium Enum, qui vulgariter Ine dicitur, in magno numero fuerunt occisi. Qui mox viribus resumptis, totum ferè Imperium pervagantes pervenerunt usque ad Basileam, omnia gladio & igne crudeliter devastantes. Monasterium quoque Fuldense in Buconio nemore situm, in finibus Francorum Orientalium, cum oppido adjacente incendio subverterunt.

Ungari fúduntur ab Alemañis.

Anno prænotato, memorati Principes Burkardus dux Sueviæ, Eberhardus dux Franciæ, Arnoldus dux Bavariæ, Heinricus dux Thuringiæ Saxoniæq;, & Giselbertus dux Lotharingiæ, cum quibusdam aliis Episcopis atque Principibus, Regi Conrado cœperunt esse rebelles; quos ille tam sapientiæ vigore, quàm fortitudinis robore superans ad fidelitatem revocavit. Arnolphus tamen Bavariæ dux non ferens Regis potentiam, cum uxore & filiis declinavit ad Ungaros, & mansit ibi usque ad mortem illius.

Principes Regi fiunt rebelles.

Arnul. Dux Bavariæ.

DCCCC XV.

Hatto Archiepiscop. obiit. Anno Harderadi Abbatis 25. Hatto Archiepiscopus Moguntinus moritur, cui Herigerus succedens præfuit annis viginti sex, vir moribus & eruditione præclarus: qui Ecclesiam suam utiliter rexit. Claruit his temporibus Betto Monachus nostri Ordinis, & Præpositus Monasterij sanctæ Columbæ in Gallia, vir in omni genere doctrinarum eruditus, nec minus vitâ, quàm eruditione præclarus, qui propter utriusque doctrinæ scilicet ac vitæ meritum in Episcopum Antisiodorensis Ecclesiæ sublimatus est, quam verbo simul & exemplo gloriosè modestissiméque regens, non sine opinione sanctitatis tandem in Domino quievit, cui & alius nostri Ordinis Monachus successit. Sanctus quoque Wibertus ex comite Monachus, hæc tempora reddidit clariora. Is enim in sæculo quondam dives & potens, divino tactus amore,

Betto ex Monacho Episc. Antisiodor.

S. Wibertus ex Comite Mon. Gemblacensis.

insigne

insigne Monasterium Gemblacense nostri Ordinis in Diœcesi Leodiensi suis impensis à fundamento construxit, & de omnibus necessarijs abundanter & copiosissimè providit. Consummatis verò omnibus, quæ ad novi Monasterij perfectionẽ videbantur necessaria & opportuna, introductisque Monachis & Abbate, depositò cingulo militari, & ipse fundator in eodem Cœnobio Monachus factus est, & vitam suam in omni puritate Religionis & sanctitatis consummavit, mortuusque Sanctorum Catalogo insertus est; cujus conversationem mores & vitam Sigebertus Monachus ibidem postea descripsit. Claruit his ipsis quoque temporibus sancta Wiboradis virgo, Monialis apud Cœnobium sancti Galli in Suevia, sub regula Divi Patris Nostri Benedicti pro Christi amore inclusa, magnæ Religionis & sanctitatis fœmina, quam omnipotens Deus prophetiæ spiritu illustravit. Nam ipsa prædixit sancto Udalrico tunc adolescenti, & inter Monachos dicti Monasterij conversanti, quòd Augustanus esset præsul futurus, & in virum magnum coram Deo & hominibus sublimandus; cujus Prophetiæ quàm vera fuerit prædictio, novit omnis Alemannorum Ecclesia. Añoquoque prænotato Anastasius Papa tertius, qui Sergio successerat, moritur: & Lando patriâ Romanus in locum ejus ordinatur, qui præfuit mensibus 7. & ob id nihil memoriâ dignum agere potuit.

S. Wiboradis Monialis apud S. Gallum.

Lando fit Papa.

DCCCCXVI.

Anno Harderadi Abbatis 26. obiit Lando Papa Romanus, cui in Pontificatu successit Joannes ejus nominis decimus, filius Sergij Papæ, & præfuit annis 13. mensibus 3. qui Saracenos expulit de Italia, qui tandem captus à Romanis in carcere moritur. Ejus temporibus Ungari pluries Italiam ingressi, maximâ Italienses calamitate multo tempore affecerunt, pueros, virgines, & fœminas abducentes captivas, senio verò confectos omnes crudeliter necantes. His ferme temporibus Ursus ejus nominis secundus venetorum Dux, in ordine Ducum nonusdecimus, posteaquam annis duecaverat novem, rebus omnibus quàm potuit optimè dispositis, principatum dimisit, & valedicens sæculo, Monachus est in Cœnobio sancti Felicis in nostro ordine factus, ubi sanctissimè vivens miraculis claruit.

Joañ. Pap.

Unga. graviter devastant Ital.

S. Ursus ex Duce Monachus.

DCCCCXVII.

Anno Harderadi Abbatis 27. Indictione Romanorum quintâ sanctus Ratbodus Præsul Ecclesiæ Trajectensis quartus decimus, tertio Calend. Decembris, migravit ad Dominum Pontificatûs sui anno 18. sepultus apud Daventriam, ubi residere in Episcopatu antea consueverat. Hic ante Pontificatum Monachus Nostri Ordinis fuit in omni genere Scripturarum doctissimus, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, vitam sancti Gerhardi. Laudes sancti Martini Episcopi Turonensis. Laudes sancti Bonifacij primi Archiepiscopi Moguntini & Martyris. Vitam quóque sanctæ Amalbertæ virginis Christi ac Monialis nostri ordinis. De sancto quoque Willebrordo Episcopo flores. Sermones & homilias plures lucubravit. Claruit hisdem quoque temporibus Adzo, qui & Heinricus, Abbas Monasterij Luxovienſis in Burgundia, vir magnæ Religionis & sanctitatis, nec minus eruditione scripturarum, quàm morum integritate venerandus; qui inter cætera ingenij sui opuscula descripsit Vi-

S. Ratbodꝰ exMonach. Episc. moritur.

Adzo, qui & Heinric. scriptor.

tam & miracula sancti Waldeberti tertij Abbatis Luxovienſis in uno volumine. Alia quæ compoſuit, in manus noſtras nec dum venerunt.

DCCCCXVIII.

Harderad9 Abb. quart9 moritur.

Anno Harderadi Abbatis 28. inchoato, Ungari Baſileam funditus deſtruxerunt, multis hominum millibus occiſis. Anno prænotato Harderadus Abbas ſenio & infirmitate gravatus, poſt multos in regimine Monaſterij habitos labores beato fine conſumñatus, decimâ die menſis Auguſti, hoc eſt, in feſto ſancti Laurentij Martyris ad Dominum migravit, in Eccleſia ſancti Aurelij Præſulis cum anteceſſoribus ſuis non ſine opinione ſanctitatis cum honore ſepultus. Præfuit autem ſatis utiliter Monaſterio ſuo Hirſaugienſi in multa providentia & ſanctitate annis 27. menſibus 8. diebus verò 19. ſub cujus regimine fratrum numerus auctus fuit ſimul & rerum ſubſtantia.

De Rudolpho hujus Monaſterij Hirſaugienſis quinto Abbate; qui præfuit annis ſeptem, menſibus quoque ſeptem, diebus undecim.

Rudolphus fit Abbas quintus.

MOrtuo Harderado Abbate Hirſaugienſium Reverendiſſimo, atque ſepulto anno & die memoratis; convenerunt in unum filij Conventûs paſtore orbati, undecimâ die menſis Auguſti: habitóque inter ſe neceſſario ex more tractatu, Rudolphum ſenem Monachum atque Presbyterum ex numero fratrum ſuper ſe paſtorem conſtituerunt: qui ordinatus in Abbatia præfuit annis ſeptem, menſibus totidem diebus undecim. Sub cujus magiſterio regularis diſciplinæ obſervantia cœpit aliquantulum tepeſcere, & paulatim à priſtino fervore declinare. Fuit enim vir nimium pius, ne dicam remiſſus, otio deditus & umbræ: qui fervorem ſanctæ converſationis nec in ſe conſervare ſtuduit: nec errores delinquentium ea quâ debuiſſet diligentiâ, correxit. Natione fuit Theutonicus, patriâ Suevus, de magna & nobili Comitum proſapia ortus. Unde cùm fratres illum ad curam paſtoralem experti inutilem, ab officio poſtea conarentur deponere, metu & potentiâ amicorum ejus deterriti, prævaluerunt, qui contrariam partem defenſarunt. Compulſi ergo patientiam neceſſariò habuerunt, quouſque tandem Deo illum vocante de medio, vitam minùs regimini utilem morte honeſtâ commutavit. Nam etſi ad curam animarum prorſus videretur inutilis, vitæ tamen propriæ honeſtatem in omnibus cuſtodivit: & magis ad quietem vitæ Monaſticæ, quam ad laborandum in arduis natus eſſe videbatur.

Regularis diſciplina tepeſcere cœpit.

Magna parentela Rudolphi.

DCCCCXIX.

Ungari devaſtant Lotharingiã.

Anno Rudolphi Abbatis S. Aurelij Hirſaugienſis primo Ungari denuò fines ſuos in multitudine magna egreſſi ſunt, tranſeuntéſque per Alemanniam & Alſatiam, Lotharingiam invadunt, & infinita reipublicæ Chriſtianorum ubique damna & mala intulerunt. Anno prænotato tertiâ & viceſimâ die menſis Decembris obiit Conradus Rex Romanorum ejus nominis primus, in Monaſterio S. Bonifacij Martyris atque Pontificis apud Fuldam ante Altare S. Crucis ut ajunt ſepultus. Hic ultimus

Conradus Rex Romanorũ obijt.

mus Regum de stirpe Caroli magni apud Francos orientales extitisse memoratur; qui prius quàm moreretur, lecto decumbens infirmus, ac requisitus à Principibus, quem sibi designaret successorem in regno, respondit: *Meliorem novi neminem Henrico Duce Saxonum, qui cùm sit vir prudens, dives, fortis, potens, & optimus, collapsum regni statum facilè recuperabit. Ipsum consilio meo confidenter eligite: quia potens est vos & imperium defensare.*

DCCCCXX.

Anno Rudolphi Abbatis secundo, indictione octavâ Heinricus Dux Saxoniæ potentissimus filius Ottonis magni, Principum electione Rex Romanorum constituitur, & regnavit sine corona imperiali annis ferme 18. Hic cùm non haberet gratiam prædecessoris sui Regis Conradi, propter morum probitatem, & insuperabilem animi virtutem, tamen idem Rex, sicut diximus, in extremis constitutus fratre proprio prætermisso successorem illum designavit. Cui cùm unctio & diadema ex more offerrentur ab Herigero Moguntinensium Archiepiscopo, non sprevit, nec tamen suscepit, sed dixit: *Satis mihi est, ut præ majoribus meis Rex dicar & designer divinâ & vestrâ pietate annuente. Penès meliores verò nobis unctio sit ac diadema: quoniam tanto honore nos arbitramur indignos.* Placuit iste sermo coram universa multitudine, dextris in cælum levatis, nomen novi Regis cum laude clamantes ad sydera diutius extollebant. Henricus I. fit Rex Romanorum.

Anno prænotato obiit Carolus Rex Galliarum in carcere, de quo in superioribus plura diximus, Peronæ sepultus, ubi & fuerat locus carceris, anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, regni autem vicesimo sexto, â carcerati verò custodia vix quinto. Cujus exitio plures mæsti Rudolpho Regi ac Heriberto homicidij facinus imponebant. Id verò nõ in aperto: unde & Wilhelmus Nortmannorum Dux auditâ morte Caroli prænominati Regis, ab interioribus insulis maris pyratas evocavit, eisq; aditum dedit, atque in Pagum Lemovicinũ Arvernicumq; ire concessit. Quibus Rudolphus Rex cum suis occurrens, eos penè omnes interfecit, ita quòd pauciss imi evaserunt, Aquitanis Regi Rudolpho auxilia ferentibus. Carol. Rex in carcere moritur.

His quoque temporibus Artholdus Monachus Cœnobij S. Remigij Rhemensis jubente memorato Rege Rudolpho, & populo eligente Archiepiscopus Rhemorum ordinatus est, vir modestus, vitâ & conversatione sanctissimus, cujus probitas Ecclesiæ suæ filios ad regulam bene vivendi optimè provexit, cùm & verbo utilem se exhibuerit atque exemplo. Arthold. fit ex Monach. Archiepisc.

Anno etiam præscripto moritur Ayrardus ex Monacho Nostri Ordinis Noviomensis Episcopus, vir moribus & doctrina multum venerabilis, qui non minus vitæ merito, quàm integritate sermonis atque doctrinæ populum sibi commissum in omni puritate strenuè gubernavit. Huic in Pontificatu Noviomensi Regis Decreto, & amicorum petitione successit Walbertus Corbejensis Monasterij Abbas in Gallia, vir doctus in scripturis tam divinis, quàm sæcularibus, vitâ ac moribus strenuus ac liberalis, & cui totius honesti decus admodum placuit semper. Walbertus ex Abbate Episc. Noviomensis.

Fuit his diebus Lupus Acinarius Vasco miles Rudolphi Regis Gallorum prænominati, vir fortis & strenuus, qui equum ferebatur habere plus quàm centum annorum ætatis, & adhuc toto corpore validissimum, sanum, robustum & velocissimum ad currendum. Equus plus quàm 100. annorum.

Anno etiam præsignato moritur Hugo Abbas Fuldensis, cui mox in Abbatia Fratrum ele-

ctione ſucceſſit Helemfridus, & præfuit annis XVI. vir magnæ prudentiæ & ſagacitatis, de quo plura narrantur. Claruit his quoque Hildovinus ex Abbate Monaſterij Lobienſis noſtri Ordinis poſt Stephanum Tungrenſium ſive Leodicenſium in Lotharingia per Carolum Regem Gallorum, & populi electionem promotus Epiſcopus, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſeæularium litterarum non ignarus: ſed, ut Richerus Monachus eſt auctor, nimiùm factioſus: nam per Hermannum Archiepiſcopum Colonienſium ordinatus Epiſcopus mox illis adhærens favere cœpit, qui cum Ruperto duce in Regis abjectionem conſpiraverunt. Quod cùm Regi Carolo innotuiſſet, eum de Pontificatu expulit, & Richerum ſive Richarium Brumienſis Cœnobij Abbatem, qui Reginoni ſucceſſerat, in Epiſcopum Leodicenſis Eccleſiæ poſtulante populo promovit. Qui cùm ab Hermanno prænominato Colonienſium Archiepiſcopo argueretur, quòd Epiſcopi viventis, & de nullo crimine convicti, ſeu confeſſi ſedem præſumeret occupare, juſſu Regis Romam proficiſcitur, & coram ſummo Pontifice Joanne X. & negotij ſui cauſam & Regis eſt proſecutus ſententiam. Papa verò in Hildovinum deſertorem indignans, eum ab Epiſcopatu per ſententiam amovens, Richarium ordinavit Pontificem, & datâ benedictione ad Tungros remiſit. Nec multò poſt etiam Hildovinus Romam profectus eſt: ſed nihil penitus à ſummo Pontifice obtinuit. Deſertus igitur ab omnibus venit ad Hugonem tunc aſſertum Regem Italiæ, conquerens illi, quas patiebatur injurias. Aquo primùm Veronenſis Epiſcopus conſtitutus eſt, & non longè poſt Mediolanenſium Archiepiſcopatum ejuſdem tyranni donatione obtinuit. Qui inter cetera ingenij ſui opuſcula, cùm adhuc eſſet Abbas in Monaſterio Lobienſiũ ſcripſit geſta & ſucceſſionẽ Abbatum ejuſdem Cœnobij, volumine uno. Epiſtolas quoque non inelegantes complures edidit, & varios ſermones ad fratres. Scribit Eckardus Abbas & plerique alij, quòd Hildovinus cùm eſſet Abbas Monaſterij Lobienſis, datâ pecuniâ Giſelberto Lotharienſium Duci, Pontificatum Leodicenſium ſibi comparaverit; & proptereà velut Simoniacus tam à Rege, quàm à Papa juſtè fuerit repudiatus. Sed nos Floduardo presbytero, & Richero Monacho Rhemenſibus Gallicæ Hiſtoriæ diligentiſſimis ſcriptoribus plus fidei in hac parte duximus tribuendum: qui aſſerunt Hildovinũ non à Duce Giſelberto, ſed à Rege Carolo ſine alicujus muneris interpoſitione Pontificatu Leodicenſis Eccleſiæ ſimpliciter fuiſſe donatum. Ratherus etiam Lobienſis Cœnobij Monachus, Hildovini prædicti auditor atque diſcipulus, & multo tempore in tribulatione ſocius, magiſtro translato ad Epiſcopum Archipræſulatûs Mediolanenſis Eccleſiæ, ipſe hac tempeſtate in Pontificatu Veronenſi Hugonis donatione ſucceſſit: Vir miræ ſimplicitatis, ſed magnæ in omni varietate ſcripturarum eruditionis atque doctrinæ, multis calamitatibus ſævientis fortunæ ſubjacuit. Nam pulſus per Hugonem Pontificatu, proptereà, quòd cum Veronenſibus intromiſiſſet Arnulfum Ducem Bavarorum ipſi Tyranno moleſtum, Papiæ relegatur in exilium, denuoque ad Eccleſiam ſuam reverſus iterum poſtea expellitur: cui jam ſpes nulla fuit amplius revertendi. Tandem Italiâ dimiſſâ in Germaniâ revertitur, & per Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem, poſt Farabertum, qui Richario Brumienſi ſucceſſerat, Leodicenſis

Hildovino ex Abbate fit Epiſcop.

Richarius ex Abb. fit Epiſcopus.

Hildov. fit Epiſc. & poſtea Archiepiſcopus.

Eckardus Abbas.

Floduardo Presbyter.

Richerus Monachus.

Ratherus ex Monach. Epiſcopus.

Ratherus pellitur.

dienſis Epiſcopus conſtitutus eſt, anno videlicet Domini DCCCCLIV. Indictione duodecimâ. Inde quoque pulſus anno ſequente per Regenherum Montenſem comitem, & in ejus locum ordinato Balderico Pontifice ad Monaſterium ſuum Lobienſe, unde cum Hilduino exierat, reverſus eſt: & vitam in ſancta converſatione deinceps conſumavit. Scripſit autem inter cætera librum unum, cùm eſſet Papiæ relegatus, ærumnas & calamitates ſuas continentem. Alium quoque de ſecunda expulſione ſua edidit, quem phreneſim prænotavit. Tertius ab eo nominatur inefficax, quem compoſuit de ſuis ærumnis atque miſerijs, ultimò de Pontificatu Leodienſi expulſus. Opus etiam ſcripſit in libris ſex, quod Agnoſticon prænotavit. De corpore quoque & ſanguine Domini librum unum. Confeſſionum ſuarum librum unum. Contra hæreticos, qui nominantur Anthropomorphitæ, qui Deum membris aſſerunt conſtare humanis, librum unum. Vitam ſancti Urſmari Lobienſis Abbatis. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad manus noſtras hactenus non venerunt. Moriturus tandem anno Domini DCCCCLXXIV. hoc inſculpi monoſtichon ſuo fecit ſepulchro, dum viveret. Ratherius Præſul, ſed ter Ratherius exul. Et hic viri hujus doctiſſimi vitæ curſus ſimul & exitus fuit.

Rather. hujus opuſcula & libb.

DCCCCXXI.

Anno Rudolphi Abbatis tertio, Adelbero Monachus hujus Cœnobij quondam Hirſaugienſis, quem ad Monaſterium ſancti Albani Moguntiam ad inſtitutionem Monachorum miſſum, ſuprà diximus, anno Harderadi Abbatis viceſimo, juſſione Herigeri Archiepiſcopi factus eſt Abbas Monaſterij ſancti Ferucij in Blidenſtat: Vir in omni ſcientia ſcripturarum doctiſſimus, & in obſervantia regularis diſciplinæ valde ſtrenuus, qui vigorem Cœnobiticæ integritatis in eodem Cœnobio magnificè reſtauravit, séque Paſtorem animarum non minus exemplo, quàm ſermone in omnibus utilem ſemper exhibuit.

Adelb. noſter fit Abbas S. Ferrucij.

Anno prænotato ſextâ die menſis Martij, obijt Luthelmus Monachus, & Scholaſticus hujus Cœnobij ſancti Aurelij Hirſaugienſis, natione Suevus, eruditione doctiſſimus: qui uno & triginta annis Magiſter ſcholarum apud ſanctum Aurelium extitit, & Monachos in omni genere doctrinarum magnificè ſemper erudivit. Quo mortuo, Herbordus Monachus in Magiſterio ſcholarum ei ſubſtituitur, homo & ipſe doctus, tam in litteris ſæcularibus, quàm in divinis ſcripturis, metro exercitatus, & proſâ: qui præfuit annis XVI. His etiam temporibus Theodericus Comes de Ringelnheim in partibus Saxoniæ Monaſterium noſtri Ordinis fundavit, quod uſque in hunc diem Ringelnheim dicitur: quod prædijs, & reditibus magnificè dotans, Abbati, & Monachis tradidit poſſidendum. Hujus Comitis Theoderici filiam nomine Mathildem, Heinricus Romanorum Rex primus habuit uxorem, quæ peperit ei Ottonem, poſtea Imperatorem ejus nominis primum, Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem, Heinricum Ducem Bavariæ: & filias quatuor, quarum prima nomine Mathildis Abbatiſſa fuit prima in Quitelleburg: Gerburgis altera primò nupſit Lothario Regi Gallorum, quo mortuo, uxor data fuit Giſelberto Duci Lotharingiæ: Tertia Rixſa nomine nupta fuit Rudolpho Duci Bavariæ: Quartam Haduigem nomine Hugo Pariſienſis Comes, poſtea Rex Gallorum habuit uxorem, ſicut in hiſtoria Saxonum legimus, & multi ex his Principes ſurrexerunt.

Luthelmus ſchola. moritur. Herbordus ſuccedit.

Uxor & filij Regis Henrici I.

Anno

Heinricus Rex debellat Suevos.

Anno etiam præsignato Heinricus Rex magno procerum adunato exercitu perrexit ad pugnandum contra Burckhardum Ducem Suevorum, cujus filiam habuit uxorem Rudolphus Dux Burgundionum, qui post interfectionem Ruperti Regis Galliarum, Patris Hugonis Comitis, sive Ducis memorati Parisiensis, fratris verò quondam Ottonis Regis, ab inimicis Caroli Regis incarcerati Rex elevatus est, sicut & Rupertus Decessor ejus. Burckhardus verò Dux, licet bellator esset acerrimus, præsentiens tamen se congressum Regis Heinrici sustinere non posse, tradidit ei semetipsum cum universis urbibus, & populo suo. Eodem quoque anno Arnulphus, qui & Arnoldus, Bavariæ Dux, qui à facie Conradi Regis cum filijs & uxore declinavit ad Ungaros, inde reversus magno cum honore à Bavaris recipitur, & regium nomen, ut sibi assumere velit, ab eis nimium rogatur. Unde populari favore denuo in superbiam elevatus, contra Heinricum Regem cœpit esse rebellis. Heinricus verò rex, cùm inter omnes regni Principes unanimiter sibi obtemperantes Arnolfum solum resistere cerneret, collecto exercitu prævalido Bavariam intrat: eum in civitate Ratisponensi obsidione circumvallavit: quod ille videns, séq; Regi non posse resistere perpendens, portis apertis egressus est, & gratiam ejus postulans humiliter impetravit. Hic est Arnulfus ille, super cujus denotatione S. Udalrico Augustensi Episcopo, ut in libro gestorum ejus legitur, in visione ostensus est gladius sine capulo: qui frustra Rex fieri cupiens, invasor regni extitit, & pro hac ambitione destructis Ecclesijs Christi, earum redditus contra Deum, & æquitatem suis militibus in beneficium temere concessit.

Arnulfus Dux Regi subjicitur.

Arnolfus persequitur Eccl.

DCCCCXXII.

Diethardus Monachus S. Aurelij.

Anno Rudolphi Abbatis quarto, Indictione decimâ, obijt Diethardus Monachus, & Presbyter hujus Cœnobij sancti Aurelij Hirsaugiensis, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, metro & prosâ scriptor exercitatissimus: nec minùs sanctimoniâ vitæ, quâ illustratione scientiæ æternâ memoriâ dignus, qui multis annis in regimine scholæ monasticæ Luthelmi coadjutor extitit, & quædam non contemnendæ lectionis opuscula lucubravit, ut Menfridus est auctor: quæ tamen priorum negligentiâ Patrum ab alijs hodie nequeunt discerni.

Galdericus exMonach. Episcopus.

His quoque temporibus claruit Galdericus ex Monacho nostri Ordinis Episcopus Antisiodorensis, vir moribus integer, & Pastor animarum vigilantissimus: qui verbo & exemplo multos ab iniquitate convertit ad Christum, ad quem tandem non sine opinione sanctitatis transivit. Radbodo Trevirorum Archiepiscopo his temporibus mortuo, Rutgerus in Pontificatu successit: vir multæ lectionis, & eminentis doctrinæ: qui inter cetera ingenij sui opuscula ex sententijs Patrum, & Epistolis summorum Pontificum volumen quoddam Decretorum post Isidorum Hispalensem in unum comportavit, quod in Concilio Episcoporum apud Treviros celebrato, auctoritate omnium approbatum fuit.

Rutger. fit Archiepisc. Trevirorũ.

DCCCCXXIII.

Ungari devastant Imperium.

Anno Rudolfi Abbatis quinto, Ungaris Franciam Orientalem, Alsatiam, Sueviam, Saxoniámque depopulantibus, Heinricus Rex juxta Urbem Mersburg, quæ dicitur Martis Castrum, congressus cum eis, ac pro adipiscenda victoria vovens Deo, se hæresim Simonicæ pravitatis de regno suo

gno suo pro viribus eradicaturum, inæstimabili eos cæde percutiens, penè usque ad internecionem ultimam delevit. His quoque temporibus Heinricus Rex Romanorum ejus nominis primus Ecclesiam Misnensem fundans eam in Episcopatum erexit, & multis prædijs, castellis, viculis, & possessionibus egregiè dotavit, muniénsque civitatem turribus & muris, fortissimum Christianis contra incursiones Ungarorum fecit esse præsidium. Cujus Ecclesiæ primus Episcopus fuit Burckhardus Monachus nostri Ordinis de Cœnobio S. Joannis in civitate Magdeburgensi assumptus, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, qui non minus exemplo, quàm verbo populum sibi commissum ad justitiam erudivit. Rex Heinricus Ungarorum cupiens insolentiam refrænare, quoscunque fures, latrones, sicarios & proscriptos manu fortes, quos ad bellandum aptos & idoneos invenisset, indultâ eis veniâ, agros eis dedit & arma, legionemque faciens ex eis ad debellandum Barbaros emittebat, sub pœna capitis interdicens illis civium læsionem.

Misnensis Episcopatus fundatur.

Heinricus Rex latrones facit milites.

Anno prænotato moritur Adelhardus Monachus hujus Cœnobij S. Aurelij Hirsaugiensis, vir sanctissimæ conversationis, & tanquam alter Job vivum & unicum exemplar patientiæ, totiusque speculum virtutis; qui sub Harderado quondã Abbate, in omni scientia scripturarũ doctus, & consummatus evadens, lumen oculorum ex quadam infirmitate amisit, Deo sui providente, qui castigat corpora filiorum, ut spiritus majore illustrentur claritate. Adelhardus itaque post ingentes dolores capitis lumine corporali privatus, & ad sanitatem omnimodam, præter cæcitatem restitutus, fecit ex necessitate virtutem, & omnem vitæ dulcedinem contemnens, divinis se totum obsequijs mancipavit. In oratione fuit continuus: in meditatione divinæ legis die & nocte assiduus: & in contemplatione cælestium bonorum omni tempore suspensus. Deum purissimo corde dilexit super omnia; pro cujus amore cunctas hujus mundi consolationes viriliter contempsit. In prosperis semper fuit humilis, ac patientissimus in adversis. Nemo illum vidit in contrarijs quibuslibet tristem; nemo unquam audivit in tentationibus murmurantem. Conscientia etenim bona gaudium habet; & mens humilis cum Deo per amorem rectè consentiens nunquam potest obfuscari tristitiâ. Semper laus Christi resonabat in ore fratris Adelhardi, & nunquam de labijs ejus verbum otiosum processit. Tantæ compunctionis extitit, ut quotiens de Passione Domini nostri Jesu Christi quippiam legeretur, mox totus in lachrymas resolutus, etiam alios suo rugitu ad fletum provocaverit audientes. Cujus vitæ puritas tam grata omnipotenti Deo fuisse dicitur, ut spiritu illustrari prophetico mereretur. Monasterij quoque hujus S. Aurelij Hirsaugiensis desolationem, quæ post annos ferme octoginta subsecuta fuit, tam claro & aperto prædixit vaticinio, ut præsentem ante oculos ejus putares expositam. Triennio prius quàm moreretur, obitûs sui diem & horam quibusdam è fratribus prænuntiavit. In cujus transitu, sicut Menfridus est testis, auditæ sunt voces in aëre canentium suavissimè SS. Angelorum, atque dicentium: *Lætabitur justus in Domino, &c.* Mortuus est autem 26. die mensis Decembris, anno Domini Nostri Jesu Christi prænotato, Indictone undecimâ, in

Adelhardus Monachus cæcus.

In oratione semper fuit continuus.

Mortem suam prædixit triennio.

Eccleſia S. Aurelij honorificè ſepultus, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo octavo, cæcitatis autem viceſimo tertio.

DCCCC XXIV.

S. Udalric9 fit Epiſcop. Auguſtan9

Anno Rudolphi Abbatis ſexto Hiltine Auguſtenſis Epiſcopus moritur, cui ſanctus Udalricus in Pontificatu ſuccedens, præfuit annis ferme quinquaginta: vir æternâ memoriâ dignus, qui multis & in vita, & poſt mortem miraculis clarus effulſit, Deo per omnia charus: cujus geſta in uno volumine conſcripta pleniſſimè habentur. Eodem anno Heinricus Rex Romanorum ducatum Lotharienſium de manibus Regum Gallorum obtinuit: eúmque Romano Imperio denuo conjunxit, qui ab eo pluribus annis fuerat alienatus. Facta eſt autem iſta confœderatio inter ipſum Regem Heinricum, & Carolum Regem Gallorum apud Bonnam, Epiſcopis & Comitibus utrimque rem confirmantibus.

Lotharingia recuperatur Imp.

DCCCCXXV.

Rudolphus Dux Burgundionũ.

Anno Rudolphi Abbatis ſeptimo Rudolphus Rex Burgundionum ab Italienſibus ad regnandum contra Berengarium vocatus, commiſſo in eos cruento prælio Rudolphus victoriam obtinuit, & expulſo Berengario in ejus locum ſuccedens in annum alterum regnavit. Eodem anno magnæ in regno Gallorum diſſenſiones fuerunt, dum commune bonum nemo cogitare voluit: ſed omnes quæ ſua fuerant, anxiè quærentes, communem Reipublicæ utilitatem turpiter neglexerunt. Comes námque Heribertus capto Rege cum multis alijs ſibi adhærentibus tyrannidem exercebat, infinitam malorum præſtans occaſionem.

RegnũGallorum malè diſponitur.

Rudolphus Monachus Doctor.

Claruit his temporibus Rudolphus noſtri Ordinis Monachus Flaviacenſis in divinis ſcripturis doctiſſimus, & ſecularis literaturæ non ignarus: qui ſcripſit inter nonnulla ſuper Leviticum opus celeberrimum, quod in libros viginti diviſit. In Epiſtolas quoque Pauli compilavit libros quatuordecim. De geſtis Francorum librum unum. Chronicon breve ſimiliter edidit. Reliqua ingenij hujus Viri necdum ad manus meas memini perveniſſe: quæ tamen complura eſſe perhibetur. Joannes quoq; Monachus ſancti Albani prope Moguntiam tunc Ordinis noſtri hæc tempora ſuis lucubrationibus reddidit clariora. Is aliquandiu in præfato Cœnobio Adelberonis Monachi Hirſaugienſis quondam illuc miſſi, de quo ſupra diximus, ſcholaſtici auditor atque diſcipulus fuit. Quo ad Monaſterium S. Ferrucij Abbate ordinato, ipſe loco ejus magiſter ſcholarum factus, magnam brevi tempore laudem eruditionis ſuæ per totum Imperium aſſecutus fuit. Erat enim in omni ſcientia ſcripturarum doctiſſimus, Philoſophus, Rhetor, Poeta, Muſicus, Geometer, Aſtronomus & Theologus omnium ſuo tempore probatiſſimus, & non minus humilitate ac innocentis vitæ ſanctimoniâ, quàm eruditione litterarum venerabilis. Scripſit imprimis librum de inſtitutione Novitiorum in ordine quo ad mores obſervantiæ regularis. Deinde alium compoſuit de juvenum Monachorum inſtitutione quo ad ſcientias liberales, quemadmodum videlicet ad ſingulas ſint à principio per ordinem introducendi. Scripſit ad Hildebertum Archiepiſcopum Moguntinum Chronicon ſive Hiſtoriam Archiepiſcoporum Moguntinenſium libros duos, quorum primus continet ſucceſſiones & geſta tredecim Epiſcoporum Moguntinenſium à ſancto Creſcente, qui fuit primus incluſivè uſq; ad Gerliebum, qui

Joannes Monachus Moguntin.

Opuſcula hujus Monachi 10.

qui Episcoporum extitit ultimus. Secundus verò continet successiones & acta duodecim Archiepiscoporum à sancto Bonifacio, qui primus extitit usque ad ipsum Hildebertum, qui duodecimus fuit. Ad Adelberonem quoque memoratum Abbatem in Blidenstat scripsit de regimine curæ pastoralis valde utilem librum. In regulam quoque S. Patris Nostri Benedicti commentarium. In quinque libros Moysi explanationum libros 20. De Musica libros tres. Alia insuper multa composuit, quæ necdum ad notitiam nostræ lectionis pervenerunt.

Adelbero Abbas sancti Ferrucij.

DCCCCXXVI.

Anno Rudolphi Abbatis octavo currente, Heinricus Romanorum Rex Sclavis & Danis victis, ac sub tributo redactis, nomen suum celebrefecit, & cunctis in circuitu Barbaris sui timorem incussit. Eodem anno Ungari Salardo duce Italiam pervagantes, Papiam obsidione cingunt, capiunt & incendunt, multis hominum millibus interfectis. Berengarius quoque Rex ab Italiensibus hoc anno crudeli nece occiditur.

Sclavi, & Dani à Rege vincuntur.

Ungari devastant Italiam.

Anno prænotato Rudolphus Abbas hujus Cœnobij Hirsaugiensis post longam infirmitatem vicesimâ secundâ die mensis Martij migravit ad Dominum, in Ecclesia S. Aurelij sepultus cum antecessoribus suis. Vir quidem bonus, mitis & mansuetus; sed ad regimen animarum minus idoneus; sub cujus moderamine disciplina regularis non parum tepescere cœpit, maximè circa silentium, & obedientiam mandatorum. Obijt autem, ut Menfridus est testis, anno ætatis suæ sexagesimo tertio, regiminis verò Abbatialis septimo, mense quoque septimo, die quarto, alterâ die natalis sanctissimi Patris nostri Benedicti, hoc est, XI. Calendas Aprilis.

Rudolphus Abb. sancti Aurelij obijt.

De Diethmaro Monasterij Hirsaugiensis sexto Abbate, qui præfuit annis XXVI. Mense uno, diebus XXI. & gestis illius temporis.

POst mortem Rudolphi Abbatis magna in deligendo Successore inter Fratres difficultas subsecuta fuit. Nam senior pars Seniorum, quibus cordi fuit observantia disciplinæ regularis, talem habere Pastorem optabat, qui pristinum illum fervorem, jam penè in quibusdam extinctum, resuscitare verbo & exemplo, & vellet, & posset: memores incommodorum, quæ susceperunt sub Rudolpho, qui parùm hæc animadvertisse videbatur. At contrà major pars juvenum, quamquam non senior, remissione pristinâ consueti, suis Abbatem moribus convenientem requirebant. Post multos tandem tractatus suum interponente consilium Reverendissimo Abbate Fuldensium Hildeberto, unanimi consensu elegerunt Diethmarum, Monachum Cœnobij sancti Galli, jam prius aliquantulum notum, qui Euthelmo scholam tenente apud sanctum Aurelium, per biennium inter eos fuerat conversatus. Hunc ergo in Abbatem eligentes anno prænotato, Dominicæ Nativitatis nongentesimo vicesimo sexto, Indictione quartâ decimâ, mensis verò Martij die vicesimâ tertiâ, de Monasterio sancti Galli honestissimè fecerunt adduci: quem venientem ad Cœnobium Divi Aurelij Hirsaugiense

Diethmarg Monachus S Galli eligitur Abbas Hirsaugiensis.

gienſe 18. die Calendarum Maij debito cum honore ſuſceperunt. Qui ordinatus Abbas præfuit in omni religione, & ſanctitate annis ſex, atque viginti, menſe uno, diebus verò uno, & viginti. Patriâ fuit Suevus, honeſtis parentibus ortus, patre genitus Arnoldo, matre verò Helvvige, ſecundum ſæculi conditionem nullâ quidem nobilitatis prærogativâ ſublimatus: ſed mediocri fortunâ in abundantia Chriſtiana utentibus; quem adhuc puerum in prædictum ſancti Galli Cœnobium ad ſerviendum Domino juxta Regulam Divi Patris Noſtri Benedicti tradiderunt, per cujus meritum Dei ſe miſericordiam poſſe conſequi non dubitabant. Fuit eo tempore Magiſter ſcholarum ſancti Galli poſt Notgerum Monachus quidam in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, nomine Hartmondus, qui traditum ſibi ab Abbate cum alijs puerum Diethmarũ ſuſcipiens, cùm videret illum ingenio vivacem, magnam pro ejus inſtitutione diligentiam adhibuit. Mortuo autem non poſt multos annos Hartmondo ſucceſſit in regimine ſcholarum Adelhardus Monachus frater Notingi, ex Monacho Conſtantienſis Epiſcopi, vir & ipſe doctus, qui Diethmarum, & Helpericum ſingulari præditos ingenio, ſingulari quoque ſtudio docere in omni genere ſcientiarum diligentiſſimè curabat. Itaque Diethmarus cum ætate proficiens in omni ſtudio ſcripturarum doctiſſimus evaſit: & non minus vitæ merito, quàm eruditione litterarum ſcientiâ cunctorum erat venerandus. In Monaſterium à parentibus datur, cùm puer eſſet decem annorum: ordinatur Presbyter ætatis ſuæ anno 28. & cùm implêſſet vitæ annos quinque & triginta in Abbatem, ſicut diximus, fuit ordinatus. In Paſtorem itaque hujus Cœnobij Hirſaugienſis ordinatus in omnibus ſe pro viribus exhibere ſtuduit, & utilem & irreprehenſibilem. Fuit enim continentiſſimæ vitæ, in cibo parcus, in potu parcior: qui verbo & opere exemplóque vigilantiſſimus, regularis diſciplinæ obſervantiam in hoc Monaſterio non mediocriter collapſam, prudentiſſimo moderamine ad priſtinum vigorem revocavit. In agendis quibuſlibet rebus providâ ſemper deliberatione utebatur; nec temere quidquam agere conſuevit. Erat ſanè non ſolùm doctus, ſed & eloquentiſſimus; támque ad perſuadendum idoneus, ut rarus fuerit inter prudentes, qui ejus ſententiæ contradiceret. Fratrum ſuorum infirmitates modeſtiſſimâ ratione curabat: & ſuâ longanimitate omnium perturbationes facillimè ſuperabat.

Genꝰ & Patria Diethmari Abb.

Hartmondus Scholaſticus S. Galli.

Adelhardꝰ ſanct. Galli.

Diethmarꝰ fit Presbyter.

Moribus integer.

Prudens in agendis.

DCCCCXXVII.

Anno Diethmari Abbatis hujus Monaſterij ſancti Aurelij Hirſaugienſis currente ſecundo, Burckhardus Alemanniæ aut Sueviæ Dux magnanimus in Italia occiſus eſt: & Suevorum ducatus Hermanno fratris ejus filio à Rege committitur. Anno quoque prænotato Heinricus rex Romanorum potentiſſimus conventum Principum indixit apud Moguntiam ad feſtum Dominicæ Reſurrectionis, ubi comparentibus multis, plura pro utilitate Imperij ſolemniter conſtituta fuerunt. In Gallia poſt mortem Caroli Regis incarcerati, Rudolphus Dux Burgundionum repudiatus ab Italienſibus, regnat annis duobus; vir ſuperbus, & nimium temerarius, & ob id cunctis odioſus.

Burckhardus Dux occiditur.

Claruit his temporibus Smaragdus Monachus ſancti Maximini Trevirenſis Ordinis Divi Patris Noſtri Benedicti, & poſtea Cœnobij ſancti Michaëlis Abbas, vir in divinis ſcripturis non mediocriter doctus, & ſæcula-

Smaragdus Monachus Scriptor.

sæcularis litteraturæ non ignarus, qui scripsit de institutione Monachorum librum valde utilem, quem diadema prænotavit. In Psalterium quoque commentariorum similiter librum unum. Sermones quoque varios, & homilias tam ad populum, quàm ad fratres non inelegantes. Alia insuper complura edidisse dicitur, quæ ad notitiam meam non pervenerunt.

DCCCCXXVIII.

Anno Diethmari Abbatis tertio Herigerus Archiepiscopus Moguntinus obijt, primâ videlicet die mensis Decembris, vir per omnia Magnificus. Cui successit in Pontificatu electione Canonicorum Hildebertus Fuldensis Cœnobij Monachus & Abbas, genere Francus Orientalis, vir miræ sanctitatis, & præter naturalem sapientiam animi, litterarum quoque scientiâ satis illustris; qui inter cetera dona etiam spiritum prophetiæ obtinere à Domino meruit. Præfuit autem Ecclesiæ Moguntinæ in omni sanctitate annis quatuordecim: & Ottonem primum in Regem Romanorum apud Aquasgrani postea inunxit & coronavit, ut suo loco dicemus. Hic est Hildebertus Deo dilectus Pontifex, cujus consilio Diethmarus in Abbatem hujus Monasterij Hirsaugiensis, sicut diximus, fuit electus: cui & singulari amore familiaritatis usque ad mortem fuit conjunctus. Ambo Deo chari sunt modo pace pari.

Hildebertus fit Archiep. Moguntin.

Anno prænotato magni perturbationum motus in Italia suborti fuerunt, tyrannis inter se pro Imperio sævientibus. Rudolphus de Regno expellitur: & Hugo Comes Arelatensis homo ferox in regnum subrogatur.

Hugo Comes tyrannizat.

DCCCCXXIX.

Anno Diethmari Abbatis IV. Heinricus Rex paganorum cum Ungaris Danis atque Bohemis triumphator evasit: interficiens eorum plusquam viginti millia, captivosque cum præda abducens quàm plurimos, incutiens sui terrorem cæteris omnibus. His temporibus Diethardus Abbas Monasterij Hirs-Feldensis nostri Ordinis vir prudens, & doctus imperio Heinrici Regis factus est Episcopus Hildenshemensis in Saxonia, nonus in successione Pontificum ejusdem Ecclesiæ, & præfuit annis duobus & viginti in omni religione & sanctitate. Cui in Abbatia substituitur Burckhardus venerabilis Monachus, & præfuit annis ferme tribus, postea in Episcopum Herbipolensis Ecclesiæ, ut suo dicemus loco per Regem institutus.

Diethardus ex Abbate fit Episcop.

Anno prænotato Rudolpho Gallorum rege mortuo, proceres Regni legatione in Angliam missâ Ludovicum Caroli captivi quondam Regis filium apud Avunculum Adelstanum Regem Anglorum cum matre exulantem & profugum revocantes, sibi creaverunt in Regem, qui regno paterno feliciter susceptо, satis ærumnosè, & in multis adversitatibus regnavit annis ferme viginti novem, suorum insidijs & rebellione multipliciter omni tempore afflictus.

Ludovicus fit Rex in Gallia.

Anno quoque præsignato Joannes Papa decimus moritur in vinculis, animi deficiens amaritudine: fuerat enim factione Romanorum in carcerem detrusus per milites Guidonis, propter dissensionem, quam habuit cum Alberico Ethruriæ Marchione, qui Ungaros in vindictam sui contra Pontificem vocaverat in Italiam. Unde cùm Ungari totam penè subvertissent Italiam, commoti atrocitate facti Romani, Alberi-

Joañes Papa X. in carcere moritur.

cum Marchionem auctorem malorum capientes interfecerunt. Pontificem verò quasi eum, qui occasionem dedisset, conjecerunt in carcerem, ubi sicut est dictum miserabiliter defecit. Post quem alter quidam Joannes Pontificatum invasit: sed quia non intravit per ostium, reijcitur: & in catalogo summorum Pontificum meritò non locatur. Quo tandem ut meritò dejecto, Leo Presbyter Romanus ejus nominis VI. canonicè in Pontificem electus præfuit mensibus sex, diebus XV. vir bonus, & omni honore dignus. Eodem quoque anno Hugo tyrannus quosdam Italiensium habens suspectos, consilio & auxilio Samsonis Comitis circumventos interfecit: cujus atrocitate facti omnium ferme Italorum in se odium concitavit.

Joañes Antipapa. Leo fit Papa VI.

DCCCCXXX.

Anno Diethmari Abbatis quinto Heinricus Rex Lanceam Constantini Cæsaris quondam magni clavis intextam Dominicis mirandi operis à Rudolpho Burgundionum Rege precibus, minis atque muneribus obtinuit; quam ille à Samsone supradicto Comite amico suo acceperat dono. Quod munus Rex potentissimus tandem assecutus Crœsi divitijs prætulit; & Romano Imperio ad insigne tutaménque posteris singulari devotione commendavit. Hanc lanceam esse credimus, quam apud Nurenbergenses quotannis cum multis insignijs alijs Caroli quondam Imperatoris magni ostendunt. His quoque temporibus Heinricus Romanorum Rex inclitus Monasterium illud nostri Ordinis Monialium insigne, quod vocatur Quedlenburg, in Saxonia, fundavit in honorem S. Servatij Tungrorum quondam Episcopi: ubi Abbatissa virginum prima fuit instituta Mathildis ipsius Heinrici Regis filia, soror Ottonis postea Imperatoris primi: virgo multis clara virtutibus, de qua multi multa scripserunt.

Lancea Constantini Imperatoris Magni.

Monasteri. Quedlenb.

Anno etiam prænotato Leo Papa VI. moritur, & in Basilica S. Petri Principis Apostolorum cum honore debito sepelitur. Huic in Pontificatu per canonicam electionem successit Stephanus ejus nominis VII. patriâ Romanus, & præfuit annis duobus, mense uno, diebus duodecim: vir moribus integer, & conversationis merito sanctissimus.

Stephanus fit Papa septimus.

DCCCCXXXI.

Anno Diethmari Abbatis sexto Heinricus Romanorum in manu valida secundò migravit in Bohemiam, & devictum gentis principem nomine Ziptineum, vel ut alij dicunt, Spireneum cum suis omnibus ad Christi fidem convertit. Qui Baptismi gratiam consecutus, reliquum vitæ suæ in omni justitia & sanctitate consummavit. Qui ob reverentiam & honorem Christianæ fidei, quam devotissimè susceperat, ex Duce in Regem, Heinrici victoris auctoritate, fuit sublimatus. Habebat autem duos filios Wenzislaum videlicet sanctissimum virum, qui patri successit in regno: & Boleslaum, qui fratrem suum crudeliter occidit: de quibus suo inferius ordine latius dicemus. Claruit his temporibus Edelstanus post Edvvardum patrem Rex Anglorum, vir in Christiana Religione sanctissimus, adeò circa divinitatis cultum studiosus atque solicitus, ut vix in tota Anglia fuerit aliquod vetustum Monasterium, quod non vel ædificijs, vel ornamentis aut libris vel prædijs decoraverit. Nova enim Monasteria nostri Ordinis, quasi ex professo construxit: vetusta quasi nil aliud

Bohemia convertitur ad fidē.

Edelstanus Rex Anglorum.

aliud habens agere, munificentissimè reformavit. Cujus sororem alteram Otto Heinrici Romanorum regis filius, post Imperator duxit uxorem: alteram verò Ludovicus Aquitanorum Princeps de genere Caroli magni superstes in conjugem accepit.

DCCCCXXXII.

Anno Diethmari Abbatis VII. Dietho Herbipolensis Episcopus moritur XVII. Calend. Decemb. cui Burckhardus Abbas Monasterij Hirsfeldensis, de quo supra diximus, succedens præfuit annis decem, mensibus tribus, & diebus XXIII. vir tam in divinis scripturis quàm sæcularibus litteris haud mediocriter doctus; moribus quoque non minus quàm eruditione venerandus: cui in Abbatia Hirsfeldensi Megengos successit, vir strenuus, & in omni genere doctrinæ scripturarum multùm eruditus. Eodem anno Stephanus Papa septimus moritur, & in Ecclesia S. Petri sepelitur: cujus vita mansuetudinis & Religionis plena fuit: cui Joannes ejus nominis undecimus succedens præfuit annis quatuor, mensibus decem, diebus verò quindecim, cujus temporibus Italia tyrannorum crudelitatem experta gemebat. Claruit his temporibus post Richardum scholasticum Monasterij S. Matthiæ apud Treviros Diethelmus Monachus atque Magister scholarum doctissimus, qui à bono præceptore optimè instructus multos in omni scientia discipulos doctissimos reliquit. Erat sanè non solum scientiâ scripturarum magnificus, sed etiam mirabili quadam gratiâ docendi præditus, quâ suis auditoribus multa parvo tempore tradere potuit, quæ ceteri fortè pluribus annis vix impartiri alicui potuissent. Scripsit de mensura Monachorum librum unum. De compositione Astrolabij librum. De usu & utilitate Astrolabij librum unum. De arte metrorum libros duos. De studio & amore divinarum scripturarum, ad Marquardum Monachum Epternacensem librum unum. In Evangelium Matthæi ad eundem librum unum. Alia quoque nonnulla compilâsse dicitur, quæ necdum in manus nostras pervenerunt. Præfuit autem abhinc scholæ Monasticæ in memorato Cœnobio S. Matthiæ annis XXIII. Marcquardus etiam prædictus Monachus, & Scholasticus in Cœnobio sancti Willebrordi Epternacensi, quod sex ferme à Treveri distat milliaribus in pago Eufaliorum, hæc tempora suâ eruditione, & scriptis reddidit clariora: nam cùm esset in omni scripturarum scientia doctissimus, varia ad utilitatem posteritatis lucubravit opuscula. Ex quibus extat in Musicam Boëtij commentariorum insigne opus, quod Ludovico Gallorum Regi inscripsit. De septem artibus, quas liberales vocant, libros totidem composuit. Vitam sancti Willebrordi Trajectensis quondam Episcopi fundatoris Monasterij præfati Epternach gemino descripsit eloquio. Hymnos quoque, prosas, & varios in laudem Sanctorum cantus, & melodias composuit; cum alijs multis, quæ profundum hominis testantur ingenium. Aurea fuerunt in Ordine sanctissimi Patris nostri Benedicti hæc sæcula, quibus viri Monastici virâ, & doctrinâ penè innumerabiles ubique claruerunt. Ex quibus multi ad Pontificatûs apicem fuêre promoti: cùm nulla in toto Latinorũ imperio reperiretur Ecclesia, quæ de Ordine Monachorum non habuerit Antistitem. Commendabat enim vitæ sanctitas scientiam scripturarum: & fecit eruditio litterarum omnimoda vitam Monachorum multò clariorem. Duravit hæc ipsa Ordinis

Burckardo ex Abbate fit Episcop. Herbipol.

Joannes fit Papa XI.

Marcquardus Epternacensis.

Ejus Opuscula.

Aurea Ord. nostri hæc sæcula.

dinis nostri præcellens gloria virorum annis ferme quingentis, quamdiu fuit sub Latinorum Ecclesia solus, & multa sanctorum millia transmisit ad Superos: quorũ ille novit numerum, qui cunctos in sua fide condidit sanctos. At postquam factũ est anno Christianorum centesimo supra millesimum, quando Cistertienses primùm à nostris fecêre digressum, Religio Benedicti paulatim corruit, & usq; in præsentem diem ad statum pristinum in toto non surrexit. Vita enim Monachorum istius temporis nimium est tepida, scientia scripturarum in eis aut nulla, aut parva.

Unius corruptio alterius generatio.

DCCCCXXXIII.

Ratherius Episc. Veronâ expellitur.

Anno Diethmari Abbatis octavo, Ratherius ex Monacho Lobiensis Cœnobij Episcopus Veronensis à Rege Hugone Episcopatu pulsus, quia Bavaris favebat, Papiã relegatur: ubi & librum de suis ærumnis, ut suprà diximus, pulchrâ distinctione conscripsit. Arnolphus etenim Bavariæ dux jussu Regis Henrici cum magno armatorum exercitu in Italiam contra Hugonem regnum occupantem veniens, à Veronensibus suscipitur, & cum tyranno confligens superatur. Hinc elatus victoriâ proceres Veronensium Hugo Tyrannus irarum plenus aggreditur, & alios gladio fecit occidi, alios in exilium ad diversa loca bonis eorum confiscatis fecit relegari.

Arnolphus Dux Bavariæ vincitur.

Anno prænotato Saraceni ex Africa transfretantes per mediterraneum mare magno suorum tumultu Genuam Italiæ civitatem intrârunt, & hostili modo eam deprædantes, multa hominum millia occiderunt. Captâ verò ingenti prædâ civium, ad sua cum navibus revertuntur.

DCCCCXXXIV.

Ungari cæduntur ab exercitu Regis.

Anno Diethmari Abbatis nono, Ungari denuo fines Imperij Romani hostili animo ingressi ab exercitu Regis Henrici, aut cæsi, aut capti temeritatis suæ pœnas dederunt. Claruit his quoque temporibus apud Francos Orientales in Cœnobio sancti Burkardi juxta Herbipolim Reinhardus Monachus & Magister scholarum ibidem, in omni genere doctrinarum nominatissimus: sub cujus institutione scientiâ litterarum multâ, claustrales ejusdem loci complures mirificè profecerunt. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula de quadratura circuli librum unum. In Cathegorias quoque Aristotelis libros quatuor. De musica libros duos. De arte poëtica librum unum. In Cantica Canticorum librum unum. De Monochordo librum unum. De Resurrectione Mortuorum librum unum. Contra Hæresin Anthropomorphitarum libros tres. Et alia multa, quæ necdum vidimus.

DCCCCXXXV.

Notingus ex Monacho S. Galli Episc. obijt.

Anno Diethmari Abbatis decimo, Notingus ex Monacho Cœnobij sancti Galli in Suevia Episcopus Constantiensis moritur: vir in omni scriptura tam divina, quàm humana doctissimus, anno Pontificatûs sui post Salomonem octavo decimo. Hic verò cùm in omni genere doctrinarum esset peritissimus, scripsit adhuc in Monasterio constitutus multa præclara opuscula, quibus nomen suum immortalitati consecravit. Ex quibus est insigne volumen super quatuor Evangelia Domini nostri Jesu Christi. Item in Regulam sanctissimi Patris nostri Benedicti composuit librum unum; & varios cantus in laudem sanctorum. De cæteris, quæ scripsit nihil adhuc vidimus. Post mortem verò Notingi sanctus Conradus

radus Episcopus Constantiensis Ecclesiæ ordinatus est; vir Apostolicæ conversationis, qui & in vita, & post mortem infinitis penè miraculis coruscavit. Magna inter eum, & sanctum Udalricum Augustensium Episcopum familiaritatis amicitia viguit: sicut in utriusque vita scriptum invenitur. Anno prænotato, magna Synodus Episcoporum, & Abbatum apud Erpfordiam Thuringiæ oppidum jussu Regis Heinrici fuit celebrata, in qua multa pro utilitate, & decore Reipublicæ Christianorum constituta sunt; & præcipuè contra hæresim Simoniacæ pravitatis, & incontinentiam quorundam Sacerdotum, qui sanctum officium amplexibus meretricum polluere, & dehonestare non verebantur. Eodem quoque anno multa signa mortem Heinrici Regis præcesserunt: nam sol sereno cœlo mox obscuratus est; per fenestras verò domorum radios quasi sanguineos atque pallentes immittebat. Mons in quo situm est Cœnobium Monialium nostri Ordinis, dictum Quedelenburg, quod Heinricus Rex, ut diximus, fundaverat, in quo & postea fuit sepultus, hoc anno flammas evomuit. Hominis cujusdam in Saxonia sinistra manus ferro cum brachij parte penitus amputata, & in cœmeterio sepulta, post annum ei dormienti ad integrum restituta fuit: cui pro signo miraculi quasi linea una parvula sanguinei coloris in modum serici fili subtilis, in locum amputationis & conjunctionis relicta, quoad vixit, indelebilis apparuit.

Synod. Episcoporũ celebratur Erphord.

Apparuêre prodigia.

Mõs ardet.

DCCCCXXXVI.

Anno Diethmari Abbatis undecimo indictione Romanorum nonâ, obijt Helmfridus quondam Abbas Fuldensis, vir ingenio clarissimus, & multâ rerum experientiâ insignis: cui primus in Abbatia successerat Monachus quidam nomine Hetho, & præfuit annis quatuordecim, qui ruinas Cœnobij sui, quod Ungari dudum incendio penè totum destruxerant, magnis impensis studiosè reparavit. Eodem anno Heinricus Rex Romanorum & Theutonicorum domitis in circuitu gentibus Romam ire statuit; paratisque omnibus, quæ ad iter tantum videbantur necessaria, infirmari cœpit, & propterea viam coactus intermisit. Qui se moriturum considerans, Ottonem primogenitum suum Regem coram Principibus, eorum consensu designans, quartâ die mensis Julij moritur; & in Cœnobio Quedelenburg, quod ipse construxerat, sepelitur. Qui licet in vinculis hostibus esset gloriosus, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, ut ab Italia fugarentur tyranni, qui sibi mutuò succedentes, Imperiũ miserabiliter diviserunt. Et hæc fuit causa, quòd à tempore Arnolphi Imperatoris tres Romanorum Reges ad Imperij coronam non venerunt.

Hetho fit Abbas Fuldensis.

Heinricus Rex primo moritur.

DCCCCXXXVII.

Anno Diethmari Abbatis XII. Otto primus Heinrici Regis primi filius in palatio apud Aquasgrani Principum electione in locum demortui Patris Rex constituitur, & per ministerium Hildeberti Moguntinensium Archiepiscopi in Ecclesia Beatissimæ Virginis ibidem inunctus coronatur. Imperavit autem abhinc plusquam triginta annis cum potentia ingenti & gloria. Cùm inter Archiepiscopos Trevirensem & Coloniensem apud Aquasgrani super Regis coronatione fuisset orta dissensio, quorum utérque ministerium Consecrationis ad jus suum pertinere vòlebat; Principum tandem sententiâ decretum est, hoc munus per manus Hilde-

Otto primus Rex Francorũ & Imperator Romanorum.

berti Moguntinorum Archiepiscopi illâ vice debere compleri, quod & factum est. Accedens itaque ad sanctum Altare Hildebertus Pontifex Magnus, divinum cum summa devotione celebravit Officium; quo ex ordine consummato tali serie ad novi Regis Unctionem cunctis litantibus, & Deum collaudantibus processit. Imprimis accipiens de Altari gladium & baltheum ad Regem coram se genua flectentem convertitur, & præcingens eum Imperiali spattâ, tali modo loquebatur: *Accipe hunc gladium Dei munere sacro Imperio destinatum, in quo deijcias omnes adversarios Christi, quem tibi auctoritate Omnipotentis Dei tradimus, cum omni potestate totius Imperij Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum.* Deinde sumptis Chlamyde, & Armillis, induit eum dicens: *His cornibus humerotenus demissis monearis, quanto fidei zelo fervere debeas, ut in defensione populi Christiani tibi commissi, ac pace tuenda omni tempore usque ad finem vitæ constans perseveres, Amen.* Post hæc tradidit in manibus ejus sceptrum, & orbem aureum, dicens: *His signis munitus esto, quatenus subjectos tibi populos paternâ castigatione corripias, téque primùm Dei Ministris, deinde etiam viduis & orphanis & pupillis Protectorem & Defensorem semper exhibeas, eísque manum misericordiæ, & sceptrum clementiæ libenter porrigas, & à via justitiæ nullo unquam tempore recedas, Amen.* Deinde fuso super caput ejus oleo consecrationis, ait: *Unxit te Dominus in Regem super populum suum, ut nunquam de capite tuo oleum miserationis deficiat, quo hic, & in futuro ab ipso Creatore tuo Domino Jesu Christo misericordiam consequáris, Amen.* Postremò imposuit capiti ejus coronam sanctam regalem, dicens: *Coronavit te Dominus coronâ justitiæ, quâ monearis, te debere justitiam administrare subjectis, quatenus hoc ornamento regali præmunitus, & reverendus tuis, & terribilis appareas inimicis, & post hujus vitæ terminum sempiterno cum sanctis omnibus præmio coroneris, Amen.* Deinde Choro prosequente Hymnum Ambrosianum: *Te Deum laudamus.* Pontifices Ottonem super solium regale posuerunt, salutantes eum Regem Francorum ex more, & patricium Romanorum cum ingenti lætitia. Otto igitur coronatus, & unctus in Regem, quàm sapienter in regni moderamine, quàm fortiter in adversantium certamine, quàm strenuè in omnibus, quæ ad Religionem pertinent, se gesserit, nemo facilè dixerit. Primùm itaque Barbaris ad novas res moliendas desævientibus, Bolizlaus Dux Bohemiæ sanctissimum Regem Wenciz-laum fratrem suum in odium Christianæ Religionis, & Romani Imperij, qui erat fidelis, & utilis, crudeliter occidit; in cujus ultionem Rex Otto exercitum contra Bolizlaum misit in Bohemiam, ubi primò nostri extitère victores; deinde pro recenti victoria securius agentes repentinâ incursione penè omnes ab eo occisi sunt. Duravit autem bellum hoc inter Ottonem Regem, & Bolizlaum Ducem annis ferme quatuordecim; postea Dux superatus, Regi Ottoni cœpit primùm obedire, & esse fidelis cunctis vitæ temporibus.

Modus coronationis Regis.

Ad gladiũ.

Ad armillas.

Ad sceptrũ.

Ad unctionem.

Ad Coronam.

Bellum regis contra Bohemos.

DCCCCXXXVIII.

Centesimus annus Hirsaug. Cœnobij.

Annus iste centesimus est Monasterij primi sancti Aurelij Hirsaugiensis à tempore institutionis primi Abbatis Luthberti, de quo superius sufficienter est dictum, usque ad hunc annum Diethmari Abbatis tertium decimum, indictionem undecimam. Eodem anno tria Ordinis nostri Monasteria incendio perierunt, videlicet, sancti Bonifacij in Fulda, sancti Gal-

cti Galli in Suevia, & Scutterense in Alsatia, quod S. Pyrminius olim Episcopus Meldensis in Gallia fundavit. Anno quoque prænotato Rudolphus rex Burgundiæ moritur, qui duo sibi regna diversis temporibus vendicaverat, Italiæ primum, & Galliæ secundum, sed utróque relicto, ad suos tandem reversus est. Arnolphus etiam Bavariæ Dux eodem anno moritur: qui multis regibus sæpe contrarius fuit, relinquens filium Arnolphum juniorem. Item eodem anno contra regem Ottonem rebellant Eberhardus Comes Palatinus, Dux Mosellanus, & Giselbertus Dux Lotharingiæ, qui Girbergam sororem regis habebat uxorem, qui rempublicam multis incommodis afflixerunt, ut suo loco dicemus.

Rudolphus obijt.

Arnolphus obijt.

Contra Regem Principum rebellio.

Anno etiam præsignato, Ungari per Austriam, & Sueviam multis civitatibus igne, & gladio consumptis, Wormatiæ Rheno transito, usque ad Oceanum Burgundiam, & Galliam vastant, & per Italiam redeunt. Quorum adventum rex Otto intelligens, cùm tentâssent ab occidentali parte intrare Saxoniam, nil moratus, cum exercitu valido eis occurrit, & factâ congressione illos in fugam convertit, & pacem in circuitu fecit. Cessantibus autem bellis externis, civilia cœperunt oriri: Nam Arnolpho Bavariæ Duce mortuo, filij ejus superbiâ elati, jussu regis in Comitatum ire contempserunt. Unde commotus rex, Ducatum Bavariæ contulit Bertholfo fratri, defuncti Ducis Arnolphi filijs abjectis. Mortuus est & Sigefridus Comes optimus Saxonum, qui secundus à rege procurabat Saxoniam. Cujus legationem cùm sibi vendicâsset affinitatis causâ Danckmarus, frater regis ex patre, non ex matre, & regali dono cessisset Geroni Comiti, afflictus est tristitiâ magnâ Danckmarus, pro eo, quòd sibi rex prætulisset Comitem Geronem. Erat autem Danckmarus manu promptus, ingenio acer, bellandi peritus, cujus mater filia fuit materteræ Sigefridi Comitis, de qua susceptit eum rex Heinricus, & ditavit eum divitijs, & prædijs multis, absque his, quæ fuerant matris. Eberhardus quoque Comes Palatinus iratus contra Briningum quendam ex primoribus, collectâ manu civitatem illius, vocabulo Elmeri, cunctis civibus interfectis succendit. Pro qua temeritate condemnavit eum rex centum talentis, omnésque Principes, qui ei auxilio fuerant, dedecore canum, quos portabant, usque ad urbem regiam, quæ dicitur Magdenburg. Hinc commotus Eberhardus conjunxit se Danckmaro, collectâque manu validâ oppugnat præsidium, quod dicitur Badilcki, in quo erat Heinricus frater regis adhuc juvenis: datâ militibus prædâ urbis, Heinricum ut vile mancipium secum abduxit captivum. Danckmarus quoque postea cepit urbem, quæ dicitur Hereburg, sedítque in ea, & multa inde exercuit latrocinia. Rex autem licet invitus, cum multo comitatu perrexit illuc ad reprimendam illius insolentiam. Cives autem regem apertis illico portis introduxerunt cum toto exercitu ejus. Danckmarus autem regis ab introitu in Ecclesiam B. Petri Apostoli fugit: & stans juxta altare depositis desuper armis, à quodam per fenestrã à tergo perfossus interijt. Eberhardus verò Heinricum habuit secum, qui audiens necem Danckmari, fractus animo, coram suo captivo prosternitur, veniam petit, ac nequiter promeruit, eâ videlicet conditione, ut contra Dominum, & fratrem suum secum faceret conjurationem, & si fieri posset, ipse coronam capiti ejus imponeret. Heinricus enim, sicut dixi-

Ungari devastant regnum Galliæ.

Sigefridus comes moritur.

Eberhardus Comes Palatinus.

Rex Otto capit oppidum Hereburg.

Giselbertus Lotharingiæ Dux.

mus, adhuc juvenis erat, & regnandi cupiditate fervebat. Eberhardus etiam Giselbertum Lotharingiæ Ducem à regis fidelitate disjunxit: cujus adjutorio ipsi regi non modicè resistebat. Qui Giselbertus quamquã sororem regis haberet uxorem, maluit tamen, & ipse spe regnandi Ottoni resistere, quàm ei, ut debuerat, fideliter adhærere. Hermannus autem Dux Suevorum ejúsque frater Otto, & Conradus cognomento sapiens Dux Francorum Orientalium, quamvis Eberhardo consanguinitatis lineâ jungerentur, maluerunt tamen cum justo rege, si necesse fuisset, occumbere, quàm cum illo injustè triumphare. Eberhardus itaque Palatinus haud secus voluit Giselbertum à fidelitate regis disjungere, donec promitteret ei se illum regem facturum. Giselbertus verò Heinricum hâc voluit arte decipere, ut dum ejus adjutorio regem vicisset, ipse regis solium obtineret. Verùm Eberhardus longè aliter secum in animo dispoſuerat. Voluit enim, si regem potuisset devincere, utrósque regno privare, illúdque sibi usurpare: sicuti ex verbis ipsius, quæ paulò antequam moreretur, uxori suæ dixisse perhibetur, possumus conjicere. Quam dum foveret in sinu: *Jucundare*, inquit, *in gremio Comitis*: *in brevi lætatura in amplexibus Regis.* Sed fefellit illum stulta promissio: & qui suis non contentus, Dominum suum injustè persequi non erubuit, justo Dei judicio pœnas mortis, quas meruit, in brevi dedit.

Ambitio cæca seduxit sperantes.

Herbordus Scholasticus obijt.

Anno prænotato, die mensis Octobris xv. obijt Herbordus Monachus, & Scholasticus hujus Monasterij Hirsaugiensis, de quo Menfridus scribit, quòd nemo illum unquam viderit irâ commotum, vel animo turbatum, sed mente semper tranquillâ, & vultu sereno, ut Angelus Dei sine reprehensione laudabiliter in omnibus conversatus est. In lectione divinarum scripturarum semper fuit studiosissimus, nec ullo unquam tempore otiosus. Semper enim aut scripsit, aut legit, vel sanctis orationibus fuit intentus. Nil illi dulcius fuit, quàm divinos revolvere libros, & mentem dapibus saturare supernis. Huic in præfectura scholastici muneris immediatè successit Diethardus Monachus non infimè doctus, qui magisterio scholarum susceptо magnum eruditionis fructum protulit, & Monachos in omni scientia doctissimos plures erudivit. Præfuit autem scholis Monachorum annis quatuordecim: & non solùm Hirsaugienses, sed etiam ex alijs Monasterijs ad se destinatos Monachos in omni genere doctrinarum copiosè instituit.

Diethardꝰ Scholasticus hic.

DCCCCXXXIX.

Anno Diethmari Abbatis xiv. Idibus Septembr. obijt Hildebertus, ex Abbate Fuldensis Monasterij Archiepiscopus Moguntinus, vir sempiternâ memoriâ dignus, vitâ, & conversatione sanctissimus. Qui spiritu prophetiæ plenus fuit, & multis virtutibus clarus extitit: quem sanctorum Catalogo in cœlesti patria non dubitamus ascriptum, quamvis à mortalibus videatur neglectus. Huic in Archiepiscopatu successit Fridericus, & præfuit annis xv. homo ferus, & dolosus, & Regi Ottoni secretò contrarius, qui propterea non paucas suscitavit insolentias: & Monachorum persecutor maximus, sed invalidus fuit. Nitebatur enim Regi Ottoni persuadere, quatenus multitudinem Monachorum in paucitatem redigeret; dicens, melius videri paucos vitâ, & eruditione claros, quàm plures negligentes, & idiotas in Monasterijs esse: ideóque oportere conversa-

Fridericus Archiepisc. Moguntinus.

versationes eorum per singula Monasteria diligenter perspicere, & non bene conversantes de Cœnobijs eliminare. Et quidem nonnullis ex Pontificibus, ut sic facerent, persuasit. Quorum austeritate plures Monachorum perterriti, ac propriæ infirmitatis conscij, depositio habitu, & relictis Monasterijs, grave onus Pontificum fugâ declinabant. Fuerunt plures, qui Archiepiscopum Fridericum non purè hoc, sed subdolè fecisse arbitrati sunt; quatenus Hademarum venerabilem Abbatem Fuldensem Regi charum ac fidelem, si quo modo potuisset, dehonestaret. Fuit enim Hademarus Abbas memoratus vir magnæ prudentiæ & industriæ, sub cujus temporibus Fuldense Cœnobium igne consumptum in melius est restauratum. Hic eundem Pontificem secundâ conjuratione contra Regem Ottonem culpabilem sub custodia sua captivum tenuit, primùm quidem honorificè, sed (posteaquam litteras conspirationis in Regem ab eo scriptas reperit ad desertores) satis eum severè custodijt. Unde clementiâ Regis postea dimissus, dum ultionem quæreret, nec contra tantum virum prævaleret, humilia Monasteria tentare statuit; si fortè ad excellentissima quoque posset habere progressum. Sed hujusmodi simulationes ejus in cassum profusæ sunt. Nam & Abbas in gratia & amicitia Regis permansit, & causis varijs intercurrentibus, Pontifex, quod malè voluit, minimè implevit, & ita cessavit ista tentatio. Iste Fridericus Archiepiscopus Moguntinus Ecclesiam Regularem S. Petri Apostoli ad plagam Aquilonarem extra mœnia civitatis Moguntiæ fundavit; & in ea Canonicos secundùm regulam Apostolorum conversantes posuit, quibus omnia fuêre communia, & nemo suum aliquid proprium esse dicebat. Fuit enim veterum consuetudo laudabilis Clericorum, sine proprio in communi vivere, unam mensam, unum dormitorium, & unum marsupium sub Præpositi obedientia habere. Verùm temporis successione præbendas cœperunt cum emolumento reddituum in distributiones quasdam dividere, & singuli singulas possidere.

Odio laborat Monachorum.

Hademar. Abbas Fuldensis.

Ecclesia S. Petri Moguntiæ fundatur.

DCCCC XL.

Anno Diethmari xv. Otto Rex primus fundavit monasterium Ordinis nostri, sub honore S. Joannis Baptistæ in Civitate Saxoniæ Parthenopolitana, quam Magdeburg vulgariter appellant, in eo videlicet loco, ubi nunc major videtur Ecclesia: quod tamen postea in montem extra Civitatem, sed prope fuit transpositum (ubi nunc cernitur) ut locus conveniens majori Ecclesiæ construendæ præberetur. Claruit his quoque temporibus post S. Odonem primum Abbatem Cluniacensem Hademarus ex Ordine secundus, vir sanctitate vitæ, ac eruditione scripturarum clarissimus, qui tandem lumine oculorum, Deo permittente, orbatus, in medio fratrum suorum tranquillâ conversatione vivens, magnum præbuit conscientiæ exemplar. Mortuus autem infinitis mox cœpit coruscare miraculis: unde & in Sanctorum Catalogum sumi Pontificis Rom. imperio relatus est; cujus festum apud Cluniacenses XIII. die mensis Septembris cum honore quotannis peragitur.

Monaster. Bergense fundatur.

His temporibus monasterium S. Maximini apud Treviros multis sanctissimis âtque doctissimis monachis omni laude prædicabatur glorioſum: de quo plures in Germania & Gallia Dei Ecclesiæ Pontifices habuerunt insignes. Ex his fuit, & Anno Monachus quidam vitâ, & conversa-

S. Anno Abbas Bergensis.

versatione sanctissimus, nec minus eruditione scripturarum doctissimus: quem Otto Cæsar primus Monasterio S. Joañis memorato in Magdeburg à se fundato præfecit Abbatem in ordine primum: cum quo etiam primi Fratres, duodecim numero, in Saxoniam à Treveris venerunt. Magister scholarum dicti Monasterij sancti Maximini eo tempore fuit Herdingus, qui & Adelbertus Monachus, eruditione scripturarum insignis, & vitæ merito sanctissimus, qui postea Magdeburgensis Ecclesiæ primus Archiepiscopus fuit ordinatus, de quo suo tempore inferius dicetur.

Adelbertus Scholastic. Treveri.

Anno prænotato, Rex Otto Lotharingiam cum suorum exercitu ingreditur, & Castellum, quod Caprimont appellatur, obsidione vallavit, & omnem circa regionem igne ferróque devastavit. Giselbertus autem fugâ elapsus evasit. Sed cùm obsidio locorum difficultate parùm proficeret, vastatâ undique regione Otto Rex in Saxoniam cum suis reversus est. Et in confinibus Alsatiæ Castellum Brisach nomine, de quo omnis adjacens pagus, sive à flumine Brus dicitur Brusgavium, quod fertur olim fuisse illorum, qui Harelingi dicebantur, tunc autem temporis erat in ditione Eberhardi Comitis Palatini: in quo ipse suorum militum multitudinem posuerat: quorum terrore non solùm magnam partem præfatæ sibi Provinciæ vendicabat, verùm etiam circum circa fideles regis miserè laniabat. Ad cujus obsidionem Rex profectus, castra in circuitu ex more locavit. Et ecce mediâ nocte quidam Pontifices consilio Friderici Archiepiscopi Moguntini, ut dicebatur, à fide Regis deficientes, cum suis occultè recesserunt, ipso Friderico ibidem subdolè remanente, ne factum ejus consilio notaretur. Erat autem idem Fridericus, ut diximus, successor Hildeberti sanctissimi Præsulis Moguntini, & ipse quantum ad humanum judicium bonis operibus studiosè intentus, nisi quòd partibus adversariorum domini sui Regis occultè favebat, sicut famabatur ab omnibus, licèt ipse constantissimè negaret. Milites ergo considerantes defectionem Pontificum, Regi suadebant, quatenus & ipse reverteretur in Saxoniam, & hanc regionem desereret. Quibus ille respondit: *Nolite talia loqui, sed mecum viriliter agite: & si venit tempus nostrum, moriamur omnes in virtute: & non inferamus maculam gloriæ nostræ. Melius est enim pro vera justitia mortem subire, quàm necessarium fugiendo certamen turpiter vivere.* His & alijs admonitionibus non solum eos à fugæ proposito revocavit; verùm etiam vehementer ut pugnaretur, animavit, confortans animos debilium ad omnium tolerantiam laborum. Comes quidam cum eo tunc erat, cujus multitudo militum Regis exercitum non parùm decorabat. Hic plurimorum cernens defectionem à Rege, putabat sibi nihil in tantæ necessitatis articulo esse denegandum. Unde accedens in ipsius Castelli obsidione Regem rogavit, suis suorúmque usibus concedi Abbatiam Laurisheimensem tunc Ordinis nostri valde nobilem & insignem, quæ modò est Præmonstratensis Ordinis in Diœcesi Moguntina, haud procul à Wormatia, de qua inferiùs anno Christianorum millesimo ducentesimo tricesimo secundo latius dicemus. Rex Otto intelligens, quid petitio illa portenderet, Comiti coram omnibus respondit: *Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus: quis enim sanæ mentis homo ignorat, te hæc non petitione humilitatis, sed comminationis auctoritate postulâsse? scriptum est: Nolite sanctum dare canibus; quod etsi spirituа-*

Brisach Castelli obsidio in Alsatia.

Rex Otto suos confortat Milites.

Comes Abbatiam à Rege postulat.

Regis pulchra responsio notatur.

ſpiritualiter ſit intelligendum: Ego tamen ſanctum dediſſe me canibus judico: ſi Monaſteriorum prædia, quæ à Religioſis viris Deo militantibus ſunt tradita, tuleris, & ſæculo militantibus tradidero. Tibi verò tam procaciter injuſta petenti, ſub teſtimonio totius populi, juro, & conteſtor, quod nec hoc, nec aliud unquam à me ſis accepturus. Si tibi eſt cordi cum cæteris infidelibus avolare, quantò citius, tantò melius, vade quocunque volueris: Ego tui amore malè non faciam. His ille auditis rubore confuſus ad pedes Regis corruit, ac veniam poſtulavit. Eberhardus autem Palatinus Comes, & Giſelbertus Lotharingiæ Dux audientes Regem demorari in partibus Alſatiæ, collecto permagno exercitu alveum Rheni apud Andernachum tranſeunt, & Regis fideles circumquáque demoliri contenderunt. Otto ſanè frater Hermanni Ducis Suevorum, nec non & Conradus Dux cognomento ſapiens ipſis in partibus erant. Sed quoniam hoſtibus impares erant, congredi cum eis rationabiliter formidabant. Unde illi Provinciam hoſtili modo pervagantes cum ſpolijs multis receſſerunt: quos præfati Duces cum velocitate inſequentes ad Rheni fluenta feſtinabant. Cúmque paululum proceſſiſſent, quidam Sacerdos flens & ejulans eis obviavit, qui interrogatus ab eis, unde veniret, aut quare fleret? *Ab iſtis*, inquit, *prædonibus unicum paupertatis ſolatium, quod habui, ablatum eſt jumentum.* Quem cùm interrogarent, ſi Giſelbertum & Eberhardum vidiſſet, aut ubi eſſent, ſciret? *Cunctis*, ait, *cum præda Rhenum tranſmiſſis, ipſi ſoli cum ſuis electis (quod eis nec bene vertat Deus) cibum capiunt.* Hoc illi audientes ſumma cum celeritate ſuper eos irrunt; móxq; in primo tumultu Eberhardum Palatinum Comitem occiderunt. Giſelbertus autem Dux equum ſuum aſcendens, cùm alius fugiendi non eſſet luctantibus locus, in Rhenum ſe dedit præcipitem: & cùm armorum pondere gravatus enatare non poſſet, impetu fluminis ſuffocatus interijt. Cæteri omnes, qui Rhenum necdum tranſierunt, aut interempti, aut capti fuerunt, ita ut nec ullus quidem evaderet. Hujus facti nuntius cum Regi manè juxta conſuetudinem ſuam ad Eccleſiam, quæ longè à caſtris aberat tendenti, occurreret, mox de caballo deſcendens, ſeſe cum lachrymis in orationem dedit, & flexis in terram genibus Omnipotenti Deo humiliter gratias egit, dicens: *Gratias tibi ago Rex omnium Principum terræ JESU Chriſte, mundi Salvator, qui me indignum ſervum tuæ Majeſtati devotum ab inimicis meis eripere dignatus es: ſit Nomen tuum benedictum in ſæcula ſæculorum.* Oratione completâ ſurrexit à terra, & equum aſcendens itinere cœpto perrexit ad Eccleſiam: & in brevi poſtea omnem obtinuit munitionem.

Eberhardo Palatinus occiditur. Giſelbertus dux in Rheno perijt.

Rex proſtratus Deo gratias agit.

Hoc in tempore Bertholdus Dux Bavariæ, frater quondam Arnolphi Ducis ſuperbi, vir ſtrenuus totis viribus Regis partibus adhærebat: volens itaque Rex, ut quemadmodum tribulationis præteritæ, ita & lætitiæ præſentis fieret particeps, ſequenti mox die ad eum nuntios miſit, ſignificans ei per litteras adverſariorum interitum, & quantam à Domino miſericordiam acceperit. Et quoniam connubio dux caruit conjugali, in augmentum lætitiæ denuntiavit ei Rex ſub juramento: *Ut ſi ſororem ſuam Giſelberti viduam poſſet habere, eam illi conjugio copularet, ſi verò hoc minus procederet, filiam Giſelberti ex eadem ſorore natam, quam penès ſe habebat jam penè nubilem illi conjungeret.* Quo Bertholdus audito, immenſo eſt gaudio affectus: elegitq; potiùs expectare nondum nubilem, quàm relictam

Bertholdus Dux Bavariæ fidelis.

Fridericus Archiepis. defertor Regis.

relictam adversarij ducere uxorem. Fridericus igitur Archiepiscopus ut infidelitas, quam occultabat, fieret cunctis manifesta, decem diebus ante necem dictorum Principum à Regis commeatu cum suis discessit, veniénsque ad Moguntiam, & nil ibi moratus, iter confestim adversus Metensem civitatem direxit. Dispositerat enim Henricus frater Ottonis Regis cum ipso Friderico,& Giselberto duce,ac Palatino Comite Eberhardo illic magnum adunare exercitum, & Regi constituto in Alsatia indicere bellum. Cúmque ad Mediomatricum, id est, Metim tenderet Fridericus, nuntij cum litteris ab Heinrico missi medio ferme itinere occurrentes, prædictorum Ducum interitum nuntiârunt. Qui confortatus animo, quid ageret, ignorabat. Interea Rex Alsatiam deserens, Orientalem Franciam occupabat. Cujus adventu cives Moguntini perterriti redeuntem Archiepiscopum intra urbis mœnia suscipere contempserunt. Unde factum est, ut non multò post à quodam Regis fideli captus, & ad sui præsentiam ductus in custodiam apud Saxones sit mancipatus. In qua parvo tempore commoratus, miseratione Regis pristinæ dignitati est redditus.

Fridericus Archiepis. capitur.

His temporibus Romæ in Pontificatu summo post Joannem ejus nominis decimum, qui mortuus est in vinculis, præfuit Leo VI. mensibus septem, diebus quindecim, post quem Stephanus VII. annis duobus, & mensibus totidem. Quo mortuo Joannes XI. succedens præfuit annis quinque. Et illo viam universæ carnis ingresso, Leo VII. Pontificatum adeptus, sedit annis tribus. Quo etiam vitâ deficiente anno Diethmari Abbatis præsignato, Stephanus VIII. natione Teuthonicus in summo Pontificatu succedens præfuit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quindecim; vir doctus, & vitæ merito sincerus, qui Romanorum seditionibus nimium vexatus, quin & mutilatus nihil memoriâ dignum agere potuit: homo alioquin prudens, & ad summum Pontificatum idoneus. Anno etiam Diethmari Abbatis prænotato, sol dies aliquot veluti sanguinem emanans apparuit, & mortalitas magna secuta fuit. Anno etiam prænotato Berengarius junior Berengarij senioris ex filia nepos, timens Hugonem tyrannum se persequentem, pro eo, quòd contra eum Italiæ regnum affectare videretur, ad Hermannum Suevorum Ducem, & per eum ad Regem Ottonem confugiens, sævientis tyrannidem evasit.

DCCCCXLI.

Burchardo Episc. Herbipolensis obijt.

Anno Diethmari Abbatis XVI. obijt Burchardus in ordine Præsulum Herbipolensis Ecclesiæ XII. & ejus nominis secundus, quondam Abbas Hirsfeldensis,in die videlicet festi Annuntiationis Dominicæ,hoc est, 8. Calendas Aprilis. Hic à pueritia sua in præfato Monasterio sub regularis vitæ norma educatus, & in omni genere scientiarum nobiliter instructus, primò scholarum Magister constitutus est, deinde Pater, & Abbas Monachorum, ac postremò Ecclesiæ memoratæ Præsul magnificus, vitæ merito semper venerandus. Huic Burchardo in Pontificatu Herbipolensis Ecclesiæ successit vir prudentissimus Boppo, & præfuit annis XX. mensibus decem, diebus XIV. Ottonibus I. & II. semper charissimus.

Helpericus Monachus S. Galli Doctor.

Claruit his quoque temporibus apud Suevos in Cœnobio sancti Galli Helpericus Monachus, in omni genere scientiarum doctissimus, Diethmari quondam condiscipulus, qui post mortem sui Præceptoris Magister schola-

ſcholarum conſtitutus, multos præclaros auditores in omni ſcriptura doctiſſimos erudivit: qui cùm eſſet metro exercitatus ſimul & prosâ, multa ſcripſit opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendavit. Ad inſtantiam juvenum Monachorum ſcripſit imprimis de Computo Eccleſiaſtico librum unum. De Incarnatione Dei libros duos. Diverſorum Carminum libb. 2. Sermones & varias Homilias ad Fratres. Reliqua verò, quæ compoſuit, ad manus noſtras non venerunt.

Heinricus Frater Regis profugus.

Anno prænotato Heinricus frater Ottonis regis poſt necem Giſelberti & Eberhardi conſpirationis ſuæ ſocijs, metu fratris nullibi tutus, caſtellum Kivermont non ſolùm ingenijs hominum, ſed etiam naturâ ipsâ munitum ingredi voluit: ſed ſoror ejus Girberga relicta Ducis vidua eum prohibuit dicens ad eum: *Non te miſeriarum mearum, quas peremptо marito meo perpetior, piget? quin etiam munitionibus meis te includendo Regis iram ſuper hanc Regionem velut aquam effundas? Non patiar, ut ingrediaris meum caſtellum; nec enim tanta mihi vecordia eſt, ut meo incommodo tuis rebus provideam.* His auditis Heinricus Lotharienſes reliquit, & ad Ludovicum regem Gallorum fugit. Præfecit autem rex Otto Regioni Lotharingorum poſt interitum Giſelberti quemdam Ottonem filium Richvvini, ut & regnum illud procuraret, & nepotem ſuum Heinricum Giſelberti filium adhuc puerum bonæ ſpei enutriret. Porrò Girbergam ſororem Regis, matrem pueri, viduam Giſelberti Ludovicus rex Gallorum poſtea duxit uxorem.

Heinric. ad Regis gratiam revertitur.

Heinricus autem frater Regis omni deſtitutus auxilio, non habens defenſorem, jam mortuis Eberhardo, & Giſelberto; aſſumptis ſecũ nonnullis Epiſcopis, quorum juvaretur ſuffragio, nudis pedibus coram Rege die quadam ipſo ignorante provolvitur, & commiſſorum in eum veniam deprecatur. Cui Rex ait: *Indignum facinus tuum, veniam non meretur: verùm quia video te humiliatum coram me, non inducam ſuper te malum.* Juſſit itaque Rex eum duci ad palatium Caroli in Ingelheim, & ſolerti cuſtodiâ ſervari, quoad remotâ paululum mentis ægritudine prudentum deliberaret conſilio, quid de illo faceret. Poſt hæc innatâ ſibi clementiâ uſus remiſit injuriam: conceſſisque pro vitæ neceſſarijs fratri quibuſdam in Lotharingia urbibus cum proventibus ſuis, ut illic habitaret privatus deinceps clementer permiſit. Proceſſu deinde temporis mortuo Bertolpho, ſive ut alij voluerunt, Bertholdo Bavarorum Duce, qui Frater fuerat Arnolphi Ducis quondam ſuperbi, cujus filios Otto rex à patria, & ducatu proſcripſit, Heinricus interventu ſanctiſſimæ matris ſuæ Ducatum Bavariæ ſuſcepit à fratre, ac deinceps ei uſque ad mortem fidelis Adjutor permanſit. Erat autem ipſe Heinricus matrimonio copulatus filiæ Ducis Arnolphi ſuprà dicti, fœminæ egregiæ formæ, ac mirabilis prudentiæ, & virtutis.

DCCCCXLII.

Rex Otto Gallos fugat de Lotharingia.

Anno Diethmari Abbatis XVII. Ludovicus Rex Gallorum cum magno ſuorum exercitu Belgicam intravit, cujus caput eſt civitas illa omnium in Europa Urbium antiquiſſima Trevirorum. Quo cognito Rex Otto Rhenum in manu valida tranſivit, & retrocedere vel inviros coëgit. Rex autem Otto de die in diem proficiens terminis paterni Regni non contentus, abijt in Burgundiam, Regémque cum regno in ſuam accepit poteſtatem. Defuncto autem poſt aliquot annos Ottone Lotha-

riorum Præside, ac Regis nepote Henrico filio Giselbertì similiter mortuo. Ducatus Conrado duci à Rege conceditur: cui & unica ejus filia Lucardis in uxorem desponsatur. Erat autem Conradus adolescens acer ingenio, domi militiáque fortis & optimus, qui humanitate suâ omnium sibi animos obligavit. Huic Lutholfus filius Regis nimiâ dilectionis familiaritate astrictus est. Post hæc Rex Gallorum Ludovicus per interventum Legatorum pacem, & amicitiam cum Rege Ottone petijt, & impetravit: quod ei postea valde proficuum & utile fuit. Soror autem regis Ottonis Girberga, quam interempto Giselberto diximus nupsisse dicto Regi Gallorum Ludovico, peperit ei duos filios, Carolum videlicet, & Lotharium, qui genitori postea, ut dicemus, in regno successit.

Conradus fit Dux Lotharíorum.

Berengarij tyrannus.

Anno quoq; prænotato Berengarius quartus in Italia sæviens Adelindam Lotharij regis Longobardorum defuncti viduam ob Regni suspicionem conjecit in carcerem, quam Otto rex postea liberavit.

DCCCCXLIII.

Anno Diethmari Abbatis XVIII. obijt Almaricus Episcopus Spirensis, qui fuit in ordine Præsulum ejusdem Ecclesiæ sextus decimus. Huic in Pontificatu Neometensi successit Regenboldus Monachus hujus Cœnobij sancti Aurelij Hirsaugiensis, & præfuit annis quindecim. Vir multarum virtutum, & tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris doctissimus, qui apud Regem Ottonem primum magno habebatur in pretio. Fuit enim prudentiæ singularis, & ob vitæ sanctimoniam cunctis regni Principibus charissimus. Ad ejus preces Dux memoratus Lotharingiæ Conradus filius Wernharij Comitis omne jus suum, quod habuit in civitate Spirensi, cum mancipijs, teloneis, monetâ, denariisque salis, vini, picis, & universis proventibus Ecclesiæ contulit memoratæ in perpetuam possessionem. Quod contigit anno Diethmari Abbatis vicesimo primo sub imperio, & consensu Serenissimi Imperatoris Ottonis I.

Conradus Dux Wormatiensis.

Anno prænotato, Stephanus Papa octavus moritur. Cui Martinus ejus nominis tertius successit, patriâ Romanus, & præfuit annis tribus. Hic anno Pontificatûs sui primo, Regem Ottonem contra Berengarij tyrannidem vocavit in Italiam: veniens itaque in Italiam Rex Otto Adelindam captivam eripuit, & Berengarium, ut suo loco postea dicemus, ab Italia fugavit.

DCCCCXLIV.

Filij Patrẽ de Imperio expulerunt

Anno Diethmari Abbatis nono decimo, Stephanus & Constantinus filij Romani Imperatoris Græcorum ægrè ferentes se justâ increpatione pro morum suorum levitate notari à patre, eum de Imperio violenter deponunt, tonsúmque capite in vicinam Insulam, ubi Cœnobitæ philosophabantur, Monachum esse compellunt.

Anno prænotato sol quadam Feriâ sextâ, horâ diei quartâ Ecclipsin horribilem passus est. In Italia Cometa miræ magnitudinis apparuit, significans fortè famem ingentem, quæ postero anno secuta est. Eo die, quo solis defectum emersisse diximus, bellum fuit in Hispania cruentissimum inter Christianos, & Saracenos, in quo Radamirus Christianissimus Rex Gallæciæ Abdaram Regem Saracenorum superavit.

DCCCCXLV.

Anno Diethmari Abbatis vigesimo, Indictione Romanorum tertiâ,

Otto

Otto Rex totam Lotharingiam sibi denuo subjugavit: solo sibi resistente Adelberone Metensium Episcopo fratre Ducis Friderici, qui tamen & ipse postea cum omnibus suis ad gratiam venire compulsus est. Eodem anno Stephanus & Constantinus fratres, qui expulso proprio eorum patre Imperium Constantinopolitanum invaserant, videntes Constantinū filium Leonis quondam Imperatoris ab omnibus sibi præferri, & se jam vix in secundis haberi, cùm deliberarent de illo facere, quod proprio fecerunt de patre, consilio eorum per dæmonem in specie pauperis claudicantísque Constantino apparentem detecto, ambo de solio Imperiali pulsi, tonsísque capitibus ad idem Monasterium, ad quod patrem miserant, & ipsi ad philosophandum cum Monachis inviti mittuntur, dignam illis mercedem reddente providentiâ Omnipotentis. Et sic evacuato palatio abusivis Imperatoribus, Constantinus, & Romanus filius ejus ex Romani Imperatoris filia imperant annis sedecim.

Constantinus imperat Græcis.

Claruit his temporibus Hademarus Abbas Fuldensis Monasterij post depositionem Hethonis, vir industriâ, & prudentiâ illustris, & Regi Ottoni charissimus: qui templum Cœnobij sui memorati desolatum incendio suis temporibus magnificè reparavit, & in meliorem statum multò pretiosius restituit: quod Marinus Episcopus Hostiensis Apostolicæ Sedis Papæ Agapiti de latere missus Legatus rogante Ottone postea consecravit. Hic Hademarus Abbas Fridericum Archiepiscopum Moguntinum infidelem Regi, ut suprà diximus, æmulum habuit, sed in omnibus contra ejus insidias, ut vir sapiens, viriliter triumphavit.

Hademarus Abbas Fuldensis.

DCCCC XLVI.

Anno Diethmari Abbatis XXI. Martinus Papa tertius obiit. Cui Agapitus secundus patriâ Romanus succedens præfuit annis septem, mensibus novem: vir innocentis vitæ, qui Ottonem Regem contra tyrannidem Berengarij vocavit in Italiam; cujus ope concordia inter ipsum Pontificem & Berengarium facta fuit: sed non diu, ut dicemus, perseveravit.

His temporibus Ludovicus Rex Gallorum à ducibus suis deseritur, & post adversitates & tribulationes, quas à desertoribus sustinuit, tandem incarceratur. Æmulorum autem Regis præcipuus erat Hugo Dux Neustrasiorum, idest, Parisiensium, & eorum qui circa flumen Sequanam habitabant. Is Regem maximo persequebatur odio, amicos illius penè omnibus corrumpens muneribus, adversarios reddidit, & inimicos ad deteriora provocavit. Tandem post multa hincinde commissa prælia Rex apud Rothomagum capitur, & tetro carceri mancipatur. Mittuntur ab Ottone Rege Germanorum Nuncij: destinantur similiter à Rege Anglorum pro liberatione captivi ad Hugonem Legati: & nisi Regem dimiserit, gravia in eum se facturos è proximo comminantur. Dux Regum gravi Legatione commotus, Ottoni quidem pro parte dissentit, pro parte verò favendo consentit. Edmundi autem Regis Anglorum Legatis Regem captivum neque in proximo, neque præter rationem fore dimittendum respondit, asserens se ob minas Anglorum nihil omnino facturum: *Ipsos quin potius si veniant, quid & quantum valeant Galli, in armis experturos.* Iratosq; Legatos expulit: & consultum se conferens ad suos maximis in Reges indignabatur amplificationibus, &c. Tandem persuasione

Ludovicus Rex Gallorum capitur.

Hugo Dux Anglos contempsit.

suorum factus mitior, Ottonem Regem Francorum Orientalium petit, cupiens de hac re latius cum eo conferre aliquid; & præmissis Legatis colloquendi cum eo locum & opportunitatem petijt, sed minimè impetravit; unde cum indignatione in Galliam Celticam reversus est. Videns autem sibi malum ex omni parte paratum, Regem Ludovicum adit captivum, quem his verbis alloquitur: *Parvum te, ô Rex, adversariorum insectatio in partes olim compulit ultra marinas: inde revocatus meo ingenio, paterno es Regno restitutus. Posteaquam diu meis acquievisti Consilijs, semper in omni prosperitate floruisti. Nunquam nisi tui furoris pertinaciâ à te defeci. Nam infimorum & imprudentium hominum dispositione usus à recto tramite plurimum aberrâsti, & non me solum, sed omnes Principes ac nobiles Regni contempsisti. Unde & magna te rerum calamitas digna secuta est. Quomodo enim me præter necessaria & gloriosa quæque tibi provenire potuisse confideres? Multum tibi in hoc tuo est errore derogatum. At jam nunc memineris te esse virum: & considera, quid tuæ rationi conveniat: sicque virtus redeat, quæ in benevolentiam utrumque revocet; te imperantem, & me militantem: & sic me per reliquos omnes imperio tuo subjugatos recipies. Et quoniam à me Rex creatus adhuc nihil mihi penitus dedisti: Lugdunum mihi saltem jam tibi militaturo accomoda: quod causa erit fidei servandæ in antea.* Rex utpote captus, & qui liberari maluerit, quàm ut pater suus olim in vinculis mori, postulationi Ducis præbuit consensum. Unde statim à captivitate dimissus, Fare sese recepit. Adsunt sui per ducem de Lugduno expulsi: adest Gerberga quoque Regina multâ virtute memorabilis fœmina soror primi Ottonis: aderant & quidam Galliarum Ecclesiæ Pontifices: viri quoque nonnulli nobiles atque illustres. Apud quos Rex Ludovicus contra Ducem Hugonem penè lachrymans hanc querelam prosequitur: *Eja tu Hugo, eja tu Hugo! quantis bonis à te privatus, quantis malis affectus sum? quanto etiam nunc mœrore detineor? Urbem Rhemorum pervasisti, Lugdunum surripuisti, quibus duabus solis civitatibus recipi consueveram. Pater meus captus, & in carcerem detrusus vitam simul & regnum miserabili mutatione rerum amisit. Ego verò in eadem præcipitatus mala, nihil ex paterno regno, nisi spectaculum præbeo: quo factum est, ut mihi jam nec vivere libeat, nec tamen liceat mori. Quo me tandem conferam miser?* Paránsque amplius conqueri suum infortunium, ab indignantibus factum amicis prohibitus fuit. Deinde animum temperans, consilium habuit cum suis, & placuit in communi utiliter, quatenus legatio mittatur ad Ottonem Regem, quâ ereptionis suæ modum illi faceret manifestum. Itaque Ottoni Regi per Legatos ereptionem suam insinuat: prius captivum se, nunc autem bonis omnibus ab Hugone spoliatum denuntians. Unde & amico ferat auxilium postulat, ut ablatas nequiter ab Hugone civitates recuperare valeat per ejus suffragium, orat. Otto clementissimus Rex Francorum Orientalium Legationem Ludovici Regis Gallorum benignissimè excipiens, se in auxilium ejus venturum promittere non dubitat, & mox præfixo termino veniendi copias exercituum parat. Nec minus à Conrado Rege Genaudorum, idest, Burgundionum copias petit & accipit. Otto itaque Rex magnus cùm Rheno transmisso exercitum duceret per Belgicam, Conrado regi obviavit: qui tunc ab Alpibus egressus cum multa expeditione Ludovico Gallorum Regi in auxilium properabat. Ambo igitur juncti cum equitatu plurimo gradiebantur. Quorum adventum

Verba Ducis ad Regem captivum.

Rex à captivitate dimittitur.

Legatio Gallorum ad Ottonē Regem.

Conradus Rex Genaudorum.

Rex

Rex Ludovicus audiens ocius accurrit. Tres itaque Reges in unum collecti Lugdunum imprimis aggredi statuunt, & mox sine mora illuc exercitum deducunt: verùm considerantes laborem suum omnem, propter montes, qui civitati adjacent, Lugdunum deserunt, & urbem Rhemorum in planitie sitam obsidione cingunt: quâ tandem post octo dies captâ, ingrediuntur victores. Arnoldus Rhemorum Archiepiscopus per Ducem Hugonem dudum expulsus, ad sedem suam jussu regum per manus Friderici Moguntini & Ruperti Trevirensis Archipræsulum cum honore restituitur: & Hugo filius Heriberti comitis invasor Pontificatûs Rhemensis expellitur. Ad urbis verò custodiam Rex Ludovicus Girbergam Reginam cum aliquot viris illustribus deputari fecit. Inde Reges cum universo exercitu in Hugonem acturi, omnia quæ illius erant diripiunt: & Ligerim fluvium transeuntes usque ad terram Nortmannorum, incendijs & prædâ universa devastantes, unanimiter procedunt, tandem Regis Ludovici Gallorum atrociter ulti contumeliam, & etiam injurias Hugoni compensantes, iter quique ad sua retorquent.

Civitas Rhemorũ capitur.

Anno etiam prænotato Editha filia Regis Anglorum, uxor magni regis Ottonis moritur, & in Ecclesia Magdeburgensi sepelitur: mulier sancta, & Deo multum devota: eleemosynis, jejunijs, orationibus, & bonis operibus in omni vita sua semper studiosissimè intenta. Hæc peperit Regi Ottoni duos generosos principes, videlicet Lutholfum ducem Saxoniæ, & Wilhelmum Archiepiscopum postea Moguntinum; de quibus suo loco inferiùs latiùs dicemus. Eodem quoq; anno moritur Bertolfus dux Bavariæ frater Arnolfi quondam Ducis, de quo in superioribus nonnulla diximus: Ducatus verò totius Bavariæ ab Ottone rege magno Heinrico fratri suo traditur. Porrò filij Arnolfi ducis & fratris Bertholfi propter suam superbiam, & patris imperium ob rebellionẽ Ducatu Principum judicio ab Heinrico rege primo patre Ottonis perpetuò privati confugerant ad Ungaros: posteáque reversi Comitum nomine & ordine cogebantur non immeritò esse in ævum contenti.

Editha Uxor Regis moritur.

Heinricus fit Dux Bavariæ.

DCCCCXLVII.

Anno Diethmari Abbatis XXII. Otto rex magnus vocatus denuo ab Agapito Pontifice Romano Italiam ingreditur cum magno suorum exercitu, & Berengarium juxta urbem Ticinensem superans, Adelindam de carcere liberat, ac secum in Germaniam ducit, eámque sibi copulavit in uxorem.

Erat autem Berengarius homo ferus, nimiúmque avarus, & sicut Eutrandus Ticinensis Diaconus ait, qui omnem justitiam venderet pecuniâ. Is quondam ab Hugone de Italia fugatus venit ad regem Ottonem, & benignè ab eo tractatus, cùm Hugo multam pecuniam Regi polliceretur pro eo, non solùm illi non est traditus, sed etiam favore imperiali Regno postea restitutus. Qui, cùm Hugone tandem depulso sæviret in Italia, prudentiam & virtutem memoratæ reginæ Adelindis cœpit habere suspectam, ne si alicui denuo nuberet, potenti Regno pelleretur. Quapropter in multis eam afflixit; quò tanti decus splendoris vel extingueret, vel certè minueret, seu obfuscarêt. Hæc autem fuit filia Rudolfi quondam Regis Burgundionum, qui regnavit in Italia, & dominæ Berthæ reginæ scilicet Burchardi ducis Suevorum, quam defuncto Rudol-

Berengarius sævit in Italia.

Adelindis Regina capitur à Berengario.

pho Rex Hugo in conjugium duxit, filiámque illius filio suo Lotharrio copulavit. Italiam itaque ingressus rex Otto eam de captivitate Berengarij liberavit; quam sciens esse mulierem pulchritudine corporis speciosam, & virtute animi splendidam, ejus amorem ad se muneribus tentavit. Quo fideliter experto eam sibi copulavit uxorem, & cum ea Papiam, quæ sedes fuit Regni, obtinuit. Quod videns filius Lutholfus, tristis ab eo discessit, profectúsque in Saxoniam, aliquamdiu moratus est in loco funesto Salvelden. Rex autem celebratis Papiæ nuptijs in Germaniam postea cum nova uxore Adelinda seu Adelheide revertitur, Conradum Ducem Lotharingiæ dimittens contra Berengarium in Italia. Posthæc Berengarius consilio Ducis Conradi Regem subsecutus est in Germaniam, pacem cum eo facturus, & per omnia jussis ejus obtemperaturus. Qui veniens ad urbem regiam, jussus est in hospitio remanere sibi præparato: neque enim Regis faciem videre per triduum promeruit. Quod ægrè tulit Conradus, qui eum de Italia suis persuasionibus adduxerat, similiter & filius Regis Lutholfus, qui unum cum eo sentiebat. Veruntamen Rex in sua perstabat sententia, dicens: *Animũ Tyranni patientiâ probandum.* Elapso triduo Rex Otto Berengarium alloquitur, & in gratiâ ejus, ac Reginæ susceptus deditionem, sponsionem dat, fœderisque spontanei diem locúmq; urbem designat Augustam in Suevia. Ubi dum Conventus fieret Principum, Berengarius manus filij sui Adelberti manibus suis implicans, coram omni exercitu se cum filio Regis famulatui subjugavit, & ejus serviturum imperio deinceps omni tempore promisit, & ita dimissus cum gratia & pace in Italiam remeavit: sed per suam Tyrannidem totius in se Italiæ odium concitavit.

Rex Otto secundam duxit uxorem.

Berengarius ad gratiam recipitur.

DCCCC XLVIII.

Anno Dietkmari Abbatis XXIII. Hermannus Dux Suevorum Princeps potens atque ditissimus, accedens Regem Ottonem talibus eum sermonibus alloquitur: *Non latet Dominum meum Regem, me prædiorum latitudine ac pecuniarum immensitate prædivitem absque liberis esse, nec est præter unicam filiam meam parvulam, quæ mearum rerum hæres existat, me decedente. Placeat itaque tibi Domino meo Regi, filium tuum Lutholfum mihi adoptare in filium, quatenus unicæ filiæ meæ conjugio copulatus, mearum rerum fiat hæreditate magnificus.* Placuit Regi consilium Ducis Hermanni: & quod popposcit, sine dilatione complevit. In brevi posthæc Dux Hermañus moritur, & gener ejus Lutholfus Ottonis regis filius ducatu Suevorũ cum omni possessione hæreditatis jure potitur. Qui potestate acceptâ, animum tranquillum, quem habuit puer, exuit, armatúmque militem in Italiam ducens, aliquantísq; ibidem urbibus captis, & sub custodiam traditis, in Sueviam revertitur. Añ prænotato Hugo Dux Celticæ Neustriã à Regibus priori anno combustam dolens copias parat, & in Arnolphum comitem, cùm in Regem Ludovicum non auderet, cruentum ducit exercitum, terram ejus miserabiliter ubíque devastans. Impugnavit etiam quædam ipsius oppida, sed cùm sex dies nullum comprehendere posset, frustratus desiderio ad sua revertitur. Quæ cùm à Duce inaniter gererentur, Rex Ludovicus Musonium obsidione premebat, eò quòd nepos Ducis Hugo jam Archiepiscopatu Rhemorum privatus ibidem eo tempore moraretur. Quod cùm ad notitiam Ducis perveniisset, suorum collecto quàm magno

Hermannus Dux Suevorum.

Dux Hugo persequitur Arnolphum.

potuit

potuit exercitu, contra Regem properat; quod Rex intelligens, obsidione solutâ, & ipse ad Rhemorum civitatem revertitur, quò jussu regio convenerunt ex Celtica ferè omnes Episcopi, Abbates, Comites, & Nobiles, illis duntaxat exceptis, qui partes Ducis Hugonis sequebantur. Communi omnium decreto statuitur, ut regiæ dignitatis causa disponeretur apud Regem magnum Ottonem, eò quòd ipse tunc in Belgica moraretur, & apud alios, quorum prudentiæ Respublica videretur commendanda. Et legatis utrinque directis Rex Otto indicit colloquium generale in palatio Aquisgrani ad festum Dominicæ resurrectionis proximè habendum. Eodem Anno Rege Hugone mortuo, sicut dictum est suprà, Lotharius filius ejus solo nomine regnat in Italia: Berengarius enim clementiâ serenissimi Regis Ottonis potenter ubique tyrannisat, exceptâ Monarchiâ Veronensium & Provinciâ Aquilegiensi, quæ Ottonis Imperio parebant.

DCCCCXLIX.

Anno Diethmari Abbatis XXIV. Hermannus Dux Suevorum supradictus obiit, cui Luthtolfus gener ejus, Ottonis Regis filius de quo jam plura diximus, in Ducatu Suevorum successit. Eodem quoque Anno Taxis Princeps Hungarorum cum magno suorum exercitu intravit Italiam contra Berengarium, cujus impetum ferre Tyrannus cùm minimè posset, pacem emere pecuniâ coactus fuit. Nam decem modios nummorũ accipiens à Berengario Barbarus Princeps cum suis mox in Ungariam reversus est. Año prænotato Rex Otto, & Ludovicus Gallorũ juxta condictum ad festum Dom. resurrectionis in Aquisgrani conveniunt; ad quas è Germania & Gallia nonnulli quoque Principes, Episcopi, Abbates & Comites confluxerunt, qui omnes cum summa reverentia & honore sanctum Pascha in dicto Palatio celebrârunt. Intereà dum hæc per memoratos reges Aquisgrani cum necessarijs consultationibus agerentur, Hugo Dux apud suos contra Ludovicum Regem suâ consuetudine pravas consultationes tractabat, opportunum asserens in absentia Regis urbem Rhemorum debellandi; quæ illâ vice tam Episcopo, quàm militibus vacua videretur. Consentientibus Duci amicis civitas Rhemorum obsidione cingitur, & posteaquam ab utraque parte pluries fortiter fuerat dimicatum, Dux audito Regis adventu solutâ obsidione die tertiâ decimâ cum ignominia retrocessit. Nam rex Ludovicus copijs ab Ottone Rege susceptis in Galliam festinus revertitur, quo Rhemos potenter intrante, Hugo necessariò fugatur. Conveniunt Rhemis ad regem, qui partes illius tuebantur, ac de ipsius omniúmque salute consultant. Et quia rerum utilitas postulabat Regum consilijs interesse Ottonem, de communi omnium decreto mittuntur ad ipsum legati, qui nomine Regis & totius communitatis ipsum rogarent, quatenus tempus & locum constituere dignaretur ad commune inter ipsos habendum colloquium. Rex Otto volens consentire amico pro habendo colloquio, finem statuit Augusti, secus fluvium qui vocatur Kara. Dum hæc agerentur, Dux Hugo non mediocriter dolebat, nepotem suum Hugonem à Præsulatu Rhemensis Ecclesiæ depulsum; unde & illum monebat, ne Pontificale officium propterea intermitteret, sed amplius frequentaret, nec sese abdicatum nimium tristaretur. Atque ne penitus videretur abjectus, ei persuasit, ut aliquos ad gradus promoveret Ecclesiasticos. Qui confortatus exhortatione Avunculi,

Hermannus Dux Suevorum obiit.

Ungari devastant Italiam.

Hugo Dux Rhemos obsidet.

Hugo invasor divina temerat.

Thet-

Thetbaldum Suessionensis Ecclesiæ Diaconum vocari fecit, ipsumque Presbyterum ordinans adjutorio, & favore Ducis avunculi, mox Ambianensis Ecclesiæ consecravit Antistitem; in cujus ordinatione ex omnibus Rhemorum Diœcesanis Guido tantùm Suessionensis Episcopus favere, & interesse compertus est: quod honori ejus non in parvum periculum postea provenisse cunctis innotuit. Post hoc autem tempus advenit mensis Augusti finis, quo rex Magnus Otto indixerat colloquiũ, & convenerunt secus fluvium Karam. Aderat & Dux Hugo ipse Regis Ludovici desertor, & castra exercitûs sui juxta vicum Duodeciacum locaverat, ut pro nepote apud Episcopos causam ageret: Reges autem Otto Magnus Francorum Germanorúmque, & Ludovicus Francorum Occidentalium Gallorúmque specialia sua imprimis tractaverunt: quibus dispositis Duci locus dicendi pro Nepote conceditur. Qui causam Nepotis apud Episcopos diligentissimè cupiens dare promotam, multa produxit in medium, quibus Nepotem injustè querebatur amotum. Quod cùm ad aures Regum fuisset perlatum, jusserunt causam mox inter Arnoldum, & Hugonem ab Episcopis tunc præsentibus diligentissimè examinatam terminari: ita videlicet, ut & Dux tempore competenti de universis, unde culpandus videretur, Regi satisfaceret. Episcopis itaque rationem excipientibus omnium, quæ ab utraque parte dicebantur, illud grave nimis est visum, quòd Hugo abdicatus sacerdotio contra fas & decreta Canonum Thetbaldum Ecclesiæ Ambianensium ordinâsset Episcopum. Mox Regum Imperio hujus causæ ulteriorem ventilationem in aliam synodum debere transferri fuit ab Episcopis constitutum. Rex Otto synodum Episcopis indixit, Virduni habendam ad xv. diem calendarum Decembrium. Interim verò Pontificatus Rhemorum Arnoldo conceditur, & Hugoni cõmorari permittitur in Castello Mosonensi. Pax quoque sequestra inter Ludovicum Regem, & Ducem Hugonem Ottonis imperio statuitur, & servanda usque ad tempus ipsius synodi sacramento confirmatur.

Synodus Virdunensis.

Hugo iterũ condemnatur.

Synodus Episcoporũ.

Adveniente tandem præstituto tempore synodalis convocationis apud Virdunum convenêre Pontifices: inter alios evocati, Adelbero Metensis, Gauselinus Tullensis, Hiltheboldus Mimigart Wirdensis, Israhel Britigena, viris clarissimis quoque assistentibus Brunone valde Religioso & Reverendo cum Abbatibus venerandis compluribus: quibus præsidebat Rupertus Archiepiscopus Trevirorum cum Arnoldo Rhemensi. Ad quam synodum Hugo invasor Ecclesiæ Rhemorum vocatus, missis pro eo Adelberone & Gauselino Episcopis venire contempsit. Unde & iterum Episcoporum sententiâ condemnatus invasor abjectus est; & Arnodlus in Pontificatum omnium decreto denuo confirmatus. Sicq; nullis rerumd eterminatis rationibus synodus ista solvitur, & alia indicitur habenda Idibus Januarij in Ecclesia Mossonensi.

DCCCCL.

Anno Diethmari Abbatis xxv. Indictione Romanorum octavâ, die mensis Januarij decimâ tertiâ, synodus Episcoporum habita est præcepto Regum Ottonis, & Ludovici in Basilica sancti Petri apud Mosonium præsidente Ruperto Trevirorum Archiepiscopo: in qua convenerunt omnes ferè Diœcesani Provinciarum Trevirensis, ac Rhemensis, consedente

Alia Synodus.

dente etiam Arnoldo prænominato Metropolitano, cujus discutienda erat causa. Affuit & Hugo intrusus Ecclesiæ Rhemensis, qui tamen synodum intrare noluit, sed Epistolam nomine Agapiti Papæ signatam per suos synodo legendam transmisit. Quæ cùm soluta & lecta coram omnibus fuisset, nihil auctoritatis canonicæ habere videbatur; nihil etiam pro ejus causa significare, nisi ut ei præsulatus redderetur. Unde cùm Pontifices ad consultandum sese contulissent, mox eam penitus cassandam duxerunt; eò quòd rem in controversia pendentem absque ratione Canonicæ discussionis præciperet terminari, cùm abdicato Pontificatum juberet esse reddendum. Cõmuni ergo Pontificum sententiâ iteratò decretum est, Arnoldum verum Ecclesiæ Rhemensis Episcopum esse habendum, utpote qui nullius synodi judicium refugerit: nec ordinem suum aliquo crimine sordidâsset. Hugo verò, qui ad duas synodos vocatus venire contempsit, à Rhemensis Præsulatûs regimine penitus jubetur esse remotus, donec in tertiam synodum veniat, séque de objectis criminibus legitimè faceret expurgatum. Hujus capituli sententia de XIX. capite concilij Carthaginensis extracta litteris committitur, & Hugoni abrogato destinatur. Cùm autem cautionem Episcoporum vidisset Hugo subscriptam, iratus est vehementer; ac Ruperto Trevirorum Archiepiscopo præsidenti synodi per suos contumeliosè remandavit: *Nihil se deinceps Episcoporum decreto penitus esse facturum.* Et ita synodus ista dissolvitur, & alia in Palatio Ingelenheim servanda ad kalendas Augusti proximas omnium consensu & voluntate indicitur.

Hugo iterum condemnatur.

Hugo contemnit Põtifices.

Anno prænotato per multa Germaniæ, & Galliæ loca magni & frequentes terræmotus facti sunt, & complura ædificia subverterunt, innumeráque arbores radicitus dejecerunt.

Anno verò præsignato die mensis Augusti primâ synodus universalis mandantibus Agapito Papa II. & Ottone Rege magno in palatio Imperiali apud Ingelenheim juxta Rhenum duobus à Moguntia milliaribus in Basilica Parochiali S. Remigij servata est cum necessarijs ad causas sequentibus. In qua vice & nomine memorati Papæ Agapiti præsedit Marinus Episcopus Hostiensis sanctæ Romanæ sedis Cardinalis atque Legatus ad eandem synodum specialiter missus & ordinatus. Convenerunt ad hanc sanctam synodum ex diversis Provincijs & Diœcesibus Episcopi secundùm ordinem infra scripti. Marinus Episcopus Hostiensis Cardinalis prædictus Legatus & præsidens in concilio, Fridericus Archiepiscopus Moguntinus, Rupertus Archiepiscopus Trevirensis, Wigfridus Archiepiscopus Colonienſis, Adeldacus Archiepiscopus Bremensis, Arnoldus Archiepiscopus Rhemensis, Bappo Episcopus Wirciburgensis, S. Conradus Episcopus Constantiensis, S. Udalricus Episcopus Augustensis, Tiethardus Episcopus Hildesheimensis, Bernhardus Episcopus Halverstatensis, Duto Episcopus Padelbrunnensis, Lioptacus Episcopus Ripuensis, Michaël Episcopus Ratisponensis, Farabertus Episcopus Tungrensis sive Leodiensis, Dodo Episcopus Osnabruggensis, Eucherus Episcopus Myndensis, Heroldus Episcopus Saltzburgensis, Adelbertus Episcopus Patavienſis, Starckhardus Episcopus Eichstettensis, Borath Episcopus Sleſvvicensis, Wichardus Episcopus Basilienſis, Liefdach Episcopus Ribunensis, Hildeboldus Episcopus Mimergarturdensis, Rictovo Wormatiensis

Synodus in Ingelenheim.

S. Conrad9
S. Udalric9

Interfuerunt concilio Episcopi xxxii.

matiensis Episcopus, Reginboldus Episcopus Spirensis, Gauzlinus Tullensis Episcopus, Adelbero Episcopus Metensis, Berengarius Episcopus Virdunensis, Valpertus Cameracensis Episcopus, Baldericus Trajectensis Episcopus, Rudolfus Laudunensis Episcopus. Intererant etiam huic sancto Concilio Abbates nostri Ordinis complures: Hademarus Abbas Fuldensis, Diethmarus Abbas hujus Cœnobij Hirsaugiensis, Adalbero Abbas S. Ferrucij in Bildenstat, & alij, quorum incertus est numerus. Horum omnium cuique cùm liceret ex decretis vel Canonibus sanctorum patrum proferre, quæcunque negotio viderentur accommoda, disponendi tamen auctoritas & interpretatio rationum Ruperto Trevirorum Archiepiscopo fuit commissa; eò quòd divinarum humanarúmque rerum scientiâ & eloquentiæ efficaciâ præ cæteris haberetur insignis. Judicij autem censura penes Marinum Apostolicæ Sedis Legatum remansit. Considentibus cunctis post præmissas secundùm consuetudinem celebrandi Concilij preces, postquam recitata sanctorum patrum Decreta, sereniſſimi reges Otto Germanorum & Ludovicus Gallorum in sacram synodum admissi sunt: quibus etiam sedentibus Rupertus Archiepiscopus Trevirorum dixit:

Rupert. Archiepiscop. loquitur.

[Multa sunt, patres Reverendi, pro quibus hic apud sereniſſimos reges in unum congregati sumus: plurima etiam sunt, quæ vestrâ providentiâ videntur ordinanda, cùm totius Galliæ respublicam temeritate pravorum nimium constet esse turbatam, extremisq; periculis jam penè ex omni parte subjectam. Quapropter & leges tam divinæ, quàm humanæ contemnuntur passim ab improbis; cùm is, cui jus regnandi hæreditate debetur paternâ, suorum insectationibus captus, & conjectus in vincula, nullam habere videatur facultatem impios corrigendi. Rhemorum quoq; Metropolim caterva pravorum devastat fugato pastore. Hinc Deus contemnitur: jura Ecclesiastica violantur: cultus vilescit divinus: Clerus despicitur, totáque religio nostra prophanatur. His ergo malis, patres reverendi, oportet nos pro viribus resistere, & impijs pravorum conatibus diligentissimè obviare. Ad hoc enim in unum congregavit nos gratia Spiritûs Sancti, quatenus regnum divisum, & ob hoc penè collapsum, reformemus ad unitatis & pacis concordiam, ut & Dño regi deinceps libera potestas regnandi sit integra: & pastorẽ suum habeat viduata Rhemorum sancta Ecclesia.]

Marino Legato loquitur.

Cujus sententiam Marinus Apostolicæ Sedis Legatus comprobans subjecit: [Optimè atque utiliter locutus est Coëpiscopus & frater noster Rupertus: qui regnum prius censuit restituendum spoliato, ut postea sine metu tyrannidis sancta reformetur Ecclesia. Quod ut Deo annuente fieri queat, imprimis audienda erit causa ipsius Domini sereniſſimi regis Ludovici: si id quoque vestri patiatur censura judicij.] Sancta synodus respondit: [Placet ut audiatur.]

Ludovicus Rex Gallorum loquitur.

Tunc Ludovicus rex surgens de latere Magni regis Ottonis cœpit stans causam suam concilio proponere: quam jussus sedere ita inchoans breviter continuavit.

[Quantum Hugonis instinctu & impulsu conqueri apud vestras paternitates compellar, O Reverendissimi Patres, ille novit omnipotens Deus, cujus vos gratia huc in unum congregavit. Pater ejus, ut à principio exordiar, genitori meo invidens regnum, dum & domi militiæque deberet obsequium, non solùm rebellionem nequiter intulit, sed

captum

captum conjecit in carcerem, in quo & miserabiliter mortuus fuit. Me quoque puerulum cum Matre fugere in partes transmarinas eodem tempore coëgit. Patre autem extincto, & me in exilium deportato, ipse cùm reminisceretur patris sui propter insolentiam necati in bello, regnum suscipere formidabat: qui cùm mihi procurationem regni penitus invideret, Rudolphum promovit: sed Divinitas res illius sicut & cætera, quando voluit, regnandi finem determinans imposuit. Dum tandé illo mortuo regnum iterum vacaret paternum, me bonorum consilio inductus à partibus transmarinis revocavit, & omnium consensu in regnum promovit, nihil mihi præter Lugdunum relinquens. Promotus autem, cùm ea quæ juris erant regij, prosequerer, adversum me animum suum induravit. Factus itaque latenter inimicus, si quos habebam fautores, pecunijs subvertit, inimicos omnes in mei odium amplius provocavit. Tandem crescente invidiâ dolum corde produxit latentem, factâque cum Nortmannis conspiratione me captivum detinuere, persuasi ab eo, in se regnum confidens posse transferri. Nec defuit insidijs effectus. Captus fui & carceri mancipatus, cùm nihil talium suspicarer. At ille me manibus Nortmannorum eripere simulans, omnes filios meos jure obsidum dandos petebat. Sed his qui mihi fide fuerant devotiores, omnes dare recusantibus, uno dimisso, à Nortmannis me recepit. Jam libertatem sperans, quò animus impelleret, ire statuebam; verùm aliter proveniisse manifestum est. Nam captum me in vincula mox conjecit, totóque detinuit anno captivum. Postea cùm ab amicis super hoc indignantibus sese impetendũ formidaret, libertatem mihi spopondit: si urbem Lugdunũ à me reciperet, quâ solâ claudebar: in quam solam cum uxore & filijs recipiebar. Quid facerem? Castro vitam deliberatus præposui, & libertatem pro civitate accepi. Et ecce nunc omnibus privatus, omnium opem deposco. Quorum omnium in quolibet si Dux ipse contraire audeat, nobis tantum duobus singulariter congrediendum pro veritate fuerit.] Quibus à rege Ludovico breviter dictis, Rupertus Archiepiscopus Trevirorum dixit ad Synodum: *Quoniam serenissimi Domini regis conquestionem contra desertorem satis breviter & lucidè, ut arbitror, digestam audivimus: consequens mihi videtur Patres, ut quantum possumus, ejus causam determinemus. Dux ergo quoniam penè omnia regni jura sibi violenter usurpavit, eique reniti viribus non valemus, mitiùs hoc adtemperandum arbitror: ut qui Deum non metuit, nec hominem reveretur, multâ ratione, multâque consideratione rerum, ad normam æquitatis Deo juvante reducatur. Igitur juxta Patrum decreta & Regulam Canonicam imprimis ad satisfactionem fraternè commonendus est: nec non & verbis suasorijs ad id modestissimè revocandus. Quod si post blandos revocationis monitus resipiscere contempserit, omnium anathemate feriatur: habentes præsidio, quòd à Domino Papa jam dudum sit admonitus, & jussus ab insectatione serenissimi regis Ludovici Domini sui quiescere.* His à Ruperto Præsule Trevirorum prolatis, Marinus Sedis Apostolicæ Legatus subjunxit: *Reminiscor*, inquiens, *Dominum Papam ante hunc annum anathema promulgâsse in omnes, qui hunc Dominum serenissimum regem Ludovicum Gallorum insectabantur: Epistolam quoque exhortatoriam per totum direxit regnum, quâ bonos quosque monebat, ne ab ejus fidelitate deficerent. Rectissimè igitur est dictum, quia cum à Domino Papa prius sit monitus, à nobis jam secundò benignè est revocandus:*

Hugon. dolum commemorat.

Rupertus Archiepisc. loquitur.

Marin. Legatus Papæ dixit.

& poſtea, ſi contempſerit, omnium anathemate feriendus: nec ſolùm ipſe, ſed omnes etiam, qui ſuis rebus & temeritati conſentiunt. Sed hanc ſolam à nobis accipiet opem, qui gladium & arma non portamus; & quid ab alijs accepturus eſt, qui omnium auxilium invocavit? Decreto ſanctorum Patrum ſtatutum, ut poſteaquam Tyrannus anathema, quod eſt ſanctæ Catholicæ Matris Eccleſiæ gladius, contempſerit, Principum & regum ſenſibili incurſione plectendus eſt, ut mandatis diſcat obedire Pontificum. Ad hæc Magnus Otto Germanorũ & Romanorum Imperator ſemper Auguſtus: *Multa ſunt,* inquit, *Patres, beneficia, quæ à vobis Domino & Fratri noſtro Ludovico utiliter poſſunt impendi. Etenim ſi armis divinis inſectatores illius fueritis aggreſſi, conſequenter aut facili tumultu quieſcent: aut ſi pergant eſſe temerarij, noſtris armis ut contemptores Eccleſiæ ſacroſanctæ ſe citius ſentient infirmatos. Vos igitur jubente Legato & Vicario Domini Papæ Ordinis veſtri ſacerdotalis arma potenter exerite, & adverſarios amici regis noſtri Ludovici gladio Spiritûs ſancti verberate. Quorum temeritas niſi quantocius ſe humiliaverit, ad noſtrum deinceps ſpectabit officium, qui defendere ſanctam tenemur Eccleſiam, arma contra præſumptuoſos ſumere, & cervicem ſuperborum juſtæ indignationis enſe amputare.* Quibus per Ottonem dictis, ſanctæ mox ſynodi decreto ſuaſoria Epiſtola ſcribitur, & coram omnibus ſub hac ſerie verborum recitatur: *Sancta ſynodus in palatio Ingelheim auctoritate Domini Papæ Agapiti ſub Dominis atque Orthodoxis regibus Ottone & Ludovico utiliter habita, Hugoni Gallorum Duci, divini nominis timorem. Quantis malis, quantisque inſectationibus contra fas & æquitatem illam venerabilem Rhemorum vexaveris Eccleſiam, quantâ etiam crudelitate debacchatus ſis in Dominum tuum regem Ludovicum Gallorum, omnium penè ora loquuntur mortalium. Quod quàm ſit impium & ſceleratum, leges divinæ ſimul & humanæ palàm oſtendunt. Unde nos tibi compatientes ab his te malis amodò ceſſare monemus: & ad Dominum tuum cum multa manſuetudinis humilitate quantocius ut reverti ſtudeas, exhortamur. Quòd ſi contempſeris, priusquam in diverſa feramur, te anathemate ſine dubio perſtringemus: donec aut ſatisfacias ſecundum Canones, aut Romam apud Dominum Papam ratiocinaturus petas: cujus etiam litteris bis monitus, & à tanto facinore prohibitus obedire contempſiſti. Unde & nos poſt illum tertiò te monemus, & ad correctionem piè voluimus revocare.* Hanc Epiſtolam totius ſynodi auctoritate roboratam Duci miſerunt.

Otto Magnus Imperator dixit.

Epiſtol. ſynodalis ad Hugonem Ducem.

Poſthæc ſurgens Artaldus Rhemorum Archiepiſcopus, initium & progreſſum litis omnis ac hiſtoriæ inter ipſum & Hugonem ſubrogatum luculentiſſimè explicavit: quin & Epiſtolam protulit nuper à Domino Papa ſibi tranſmiſſam, per quam, ut Epiſcopatum retineret, mandavit. Poſt cujus interpretationem Sigeboldus quidam prædicti Hugonis Diaconus aliam mox Epiſtolam ſynodo porrexit, ſigno Domini papæ munitam, & à ſede Romana, ut aſſeruit, nuper deſtinatam. Quæ coram ſancta ſynodo ſimiliter eſt recitata, ac diligentiſſimè diſcuſſa. In cujus textu id ſolum dicebatur, quòd Rudolphus Lugdunenſis Epiſcopus, Guido Sueſſionenſis, Hildegarius Belluacenſis & ceteri provinciæ Rhemenſis Epiſcopi, ad Sedem Apoſtolicam, ob reſtitutionem Hugonis & abdicationem Artaldi miſiſſent Epiſtolam. Unde & Dominum Papam ad eorum vota & petitionem omnia fieri velle Diaconus inferebat. Poſt cujus recitationem prædicti mox conſurgentes Epiſcopi, ſententiam Epiſtolæ penitus confutârunt: nec non & calumniarum inventorem homi-

Artaldus causã agit ſuam.

nem

nem perditissimum acclamârunt. Quibus cùm adversari calumniator non posset, maledictis aggrediens Pontifices, eos publicè de perfidia criminabatur. Confestim à Domino Marino Sedis Apostolicæ Legato decretum fuit, ut capitulum de calumniatoribus legeretur. Quo recitato cùm ille non haberet, quod opponeret, Pontificum sententiâ Diaconatûs officio, quo fungebatur, privatus est: & cum ignominia, ut merebatur, exire compulsus. Artaldo autem Pontificalis dignitas habenda ab omnibus decernitur; idque penitus confirmabant Patrum institutis, eò quòd nullius concilij rationibus interesse refugerit. Et hæc primâ die concilij acta sunt. Alterâ verò die post recitatas sacræ auctoritatis lectiones, & Domini Ruperti Archiepiscopi Trevirorum allocutionem, à Marino Sedis Apostolicæ Vicario constituitur, ut quoniam juxta sacræ legis sententiam Pontificalis dignitas Artaldo restituta est, in ipsius dignitatis pervasorem synodalis proferretur censura. Recitantur itaque Regulæ canonum, sanctorúmque Patrum decreta, Innocentij, Alexandri, Symmachi, Sixti, Cælestini, Zosimi, Leonis, Bonifacij aliorúmque sanctæ Dei Ecclesiæ Doctorum illustrium. Quorum auctoritate constitutorum anathematizaverunt, & à totius Ecclesiæ Christianorum unitate separaverunt & excommunicaverunt Hugonem Rhemensis Ecclesiæ pervasorem, donec resipiscat, & pro commisso scelere satisfaciat, aut se Apostolicæ Sedis examini personaliter repræsentet. Reliquis autem sacri concilij diebus tractatus fuit habitus de vita, & honestate sacerdotum, déque incestuosis & illicitis Presbyterorum conjugijs: & de illis qui Eucharistiam indignè tractant: de laicis quoque Ecclesiastica jura temerè violantibus, aut etiam sibi usurpantibus. Alia quoque nonnulla ibidem fuêre prolata ad utilitatem Ecclesiæ communem, quæ in actis ejusdem sacri concilij scripta leguntur. Indicta fuit post dies triginta synodus alia Lugduni habenda in Ecclesia S. Vincentij Martyris, ubi anathema in Ducem Hugonem, nisi compareat, exaretur.

Hugo pervasor Rhemensis excommunicatur.

Anno itaque Dominicæ Nativitatis prænotato, in mense Octobri, convenit iterum sancta synodus Episcoporum Lugduni in Ecclesia sancti Martyris Vincentij præsentibus ibidem serenissimis Regibus, Ottone Magno Germanorum, & Ludovico Gallorum, præsidente Marino sedis Apostolicæ Legato; ubi post orationes consuetas & sacras Lectiones rectissimâ serie recitatas, postque sacrorum Canonum interpretationes, Hugonem Tyrannum anathematis vinculo imprimis percusserunt, eúmque ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ separantes ejiciunt; donec resipiscens Domino suo Regi satisfaciat: aut Romam pro sui absolutione apud Dominum Papam ratiocinaturus petat. In eadem quoque synodo sancta plurimus habetur sermo átque tractatus de Episcopis, qui cum Duce fuerant evocati ad Concilium, & venire contempserunt. De illis etiam agitabatur quæstio, qui consecrationi Hugonis contra statuta Canonum interfuerunt, & qui ab eo suas ordinationes sive promotiones acceptârunt. Damnantur etiam duo Pseudoepiscopi ab Hugone pulso, jámque abrogato promoti & ordinati, Thietbaldus scilicet & Ivo; quorum prior Ambianensem, secundus verò Silletensem fœdavit Ecclesiam. Damnatur etiam & Adalomus Lugdunensis Ecclesiæ Diaconus, per Episcopum suum Rudolphum insimulatus pro eo, quod Tiethbaldum excommuni-

Synodus Lugdunen.

Dux Hugo excomunicatur.

Contumaces à concilio damnātur.

catum Eccleſiæ temerarius introduxit. Hi etenim in priori ſynodo apud Ingelenheim cum Duce ad ſynodum evocati, venire contempſerunt. Denique plures alij pro ſuis criminibus ad ſynodum vocati, & contemnentes venire, per ſententiam decreti ſunt excommunicati, & ab unitate Eccleſiæ ſacroſanctæ, donec reſipiſcant, penitus abſciſſi & damnati. Quibus ritè peractis ſynodus ſancta in Dei nomine diſſolvitur. Concilio terminato Dominus Marinus Epiſcopus Hoſtienſis Apoſtolicæ ſedis Legatus atque Vicarius ab Ottone Magno Rege per nuncios rogatus in partes diſceſſit Germaniæ, & Eccleſiam Fuldenſis Cœnobij ab Hademaro Abbate poſt incendium prioris de novo conſtitutam elegantiſſimè, conſecravit: hieméque tranſactâ Romam revertitur.

Conſecrat. Eccleſ. Fuldenſis.

DCCCC LI.

Anno Diethmari Abbatis xxvi. Moguntia Civitas ab Ottone Rege magno obſeſſa eſt: cujus Archiepiſcopus Fridericus ab eodem denuo captus eſt, & in Monaſterió Fuldenſi ſub cuſtodia Hademari Abbatis non multo tempore mancipatus, ſed Regis clementiâ citò dimiſſus. Claruit his temporibus Arigandus Abbas Monaſterij ſancti Petri in Gallia, vir moribus & doctrinâ integer atque ſanctiſſimus: qui ſtatum monaſticæ puritatis tam in ſuo Cœnobio Senonenſi, quàm in diverſis alijs penè collapſum, verbo & exemplo magnificè reformavit: moriens tandem non ſine opinione ſanctitatis apud Senonas ſepelitur. His etiam temporibus mortuo Wilhelmo Senonenſium Epiſcopo, Gerlandus Monachus noſtri Ordinis Cœnobij S. Germani Altiſiodorenſis in ejus locum ſucceſſit, vir in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, & non minùs vitæ merito, quàm eruditione ſcripturarum illuſtris: qui poſteaquam Eccleſiam Senonenſem ſtrenuè gubernâſſet annis aliquot, ſanctè moritur, & in ſuo Monaſterio, unde venerat, ſepelitur. Poſt quem Hiedemannus Monachus S. Dionyſij Pariſienſis in Archiepiſcopum Senonenſis Eccleſiæ ordinatus eſt: vir & ipſe in ſcripturis tam divinis, quàm ſæcularibus eruditus; qui inter cætera ingenij ſui opuſcula de Muſica edidit pulchrum libellum: de computo quoque Eccleſiaſtico. Et quædam alia, quæ ad noſtras manus necdum pervenerunt.

Fridericus Archiepiſc. capitur.

Gerlandus ex Monach. Archiepiſc.

His quoque temporibus Otto rex Magnus poſtquam victor Danorum extitit, & Godfridum Ducem eorum cum toto regno ad fidem Chriſti convertit, pro informatione gentis ſalutari continuanda Epiſcopatum Schlesvvicenſem de novo erexit, ubi Borathum noſtri Ordinis Monachum Cœnobij Corbejenſis in primum Epiſcopum ordinari præcepit. Simili devotione, & eodem tempore fundavit Epiſcopatum in finibus Danorum, quem Ripenſem appellant, ubi Siebdaum Monachum noſtri Ordinis Cœnobij Fuldenſis in primum Epiſcopum conſtituit: qui erat vir in omni ſcientia ſcripturarum doctus, eloquentiâ promptus, & ad perſuadendum idoneus, nec minus exemplo notabilis.

Anno etiam prænotato, Ludovicus rex Galliarum poſteaquam Hugonem Ducem ſancta ſynodus Præſulum Lauduni excommunicaverat, multa adverſus illum prælia geſſit. Agapitus quoque Papa Romæ adunato Pontificum Italiæ Concilio anathema priori anno ſententiâ Epiſcoporum apud Laudunum in Ducem Hugonem latum confirmavit, ipſumque de conſenſu omnium Præſulum in conſilio tunc præſentium de no-

Hugo Dux excommunicatur à Pap.

de novo excommunicavit. Rex etiam Magnus Otto suorum ingentem exercitum misit in Galliam contra Hugonem in auxilium regis Ludovici, quemadmodum in sancta synodo apud Ingelenheim habita promiserat. Hugo itaque Tyrannus videns se desertum à suis propter excommunicationis sententiam, & ob id tantæ multitudini adversariorum haud posse resistere, sapienti amicorum usus consilio, Ludovici Regis gratiam postulans accipere meruit, & ablata mox omnia resignavit. Hoc fœdus inter Ludovicum regem Gallorum, & Hugonem Celticæ regionis Ducem juramentis necessarijs, & cautionibus confirmatum est: & deinceps ab utráque parte usque ad mortem amborum inviolabiliter servatum.

DCCCCLII.

Anno Diethmari Abbatis XXVII. Indictione decimâ, obijt Diethardus Monachus & Scholasticus sancti Aurelij Hirsaugiensis sextâ die mensis Januarij, anno ætatis suæ tertio, & sexagesimo. Cui mox in regimine scholarum successit Meginradus Monachus in omni varietate scripturarum doctissimus, & præfuit scholis Monachorum annis tredecim: qui multos suo labore discipulos laudabiliter instituit, sicut & ipse à suis Præceptoribus gloriosè prius institutus fuit.

Meginradus hic scholasticus.

Anno etiam prænotato, de mense Februario mortuus est Marquardus Monachus, & scholarum Magister in Epternaco Cœnobio, ut suprà diximus, Diœcesis Trevirorum, vir magnæ doctrinæ, morúmque integritate multùm venerabilis; de cujus ingenio, & opusculis superius anno Diethmari Abbatis septimo latius fecimus mentionem. Huic in regimine scholarum, ut Meginfridus dicit, successit Heribertus Monachus valde venerabilis, & præfuit annis decem & octo; homo certè doctissimus, & qui multa ad utilitatem posteritatis composuit.

Item anno præsignato, Diethmarus Abbas Monasterij hujus D. Aurelij Hirsaugiensis in ordine sextus moritur 12. die Maij, anno suscepti regiminis sui XXVII. nondum completo, & in Ecclesia sancti Aurelij sepelitur. Vir per omnia Deo dignus, amator fratrum integerrimus, & conservator Monasticæ disciplinæ studiosissimus, qui regularem observantiam sub Prædecessore suo penè collapsam, tam verbo, quàm exemplo magnificè reformavit: nec solùm in spiritualibus pastorem se providum & utilem exhibere studuit, sed etiam in ampliandis, & conservandis possessionibus Monasterij vigilantissimus fuit. Monasterium suum libris, & ornamentis varijs magnificè decoravit, & quidquid ad augmentum divini cultús conducere potuit, studiosissimè impendit. Magna sub ejus regimine multitudo Monachorum extitit: quorum complures merito sanctitatis claruerunt insignes, & multis multa beneficia suis precibus à Domino impetrárunt. Plures etiam propter excellentiam doctrinæ omnimodámque scientiam scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt; de diversis quoque Cœnobijs Monachi mittebantur ad Hirsaugiam; alij, ut sanctis instituerentur moribus, alij verò, ut divinarum humanarúmque scientiam ab optimis Magistris haurirent scripturarum.

Diethmarus Abbas moritur.

Monachorum magnus numerus.

De

De Sigero hujus Monaſterij Hirſaugienſis ſeptimo Abbate, qui præfuit annis xxx. Menſibus III. diebus XI. & geſtis illius temporis.

Sigerus fit Abbas VII.

MOrtuo atque ſepulto Reverendiſſimo Abbate Diethmaro, non ſine lachrymis filiorum, mox in ejus locum unanimi Fratrum conſenſu fuit electus Sigerus, Monachus quidam venerabilis, qui Decani (Prioris clauſtralis) multo tempore geſſerat officium; vir morum integritate, ac vitæ merito Reverendus, & tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus litteris egregiè doctus, & ob id non ſolùm Fratribus charus, verùm etiam cunctis in circuitu hominibus multùm dilectus, & honorabilis. Præfuit autem in multa ſanctitate huic Monaſterio Hirſaugienſi annis xxx. menſibus tribus, diebus XI. Hic verò Sigerus ex Moguntia fuit oriundus, qui cùm eſſet annorum XXIV. multíſque polleret honoribus in ſæculo atque divitijs, conſilio inductus Diethmari Abbatis, omnia pro Dei amore contempſit, & ſub ejus magiſterio in Cœnobio ſancti Aurelij hìc apud Hirſaugiam monaſticæ converſationis habitum ſuſcepit. Qui gratiâ ſancti Spiritûs præveniente ſimul, & comitante in brevi tempore valde in ſancta converſatione profecit: vitam ducens coram Deo puram ſanctámque, & coram hominibus penitus irreprehenſibilem. Anno quinto converſionis ſuæ communi omnium Fratrum voto, & conſenſu Prior, ſeu Decanus Monaſterij ob zelum diſciplinæ, ac vitæ meritum inſtituitur, in quo officio tam religiosè, tam piè, ac prudenter ſe geſſit, ut omnium laudibus, & amore dignus haberetur. Electus tandem in locum demortui Abbatis paſtor in Cœnobio animarum, qualemſe exhibuerit ſubditis, quàm pium, quàm religioſum, quàm zeloſum erga diſciplinam regularem, quámque humanum manſuetum, & prudentem, nemo ſcribere facilius potuiſſet, quàm illi, qui ejus in carne ſanctam converſationem videre meruerunt: in omnibus quippe ſemper fuit vigilans, atque ſolicitus, nihil plus appetens, quàm Deo veraciter placere, & virtutum omnium ſevivum, & imitabile ſubditis præbere ſpeculum, & exemplar; ne bona prædicans facienda ſubditis, ſemetipſum perderet, ſi aliter, quàm docebat, illum vivere contigiſſet. Unde quidquid ſermone docuit, exemplo prior demonſtravit: nemo illum unquam vidit otioſum, nemo irrationabiliter commotum, vel turbatum, ſed in bono virtutum ſtudio ſemper fuit occupatus, & mente ſtabilis, atque animo tranquillus. Vitam pulchrè inſtauravit monaſticam, & diligentiſſimè cuſtodivit Regulæ puritatem.

Sigerus Decanus.

Anno quoque prænotato Berengarius Tyrannidem exercens in Italia, graviter premebat Romanos, quibus nimiam provocatis in iram, Otto Rex Magnus denuo vocatur in Italiam; qui veniens magno cum ſuorum exercitu Berengarium perjurum, & infidelem ſuperat, & de regno penitus amovit, expellens eum cum uxore de Italia. Sunt, qui ſcribant eum ab Ottone ſuperatum, de Italia ductum fuiſſe in Germaniam, & in caſtello Bambergenſi carcerali cuſtodiæ mancipatum, non multò poſt diem ſuum clauſiſſe noviſſimum. Cujus geſta, tyrannidem, crudelitatem

Berengarius ab Ottone capitur.

Eutran-

Eutrandus Diaconus Ticinensis conscripsit. Anno etiam præsignato Agapitus Papa II. obijt, vir constans innocentíſque vitæ, & magnanimus, qui Tyrannorum capita virtute divinâ calcavit, & in Domino confidens nulla hujus mundi adversa formidavit. Mortuus autem in Ecclesia sancti Petri Principis Apostolorum sepultus est, non sine opinione sanctitatis: cui mox in Pontificatu successit Joannes ejus nominis XII. natione Lombardus, & præfuit annis quatuor, mensibus decem, diebus quinque, qui per Ottonem Romæ in Concilio postea fuit ex sententia Cardinalium depositus, ut inferiùs suo loco latiùs dicemus.

Joannes fit Papa XII.

DCCCCLIII.

Anno Sigeri Abbatis secundo Lutholfus dux Suevorum filiús Ottonis Regis Magni, Conradi Ducis Lotharingiæ consilio & instinctu, conspiravit adversús Patrem; quod Conrado in malum finem succesſit, quemadmodum inferiùs suo loco dicemus. Eodem anno mortuus est Wigfridus Archiepiscopus Colonienſis anno Pontificatús sui XIX. cui succesſit Bruno frater Ottonis Magni Regis Romanorum; vir magnificus, vitâ & actione præcipuus: cujus monimenta pietatis in multis Cœnobiis & Templis Coloniæ relucent usque in præsentem diem. Hic in Ecclesiâ Præsul fuit devotus átque sanctiſſimus: in exercitu Dux potens & omnibus metuendus. Fratris sui Regis partes omni tempore fideliſſimè tutabatur; cujus jussu exercitum pro Ludovico Rege duxit in Galliam, & omnem terram Ducis Hugonis desolavit. Præfuit autem Ecclesiæ Colonienſi strenuè & utiliter annis duodecim, cujus vitam & gesta Rutgerus Monachus sancti Pantaleonis descripsit.

Lutholfus Suevorum Dux.

DCCCCLIV.

Anno Sigeri Abbatis tertio Ratherius ex Monacho Lobienſis Cœnobij Episcopus Veronenſis, & bis inde pulsus, Italiam tandem deserens venit in Lotharingiam, & à Brunone Archiepiscopo Colonienſium Episcopus Leodienſis Ecclesiæ post Farabertum ordinatus est: de cujus eruditione & infortunio plura superius jam diximus. Eodem anno Lutholfus Dux Suevorum depositâ rebellione ad gratiam Patris revertitur: & Conradus Dux Dei & regis impius transfuga perjurus & infidelis ad Ungaros declinavit: quos persuasionibus suis perduxit in Lotharingiam contra imperium Regis, & venientes usque ad Sylvam carbonariam divinâ virtute apud Lobias prodire ulterius prohibiti sunt, & ob id non impunè redierunt. Anno quoque prænotato Ludovicus Rex Gallorum, postea-quam ad pacem & concordiam cum Duce Hugone redijt, tali modo vivendi terminum accepit: nam volens Rhemos adire, cùm fluvio Axonæ appropinquaret, per campestria lupum præire conspexit. Quem equo emisſo insecutus per devia instanter exagitabat: ad omnes verò in medio cursús lupi inclinationes equum impatiens obvertebat, nec quiescere patiebatur, donec equestri certamine fugientem evinceret. Equus ergo per invia coactus in cespitem offendens prolabitur: Rex verò graviter corpore attritus casu à suis exceptus est, & cum multo mœrore omnium Rhemos deportatus. Vexabatur itaque infestis doloribus corpore toto, & post diutinam infirmitatem corruptis jam interius visceribus ob humorum colluviem, papulis crispillatis, quod Galli variolam vocant, toto corpore miserabiliter perfunditur. Quâ infirmitate diutiùs confectus

Conradus Dux fugit in Ungariâ.

Ludovici Regis casus

Ludovicus Rex Gallorum moritur.

diem clausit extremum anno vitæ suæ, ut Richerus Monachus ait, tricesimo septimo, regni autem octavo decimo. Post quem Lotharius ejus filius regnavit in Gallia annis ferme duobus & triginta: cujus Mater fuit Girberga soror Ottonis regis magni Germanorum, relicta Ducis Giselberti Lothariorum.

Fridericus Archiepis. moritur.

DCCCCLV.

Anno Sigeri Abbatis quarto mortuus est Fridericus Archiepiscopus Moguntinus: cui in Pontificatu successit Wilhelmus filius Ottonis regis Magni, & præfuit annis duodecim. Qui cùm esset vir in omni scientia scripturarum doctissimus, scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, chronicam temporum, in qua successiones Pontificum Moguntinensium secundum ordinem recensens, de semetipso ita in fine concludit dicens: *Hoc anno beatæ memoriæ Fridericus sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus octavo calendas Decembris obyit. Eodem verò anno ego Wilhelmus tantæ successionis indignus loco ejus consensu cleri & populi ejusdem sanctæ Sedis XVI. Calendas Januarij in loco Arnstetten electus sum, & in die calendarum Januarij Moguntiæ ordinatus.* Nota illius temporis consuetudinem, quia nec Romam pro confirmatione mittitur: nec XXIV. florenorum millia, ut hodie, pro confirmatione Archiepiscopi Moguntini exponuntur. Septimo decimo die mensis Decembris Wilhelmus iste fuit electus, & septimâ die postea, ut patet, ordinatus. Eodem Anno mortuus est Diethelmus Monachus & scholarum Magister apud Treviros in Monasterio S. Matthiæ; vir moribus & eruditione scripturarum insignis, & omnium ore famosissimus: de cujus opusculis mentionem fecimus anno Diethmari Abbatis septimo, qui fuit Dominicæ Nativitatis DCCCCXXXII. Post quem Magister scholarum constitutus fuit Adelbertus Monachus ejusdem Cœnobij, vir prudens & in omni genere scientiarum doctissimus: ingenio promptus & clarus eloquio: metro simul exercitatus & prosâ: qui ad gesta Trevirorum addidit sui acta temporis. Scripsit etiam de Monachorum juvenum institutione ad septem artes liberales nonnulla synthemata: & præfuit scholæ Monachorũ annis XXIV. mensibusque tribus. Claruit his etiam temporibus apud Saxones Windekindus Monachus Corbejensis, vir in divinis scripturis doctus, & sæcularis litteraturæ non ignarus, qui annis plus quadraginta scholæ Monachorum præsidens, plures in omni scriptura Monachos erudivit. Hic inter reliqua ingenij sui opuscula scripsit de Origine Saxonum libros tres. Ad Mathildem quoque filiam Ottonis primi scripsit gesta Heinrici primi regis librum unum. Ad eandem vitam & gesta Mathildis reginæ uxoris ejusdem Heinrici regis primi. Ottonis quoque primi gesta ad eandem conscripsit. Vitam sanctissimi Pauli primi Eremitæ gemino stylo conscripsit. Passionem quoque S. Theclæ virginis pari dicendi genere composuit. Multa etiam alia scripsisse dicitur: quæ ad manus nostras adhuc minimè pervenerunt. Hic Windekindus in eo libello, quem composuit de studijs veterum Monachorum, fatetur se famâ & eruditione Meginradi Monachi atque scholastici S. Aurelij excitatum venisse in Hirsaugiam, & cum eo diebus habitâsse aliquantis, multósque ibidem reperisse Monachos vitæ merito venerabiles, & in omni varietate scripturarum doctissimos. Meginradum verò scholasticum his commemorat laudibus, dicens: *Monachorum ille doctissimus præceptor veluti*

Wilhelmus fit Archiepiscop. Moguntinus.

Windekindus scholasticus Corbejensis.

Windekindus venit in Hirsaugiam.

veluti Hieronymus alter divinarum interpes scripturarum profundissimus suâ nos eruditione vertit in stuporem: ut verè cœlestis sapientiæ dici queat armarium, quippe quem nihil lateat doctrinarum.

Anno prænotato Ratherius ex Monacho Lobiensis Cœnobij anno priore Leodiensis Episcopus factus, inde civium tumultu expellitur: & Baldericus quidam annitente avunculo suo Regenhero Montensium comite in ejus locum Episcopus ordinatur. Ratherius autem jam tertiò pulsus, bis videlicet ab Ecclesia Veronensi, & ultimò nunc à Leodiensi ad Monasterium suum Lobias revertitur: ubi supervixit annis decem & novem in omni pace & tranquillitate, nihil amplius de Pontificatu cogitans. Claruit his diebus Mathildis Magni Regis Ottonis filia Monialis & Abbatissa Ordinis nostri Monasterij S. Servatij in Quedelenburg, ad quam Windekindus Monachus Corbejensis plura, sicut diximus, conscripsit opuscula: quæ vitam juxta Regulam sanctissimi Patris nostri Benedicti semper duxit religiosissimam, & multas Christo virgines devotissimas verbo & exemplo in unum congregavit.

Filia Regis Ottonis fit Abbatissa.

Claruerunt etiam circa hæc tempora duo Ordinis nostri sanctissimi viri Gregorius Presbyter, & Eberhardus simili ordine sublimatus: quorum primus cùm esset filius regis Anglorum, omnia quæ hujus mundi videbantur pro Dei amore deseruit, & exiens de terra nativitatis suæ Romã peregrinus venit: inde profectus ad Monasterium Cassinense, sanctæ conversationis suscepit habitum, & multum in observantia Regularis disciplinæ brevi tempore profecit. Post annos paucos in visione admonetur ab Angelo Domini, ut pergat in Allemanniam, & quærat in nigra Silva locum, ubi quondam sanctus Meinradus Monachus Augiensis viram duxerat Eremiticam: quoniam ita placuit Deo, ut ibidem recipiat vitæ hujus mansionem. Qui consurgens acceptâ benedictione Pastoris, venit in Sueviam: & factâ inquisitione, locum sibi à Domino præparatum in nigra Silva reperit, & in eo habitare solitarius cœpit. Eodem quoque tempore fuit Eberhardus quondam Decanus Argentinensis Monachus in Cœnobio Schutterensi, quod S. Pyrminius Episcopus dudum antea construxit, vivens in omni puritate sub venerabili Abbate Theobaldo. Huic invisione apparuit Dei Angelus dicens: *Surge, vade ad servum Dei Gregorium, qui novus Eremi cultor in nigra Silva habitat: tuumq. adventum cum magno desiderio exspectat.* Qui mox consurgens cum Abbatis sui Theobaldi consensu & benedictione locum sibi præmonstratum adijt, & sanctum Gregorium se exspectantem invenit: à quo susceptus cum gaudio, simul habitare in omni sanctimonia cœperunt. Post hæc Domino adjuvante cellulam, in qua morarentur, construxerunt, & parvam Ecclesiam, quam Christus personali præsentiâ sanctificavit. Post mortem amborum evolutis paucis annis in eodem loco Monasterium nostri Ordinis in honore beatissimæ semper Virginis Mariæ constructum est: quod ad memoriam horum sanctorum Eremitarum usque in præsentem diem ad Eremitas usitato vocabulo nuncupatur, & magnus ad ipsum quotidie fidelium habetur concursus. Horum alter sanctus Eberhardus beato Pontifici Udalrico Augustensi multùm familiaris extitit, & merito sanctitatis charissimus, cui & mortis suæ tempus longè antea prædixit. Ambo tam in vita, quàm post mortem infinitis miraculis claruerunt: ambo cata-

S. Gregor. Monachus Eremita.

S. Eberhardus Monachus.

Monasterij Eremitarũ initium.

logo sanctorum inserti sunt, amborumque gesta in scriptis habentur.

Claruit his quoque temporibus Adelbertus Monachus Metensis in Cœnobio S. Vincentij, scholarum Magister, in omni genere scientiarum doctissimus: qui inter cætera ingenij sui opuscula ad Episcopum Metensem Adelberonem scripsit Chronicon transacti temporis, in quo successiones omnium Episcoporum Metensis Ecclesiæ recensuit. Alia denique nonnulla scripsisse legitur, quæ ad manus nostras necdum pervenerunt.

DCCCCLVI.

Anno Sigeri Abbatis v. Lutholfus Dux Suevorum filius Ottonis Regis Magni cum magno exercitu suorum Italiam hostiliter ingressus Adelbertum Tyrannum in bello superavit, & penè totam devastans Italiam cum multa præda reversus est in Sueviam. Eodem anno Ungari ductu Conradi Lotharienſis quondam fugitivi Ducis regnum Ottonis denuo hostiliter invaserunt. Quibus Rex Otto cum suis prope Augustam Sueviæ Metropolim viriliter occurrit. Conradus verò Dux de fuga & iniquitate sua dolens ac pœnitens ad regem Ottonem cum lachrymis revertitur: orans Deum, ut in pœnam & satisfactionem suæ perfidiæ in ipso bello ab Ungaris perimeretur: quod & factum est. Nam bello urgente gravissimo in eo loco, qui ex nomine fluvij Lech appellatur Lechfeld, non procul ab Augusta civitate Rhætiorum, Conradus Dux ab Ungaris interemptus est, & multi ab utraque parte ceciderunt. Cessit tamen victoria regi Ottoni: qui orationibus & meritis S. Udalrici Augustensis Episcopi adjutus, Ungaros in tantum vicit & attenuavit; ut venire ulterius nec vellent, nec possent in regnum Theutonicorum. Conradus tamen Dux secundum desiderium suum in eodem prælio occubuit. Eodem quoque anno Lutholfus Dux Suevorum filius magni regis Ottonis rediens ab expeditione, quam hostili incursu fecerat in Italia, mox infirmari cœpit, & non diu postea moriens dispositionem provinciæ Suevorum simul & uxorem cum liberis Patri commendavit.

Rex Otto bellū gessit cum Ungaris.

Anno prænotato, cùm Joannes Papa duodecimus in omnem esset luxuriam dissolutus, Otto Rex Magnus à Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & omni populo evocatur in Italiam, ut corruptos Pontificis mores suâ authoritate emendaret. Qui Romam profectus magno favore omnium exceptus est: & amplissimis honoribus à Patribus & populo cumulatus. Peractis verò, quæ cum Pontifice videbantur pro morum emendatione agenda, Coronam Imperij de manu illius suscipiens juxta consuetudinem antiquam Imperator Romanorum salutatus est, quod nomen factis adornare non neglexit.

Rex Otto coronatur Imperator.

DCCCCLVII.

Anno Sigeri Abbatis sexto, Hademarus Abbas Monasterij Fuldensis moritur: Vir prudentiâ & industriâ singularis, qui Ecclesiam Fuldensem incendio funditus destructam magnifico tabulatu à fundamentis novam construxit, & per Marinum Hostiensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum consecrari procuravit. Cui Hatto sororis suæ filius in Abbatia succedens, præfuit annis ferè duodecim, & postea, sicut dicemus, in Archiepiscopum Moguntinum ordinatur.

Hademarus Fuldensis Abbas moritur.

Eodem anno mortuus est Rupertus Archiepiscopus Trevirorum, vir sempiternâ memoriâ dignus; Regibus familiaris atque charissimus,

in o-

in omni quoque genere doctrinæ multum eruditus: sapientiâ & eloquentiâ nulli suo tempore secundus, vitæ quoque merito insignis. Qui Ecclesiam strenuè & utiliter omni tempore studuit gubernare. Post quem Heinricus Archipræsul ordinatus omnes Regulares Officinas, & Claustrum S. Petri circa Ecclesiam renovando construxit, & Regulam Canonicorum in communi Fraternitate conversantium ibidem instaurans & renovans observari præcepit, quemadmodum in gestis Trevirorum latiùs continetur.

Anno etiam prænotato Bruno reverendissimus Colonienſium Archiepiscopus frater Ottonis Imperatoris primi, qui se non minus Ducem pro Republica gessit fortissimum, quàm in Ecclesiasticis Officijs religiosissimum Sacerdotem, plures Nortmannorum cum Principibus eorum Christi convertens ad fidem baptizari fecit. Nortmanni baptizantur.

DCCCCLVIII.

Anno Sigeri Abbatis VII. Cruces apparuerunt in lineis vestimentis hominum, in camisijs maximè & peplis mulierum. Quæ res multos suâ novitate terruit, & futurorum, ut patet, accidentium ex aëris mutatione quædam occulta præfiguratio fuit. Quorumdam etiam vestimenta linea sanguinolenta visa sunt, & quasi maculis respersa lepræ subitò comparuerunt. Cruces apparent in vestibus hominum.

Eodem quoque anno mortuus est Reginboldus Spirensis Ecclesiæ Præsul magnificus, qui cùm esset Ottoni Magno Romanorum Imperatori admodum charus, plura ab eo beneficia Ecclesiæ suæ impetravit: fuit enim vir industriâ singularis, prudens & eloquens, & qui in ampliandis Ecclesiæ suæ proventibus semper esset studiosissimus. Huic in ordine Pontificum Ecclesiæ Nemetensis octavus decimus successit Gotfridus Monachus Wissenburgensis, & præfuit anno uno.

Anno etiam prænotato Willa quondam uxor Berengarij Regis Italiæ, ipso, sicut diximus, apud Bambergam sub custodia Imperatoris mortuo, spreto sæculo, & omnibus mundi rebus pro Dei amore contemptis, Monasterium ingreditur, & sub monasticæ Religionis habitu Domino Deo serviens usque ad mortem Monialis inter Christi virgines conversatur. Willa Regina fit Monialis.

His temporibus Monasterium nostri Ordinis, quod Hildesleven nuncupatur, in Saxoniæ partibus à fundamentis novum construitur; in quo Monachi cum Abbate ad serviendum Dño Deo collocantur. Multa etiam Cœnobia Monialium nostri Ordinis circa hæc tempora in partibus Saxoniæ constructa sunt, & largitione Principum ac Eleemosynis fidelium populorum sufficienti provisione dotantur. Cœnobiũ Hildesleven fundatur.

Anno prænotato Bruno Colonienſium Archiepiscopus, qui Ducatum regebat nomine Fratris sui Imperatoris totius Lotharingiæ, ejúsque partes defensabat, Raginherum Montensem Comitem regnum bellis inquietantem apud Valencianas evocatum cœpit, & irrevocabili exilio perpetuò damnavit. Narratur hujus rei & altera causa: mortuo enim Giselberto Duce Lotharingiæ, de quo multa in præcedentibus dicta sunt, Raginherus Comes Montensis memoratus consanguineus ejus quædam bona & Dominia, quæ ille uxori suæ Girbergæ sorori Regis Ottonis in dotẽ contulerat, violenter & sine jure occupare ac detinere præsumebat; hinc dissplicentiarum fomes sumpsit exordium, quod Comiti non par-

vum cessit in detrimentũ: nam in exiliũ actus à venerabili Brunone Archiepiscopo, bona ipsius omnia confiscata sunt, & duo filij ejus Raginherus, & Lantbertus ad Lotharium Regem Gallorum confugerunt, quo petente gratiam postea meruerunt.

DCCCCLIX.

Anno Sigeri Abbatis VIII. obijt Gotfridus Episcopus Nemetensis, sive Spirensis, Monachus quondam imperialis Cœnobij Wissenburgensis; vir moribus & conversatione integerrimus, & tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, qui propter brevitatem Pontificatûs aut nihil, aut parùm facere dignum memoriâ potuit. Post quem Otgerus in Pontificatu Neometensi succedens præfuit annis duobus, & mensibus totidem, vel ut alibi reperimus, annis sex, & mensibus duobus: qui ab Ottone Imperatore I. Privilegium impetravit singularis immunitatis, videlicet præter solum Episcopum aut ejus Vicarium in civitate Spirensi nemini licere publicum tenere Placitum, sive Dux sit, sive Comes, sive alia quælibet persona sæcularis, vel spiritualis.

Otgerus fit Episc Spirensis.

Anno prænotato venerunt Legati Gentis Ruscorum ad Imperatorem Magnum Ottonem, postulantes sibi dari aliquem virum doctũ, qui eos viam veritatis in fide Christi doceret, & Præsulatum more Christianorum inter illos susciperet. Quibus Imperator justa petentibus facilè consentiens, Adelbertum quendam Monachum Cœnobij Corbejensis in Saxonia virum doctum & sanctum exhibuit, eúmque prius ordinari fecit Episcopum, ac deinceps cum Legatis in Russiam Apostolum destinavit: qui multos in terra Russorum sive Ruthenorũ ad fidem Christi exemplo convertit simul & verbo: à quibus tamen postea multas injurias sustinuit, & vix manus non credentium paganorum evasit. Mortuus tandem, sicut & in vita, multis miraculis claruit, & inter sanctorum sive Canonizatorum numerum ejus memoria celebratur.

Adelbertus ex Monacho Episc.

Sanctus Lybacius Monachus fuit Cœnobij divi Albani prope Moguntiam, vir in omni genere scientiarum doctissimus, & vitæ merito valde venerandus, qui jussu sereníssimi Imperatoris primi Ottonis cum divo Adelberto & multis aliis Monachis pro Christi amore perrexit in Russiam, laborúmque Pontificis fidelis coadjutor existens, prædicator veritatis non minùs exemplo, quàm sermone constans apparuit. Unde S. Adalberto viam universæ carnis ingresso in ejus locum Episcopus Ruthenorum ordinatus est, & multos ab errore ad veritatem convertit.

Claruit his quoque temporibus sanctus Majolus Cluniacensis nostri Ordinis in Burgundia quartus Abbas, vir doctrinâ, & sanctitate præclarus, qui multis signis effulsit átque miraculis. Is anno conversionis suæ ad Monasterium sexto, sancto Ademaro Abbate propter cæcitatem oculorum & corporis imbecillitatem cedente officio, comuni fratrum electione Abbas constitutus est, & vitam in omni sanctitate consummans, Catalogo Sanctorum insertus est, cujus festum undecimâ die mensis Maji celebratur.

S. Majolus Abb. Cluniacensis.

DCCCCLX.

Anno Sigeri Abbatis IX. Magnus Imperator Otto Principes Regni omnes convocavit apud Herbipolim civitatem Francorum Orientalium, & habito cum eis maturâ deliberatione consilio, exercitum ordinavit in Italiam.

Conventus Principum Herbipoli.

Italiam. Comparuit in eodem Conventu Principum Presbyter quidam, in finibus Thuringorum Eremita, nomine Bernhardus, homo admodum doctus in scripturis Ecclesiasticis, quem vulgus venerabatur ut sanctum. Hic suo alienóve spiritu illusus, nescimus, diem jamjam imminere dicebat extremum, & mundum in brevi consummandum, ídque sibi à Deo revelatum constanter affirmabat. In cujus rei signum cruces Deum præmisisse apparere in vestibus hominum asserebat, nec illas desituras, donec mundi consummatio fiat. Credebant alij vatem hunc esse divinum, alij verò ut hominem vel cerebro destructum, vel arrogantiâ plenum irridebant. Anno prænotato, Germaniâ simul & Galliâ jam bene pacatâ, sopitísque incursantium tumultibus in circuitu omnibus, Otto Imperator cupiens etiam reformare Italiam, filium suum Ottonem adhuc puerum, & penè infantem Aquisgrani fecit coronari de Principum omnium consensu in Regem Francorum Orientalium, & Germaniæ totius, eóque post hæc Archiepiscopis Brunoni Colonienſium fratri, & Wilhelmo Moguntinensium filio diligentissimè commendato, ipse cum magno suorum exercitu jam tertiò profectus est in Italiam.

Erroneus Propheta.

Otto Imperator petit Italiam.

DCCCCLXI.

Anno Sigeri Abbatis x. die Mensis Februarij xv. Indictione Romanorum quartâ mortuus est Boppo Senior Episcopus Herbipolensis, vir moribus & conversatione notabilis, ad cujus preces Otto Imperator primus fratribus Canonicis Herbipolensis Ecclesiæ clementer indulsit: ut quotiens mori contingeret Episcopum, inter se quem judicaverint idoneum, disquirentes eligant, nullius desuper authoritate exspectatâ. Mortuo igitur Boppone memorato Pontifice, Canonici majoris Ecclesiæ Herbipolensis vigore concessi ab Imperatore Privilegij Pontificem super se constituerunt Bopponem juniorem, qui mox ordinatus præfuit annis xxii. Mensibus quatuor, diebus uno & viginti. Hic ab Ottone Imperatore secundo precibus impetravit Privilegium donationis super Ecclesiam in Forcheim cum omnibus ad eam pertinentibus.

His quoque temporibus Bruno Archiepiscopus Colonienſis Monasterium sancti Pantaleonis Martyris in Colonia fundavit, quod multis divitijs ad sustentationem servientium Deo Monachorum copiosè procuravit. In cujus fundationis loco Capella fuit antiquissima sub honore sanctorum Cosmæ & Damiani Martyrum, quam necesse jam fuit evertere, ut spatium nova structura posset conveniens habere. Cùm ergo foderetur terra pro fundamento locando, corpus sancti Maurini Abbatis & Martyris, quod cum inscriptione sua latebat, sub terra inventum est, quod infinitis mox cœpit clarere miraculis, & in prædicto Monasterio honorificè servatur usque in præsentem diem. Fuit autem iste sanctus Maurinus natione Scotus, qui pro Christi amore patriam deserens, verbum Dei prædicavit gentibus, tempore Dagoberti Regis Magni Francorum, cum alijs duobus Monachis discipulis suis, qui simul pro fide Catholica martyrizati fuerunt in terra Saxoniæ.

Monasterium sancti Pantaleonis fundatur.

Eodem tempore Bruno præfatus Archiepiscopus inter multa pietatis suæ studia corpus sancti Evergisili Præsulis, & Martyris de civitate Tungrorum, ubi antiquitus fuit Sedes Episcopalis, quæ nunc est in Leodio, transtulit in Coloniam, & in Cœnobio sanctæ Martyris Cæciliæ, in quo

Reliquiæ Sanctorum Colonijs illatæ.

quo tunc Moniales fuerunt nostri Ordinis, collocavit. Item superiorem partem baculi sancti Petri Apostoli, & peciam catenæ, in qua vinctus olim fuerat, cum multis alijs reliquijs impetravit ab Archiepiscopo Heinrico Trevirorum: quas in majorem Ecclesiam suam Colonienſem reposuit. Corpus etiam sancti Martyris de Roma transtulit in Westgalliam, & in Ecclesiam, quæ est in Susato Oppido, collocavit. Item corpus sancti Eliphij in Monasterium nostri Ordinis Divi Martini, eo tempore Scotorum in Colonia, ubi hodie ostenditur, similiter reposuit. Corpus denique sancti Gregorij Præsulis Spoletani à Roma, & sancti Agilolphi à Malmundario, suscipiens, ad Coloniam similiter transvexit.

Christian9 Abb. Sanct. Pantaleon.

Claruit his quoque temporibus Christianus primus Abbas memorati Cœnobij sancti Pantaleonis in Colonia: vir in divinis scripturis eruditus, & sæcularis litteraturæ non ignarus, qui natione fuit Saxo, & Monachus Corbejensis; inde missus ad Coloniam cum duodecim Monachis, & Abbas à Brunone Archiepiscopo ordinatus, vitam in omni sanctitate continuavit Monasticam. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula super quatuor Evangelia pulcherrimas Homilias in quatuor magnis voluminibus. De Sacramento quoq; Altaris, Defloratione librorum S. Augustini libros octo, & quædam alia.

DCCCCLXII.

Otto Imp. petit Romã

Anno Sigeri Abbatis XI. Magnus Imperator Otto iterum vocatus à Romanis perrexit in Italiam contra insolentias Joannis XII. Papæ, qui Romanos suâ miserabili conversatione nimiùm contristans, & sæpius avisatus emendare contempsit. Ingrediente autem Imperatore Romam Joannes Papa malè sibi conscius justissimum non ferens judicem, sicuti Eutrandus Ticinensis scribit Diaconus, fugit, & Imperatoris præsentiam declinavit. Magna igitur Synodus Episcoporum mandato Imperatoris, & Patrum consensu Romæ collecta est: in qua de Germania isti Præsules proprijs comparuerunt in personis. Heinricus Archiepiscopus Trevirensis, Adaldachus Archiepiscopus Bremensis, Landohardus Episcopus Mindensis, Boppo junior Episcopus Wirzburgensis, Otgerus Episcopus Spirensis, Udalricus Augustensis, Conradus Constantiensis, Thiethardus Episcopus Hildesheimensis, Bernhardus Episcopus Halberstattensis, & alij multi, quorum brevitatis causâ nomina subticemus. Aderant enim in ea synodo Episcopi XXXX. Cardinales Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi numero XLVIII. Abbates de Germania decem, inter quos fuit Hatto Fuldensis Abbas, Sigerus Abbas sancti Albani Moguntinensis, Theodericus sancti Maximini Abbas Treverensis, Adelhardus Abbas Corbejensis in Saxonia, Joannes Abbas sancti Petri & Pauli Apostolorum in Wissenburg, Diethardus S. Burkhardi apud Herbipolim, viri sapientes átque doctissimi.

Synodus Romę celebratur contra Papam.

Joann. Papa accusat.

Sanctâ igitur synodo residente crimina scelerum Joannis Papæ XII. absentis recitata sunt, & in conspectu omnium per unum ex Cardinalibus sacrosanctæ Romanæ Sedis audiente Imperatore & primoribus urbis publicè lecta: quorum ista principaliora sunt capita.

Item Missam in quadam festivitate magna populi officio deputatam solemniter celebravit, & non communicavit Corpus & Sanguinem Domini, sed tradidit Sacramenta Dominica ministro Diacono sumenda.

Item

Criminum capita quindecim Joannis Papæ.

Item Benedictum Patrem suum spiritalem civem quendam, qui cum de sacro fonte levavit, oculis privavit, qui statim mortuus fuit. Causa fuit, ut alij scribunt, quia confessor ejus erat, à quo noluit reprehendi.

Item Joannem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem amputatis virilibus occidit, propterea, quòd illum odio prosequebatur iniquo, cùm vir esset doctus iste Cardinalis, & innocentissimæ conversationis.

Item incestum perpetravit cum Stephana patris sui olim concubina publica & notoria: adulterium simul & fornicationem & incestum commisit cum Anna Nepte sua vidua Reinherij, & cum alijs mulieribus multis, & sanctum Palatium Apostolicum Lupanar & prostibulum fecit meretricum.

Item ad Ecclesiam Tudertinam puerum decem annorum ordinavit, & consecravit Episcopum, pecuniâ non modicâ inde ab amicis ejus acceptâ, quod contra sanctorum Canones & illicitum & manifestè prohibitum.

Item ordinationes faciebat pro pretio, Dominicæ immemor sententiæ dicentis: *Gratis accepistis, gratis date.* Sed imitator Simonis Magi factus, omnia sacrosancta ministeria & officia per pecuniam dispensabat.

Item Diaconum quendam ordinavit in stabulo equorum: nec tempus observans debitum & conveniens, nec judicans locum; quia cùm esset summus in Ecclesia Pontifex, omnia, quæ voluit, sibi licere putabat.

Item manifestè fuit sacrilegus, quoniam Cruces & Clinodia Sanctuarij pro sua consequenda libidine meretricibus donabat, pauperes Christi non solùm negligens, sed etiam penitus contemnens & despiciens.

Item nimium erat dissolutus in moribus, & à fidelium Christianorum Religione multum alienus: vinum amore diaboli potavit: non celebravit matutinas, nec alias horas Canonicas persolvere consuevit.

Item in ludis alearum Venerem, Junonem, Mercuriúmque & alios gentilium Deos & Deas in adjutorium suum invocavit.

Item nunquam visus est se munire signo sanctæ Crucis: nec observantias aut sanctas Ecclesiæ consuetudines curavit.

Item venationes & alias levitates contra omnem honestatem Ecclesiasticam publicè exercebat, canes nutriens, pauperibus contemptis.

Item Loricâ & alijs armis militaribus indutus contra sanctum Imperatorem quasi Dux cum exercitu processit ad bellum.

Item plures virgines, viduas & maritatas mulieres violenter opprimens stupravit: & in cognationem propriam sæpius incestum perpetravit, cum duabúsque sororibus coivit.

Item homicidij, sacrilegij, perjurij, ac simoniacæ pravitatis hæreseos reus accusatus est publicè, & multorum attestatione compertus.

Alia insuper multa gravissima & horrenda in eum scelera dicta & prolata fuerunt coram sancta synodo in præsentia Imperatoris Magni Ottonis per Cardinales, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alios boni testimonij viros. Quibus auditis Imperator unà cum sancta synodo ingemuit: & nuncios ad Papam cum litteris misit, rogans & obsecrans eum ut patrem, quatenus redire dignaretur ad urbem, & se coram sancta sy-

nodo de tantis expurgare criminibus non contemneret : ſe pro viribus cooperaturum ſpondens, quò res felicem conſequeretur finem, modò vel adhuc morum emendaret corruptionem. Sed redire contempſit: unde per decretum ſacri Concilij publicè ac ſolemniter citatus eſt, ut coram ſynodo compareat, ſe de objectis & obijciendis expurgaret legitimè; alioquin ſe per ſententiam à Pontificatûs culmine noverit eſſe deponendum. Qui citatione contemptâ, his verbis ſynodo reſcripſit: *Ego audivi, quòd vultis me à Papatu deponere, & alium Papam ordinare: quod ſi facitis, ego excommunico vos.* Sancta igitur ſynodus videns ejus in obſtinatione pertinaciam, anno præſcripto, die menſis Novembris viceſimâ ſecundâ, quæ fuit Divæ Cæciliæ Virginis & Martyris feſtum, ſacro aſſiſtente Imperatore, totóque Romanæ urbis tam Clero, quàm populo Joannem à Pontificatu per unanimem omnium ſententiam depoſuerunt, propter contumaciam, quâ ſancto contradixit Epiſcoporum Concilio, & ejus multa ſcelera omnino manifeſta. Quo depoſito, Clerus populúſque Romanus Leonem ejus nominis octavum ex Monacho Lateranenſis Eccleſiæ Diaconum, & ſanctæ Romanæ Sedis Protoſcriniarium ſive Bibliothecarium & Cardinalem, virum ſcientiâ ſcripturarum, & morum integritate valde venerabilem unanimi conſenſu in Papam elegerunt: quem Imperator confirmavit. His ita peractis magnus Imperator (fide à Romanis acceptâ ſub jurejurando, quòd Leonem nunquam deſererent, nec Joannem depoſitum aliquando reciperent) ne illos ſuo nimium gravaret exercitu, magnam ejus partem à ſe dimiſſam ad Spoletum deſtinavit. Quod cùm Joanni depoſito in montibus latitanti fuiſſet nuntiatum, nuntios clam miſit ad Romanos, quos & avaros novit, & novarum rerum cupidos, promittens illis omnes theſauros Eccleſiæ ſe daturum, ſi Imperatorem Ottonem ſimul cum Leone ſuo Pontifice occiderent. Romani ergo tam meretricum Joannis ſeditione commoti, quàm ejus pollicitationibus animati, paucos eſſe cum Imperatore conſpicientes, buccinâ concrepant, & ſuper Imperatorem nihil tale ſuſpicantem irruentes, ipſum cum ſuis interficere contendunt. Quibus in ponte Tyberis, quem curribus impleverant, Magnus Imperator cum ſuis armatus occurrit; cujus fortiſſimi milites aſſuefacti ad præliandum in eos audacter inſiliunt, & quemadmodum accipitres parvas deterrent aviculas, ita perjuros & infideles Romanos multos pauci robuſtiſſimi Germani trucidantes cum plauſtris in flumen projiciunt. Mox in fugam converſi Romani per diverſa urbis latibula ſeſe recipientes, ſalutem quærere ſunt compulſi: & qui occidere Imperatorem venerant, ab ejus militibus ſine miſericordia, ut meruerunt, occiduntur: non latibula quæque, non corbes, non concava ligna, non cryptæ ſordium receptacula fugientes eos tueri potuerunt. Occiduntur itaque Romani à Germanis ſine numero, ſine miſericordia, ſine quoque delectu perſonarum: nec unus quidem ex omnibus remanſiſſet ſuperſtes, ſi non Imperator pientiſſimus miſericordiâ motus, in eos, quibus nulla miſeratio debebatur, milites adhuc interficere perfidos cupientes à cæde revocâſſet invitos. Itaque Imperator devictis Romanis, & ab illis, qui poſt cædem remanſerant, obſidibus, ut voluit receptis, iterum eos juramento ad obedientiam Leonis Papæ conſtrinxit. Venerabilis autem Papa Leo ad pedes Imperatoris provolutus rogavit, obſides dimitti Romanis; cujus

Joan. Papa deponitur à Concilio.

Leo ex Monach. Card. fit Papa.

Joann. depoſitus ſollicitat Romanos.

Romani cæduntur à Germanis noſtris.

intuitu

intuitu mox fuere donati; quanquam sciret animos illorum esse fictos atque fallaces, quibus fraude totum, nihil de fide constaret. His tandem peractis Pontificem Romanorum fidei sanctus Imperator commendans cum suis illico ab urbe Roma discessit.

Romani Leonē voluerunt occidere.

Post Imperatoris ab urbe discessum, mulieres, cum quibus Joañes abrogatus quondam Pontifex suas exercere voluptates consuevit, & numero plures, & genere potiores concita vêre Romanos, ut Leonem occiderent, & Joannem ad Petri Sedem revocarent; quòd cùm sancto Leoni secretè innotuisset, Deo miserante cum paucis evasit, & ad magnum Imperatorem Ottonem festinus accessit. Quo recedente mox in urbem Joannes abrogatus reducitur, & in summi Pontificatûs throno collocatur. Statim ergo inter cætera crudelitatis suæ scelera Joanni Diacono Cardinali manum amputat, & Azoni Scriniario sanctæ sedis Cardinali linguam & duos dextræ manus digitos abscindens similiter truncat.

His cognitis Imperator tantas ulturus injurias servorum Dei, coadunato suorum exercitu Romam redire disposuit, & omnia quæ ad hujus itineris consummationem videbantur necessaria, parat. Interea dum his Imperator esset intentus, Joannes recuperato Pontificatu nihil pravitatis suæ corrigens, vitam suo more cum meretricibus agebat imundam. Qui cum uxore cujusdam Romani potentis lasciviens quadam vice ab ipsius marito est interfectus: vel ut alij scribunt, à diabolo percussus, octavo post die sine pœnitentia & Sacramentis Ecclesiæ interijt. Quo mortuo Romani omnes jurisjurandi penitus obliti, non exspectatâ jussione vel mandato Imperatoris, Benedictum quemdam Diaconum Cardinalem in ejus locum Papam ordinârunt: seque illum nunquam dimissuros, sed contra Imperatorem defensuros promittunt. Hæc audiens Imperator Romam cum exercitu properat, & urbem ab omni parte obsidione vallat, neminem qui non truncaretur membris, exire vel intrare permittens. Urbem fame machinisque gravissimè oppugnans tandem cepit, & cum universo exercitu potenter intravit. Leonem inprimis venerabilem Pontificem, quem secum reduxerat, in sedem Apostolici culminis locando restituit: & postea Benedictum capiens ad ejus pedes veniam petere coëgit, quem sancto decernente Concilio post publicam in Synodo susceptam pœnitentiam usque ad mortem in Saxoniam exilio condemnavit: ubi in amaritudine animæ tandem defecit. Occupaverat autem sedis Apostolicæ culmen mensibus ferme tribus. Leo sanctissimus Præsul VIII. ejecto Benedicto, sicut diximus, V. præfuit anno duntaxat uno, mensibus quinque, vir doctrinâ, & vitæ merito præstantissimus, & in pauperes singulari devotione misericors: qui à juventute in Cœnobio sub norma divi Patris Benedicti quàm optimè institutus magnæ sanctitatis & prudentiæ Præsul enituit. Imperator autem sumpto de principibus factionum supplicio, acceptisque à Romanis obsidibus, cum eis in Germaniam reversus est.

Joañes abrogatus Papa moritur.

Imper. urbem obsidione vallat.

Benedictus V. exul.

DCCCCLXIII.

Anno Sigeri Abbatis XII. Adelbero Metensis Episcopus moritur: cui Theodericus consobrinus Imperatoris tam Cleri, quàm totius populi electione successit: qui fuit vir Ecclesiasticæ disciplinæ doctissimus, & in ordinandis sanctuarijs Domini valde studiosus.

Synod. Episcopor. Moguntiæ celebratur.

Eodem anno Imperator magnus Otto rebus Imperij ubique Deo miserante pacatis, ne tantæ bonitati largitoris omnium bonorum videretur ingratus, cujus munere jam quietus imperabat, animũ ad reformationem Ecclesiastici statûs apposuit, quod etiam celeri mox studio implevit. Convocatis námque omnibus Germaniæ Pontificibus simul, & Abbatibus Concilium apud Moguntiam generale habuit, quod tribus ferè mensibus à Festo Paschatis continuè duravit. Comparuerunt in hac synodo ex Episcopis quidem subscripti: Wilhelmus Archiepiscopus Moguntinus filius Imperatoris, Bruno Archiepiscopus Colonienſis frater Imperatoris, Heinricus Archiepiscopus Trevirorum, Adelbertus qui & Herdingus ex Monacho primus Archiepiscopus Magdeburgenſis, Boppo junior Episcopus Herbipolenſis, Udalricus Episcopus Augustenſis, Conradus Episcopus Constantienſis, ambo Viri sanctæ conversationis, Orgerus Episcopus Spirenſis, Theodericus Episcopus Metenſis, & alij complures, absentiúmque nonnullorum missi procuratores. Inter Abbates verò comparuerunt Hatto Fuldenſis, Sigerus quoque Abbas hujus Cœnobij Hirsaugienſis, item Abbas Hirsfeldenſis, Abbas S. Albani Moguntinenſis, Abbas S. Ferrucij Bildenstatenſis, Abbas Selgenstatenſis, Abbas Laurishemenſis, Abbas sancti Petri Erpfordenſis, Abbas S. Burchardi Herbipolenſis, Abbas Nevvstarenſis, Abbas in Amorbach, Abbas in Schutteren, Abbas S. Galli, Abbas in Augia majore, Abbas Corbejenſis in Saxoniâ, Abbas S. Matthiæ Treverenſis, Abbas S. Maximini Treverenſis, Abbas Mediolacenſis, Abbas Tholeyenſis, Abbas S. Pantaleonis Colonienſis, Abbas Wissenburgenſis, Abbas Hornbacenſis, & alij multi. In hac sancta convocatione Magno Imperatore præcipiente multa ad reformationem statûs Ecclesiastici atque Monastici tractata sunt: quæ cùm scripta habeantur ad verbum, causâ brevitatis non signamus.

DCCCCLXIV.

Anno Sigeri Abbatis XIII. Otto Imperator Magnus Pentecosten Aquisgrani celebravit, concurrentibus ad eum ex Gallia sororibus suis, Reginâ scilicet Gallorum Girberga Matre Lotharij Regis, & Caroli Ducis, & Hathvvide uxore Hugonis Parisiorum Comitis: quorum filius fuit alter Hugo, qui postea regnavit in Gallia. Ubi omnis illa regalis Prosapia tanto ad invicem congratulationis jubilo affecta est, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudij huic lætitiæ habuerint comparandum. Aderant & alij Principes Imperij plures ad festum diem ab Imperatore convocati, simili exultationis jubilo lætantes.

Anno prænotato Benedictus, qui fuerat Romanus Pontifex creatus contra Leonem Papam VIII. apud Saxones in exilio moritur: amaritudine animi, & mœrore gravissimo, ut fieri solet, deficiens.

Leo Papa VIII. objit.

Eodem quoque anno Leo ex Monacho & Cardinali Papa, ejus nominis VIII. Romæ moritur: cui Joannes XIII. natione Italus, patriâ Narnienſis succedens præfuit annis ferme octo, quem Romani plurimùm persecuti sunt, dederúntque operam, ut à Godfrido Campaniæ Comite in Lateranenſi Ecclesia caperetur, & in carcerem truderetur. Verùm postea idem Campaniæ Comes unà cum filio suo à Joanne Capuanorum Principe trucidatus est; & Joannes Papa post undecimum calamitatis suæ mensem liberatus Romam revertitur.

Anno

Anno prænotato Bruno Dux, & Archiepiscopus Colonienſis, Vir Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus, ſynodum Coloniæ Provincialem celebrans, omnes Epiſcopos, & Abbates de toto Archiepiſcopio ſuo convocavit, & multa in eodem ſancto Concilio ad utilitatem communem conſtituit. Concilium Provinciale apud Coloniam.

DCCCCLXV.

Anno Sigeri Abbatis XIV. obijt Meginradus Monachus, & Magiſter Scholarum hujus Cœnobij Hirſaugienſis, XVI. die Menſis Januarij, anno ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, vir in omni genere doctrinarum eruditiſſimus: de quo in præcedentibus anno Diethmari Abbatis XXVII. dictum eſt: qui non ſolùm in ſcientia ſcripturarum Monachos juniores optimè inſtituit, ſed etiã in bonis moribꝰ ad puritatem Regulæ Monaſticæ utiliter erudivit. Scripſit ad inſtitutionem diſcipulorũ ſuorum de Computo Eccleſiaſtico libellũ brevem, ſed valde utilem, ad Windekindũ Corbejenſis Cœnobij Monachum, atque Scholaſticum. Compoſuit de novis adinventis veterum libellum unum. In Pſalmos librum Commentariorum edidit. Epiſtolas ad memoratum Windekindum plures ſatis eleganter ſcripſit. Sed & alia pleraque ſcripſit nobis incognita. Poſt Meginradum Reginhardus Monachus Magiſter ſcholarum ſancti Aurelij conſtitutus eſt, & docendi munere fungitur annis 12. Vir quidem ſatis doctus, quamvis ad menſuram Meginradi non pervenerit, nec eam docendi gratiam & alacritatem per omnia fuerit aſſecutus: qui an ſcripſerit quidpiam de ſuo ingenio, certum non habemus. Egvvardus Monachus ſancti Aurelij Hirſaugienſis Meginradi quondam diſcipulus, vir doctus, & Prædicator egregius, nec minus vitæ merito, quàm eruditione ſcripturarum illuſtris, jubente Ottone Imperatore Magno Epiſcopus Sleſvvicenſis in finibus Saxoniæ factus eſt, qui ſanctitatis ſuæ manifeſtum omnibus præbuit ſignum. Nam hominem in mari ſubmerſum ſuis precibus coram multitudine hominum ad vitam revocavit. Unde in ſtuporem converſi Sleſvvicenſes nomen illi dederunt Viri Dei, appellantes eum Gottmannum causâ reverentiæ, & honoris utpote quem tanto miraculo Dei cognoverunt eſſe amicum. Egwardus hic Monachus fit Ep.

His etiam temporibus mortuo Adelhardo Abbate Monaſterij ſancti Albani prope Moguntiam, Wernherus hujus Cœnobij Hirſaugienſis Monachus, mandante Wilhelmo Archiepiſcopo Moguntino in Abbatia ſucceſſit, vir magnarum virtutum, & prudentiæ ſingularis, qui pro doctrina, & vitæ merito in magno apud Moguntinos pretio fuit. Bernolfus quoque Monachus hujus Cœnobij Hirſaugienſis, & Meginradi ſcholaſtici quondam Auditor, atque diſcipulus, eâdem tempeſtate propter vitæ meritum, & cœleſtis abundantiam doctrinæ ad Monaſterium ſancti Ferrucij, quod Blidenſtat nuncupatur, Abbas deſtinatur.

Anno prænotato mortuus eſt Otgerus Epiſcopus Spirenſis ex Monacho, ut Erchenbaldus ſcribit, Cœnobij ſancti Pirminij Præſulis in Hornbach, qui fuit vir in omni ſcriptura doctiſſimus, vitæ quoq; merito ſanctiſſimus, & Imperatori Magno Ottoni ſingulari veneratione chariſſimus, à quo immunitatis præcipuę privilegium impetravit. Huic in ordine Pontificum Spirenſis Eccleſiæ viceſimus Præſul immediatè ſucceſſit Baldericus, & præfuit annis ferme XII. alij dicunt XXIII. qui bona quædam non parvæ æſtimationis Eccleſiæ ſuæ ab Ottone II. impetravit.

DCCCCLXVI.

Otto Impe. Romã proficiscitur.

Anno Sigeri Abbatis xv. Otto Imperator Magnus Romam duplici causâ proficiscitur, quarum altera devotio in sanctos fuit Apostolos: altera verò, ut Joannem Papam xiii. ab injurijs & persecutionibus continuis infidelium eriperet Romanorum.

Bruno Archiepiscop. moritur.

Anno prænotato Bruno Dux, & Archiepiscopus Colonienſis, Frater Imperatoris Magni Ottonis pergens in Galliam ad pacificandum Nepotes suos, Lotharium videlicet Regem, & filios Hugonis dissidentes ab invicem, ubi Compendium venit, febre correptus, ad civitatem Rhemorum redit; ibi quidquid habuit, Ecclesijs per testamentum legavit, munitúsque Sacramentis Ecclesiasticis in Domino quievit. Cujus corpus Theodericus Metensium Episcopus Consobrinus ejus Coloniam retulit; & sicut ipse mandaverat, in Cœnobio sancti Pantaleonis à se fundato sepelivit. Erat autem vir æternâ memoriâ dignus, qui multa fecit miranda; qui Ducatum Lotharingiæ sibi commissum à Fratre tantâ prudentiâ gubernavit, & Pontificis officium minimè neglexit. Pontem quoque permagnificum, quem Carolus Imperator quondam Magnus apud Coloniam super Rhenum fecerat, iste Bruno destruxit: propterea quòd multa fierent in eo latrocinia hominum, quorum cadavera de Ponte in Rhenum nocturnis horis mittebantur. Huic in Archiepiscopatu Colonienſis Ecclesiæ successit Volmarus, & præfuit annis ferme vi. qui structuram Cœnobij sancti Pantaleonis in Colonia incœptam à Brunone Archiepiscopo illius jussu, & impensis perfecit.

Volmarus fit Archiepiscop. Colonienſis.

DCCCCLXVII.

Anno Sigeri Abbatis xvi. Otto Imperator Magnus, cum exercitu perrexit in Italiam, sicut consuetudinem habebat singulis penè annis visitare Romam, tum propter devotionem, quam mente gerebat in sanctos Apostolos, tum propter levitatem Romanorum. Qui cùm Romæ jam tranquillus existeret, Ottonem filium suum per litteras evocatum de Germania in Italiam à Joanne Papa in die Natalis Domini cum magna pompa fecit Imperatorem benedici. Hic est Otto Imperator II. de quo post obitum Patris latius dicetur.

Otto II. Romæ coronatur.

Eodem anno Wilhelmus Archiepiscopus Moguntinus filius Magni Ottonis Imperatoris moritur, in cujus locum Hatto ejus nominis secundus Abbas Fuldensis, jubente Imperatore Archiepiscopus fuit ordinatus: qui singulari prudentiâ, & industriâ præditus Imperatoribus semper dilectus, & obsequentissimus extitit. Cui successit in Abbatia Fuldensi Wernherus Monachus vitâ, & eruditione præclarus, qui multo tempore Magister scholarum fuerat ab Hademaro quondam Abbate Reverendissimo ejusdem Cœnobij institutus.

His ferme temporibus claruit Hedericus Monachus, & Scholasticus Monasterij Wissenburgensis, quod septé à Spira milliaribus ferme distat, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris omnium opinione doctissimus, qui metro & prosâ exercitatus in utroque scribendi genere multa lucubrâsse dicitur: quorum tamen ad nostram notitiam pauciſſima hactenus pervenerunt; exstant ejus in Cantica Canticorum non inelegantes Commentarij: in quatuor sanctissima Christi Evangelia libri totidem: Homiliæ quoque plures sub ejus nomine feruntur, quas

tam ad

tam ad populũ habuit, quàm etiam ad Fratres certis anni solemnitatibus.

Anno prænotato, quartâ decimâ die Mensis Martij moritur Machtildis Regina, Mater Ottonis I. relicta Heinrici Regis, plena operibus bonis, & eleemosynis, cunctis divitijs regalibus distributis servis Dei, & ancillis, atque pauperibus, anno viduitatis suæ primo supra tricesimum, Sabbato post Dominicam Quadragesimæ primam, eâ scilicet horâ, quâ pauperes Christi semper in Quadragesima recreare consueverat, id est, Nonâ, de labore ad requiẽ cum fructu sexagesimo transiens, reddente illi Domino coronam justitiæ, pro cujus amore omnia hujus mundi blandimenta contempsit. Sepulta est in Ecclesia sancti Servatij in Quetelenburg juxta corpus Heinrici Regis Mariti quondam sui, quemadmodum vivens mandaverat. Cujus vitam virtutibus, & miraculis claram Windekindus Corbejensis Cœnobij Monachus, de quo supra diximus, ornato scripsit eloquio.

DCCCCLXVIII.

Anno Sigeri Abbatis XVII. Ottone Imperatore Magno Romæ cum filio jam coronato existente, quidam familiaris ejus ante oculos omnium à diabolo correptus, ita ut seipsum dentibus discerperet, jussu Imperatoris ad Papam Joannem adducitur, ut catena sancti Petri collo ejus circumligaretur: Clerici verò, nescio quid mente gerentes, semel & iterum catenam non sancti Petri, sed alienam fallaciter tamen sub nomine Apostolicæ adhibuerunt, quarum attactu infirmus nihil percepit relevaminis, ubi nihil erat virtutis. Tandem vera S. Petri catena allata, & collo furentis circumdata cùm fuisset, diabolus rugiens & multum spumans discessit. Quam catenam Theodericus Metensis Episcopus, qui adstabat, arreptam, cùm diceret se eam nisi manu abscisâ non dimissurum, tandem Imperator sedato litigio à Papa Joanne obtinuit, ut annulum ejusdem catenæ unum exsectum Episcopus habere mereretur. Miraculũ catenæ sancti Petri.

Eodem anno Imperatore magno Ottone de Italia in Germaniam reverso Romani traditione factâ Joannem Pontificem in Ecclesia Lateranensi divina celebrantem mysteria, per Campaniæ Comitem, ut supra dictum est, capi faciunt: qui exul deportatus in Campaniam undecim mensibus carcerali custodiâ non sine contumelia detentus est. Quibus auditis Imperator valde commotus est: & reditum in Italiam maturare satagit, quem tamen differre in sequentem annum coactus est.

DCCCCLXIX.

Anno Sigeri Abbatis XVIII. Magnus Imperator Germanorum Otto, cum magno exercitu suorum intravit Italiam, & veniens Romam undecim Principes Romanorum Nobiliores, qui in captionem Joannis Papæ conspiraverant, laqueo fecit suspendi. De ceteris quosdam gladio truncari præcepit, quosdam ad Saxoniam in exilium irrevocabile destinavit. Deinde filios Romanorum centum numero ex potentioribus capiens obsides, secum duxit in Germaniam. Joann. 13. Papa Romæ capitur.

His quoque temporibus Theodericus Metensis supradictus Episcopus Monasterium nostri Ordinis in Insula juxta civitatem Metensem de bonis suis fundavit, quod consummatum sub honore Divi Martyris Vincentij consecravit, in quo multas reliquias SS. reposuit, quas Imperatorem triennio in Italia expeditione sequens tam à Papa Joanne, quàm ab Cœnobiũ S. Vincentij Metis fundatur.

alijs

alijs diversis quocunque poterat modo impetravit. Et hæc quidem cum parte catenæ sancti Petri Apostoli cum capillis ejusdem, & sanguine sancti Protomartyris Stephani, & parte de craticula sancti Laurentij Martyris, à Papa Joanne sibi donatâ in Galliam hoc anno detulit, & in eadem Basilica sancti Martyris Vincentij cum honore collocavit.

DCCCCLXX.

Joannes Imperator Græcorũ.

Anno Sigeri Abb. xix. Nicephorus Imperator Græcorũ apud Constantinopolim jam senio gravatus, timens de imperio expelli à filijs suis, cogitavit illos evnuchizare. Quorum Mater Regina, quoniam nullo eo alio poterat modo liberare, suasit Joanni Nicephorum occidere, & imperare. Joannes itaque occultè cum funibus intravit palatium, & occiso Imperatore Nicephoro ejus sibi usurpavit imperium. Hujus Joannis Græcorum Imperatoris filiam nomine Theophanam Otto secundus Imperator Romanorum adhuc patre suo vivente & jubente duxit uxorem, quæ peperit ei filium, Ottonem scilicet tertium.

Anno prænotato vicesimâ primâ die Mensis Aprilis obijt Heribertus Monachus & Magister scholarũ Cœnobij sancti Wilibrordi Epternacensis, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, de quo supra dictum est anno Diethmari Abbatis vicesimo septimo: de cujus lucubrationibus pauca in manus nostras hactenus pervenerunt: etenim sicut Meginfridus ait, divinarum scripturarum explanator subtilissimus fuit, & multos in utriusque libros testamenti commentarios fecit. De moribus veterum Monachorum utilem tractatum composuit, in quo penè omnium institutionum Claustralium ante se mentionem fecit. De mensura Monochordi similiter scripsit. Huic in Magisterio scholæ Monasticæ successit Rudgerus ejusdem Cœnobij Monachus, qui suâ eruditione plures laudabiliter instituit: quos non modo verbis, sed etiam exemplo in omni sanctitate præcessit: qui & ipse nonnulla synthemata lucubrâsse dicitur: quorum lectione se & tunc præsentibus utilem, & posteris omnibus commendabilem fecit.

Bajan. Rex & Necromanticus.

His quoque temporibus dominabantur genti Bulgarorum, quæ fuit pars Græciæ, duo fratres filij Simeonis ex Monacho quondam Regis, Petrus videlicet, & Bajanus: è quibus Bajanus in arte Magica peritissimus omnium suo tempore mortalium habebatur, per quam stupenda faciebat. Nam quotiens voluit, se vel in lupum, vel in aviculam, aut quamlibet bestiam aliam dæmonum cooperatione mutavisse non dubium à nescientibus præstigiorum ejus rationem occultam putabatur. Multa insuper & alia patravit miranda, quæ cùm dæmonum sint ludibria, parùm interest, si vel negligantur à nobis, vel contemnantur.

Sanct. Abbo Floriacens. Abbas.

Claruit his temporibus in Gallia Abbo, sive Ebbo Floriacensis Monasterij Ordinis nostri clarissimus Abbas, vir in divinis scripturis eruditissimus, & sæcularis litteraturæ non ignarus; qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula super calculo Victorij librum unum. Hic divino succensus amore verbum Dei in Vasconia prædicans, Martyrio coronatus est, proprijque sanguinis effusione testimonium præbuit veritati.

Aimoinus Floriacens. Monachus.

Aimoinus quoque ejusdem Floriacensis Cœnobij Monachus, hæc tempora suis lucubrationibus in Ordine nostro reddidit clariora, qui cùm esset vir in omni genere scientiarum doctissimus, metro exercita-

tus, &

tus, & prosâ, scripsit ex mandato Abbonis memorati Abbatis sui, de miraculis sanctissimi Patris Nostri Benedicti, cujus se corpus habere Floriacenses & confirmant, & gloriantur: licet Monachi Cassinenses contradicant. Scripsit etiam chronicon Monasterij sui Floriacensis, in quo multa per digressum intromiscuit, de gestis & historia Gallorum; cætera verò, quæ scripsisse dicitur, ad nostras manus adhuc minimè venerunt.

Claruit his etiam temporibus in Monasterio Fuldensi post Wernherum Poppo venerabilis Monachus, Magister scholarum consensu omniũ constitutus; qui cùm esset omni scientiâ scripturarum eruditissimus, multorum audientium præceptor egregius fuit. Hic, ut Meginfridus testatur, libros Boëtij de consolatione primus inter omnes suis commentarijs explanavit. Plura denique veterum synthemata Philosophorum suis discipulis legere consuevit, quæ ornatissimo dicendi genere singulari modo commentandi scriptionis lumine propriæ reseravit.

Richard. ex Monacho Episcopus.

Richardus ex Monacho S. Germani Episcopus Altisiodorensis his etiam temporibus claruit, vir magnæ simplicitatis, & minoris industriæ circa res mundiales, quàm illud requirere tempus videbatur; vitæ tamen merito, & zelo sacræ Religionis multùm venerabilis extitit, & ob id magis rectæ conversationis exemplo, quàm sermonis ornatu populos erudivit.

DCCCCLXXI.

Anno Sigeri Abbatis xx. Otto magnus Imperator in Italia Romæ constitutus, Theophanam filiam, vel ut alij quidam volunt, neptem Joannis Imperatoris Constantinopolitani Ottoni filio suo Coimperatori dedit uxorem, quam Joannes Papa decimus tertius mox in Reginam coronavit, quæ peperit Ottonem postea Imperatorem, ejus nominis tertium.

Sãct. Wolfgangus ex Monacho Episcop.

Claruit circa hæc tempora sanctus Wolfgangus ex Monacho & Eremita Episcopus Ratisponensis in Bavaria; vir doctus, & sanctissimæ conversationis, qui multis tam in vita, quàm post mortem coruscavit miraculis. Hic tantæ fuit eruditionis in omni genere doctrinarum, quòd apud Treviros publicæ scholæ aliquandiu præfuit; & nonnulla etiam satis eleganter tam metro, quàm prosâ scripsit. Deinde considerans omnia esse vana, quæ mundus vel continet, vel pollicetur, sæculi Philosophiam pro Dei amore deseruit, & monasticæ conversationis habitum assumpsit. Factus tandem Episcopus vitam suam in omni sanctitate puram tenuit, & gregem sibi commissum diligenter custodivit.

Rosuitha Monialis doctissima.

Claruit his etiam temporibus Rosuitha Monasterij Gendeshemensis in Saxonia Ordin. nostri monialis, virgo nobilis, in divinis scripturis simul, & in sæcularibus litteris studiosissima, metro simul erudita scribere & prosâ: nec minus eruditione, quàm vitæ merito veneranda. Scripsit quædam non spernendæ lectionis opuscula, de quibus nos vidimus subjecta. Ad Girbergam Abbatissam heroico carmine lucubravit de vita & integritate Beatæ Mariæ Virginis librum unum. De Ascensione Domini eodem carmine librum unum. De S. Gingolfo Mart. librum unum. De passione S. Pelagij illis temporibus in Corduba martyrizati librum 1. De lapsu & pœnitentia S. Theophili Vice-Domini lib. 1. De lapsu illius juvenis, qui meritis sancti Basilij pœnituit. lib. 1. De passione S. Dionysij Episcopi Areopagitæ Martyris. lib. 1. De passione S. Agnetis virginis. lib. 1. Omnia præsignata eleganti carmine composuit. Scripsit præterea Comœdias sex,

Stylo imitata Terentium; quarum prima inſcribitur converſio Galliciani Principis, paſſionem includens Joannis & Pauli Martyrum. Secunda eſt de paſſione ſanctarum Agapis, Chione & Herenæ Virginum. Tertia de reſuſcitatione Callimachi & Druſianæ per ſanctum Joannem Evangeliſtam. Quarta eſt de lapſu & pœnitentia Mariæ ſororis Abrahæ Abbatis & Eremitæ. Quinta eſt de converſatione Thaidis meretricis. Sexta verò paſſionem recitat ſanctarum Virginum Fidei, Spei, & Charitatis. Scripſit etiam metricè geſta magni Ottonis Imperatoris primi lib. I. Diverſorum quoque carminum & Epigrammaton lib. I. Epiſtolas etiam quaſdam non inelegantes. Reliqua ejus opuſcula in manus noſtras non venerunt.

DCCCCLXXII.

Gero fit Archiepiſcop. Colonienſ.

Anno Sigeri Abbatis XXI. Indictione quintâ decimâ Volmarus Archiepiſcopus Colonienſis objit, cujus filius Chriſtiani Comitis & Wiburgis Comitiſſæ ſororis Comitis Magdeburgenſis Gero nomine ſucceſſit: vir per omnia magnificus, & in ampliando cultu divini honoris valde ſtudioſus; multa enim bona fecit in toto regiminis ſui tempore. Monaſteria vetuſtate collapſa ad priſtinum ſtatum reſtauravit: & plures de novo Eccleſias in Colonia ſimul & extra conſtruxit. Erat in timore Domini fundatus: cujus amore omnem hujus Mundi vanitatem forti animo contemnens, Dei amicus eſſe meruit in æternum.

Cœnobiũ Nienburg.

Iſte Reverendiſſimus Archiepiſcopus Gero cooperante fratre ſuo Comite Diethmaro Monaſterium Abbatiale noſtri Ordinis fundavit in Saxonia, quod Neoburgum appellatur: ſed uſitatò vocatur in Saxonica lingua Monichen-Nienburg; quoniam inhabitatur à Monachis Regulam ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti profitentibus.

Anno prænotato Joannes Papa XIII. moritur, cui Benedictus ejus nominis ſextus, patriâ Romanus ſucceſſit, & præfuit anno uno & menſibus ſeptem: qui & ipſe multas à Romanis injurias ſuſtinuit, à quibus tandem captus, & in Caſtellum S. Angeli truſus, in amaritudine animi tabeſcens ac deficiens, miſeram cum morte vitam commutavit. Eodem anno magnus Imperator Otto primus de Italia reverſus in Saxoniam, graviter cœpit infirmari: & morbo tandem prævalente mortuus eſt, ſeptimâ videlicet die menſis Maij, anno regni ſui, ut ſupputatio refert, ſexto atque triceſimo; ſepultus in Eccleſia Magdeburgenſi, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat. Cujus vitam Witikindus Corbejenſis Monachus, ut ſupra diximus, deſcripſit: qui etiam hiſtoriam originis & geſtorum Saxonum uſque ad hunc annum compoſuit. His quoque temporibus Hermannus Dux quidam Saxoniæ magnificus Cœnobium Ordinis noſtri fundavit in Luneburg ſub honore S. Archangeli Michaelis, quod multis prædijs & redditibus dotavit: ſicut & in hunc uſque diem multis cernitur bonis locupletatum; in quo Monachos juxta S. Patris Benedicti Regulam converſantes poſuit: quorum primus Abbas Ludericus de Cœnobio S. Pantaleonis ex Colonia Monachus religioſiſſimæ converſationis aſſumptus fuit.

Otto Imperator I. moritur.

Monaſterium in Luneburg fũdatur.

DCCCCLXXIII.

Anni Sigeri Abbatis XXII. Otto ſecundus Magni Ottonis filius dudum Romæ à Papa Joanne coronatus Imperator, poſt obitum patris de communi Principum Germaniæ electione & conſenſu regni gubernacula ſuſci-

susçipiens imperavit annis x. qui patre adhuc vivente, sicut diximus uxorem duxerat Theophanam filiam Joannis Imperatoris Græcorum, qui patrem suum Nicephorum suasu matris, ut supra dictum est, interfecerat: cujus frater Gregorius germani facinus abhorrens, patriam cum regno dimisit. Hæc Theophana peperit ex Ottone memorato secundo tertium Ottonem & filias tres. Quarum Sophia prima post Girbergam Abbatissa fuit nostri Ordinis in Gandersheim, virgo planè in scripturis docta, & vitæ merito plena. Secunda filia nomine Adelhaidis ejusdem Ordinis nostri postea in Quetelenburg Abbatissa fuit, virgo Deo mente dicata & corpore, cujus vita multis virtutibus clara effulsit. Tertiam verò Gutham nomine Udalricus quidam Bohemiæ Dux de quodam Cœnobio Monialium in Ratisbona violenter extraxit, sibique in uxorem matrimonialiter copulavit.

Sophia filia Imper. Abbatissa.

His temporibus Gero venerabilis Colonienſium Archiepiscopus Monasterium nostri Ordinis in sua Diœcesi Gladebach nuncupatum fundavit, quod multis prædijs, & possessionibus splendidis locupletavit ad sustentationem Monachorum. Est autem Cœnobium ipsum satis notum, & insigne, situm non procul à Novesio ad Occidentalem plagam: in quo Monachi antiquitus in maxima sanctitate Deo servierant. Primus ejusdem Cœnobij Abbas per Geronem fuit institutus sanctus Sanderadus, vir doctus, & sanctissimæ conversationis, qui multis tam in vita, quàm post mortem legitur claruisse miraculis. Unde post multa bonorum operum sancta exercitia tandem ad Dominum migrans, sanctorum in æterna felicitate consortio meruit adjungi. Cujus festum agitur quotannis vicesimâ die mensis Augusti.

Cœnobiũ S. Martini Coloniæ fundatur.

His etiam temporibus Gero sanctissimus Colonienſis Ecclesiæ sæpe dictus Archipræsul Monasterium sancti Martini in Colonia sub norma divi Patris Benedicti construxit; quod Scotis Monachis pro Christo peregrinantibus inhabitandum dedit. Quod etiam Scoti multo tempore inhabitârunt, subsidium præsentis vitæ illis conferentibus fidelibus Christi, quamdiu in sanctitate regularis observantiæ perdurabant. Verùm à tramite rectitudinis postea in omnem vitæ dissolutionem declinantes, de Monasterio illo, sicut & de plerisque alijs, expulsi sunt: & alij nationis Germaniæ in locum eorum successerunt. Primus præfati Monasterij sancti Martini Abbas fuit Mymborinus, natione Scotus, Regulam sancti Patris Nostri Benedicti, sicut omnes, professus: vir integerrimæ conversationis, qui pro Christi amore non solùm patriam suam deseruit, sed latas etiam possessiones contempsit; eligens pauper esse in domo Domini magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ejus vita plena virtutibus fuit, & suo exemplo multos ab iniquitate convertit; quoniam ut legitur, multis signis, & miraculis coruscavit, cujus festum Kalendis Januarij agitur.

Adelbertus Episcopus Pragensis.

Claruit his temporibus sanctus Adelbertus, natione, ut fertur, Boëmus, primò quidem Pragensis in Boëmia Episcopus, postea Martyr Christi magnificus. Qui divinâ revelatione præmonitus, fidem Christi prædicaturus intravit Pannoniam, & suis exhortationibus sanctis, primum Regem Ungarorum sanctum Stephanum cum multis alijs baptizavit: deinde Poloniam pertransiens, eos in fide confirmans ab eis martyrizatus est.

S. Adelbertus Monachus Mediolanenſ.

tus eſt. Adelbertus item alius noſtri Ordinis Monachus, & Scholaſticus Cœnobij ſancti Luthvvini Mediolacenſis in Diœceſi Trevirorum, his temporibus tam eruditione ſcripturarum, quàm vitæ ſanctimoniâ clarus habetur; qui miraculis coruſcans habitantem in ſe Chriſtum ſanctis operibus demonſtravit. Moriens in multa vitæ puritate cantantibus Angelis, æternam lætus tranſivit ad vitam, cujus feſtum ſeptimo Kalendarum menſis Julij agitur. Adelmannus quoque Monachus inſignis Cœnobij Stabulenſis in Diœceſi Leodienſi hæc tempora tum eruditione ſcripturarum, tum vitæ ſanctitate reddidit clariora. Qui cùm eſſet in amore Domini ſingulari devotione ſuccenſus, mirabili gratiâ compunctionis enituit, & crebris etiam in hac mortali vita miraculis coruſcavit; fuit enim ſcripturarum eruditione illuſtris, & vitæ merito valde venerabilis, qui Sanctorum collegio non dubitatur conjunctus: cujus feſtum agitur tertio nonarum Februarij, hoc eſt, tertiâ die menſis ejuſdem.

Hoc tempore Heinrico Trevirorum Archiepiſcopo mortuo, Theodericus de Moguntia ſucceſſit, ſub quo Canonici majoris Eccleſiæ ſancti Petri, qui à primo fundationis ſuæ tempore ſub certa regula in communi uſque in præſcriptum tempus vixerunt, abjectâ priſtinæ converſationis normâ deſierunt eſſe regulares, diſtributionibus inter ſe factis præbendarum: & qui prius more Apoſtolorum omnia habuêre communia, cœperunt jam deinceps ſinguli poſſidere propria. Quorum exemplum poſtea ſecuti plures Canonici, ſicuti ſancti Paulini apud Treviros, ſancti Caſtoris in Confluentia, SS. Martini & Victoris Moguntiæ, in Wormatia quoque & Spira de communi ad propriam vitæ rationem deſcenderunt, quod ideò fieri potuit, quia in multis tempore multa mutantur.

Canonici Trevirenſ. Regulam abjiciunt.

His etiam temporibus Hattone Archiepiſcopo Moguntino mortuo, Rupertus ſucceſſit, vir ingenio manſuetus, & vitæ converſatione tranquillus, ſed propter brevitatem regiminis ſui tantum prodeſſe non potuit, quantum pro ſua bona voluntate coram Deo, & hominibus eſſe peroptavit. De Hattone vulgò recitatur hiſtoria, quam huic quoque inſerere compilationi noſtræ haud abſonum judicamus. Fertur enim, quòd tempore famis, quæ terram diebus ſuis oppreſſerat, magnam multitudinem pauperum, quos ad eleemoſynam ex omni vicinia evocaverat, in quadam domo ſequeſtrata procul ab alijs, fecerit ignibus concremari, quaſi authores famis, utpote qui ſemper otioſi mendicantes aliorum laborantium ſudores devorâſſent. Volens itaque, ut ſenſit, conſulere, & eorum inopiæ, & utilitati patriæ communi famis incommodo laborantis, pravo conſilio perſuaſus, omnes quotquot invitantibus creduli convenerant, extinxit. Quapropter divinam vindictam contra ſe provocavit. Nam tertio ſui Pontificatûs anno, ut ferunt, nondum completo, divina in eum vindicta tali ordine proceſſit. Murium nempe multitudo in illum innumerabilis irruit, quorum morſibus nimis importunâ vexatione mortem ſubire miſerabilem compulſus eſt. Quocunque divertebat, mures catervatim occurrebant, & dentibus miſerum crudeliter laniabant. Si fuit in alto vel eminentiore aliquo loco, mures per parietes turmatim aſcendentes in illum irruerunt: ſi verò penetralibus incluſus, per rimulas intrabant, eúmque infinitâ multitudine obruentes mordebant, lacerabant, ac devorare penitus geſtiebant. Quantò propellebantur à

Mures devorant Hattonem.

tur à ministris, tantò se amplius ingerebant, nec requiem ullo tempore nec loco misero dederunt. Cumq; in terra se tutum esse nusquam conspiceret, ab amicis suis dato consilio, aquarum se munimine cinxit: ac turrim in medio Rheni propè oppidum Bingiorum, ubi Nahus Rhenum influit, ad Quardiam loci ab antiquo constructam, scaphâ subvectus ascendit, sperans eò loci per undosi fluminis raptum mures nequaquam posse accedere. Sed nusquam est locus, quo divina potestas in delinquentes prohibeatur exercere justitiam, nisi contritio pœnitentiæ Judicis prævenerit vindictam. Ordinatione igitur divinâ mures infinitâ multitudine convenientes per Rheni fluminis undas natârunt: per murũ arcem celeriter ascendunt: Pontificem miserabilem omnes simul invadunt, rodunt, lacerant, ac postremò interficiunt penitus. Huic nos historiæ auctoritatem nec tribuimus, nec denegare possumus: quam & descriptam invenimus ab antiquis, & quasi recentem in ore hominum versari usque in hanc diem non ignoramus. Turris autem, in qua devoratus à muribus Hatto dicitur, juxta Bingen Oppidum Moguntinæ diœcesis in medio Rheni fluminis posita usque in præsens tempus murium arx, vulgaritur verò der Maußthurn ab incolis nuncupatur: & est in opposito Castelli Erenfels, ubi thelonium exigitur.

DCCCCLXXIV.

Anno Sigeri Abb. xxiii. Indictione Romanorũ secundâ, quartâ die mensis Julij S. Udalricus Episcopus Augustensis in Suevia moritur: & in Ecclesia S. Affræ Martyris pauper in mundo, sed dives in Christo, anno pontificatûs sui quinquagesimo per S. Wolfgangum Ratisponensis Ecclesiæ præsulem sepelitur. Est autem Ecclesia sanctæ Affræ prædicta nostri Ordinis insigne Cœnobium, quod idem sanctissimus Præsul Udalricus de novo construens, dum viveret, in eo multitudinem collocaverat Deo servientium Monachorum. Successit ei in Pontificatu Heinricus, qui postea cum multis alijs Episcopis, Abbatibus, Principibus atque nobilibus in exercitu Ottonis Imperatoris secundi à Græcis in Calabria, sicut dicemus, fuit occisus.

S. Udalric. Episc. moritur.

His temporibus claruit S. Gregorius filius Nicephori quondam Imperatoris Græcorum, frater Theophanæ uxoris Ottonis secundi Imperatoris vir magnæ sanctitatis: qui regnum simul & Patriam tali occasione pro Dei amore contempsit. Anno Sigeri Abbatis undecimo, sicut dictum est supra, cùm Nicephorus suspicione filiorum suorum laborans illos evnuchizare disponeret, Joannes senior filius matris inductione patrem strangulavit, & imperavit pro eo. Tantum scelus fratris in patrem detestatus Gregorius, & metuens simili crudelitate posse aliquando necari à Germano, qui nec genitori parcere potuisset, assumptis secum necessarijs venit in Germaniam, & ultra non est in Græciam reversus. Construxit autem in Porticeto juxta Aquasgrani Ordinis nostri Monasterium, in quo Monachus sanctissimè vixit miraculis coruscans: ubi & sepultus est. Uxorem Ottonis secundi Theophanam, alij sororem Joannis Græcorum Imperatoris fuisse scribunt, alij filiam: cujus diversitatis lectorem volumus esse prænonitum; ut nobis non imputet errorem, quem sine injuria partis alterius non possumus emendare.

S. Gregorius Monac.

Cœnobiũ fundatur in Porticeto.

Anno prænotato Benedictus Papa VI. machinatione Romanorum

incarceratus, tandem in Adriani mole strangulatus est: cui Donus ejus nominis secundus successit, & præfuit anno uno, menses VII.

Eodem quoque anno Ratherius ex Monacho Lobiensis Monasterij in Lotharingia, primò Episcopus Veronensis in Italia, postea verò Leodiensis in ipsa Lotharingia, & pulsus ab utrisque, dudum reversus ad suum Cœnobium Lobias moritur, & ibidem sepelitur. Cujus est de se monostichon hoc, suo sepulchro priusquam moreretur insculptum: *Ratherius præsul: sed ter Ratherius exul.* De hujus viri scientia eruditione & lucubrationibus latam in præcedentibus fecimus mentionem.

Rheginherus Comes Montensis.

Item anno prænotato Reginherus junior filius Reginheri Comitis de monte, quem Bruno Archiepiscopus Colonienſis cum filijs in exilium compulerat, ut dictum est anno Sigeri Abbatis septimo, bonam confidentiam habens de recuperando comitatu paterno, paulatim resumptis viribus à Gallia redijt: & cum Wernero comite, qui prius suum comitatū ab Ottone Magno Imperatore acceperat, apud Beronam bello conflixit: eóque cum multis alijs interfecto comitatum Montensem, paternam videlicet hæreditatem, potenter obtinuit. His quoque temporibus Otto Dux Saxoniæ consanguineus Ottonis Imperatoris secundi filius Hermanni Ducis potentissimi, & ideò honestissimi Principis, cùm esset magnus & dives in auro & argento, nec filios haberet, volens Christū bonorum suorum instituere hæredem, fundavit juxta Moganum in Oppido Aschafenburg Moguntinæ diœcesis, duobus ferè milliaribus à Selgenstat, insignem Canonicorū Ecclesiam: quam multis possessionibus magnificè dotavit, in qua & postea mortuus unà cum Ida venerabili matre, & Lucarde sorore relatus ex Italia sepultus fuit: ultimo enim Ottonis secundi anno pergens cum illo in Calabriam, à Græcis cum alijs multis fuit occisus, quemadmodum Sigeri Abbatis anno xxx. dicemus.

DCCCCLXXV.

Anno Sigeri Abbatis XXIV. Indictione Romanorum tertiâ objit Werenbaldus hujus Cœnobij S. Aurelij Hirsaugiensis Monachus: qui cùm esset vir in omni genere scientiarum doctissimus, scripsit inter cætera ingenij sui opuscula pulcherrima lib. de laude Sanctorum Martyrum. Aliū similiter edidit de malis suorum temporum, quem lamentationes Werenbaldi prænotavit. Alia quoque non pauca scripsisse dicitur: quæ nimia intercapedo temporum penitus cum oblivione sepelivit. Hic Werenbaldus sanctissimus, doctissimusque Monachus tantæ apud suos opinionis & æstimationis fuit, sicut Meginfridus scribit, ut mortuo Spirensium Episcopo Otgero, in ejus locum à Canonicis fuerit electus, multisq; precibus, ut Pontificatum susciperet oblatū fatigatus. Ipse autē mundo jam mortuus atque sepultus, nullâ ratione induci potuit, ut se curis & negotijs sæculi rursus submitteret, respondens notabile verbum suadentibus: *Si mundo servire voluissem, in hanc solitudinem non venissem.* Objit autem decimâ die mensis Novembris non sine opinione sanctitatis, & in Ecclesia S. Aurelij Præsulis cum honore congruo sepelitur.

Werenbaldus Hirsaugiensis Monachus.

Eodem anno mortuus est Archiepiscopus Trevirorum Theodericus, sub quo Canonici majoris Ecclesiæ Trevirensis S. Petri, ut supra diximus, desiderium convertentes ad propria, desierunt esse regulares. Anno etiam prænotato moritur Rupertus Archiepiscopus Moguntinus:

cui

cui Willegisus succesſit; vir per omnia magnificus, & Dei cultor maximus, qui multa bona fecit in omni tempore Pontificatûs sui: vitâ & conversatione apostolicus, & omni scientiâ scripturarum egregiè doctus: Dei amicus, à Regibus & Principibus magnificè honoratus. Dilexit Clerum: Monachos honoravit: pauperum curam nunquam intermisit: in exhortando fuit alacer: in monendo dulcis & blandus, & in corectione perversorum optimâ discretione severus, non crudelis. Qui de humili parentela progenitus, patrem habuit fabrum lignarium, qui currus manu faciebat, & carros, quos alio nomine bigas vulgariter nuncupamus, talíque & se, & suos artificio nutriebat. Willegisus fit Archiepiscop. Moguntinus.

At Willegisus in sua pueritia positus ad scholas, cùm esset pauper, stipem cum pauperibus more scholarium quærebat: & quantum sinebat ætas, in studio litterarum continuus fuit. Crevit cum tempore fervor, & amor discendi, eóq; succesſivè profecit, ut inter doctos doctor ipse evaderet. Factus tandem Archiepiscopus, ut pristinæ humilitatis memoriam semper posset habere in promptu, rotam carri unam in secreto cubiculo fecit in pariete depingi: ad cujus partem superiorem hæc verba fuerunt litteris adscripta latinis: *VVillegise memento, quid modò sis? quid antea fueris? & quid in brevi necessariò futurus sis.* Per rotam generis sui humilem conditionem ad mentem sedulò cupiens revocare, quatenus solidè in semetipso potuisset consistere. Hanc ejus cameram præter unicum Presbyterum Capellanum nemo permittebatur ingredi, quamdiu illum in hac vita mortali contigit remorari. Quo mortuo publicum factum est, & manifestum omnibus arcanum, quod Willegisus Archiepiscopus fecerat. Hujus occasione facti sanctus Heinricus Imperator Romanorũ, ut ferunt, rotam pro singulari memoria Willegisi Moguntinensibus dedit in signum, quod retinent in armis usque in præsentem diem. Præfuit autem Willegisus in Archiepiscopatu annis sex & triginta. Cur ferat Moguntia rotam.

DCCCCLXXVI.

Anno Sigeri Abbatis vicesimo quinto, secundus Otto Imperator conventum Principum generalem celebravit in Moguntia, ubi inter cætera cunctis per totum imperium fuit sub pœna capitis, & amissione omnium bonorum interdictũ rapinas exercere in regno: quod plerique postea transgressi Comites, & Nobiles, sine misericordia capitibus mox amputatis, quas meruêre, pœnas dederunt. Claruit his temporibus in Anglia sanctus Dunstanus Abbas Monasterij Glasconienſis, postea Episcopus Wintonienſis, ac deinde Cantuarienſis Archiepiscopus, vir doctus, & magnæ sanctitatis; qui multis & in vita, & post mortem fertur claruisse miraculis, cujus vitam Osbernus Cantuarienſis Monachus nostri Ordinis claro sermone compilavit. Ejus festum nonâ decimâ die mensis Maij apud Albiones agitur. Eodem quoque tempore claruit in Anglia Adelboldus Monachus, memorati Cœnobij Glasconienſis, sancti Dunstani Abbatis in eodem auditor atque discipulus, vir in divinis scripturis doctus, & morum sanctitate integerrimus, qui multos verbo, & exemplo ad justitiam erudivit. Unde crescentibus meritis post Præceptorem suum Dunstanum Episcopus Wintonienſis ordinatus ex Abbate Cœnobij Abendonienſis vitam suam in multa puritate custodivit, & tandem feliciter in Domino quievit. Item claruit his ipsis temporibus tam vitæ merito, S. Dunstanus ex Monacho Archiepiscop.

quàm

Oswaldus ex Monach. Archiepisc. Eboracens.

quàm eruditione scripturarum illustris, & cunctorum opinione celeberrimus Oswvaldus ex Monacho Floriacensis Cœnobij, primus ante sanctum Dunstanum & Adelboldum Episcopus Wintonienſis, ac deinde Archiepiscopus Eboracensis, Ottonis ante Dunstanum Cantuarienſis Archiepiscopi nepos: vir in omni scriptura tam divina, quàm humana doctus, & vitæ merito integerrimus, qui se in omnibus Pastorem bonum exhibuit.

DCCCCLXXVII.

Anno Sigeri Abbatis XXVI. Lotharius Gallorum Rex cupiens Lotharingiam suo subjugare imperio, magno suorum adunato exercitu usque ad palatium Aquisgrani pervenit. Quod cùm Ottoni II. Imperatori certâ fuisset relatione nuntiatum, mox copijs summâ celeritate paratis, Rheno transmisso illi cœpit potenter occurrere, prælium cupiens cum illo tentare. Unde pavore concussus Rex Lotharius fugit, quem insecutus magnanimus Otto nullo resistente devastando usque Parisios pervenit, partem tamen exercitûs modicam circa Axonam fluvium in redeundo amisit. Verùm quia nec Deo pepercerunt, cujus Ecclesias spoliaverunt, & depopulati sunt, quidam Dei famulus inclusus prædixit, quia nullus Auctorum hujus mali septennium supervicturus esset, quod verum rei probavit eventus.

Anno etiam præsignato mortuus est Reginhardus Monachus, & scholasticus hujus Monasterij sancti Aurelij Hirsaugiensis, de quo supra dictum est anno Sigeri Abbatis XIV. post cujus obitum Theobaldus Monachus jubente Sigero Abbate docendi provinciam subivit. Vir certè tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, qui Monachos juvenes suo magisterio commissos non solùm litteris, sed etiam sanctis moribus erudivit, de cujus schola multi Fratres in viros præstantissimos cum tempore evaserunt.

DCCCCLXXVIII.

Igneę acies apparuerunt in cœlo.

Anno Sigeri Abbatis XXVII. acies igneæ 28. die mensis Octobris, hoc est, in solemnitate sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ per totam noctem visibiles apparuerunt in cœlo. Romæ post Donum ejus nominis II. in Cathedra S. Petri Bonifacius præfuit annis duobus, vel ut alij scribunt, mensibus tantùm duobus. Quo mortuo Benedictus septimus successit, & præfuit annis octo, vir bonus & in Ecclesiastico regimine strenuus.

Constantinus Bajanus Rex.

Eodem Tempore Constantinus Joannis Græcorum Imperatoris filius, nonus & quadragesimus post mortem patris cum Alexio, & Emmanuele fratribus imperavit in Græcia: quos Bajanus Bulgarorum Rex, de quo dictum est anno Sigeri Abbatis XIX. magicæ artis omnium suo tempore peritissimus, ita bello & magicis artibus vexavit, ut à capienda Constantinopoli parùm abfuerit, eósque in multis graviter afflixit artibus, & viribus suis.

Ecclesia Moguntina restauratur.

His etiam temporibus Willegisus Reverendissimus Moguntinensium Archiepiscopus majorem Ecclesiam de domo S. Martini novam à fundamentis pulchro tabulato lapideo pretiosissimè exstruere cœpit: quam tandem perfectam solemniter consecravit.

In monte quoque memoratæ civitatis Moguntinæ sub honore sancti Protomartyris Stephani Canonicorum suis impensis exstruxit Ecclesiam, quam prædijs & possessionibus multis ad sustentationem servientium

Domino

Domino largâ manu providit; in qua & mortuus, sicut vivus disposuerat, sepultus fuit. Monasterium quoque S. Victoris extra Moguntiam, in quo Canonici regulariter in communi vivebant, suis impensis ampliavit, & multis Cœnobijs Monachorum, & Ecclesijs plura beneficia præstitit.

DCCCC LXXIX.

Anno Sigeri Abbatis XXVIII. Otto Imperator Romanorum II. & Lotharius Gallorum convenientes super Karum fluvium pacificati sunt, datis invicem Sacramentis & necessarijs monimentis litterarum. Ibi Lotharius Rex Gallorum Lotharingiam cum omnibus ad eam pertinentibus, quam ad jus suum pertinere hactenus contendebat, publicè ac spontaneâ voluntate abjuravit, consentientibus ac cum eo jurantibus cunctis Galliarum, qui aderant, Episcopis, Abbatibus, Principibus & Nobilibus, ita videlicet, quòd Lotharingia tota deinceps sine cujusdam impeditione, vel inquietatione Gallorum, perpetuo liberè sub imperio sit Germanorum. Eodem anno Imperator Otto secundus cum valido exercitu Germanorum profectus est in Italiam, & quamvis dudum adhuc genitore in humanis existente, Romæ fuisset à Papa coronatus Rex, iterum jam nunc à Benedicto Papa VII. se ungi & coronari fecit in Imperatorem.

Lotharing. pertinet ad Imperium.

Otto secũdus Romæ coronatur.

Claruit his quoque temporibus Herigerus Abbas Lobiensis Cœnobij in Lotharingia Ordinis Divi Patris nostri Benedicti. Vir in divinis scripturis eruditissimus, & sæcularis litteraturæ non ignarus, carmine simul exercitatus & prosâ: cujus meminit Berno Abbas Augiensis in libro quodam de adventu Domini ad Aribonem Archiepiscopum Moguntinum. Scripsit inter cætera ingenij sui synthemata dialogum insignem sub sui persona, & cujusdam Adelboldi Clerici, tunc Romæ existentis; qui postea Trajectensis Ecclesiæ Præsul fuit, quem de dissonantia Ecclesiæ prænotavit. Vitam quoque S. Ursmari metricè composuit. De officijs etiam divinis librum unum. De Corpore & Sanguine Domini librum unum. De gestis quorumdam Abbatum Lobiensium, qui rexerunt Episcopatũ Leodiens. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt. Floruit & Adelbertus Monachus præfati Monasterij Lobiensis & postea Gemblacensis Abbas, qui multos habuit egregios discipulos, inter quos erat non ultimus Burckardus Monachus postea Wormatiensis Episcopus, de quo suo tempore dicemus. Scripsit autẽ vir iste sapientissimus, vitam & conversationem plurium Sanctorum, & varia ad laudem Dei carmina cudens cantus elegantissimos ordinavit.

Herigeri Abb. opuscula.

Adelbertus Abb. Cemblacensis.

Claruit etiam his ferme temporibus Flodoardus Presbyter Ecclesiæ Rhemensis in Gallia, vir doctus, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula de origine Civitatis Rhemorum, & successione gestísque Pontificum ejusdem satis commendabile opus, cujus mentionem fecit Richerus Monachus Rhemensis in gestis Gallorum ad Gerbertum sæpe dictæ civitatis Archiepiscopum. Si quid scripsit amplius, in notitiam & manus nostras adhuc minimè pervenit: alius quærat, quisquis scire desiderat.

DCCCCLXXX.

Anno Sigeri Abbatis vigesimo nono, mortuus est Adelbertus Monachus, & scholarum Magister Cœnobij sancti Matthiæ apud Treviros, de quo supra dictum anno Sigeri Abbatis quarto: post quem scholis Monachorum præfectus est, Theodericus ejusdem Monasterij Monachus, tam

in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus: præfuitque scholis Monachorum strenuè annis XIV. & multos insignes discipulos gloriosè instituit. De cujus lucubrationibus ista invenimus. De inventione Reliquiarum sancti Celsi, quæ per Ecgebertum Archiepiscopum Trevirorum VII. Calend. Martij in præfato Monasterio repertæ sunt, lib. I. De miraculis ejusdem sancti lib. I. Sermones & varias homilias dixit ad Fratres.

Remigius Abbas Mediolacensi.

Claruit his temporibus in Cœnobio sancti Luthvvini Mediolacensi, quod sex ferme ab urbe Trevirorum milliaribus distat juxta fluvium qui Sara dicitur, Remigius Monachus, primò Magister scholarum, ac deinde ejusdem Cœnobij, ut ferunt, Abbas; vir certè undecunque doctissimus: ingenio subtilis, & disertus eloquio, vitæ quoque merito venerandus. Philosophus, Poëta, Rhetor & Musicus, omnium suo tempore celeberrimus: sub cujus magisterio multi viri eruditissimi claruerunt. Scripsit autem multa præclara opuscula: è quibus numerantur subjecta. In quinque libros Moysi. In quatuor Evangelia Christi. In omnes Epistolas Pauli. Regulas fecit de Visione abaci. In Priscianum Grammaticum Commentarios edidit. Super Donatum quoque majorem & minorem. Jubente Trevirorum Archiepiscopo Eckberto, cantum de sanctis Euchario, Valerio & Materno primis Trevirorum Episcopis dulci & regulari modulatione composuit. Duobus etiam Monachis ex Gandavo Cœnobij Blandinienſis ordinis nostri discipulis suis rogantibus, cùm ex Mediolacu ad sua jam essent reversuri, de sancto Bavone cantum composuit nocturnalem. Sermones quoque multos, & cantus in diversorum honore sanctorum elegantissimos fecit. Litanias & cantilenas, quæ in Rogationibus frequentantur ipse composuit. Huic Remigio scholarum Magistro sereniſſimus Imperator Romanorum Otto secundus auream camænam gracilem destinavit per nuntium: designans eum omnium suo tempore Musicorum principem, ob artis simul & vocis elegantiam.

Opuscula hujus Remigij Abb.

Imperator Apuliã & Calabriam capit.

Anno quoque prænotato Imperator Otto II. in Italia cum exercitu Germanorum existens, Apuliam & Calabriam Italiæ Provincias, de manu Græcorum, qui illas possidebant, ad Imperium Romanum conatur reducere, & ab imperio Græcorum revocare: quod mali seminariũ fuit.

Eodem anno mortuus est ex dolore calculi Adelbertus ex Monacho S. Maximini Trevirensis primus Archiepiscopus Magdeburgensis in Saxonia, anno Pontificatûs sui tertio decimo, mense octavo, vir sanctus atque doctissimus, qui alio nomine Herdingus vulgò fuerat nominatus. Post mortem Adelberti memorati Archiepiscopi electus fuit Odericus Monachus Corbejensis, vir in omni genere scripturarum doctissimus, & vitæ sanctimoniâ valde reverendus: qui cùm esset in sua humilitate contentus, electioni consensit invitus, oravitque Dominum, ut eum ad Episcopatûs apicem non permitteret ascendere, quod & impetravit. Nam in eundo ad Sedem Apostolicam pro electionis suæ confirmatione obtinenda, cùm Imperator eo tempore esset in Italia, sicut petjit à Domino, mortuus est.

DCCCCLXXXI.

Anno Sigeri Abbatis XXX. Græci malè ferentes Ottonem Imperatorem Romanorum Apuliam & Calabriam contra jus & æquitatem abstulisse

ſtuliſſe ab eis, comparato mercenario exercitu contra illum in finibus Calabriæ procedunt ad bellum: in quo certamine omnes Germanorum & Romanorum copiæ uſque ad internecionem penè deletæ ſunt. Ibi ceciderunt plures Epiſcopi Germaniæ, qui cum Imperatore venerant: inter quos fuit Heinricus Auguſtenſis Præſul, ſucceſſor S. Udalrici; poſt quem Bruno Pontificatum Auguſtenſem ſuſcepit, qui frater S. Heinrici Imperatoris fuit. Concidit in eodem bello Dux inclitus Saxonum Otto fundator Canonicalis Eccleſiæ in Aſchaffenburg: de quo ſupra diximus anno Sigeri Abbatis viceſimo tertio. Is Ottoni ſecundo Imperatori ſanguine proximus, ſicuti illum in pace & proſperitate ſemper dilexerat, ita etiam in adverſis magnâ fortitudine ſequebatur. Itaque cùm eſſet in præſcripto certamine, & prævalentibus Græcis Romani diffluerent, noluit fugere: ſed ſtans fortiter, & pugnans in medio hoſtium virtuosè tandem occubuit anno præſcripto, ultimâ videlicet die menſis Octobris. Cujus corpus ordinatione Imperatoris in Germaniam relatum à Willegiſo Moguntinenſium Reverendiſſimo Archiepiſcopo in Eccleſia Aſchaffenburgenſi, quam fundaverat, honorificè ſepultum eſt, præſentibus ibidem Yda matre ac Machtilde Abbatiſſa veneranda ſorore ejus, funus non ſine mentis dolore conſpicientibus. In eodem quoque prælio Wernherus Abbas Fuldenſis Monaſterij, Domino Imperatori ſemper fideliſſimus, à Græcis comprehenſus interfectus eſt: vir doctus & prudentiæ ſingularis: cui Brando Monachus, & ejuſdem Cœnobij magiſter ſcholarum doctiſſimus in Abbatia Fuldenſi ſucceſſit.

Dux Otto in bello cecidit.

Græcis itaque in bello prævalentibus Otto Imperator natando tentans evadere, à nautis ignorantibus eum capitur: & à quodam eorum, qui fuit negotiator, cognitus, nec tamen proditus eſt. Qui negotium retulit ad Imperatricem, quæ cum Theoderico Metenſium Epiſcopo in civitate Rhoſan rei præſtolabatur eventum. Unde cum maxima difficultate Imperator per Epiſcopum & negotiatorem prædictum vix liberatus à nautis evaſit. Omnibus pro infortunio & pudore facti animo conſternatis, sola Imperatrix Theophana, femineâ & Græcâ levitate inſultabat eis, quod ab exercitu ſuæ nationis tam miſerabiliter victi eſſent Romani. Quod verbum altius, quàm ipſa putabat, in cor omnium deſcendit: ratione cujus paulatim apud omnes penè optimates exoſa mulier facta eſt.

Otto Imperator natando evaſit.

Imperatrix ſe fecit odioſam.

DCCCCLXXXII.

Anno Sigeri Abbatis xxxi. currente, viceſimâ tertiâ die menſis Julij objit Poppo junior Epiſcopus Herbipolenſis: cui Hugo vir magnificus ſuccedens præfuit annis ſex, menſibus ſeptem, diebus uno & viginti: qui cùm omnibus eſſet gratus, & ad apicem Pontificiæ ſublimitatis dignitatiſque valde idoneus, de reddenda ratione villicationis ſuæ ſemper ſollicitus, inter cætera Monaſterium S. Andreæ Apoſtoli, quod B. olim Burckardus Epiſcopus ſub monte in oppoſito civitatis Wirzburgenſis circa Moganum conſtruxerat, negligentiâ Prælatorum in utroque ſtatu penè collapſum ſuis impenſis reformavit: & de conſenſu Benedicti Papæ VII. corpus S. Burckardi ad Eccleſiam ejuſdem Cœnobij tranſtulit: & eundem locum decimis & poſſeſſionibus, quantum potuit ampliavit. Ab illo deinceps tempore nomen prædicti Cœnobij mutatum eſt: & à reliquijs ac fundatore primo ad S. Burckardum vocatur uſque in præſentem

Hugo fit Epiſcopus Herbipolenſis.

diem. Poſt plures deinde annos Monachi ejuſdem Cœnobij tempore Friderici Principis Romanorum tertij, diſpenſante cum eis Romano Pontifice Pio ſecundo ordinem cum habitu abjecerunt.

Sigerus Abbas S. Aurelij obijt.

Anno prænotato viceſimâ tertiâ die menſis Auguſti, obijt Sigerus Abbas hujus Monaſterij ſancti Aurelij Hirſaugienſis VII. Vir per omnia ſanctiſſimus, qui Monaſterio ſatis utiliter præfuit: cui ſimilis poſtea uſque ad ſanctum Wilhelmum alius in Abbatia non ſurrexit. Sepultus eſt autem non ſine lachrymis Fratrum in Eccleſia B. Aurelij Pontificis ante Altare D. Laurentij Martyris non ſine magna opinione ſanctitatis.

De Lupoldo Monaſterij Hirſaugienſis octavo Abbate, qui præfuit annis quatuor, menſe uno, & quibuſdam geſtis illius temporis.

REverendiſſimo Abbate Sigero ſepulto cum pia Fratrum devotione & honore congruo, poſteaquam dies inſtabat eligendi, quæ fuit ejuſdem menſis viceſima quinta, hoc eſt, altera poſt feſtum ſancti Bartholomæi Apoſtoli, convenerunt in unum Fratres, ut ſibi de novo Paſtore ſecundùm Regulam providerent: & factâ collatione prævià, ut moris eo tempore fuit, Lupoldum Monachum ex ſe unum in Abbatem concordialiter elegerunt, virum bonum, & ſenio venerabilem, qui præfuit huic Monaſterio ſancti Aurelij Hirſaugienſi annis duntaxat quatuor, & menſe uno. Hic gente fuit Bavarus, patriâ Ratisponenſis, ortus mediocri parentelâ, ſed liberâ tamen & honeſtâ, qui ſub Diethmaro quondam Abbate ordinem juvenis intravit: in quo annis pluſquam quadraginta ſex religioſiſſimè vixit: ad omnem ſemper obedientiam promptiſſimus: ambulans ante faciem ſuam in pace & tranquillitate animi quietus: nulli gravis, nulli moleſtus, nulli unquam in aliquo oneroſus. Erat ſanè homo columbinæ ſimplicitatis, & divinarum humanarúmque ſcripturarum non ignarus: non minùs exemplo viam rectitudinis ſubditis inſinuans, quàm ſermone; ſemper enim cogitavit, cui eſſet rationem omnium redditurus.

Lupoldus fit Abbas S. Aurelij.

Otto Imperator II. moritur.

Anno prænotato octavo die menſis Decembris Otto Imperator II. tædio & angore animi deficiens, propter incommodum, quod in Calabria ſuſceperat à Græcis, Romæ moritur, & in Eccleſia ſancti Petri Apoſtolorum Principis cum honore tanto funeri conveniente ſepelitur. Mortuo Imperatore atque ſepulto, gravis de ſucceſſore inter Principes orta fuit diſſenſio: alijs odio Imperatricis Theophanæ, quod illa ſibi levitate ſuâ conſciverat, ut ſuprà dictum eſt, Imperium à filio ejus Ottone tranſferre volentibus, in Heinricum Ducem filium Heinrici Bavariæ Ducis, qui frater erat primi Ottonis: alijs verò legitimo hæredi Ottoni tertio, ſecundo videlicet ex Theophana genito Imperium deberi certantibus.

DCCCCLXXXIII.

Otto III. capit Imperium.

Anno Lupoldi Abbatis primo, Otto tertius Ottonis ſecundi filius admodum puer electione Principum ſumpſit Imperium, & imperavit annis ferme decem & octo: cujus mater erat Theophana filia Imperatoris Græcorum Nicephori. Uxorem habuit Mariam filiam Regis Arragoniæ,

goniæ, ſterilem & lubricam, de qua liberos non habuit aliquos. Anno prænotato Benedictus Papa VII. obijt: cui Joannes XIV. ſuccedens præfuit menſibus octo; qui tertio menſe Pontificatûs ſui à Romanis capitur, & in caſtello ſancti Angeli diligenti cuſtodiæ mancipatur. Ubi tamdiu inediâ carceris maceratus fuit, donec miſeram vitam cum morte mutaret: qui mortuus in Eccleſia ſancti Petri ſepelitur. Eodem quoque anno Theodericus Metenſium Epiſcopus obijt: & (ſecundùm Prophetiam verbi Domini, de quo diximus, incluſi) nullus eorum, qui in bello Gallico ſpoliaverunt Eccleſias, annum vitæ ſeptimum ſuperſtes fuit. Huic in Pontificatu Metenſis Eccleſiæ ſucceſſit Adelbero, vir doctus atque ſanctiſſimus, genere Nobilis, frater videlicet potentiſſimi Ducis Friderici.

Joannes Papa in carcere moritur.

His temporibus mortuo Gerone Colonienſium Archiepiſcopo Reverendiſſimo, in Pontificatu Warinus vir doctus, & religionis cultor ſtudioſiſſimus ei ſucceſſit, & præfuit annis novem: qui inter cætera pietatis ſuæ ſtudia Monaſterium ſancti Martini Ordinis noſtri à Gerone Prædeceſſore ſuo Archiepiſcopo fundatum in civitate Colonienſi, ut ſuprà dictum eſt anno Sigeri Abbatis XXII. perfecit, multiſque bonis cumulans, Scotis ſub norma S. Benedicti viventibus, in perpetuum confirmavit.

Warinus fit Archiep. Colonienſium.

Claruit circa hæc tempora Erhardus Monachus & Scholaſticus Cœnobij ſancti Michaëlis in Luneburg Ordinis noſtri, vir tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus litteris doctiſſimus, qui ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula exquiſitæ lectionis commentaria in quinque libros Moyſi, libros plures. De interpretatione ſacræ ſcripturæ lib. I. De reſurrectione mortuorum lib. I. De fide Chriſtiani dogmatis libb. II. Sermones & Homilias plures ad Fratres. Cætera, quæ ſcripſit, ad manus noſtras minimè venerunt. Arnoldus quoque Monachus hujus Cœnobij divi Aurelij Hirſaugienſis, cujus hiſtoriam ſcribimus, hæc tempora ſuo ingenio reddidit clariora. Qui cùm vir eſſet in omni genere ſcripturarum doctiſſimus, poſtulante Reverendiſſimo Epiſcopo Herbipolenſium Hugone Magiſter ſcholarum ad Monaſterium S. Burckhardi prope Wirzeburg à Lupoldo Abbate miſſus eſt: quod idem Hugo Præſul digniſſimus eodem anno in utroque ſtatu magnificè reformaverat: ubi docendo, & ſcribendo magnam eruditionis ſuæ gloriam acquiſivit. Scripſit etiam non ſpernendæ lectionis quædam opuſcula: è quibus nos invenimus ſubjecta. In Proverbia Salomonis Opus metricum lib. I. Conſuetudines Monachorum libb. II. De inſtitutione vitæ clauſtralis lib. I. Epigrammata & carmina quædam. Algerus etiam Corbejenſis Monachus, qui & Adelgerus, circa hæc tempora poſt Windekindum Monaſticæ ſcholæ Magiſter factus, per totum Imperium Germanorum eruditionis ſuæ laudem obtinuit immortalem. Qui ſcripſit magnæ auctoritatis plura opuſcula: de quibus tamen pauca in manus noſtras pervenerunt. De Sacramento Altaris legimus volumen ſatis elegans, quod in tres diviſit libellos. De gratia quoq; & libero arbitrio lib. I. Reliqua verò, quæ lucubrâſſe dicitur, invenire non potui. Hic propter ſubtilitatem ingenij, & facilem dicendi venam, quaſi privilegio ſingulari donatus, Scholaſtici nomen inter doctos accepit.

Arnoldus Monachus Corbejenſis.

Claruit etiam his temporibus S. Lybacius Monachus Cœnobij divi Albani prope Moguntiam Ordinis noſtri, de quo ſuprà diximus anno Sigeri

S. Lybacius ex Monacho Epiſc.

geri Abbatis octavo, vir doctus, & morum integritate sanctissimus: quem Benedictus Papa septimus propter incomparabilem scientiam scripturarum, & zelum fidei Christianæ post S. Adelbertum Martyr. Episcopum ordinavit: & ad prædicandum fidem Catholicam gentibus in Ruscia cum multis alijs Monachis destinavit. Quinque Ordinis nostri Monachi Benedictus, Nathanaël, Joannes, Jsaac, & Christianus discipuli, & commilitones memorati sancti Adelberti ex Monacho Archiepiscopi, & Martyris Ruthenorum his temporibus in Ungaria, Polonia, & Ruscia verbis & exemplis multos gentilium ad orthodoxam fidem Christi convertentes glorioso tandem Martyrio à Ruthenis infidelibus, vicesimâ tertiâ die mensis Aprilis coronati sunt.

Monachi quinque nostri Ord. Martyres.

His quoque temporibus Othvvinus ex Monacho Cœnobij S. Joannis Baptistæ Magdeburgensis nostri Ordinis decimus Hildensheimensis Ecclesiæ in Saxonia Episcopus annis ferme novem & viginti, omni sanctitate pollens Ecclesiæ sibi commissæ præfuit, & multos tam sermone, quàm exemplo boni operis ad semitam justitiæ revocavit. Odo etiam Episcopus Beluacensis in Gallia ex Abbatia Corbejæ antiquæ nostri Ordinis, hæc tempora cum eruditione scripturarum, tum vitæ merito reddidit pretiosa; qui non solum Ecclesiæ sibi commissæ utiliter præfuit, sed etjam Reipublicæ in multis consilijs & legationibus servivit.

Bruno ex Monacho Episcop.

Claruit his quoque temporibus Bruno ex Monacho Corbejensis Cœnobij in Saxonia, quæ nova Corbeja dicitur, Episcopus Verdensis, filius Hermanni Ducis potentissimi, fundatoris Monasterij Luneburgensis, vir pontificio honore dignissimus; quippe quem non solum generis alti nobilitas formidabilem reddidit impijs, sed multò magis doctrina scripturarum, & integritas morum venerabilem benevolis.

Anno etiam prænotato maxima in omni terra siccitas fuit, quæ frumentum, & quicquid ex humo nascitur, quasi penitus destruxit. Hinc fames magna subsecuta est, & multi præ famis magnitudine crudeli morte obierunt. Unde ad promerendam divinæ bonitatis miserationem Egbertus Archiepiscopus Trevirorum per suam Diœcesim jejunium bannitum instituit, quod sub pœna Excommunicationis in tertia Paschatis hebdomada servari ab omnibus in ætate legitima existentibus districtius mandavit. *DCCCCLXXXIV.*

Joan. Papa XIV. in carcere objit.

Anno Lupoldi Abbatis secundo, Indictione Romanorum XII. Joannes Papa XIV. in carcere mœrore & inediâ consumptus moritur: & sicut diximus in Basilica Principis Apostolorum sepelitur; mense Pontificatûs sui octavo, captivitatis verò quinto. Cui ejusdem nominis Joannes XV. patriâ Romanus in Pontificatu succedens, præfuit mensibus quatuor, qui Pontificatu susceptο, miro modo in Clerum excandescere cœpit: unde & ipse merito non solum à Clero, sed ab omni etiam populo maximo cœpit odio haberi: propterea vel maximè, quòd divina humanáque omnia suis cognatis & affinibus pro carnis affectione concessit, postposito Dei timore. Unde nisi Dominus justus judex ejus vitæ truncâsset dies, ut citius moreretur, carceris non evasisset squalorem, aut trucidatus fuisset.

Claruit his temporibus Lubentius ex Monacho Hirsfeldensis Cœnobij Archiepiscopus Bremensis in Saxonia, vir in omni genere scripturarum

rarum doctissimus, nec minus vitæ sanctimonia venerandus: qui Ecclesiam sibi commissam in omni sollicitudine strenuè gubernavit annis ferme 25. & non sine opinione sanctitatis ab hac vita decessit.

Osbertus Monachus Cantuariensis.

Osbertus etiam Monachus Cœnobij Glasconiensis nostri Ordinis circa hæc tempora in Anglia claruit: vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris haud mediocriter doctus, qui, ut suprà diximus, inter cætera ingenij sui opuscula, vitam sancti Christiani Archiepiscopi Cantuariensis Præceptoris sui, pulchro descripsit eloquio. De Musica quoque non parvæ subtilitatis librum composuit. Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis minimè pervenerunt.

Joannes fit Papa Romæ XVI.

Anno etiam prænotato Joannes Papa XV. de quo jam diximus, quarto mense Pontificatûs sui moritur: cui Joannes XVI. succedens præfuit annis decem, mensibus sex, diebus decem; vir summo Pontificatu dignissimus, in omni genere scripturarum doctus, quippe qui nonnulla præclara lucubrâsse fertur opuscula. A Crescentio Romanæ Urbis Consule multas sustinuit injurias: sed per medium Ottonis III. Imperatoris Pontifici libertas tandem conceditur. Claruit circa hæc tempora magnus ille Philosophus & Astronomus Alpharabius Arabs, vir in æculari litteratura undecunque doctissimus, qui multa in Arabica lingua scripsit, haud spernendæ facultatis synthemata: quorum adhuc minima pars ad Latinos invenitur translata.

DCCCCLXXXV.

Corpus Divi Mederici Abbatis.

Anno Lupoldi Abbatis tertio, Indict. Roman. XIII. Lotharius Rex Gallorum moritur: cui successit in Regno Ludovicus filius ejus, & uno duntaxat anno supervivens, regnavit. Eodem anno, vicesimo nono die mensis Augusti corpus S. Mederici Abbatis Eduorum Parisijs de terra levatum multis coruscat miraculis. Hic in Monasterio Eduæ civitatis Abbas quondam & Pastor vigilantissimus Monachorum, orationis causâ Parisios proficisci volens multa in itinere miracula Domino præstante fecit. Veniens autem ad civitatem Parisiensem in cellula quadam sub nomine sancti Petri Apostolorum Principis consecrata duobus annis & novem mensibus in magna vitæ sanctimonia militavit: ac tandem convocatis discipulis suis IV. Calend. Septemb. inter verba orationis expiravit.

Claruit his temporibus Osthacus Monachus Cœnobij Augiensis, quod S. Pyrminius quondam Episcopus in Insula Rheni constituxit in Constantiensi Diœcesi, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, qui mortuo in itinere Romano (sicut dictum est supra Lupoldi Abbatis anno primo) electo Episcopo Hildensheimensi Othvvino Monacho sanctissimo, in ejus locum successit: & memoratam Ecclesiam Hildensheimensem ordinatus Pontifex novem & viginti annis strenuè rexit.

Theodoricus Monachus sancti Albani.

His etiam temporibus claruit in humanis Theodericus Monachus, & Scholasticus Cœnobij sancti Albani Martyris prope Moguntiam, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæculari Philosophia doctissimus: qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, in Cantica Canticorum libr. I. In Evangelium secundùm Joannem Commentarios elegantes composuit. Successiones etiam & gesta Archipræsulum Moguntinensium usque ad sua tempora brevi, & utili compendio continuavit.

Anno

Otto III. in Regem coronatur.

Anno etiam prænotato Willegiſus Reverendiſſimus Moguntinenſium Archiepiſcopus Ottonem tertium unxit, & coronavit in Regem, quem Gregorius Papa V. poſt annos decem Imperatorem unxit.

Floruit his etiam temporibus Bruno Monachus Cœnobij S. Viti in Gladbach Colonienſis Diœceſis, Beati Sandrardi Abbatis primi, de quo diximus anno Sigeri Abbatis viceſimo ſecundo, quondam Auditor, atque diſcipulus: vir in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, & morum integritate valde reverendus: qui plura fertur ſcripſiſſe opuſcula; quorum pauca tamen ad notitiam meam pervenerunt. Enimverò cùm eſſet magiſter ſcholarum, ſcripſit de inſtituendis novellis Monachis non ſpernendum opuſculum, quod prænotavit Introductorium. De ſeptem quoque artibus liberalibus libros ſeptem. De motu octavæ Sphæræ parvum libellum ſubtili oratione compoſuit.

Adelbertus Abbas ex Hirſaugia.

Anno quoque prænotato, Adelbertus Monachus hujus Cœnobij Hirſaugienſis petitione Balderici Spirenſis Epiſcopi Abbas ad Monaſterium datur, quod Clingen dicitur, parùm diſtans ab oppido Landaugia, quod multis annis in omni providentia & religione ſtrenuè gubernavit: vir per omnia magnificus doctrinâ ſcripturarum ſimul & vitæ merito illuſtris, & ob id per totum Germaniæ Regnum famæ celebritate nominatiſſimus, qui utinam huic Monaſterio ſuo Hirſaugienſi fuiſſet prælatus, nunquam ad tantam ruinæ deſolationem perveniſſet, in quam ſuo tempore miſerabiliter corruit.

DCCCCLXXXVI.

Anno Lupoldi Abbatis IV. Ludovico Rege Gallorum mortuo Gallis Regnum transferre volentibus ad Carolum ducem fratrem Lotharij quondam Regis, patruum videlicet ipſius Ludovici, dum ille negotium differt ad Conſilium, Hugo filius Hugonis Comitis Pariſienſis, ex Hadvvide primi Ottonis Imperatoris ſorore Gallorum præoccupat Regnum, & regnavit annis ferè novem.

Hugo poſt Ludovicũ regnat in Gallia.

Hoc tempore mortuo Branthone Fuldenſis Cœnobij prudentiſſimo Abbate, de quo in ſuperioribus anno Sigeri Abbatis triceſimo diximus, qui erat vir undecunque doctiſſimus, & nonnulla compilavit in ſcripturis ſanctis opuſcula, Hatto ejus nominis tertius ſucceſſit, vir & ipſe in omni genere ſcientiarum doctus, & ſingularis eruditionis, qui Ottoni tertio Imperatori familiaris fuit, & devotiſſimus.

Anno prænotato mortuus eſt Poppo Monachus & Scholaſticus memorati Cœnobij ſancti Bonifacij Fuldenſis, de cujus ingenio & lucubrationibus anno Sigeri Abbatis XIX. dictum eſt: poſt quem Meginfridus Monachus ejuſdem Cœnobij Scholarum regimen ſuſcepit, cum ingenti ſtudio per annos 24. Monachos docens juniores: è quibus multi poſtea in viros magnos átque doctiſſimos evaſerunt. Hic cùm eſſet in omnibus ſcripturis non ſolùm divinis, ſed etiam humanis inter doctiores doctiſſimus, multa compilavit ſummæ auctoritatis opuſcula, quorum eruditione memoriam ſui poſteris commendat: Chronicon imprimis Cœnobij ſui Fuldenſis brevem omnium Abbatum continens ſucceſſionis hiſtoriam edidit: in quo & aliorum ex Fulda Monaſteriorum quorundam emanantium Abbates, & eorum ſucceſſiones breviter annotavit. De quo nos opere plura in compilatione præſentis Hiſtoriæ ſuſcepiſſe reco-

Opuſcula Meginfridi Monachi Fuldenſis.

recognoscimus. Quæ placitura maximè vobis Hirsaugiensis Monasterij tam futuris, quàm præsentibus incolis confidimus. Vitam quoque S. Bonifacij Martyris ex Monacho primi Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopi carmine descripsit heroico libros duos: Vitam S. Sturmi primi Abbatis Fuldensis metricè composuit. Vitam & gesta S. Rhabani ex quarto Abbate Fuldensis Cœnobij, sexti Archiepiscopi Moguntini prosaicè composuit. Vitam & passionem sancti Sonderoldi ex Monacho Fuldensis Cœnobij Moguntinensium noni Archiepiscopi. Vitam sancti Hildeberti ex Abbate Fuldensis Monasterij Moguntinensium Ecclesiæ XII. Archiepiscopi. Alia insuper multa composuit: quæ ad manus meas non venerunt.

Anno prænotato XXIV. die mensis Septembris objit Lupoldus Abbas hujus Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis octavus, & in Ecclesia ejusdem Cœnobij cum antecessoribus ejus sepultus est: qui suis moribus in bonum omnibus fuit exemplar virtutum. Lupoldus Abb. VIII. moritur.

De Hartfrido hujus Monasterij Hirsaugiensis nono Abbate, qui præfuit annis duobus, mense uno, diebus octo, & gestis illius temporis.

MOrtuo igitur Abbate Lupoldo ac more Christianorum cum honore sepulto; Fratres pastore animarum suarum destituti post maturos inter se habitos tractatus, tandem unanimi consensu in Abbatem suum elegerunt Hartfridum Monachum ex se unum: juvenem quidem in annis, sed prudentiâ & vitæ merito, multis senibus seniorem: ac talem de quo spes erat certa optimi pastoris. Hæc autem electio facta est alterâ mox die post obitum Lupoldi anno Christianorum prænotato, videlicet nongentesimo octogesimo sexto indictione Romanorum quartâ decimâ, mensis Septembris die vicesimâ quintâ, regnante Ottone Imperatore tertio: qui ordinatus ex more Abbas, præfuit annis duobus, mense uno, diebus octo. Cui si Omnipotens Deus vitam prolongâsset in annos plurimos, non sustinuisset forsitan Hirsaugia desolationem, quæ postea fuit subsecuta. Hartfridus in Abbatē eligitur.

Hic Hartfridus natione fuit Teuthonicus, patriâ Suevus, annorum ætatis ferme sex & triginta, quando in Abbatem extitit promotus; ita in omnibus disciplinis Monasticis consummatus, ut in toto Monasterio non habuerit memoria illius temporis meliorem. Denique à bonis Præceptoribus optimè institutus, in omni scientia scripturarum doctus, & valde notabilis evasit: ingenio subtilis & clarus eloquio: nec minus vitæ merito quàm eruditione scripturarum illustris ac venerabilis. Quàm primum ad regendum Monachis præpositus fuit, omnibus cœpit curare viribus, ut secundum normam sanctissimi Patris nostri Benedicti fratres purè ac religiosè viverent, ne in aliquo à sanctis declinarent. Quemcunque aliter gradientem reperisset, non sustinuit: sed prænonitum in secreto bis & tertiò, si non emendavit erratum suum, durius coram omnibus increpavit. Ut ne quis correctorem in aliquo simili delicto potuisset arguere: se primum in omnibus irreprehensibilem, omniúmque bonorum vivum exemplar studuit exhibere. Bonis & Deum timentibus multum fuit dilectus & venerabilis, infirmis autem pius & beneficus: improbis verò & duris corde terribilis & metuendus. Eodem anno quo Hartfridus

Abbas fuerat ordinatus, Otto Rex tertius poſtea Imperator Bohemiam contra ducem imperio rebellem cum magno ſuo exercitu ingreditur: & congreſſione factâ Bohemi ſuperantur: unde veniam poſtulantes impetrant, & ſe Regi cum Duce proſternunt.

Rex Otto devaſtat Bohemiã.

DCCCCLXXXVII.

Anno Hartfridi Abbatis primo frequens & magna inundatio fuit aquarum: quæ frequenter crevit, & non parvo temporis intervallo duravit non ſine damno multorum. Æſtas etiam fuit nimium fervens & calida, multíſque ſatis pernicioſa; quoniam & naſcentia terræ minuit, & famem mortalibus induxit.

Anno prænotato Carolus Dux frater quondam Lotharij Regis Gallorum contra Hugonem nepotem ſuum, quem Regnum præoccupâſſe diximus, procedens cum exercitu Montem Acutum oppugnat, ac inde recedens uſque ad civitatem Sueſſonicam omnia devaſtando procedit. Poſtea Rhemorum urbem aggreditur, qua tandem fatigata Laudunum obſidet, capitque ac ſpoliat, & cum multa præda revertitur. Hugo autem Rex Carolum Lauduni commorantem gravi obſidione vallavit: ſed ſecundo menſe obſidionis, mirâ Dei virtute, & inaudito prius apud Gallos ſpectaculo, proſilientes de civitate obſeſſi caſtra obſidentium incenderunt, multíſque interemptis Rex Hugo pavore concuſſus, ac turpiter fugiens vix inde cum paucis evaſit.

Carol. Dux Hugõ. perſequitur.

Claruit circa hæc tempora Engelbertus Monachus Cœnobij S. Matthiæ Apoſtoli juxta urbem Trevirorum: vir tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæculari Philoſophia doctiſſimus, ingenio promptus, & diſertus eloquio, metro ſimul exercitatus & proſâ, qui ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula, vitam & Paſſiones duodecim Apoſtolorum Chriſti metricè libb. 12. De Muſica, & Proportionibus librum unum. De compoſitione Monochordi lib. 1. Et quædam alia quorum notitiam non habemus. Hic poſtea cujuſdam Cœnobij Abbas ordinatus, cujus nomen non occurrit, Eccleſiam de novo conſtruxit, in qua & cum tali Epitaphij ſubſcriptione ſepultus fuit.

Engelbert. Monachus Trevirenſ.

Hoc recubat buſto ſemper memorabilis Abbas
Engelbertus, ovans ſpiritus aſtra colit;
Menſis Martij obÿt bis ſenis ipſe calendis.
Conſtruxit templum, quod retinet tumulum.

Fuit & alius in Auſtria nunc quidem, ſed olim in finibus Bavariæ Engelbertus Abbas Cœnobij Admontenſis, ordinis noſtri: Vir eruditione ſcripturarum inſignis, & non minùs integritate morum, quàm ſcientiâ venerabilis, qui ſcripſit plura non contemnendæ lectionis opuſcula, de quibus ego ſolum vidi ſubdita. De vitijs, & virtutibus Monachorum librum unum. Sermones commendabiles ad Monachos; cætera verò quæ compoſuit ad manus meas adhuc non venerunt.

Engelbert. Abbas Admontenſ.

DCCCCLXXXVIII.

Anno Hartfridi Abbatis ſecundo, magna fuit ſiccitas, ratione cujus frugum ſatio impedita famem auxit mortalibus, quæ pauperes per totam Germaniam graviter afflixit. Eodem anno Carolus Dux iterum ducens contra Hugonem Regem Gallorum exercitum, urbem capit Rhemorum: Archiepiſcopum, quem Rex Hugo conſtituerat, capit, & cum quibuſdam ex Primatibus urbis Laudunum miſit, ubi cum alijs aliquandiu exulare coactus fuit.

His

His temporibus Montis Ferrati Marchionatus in Italia sumpsit initium, cujus primus Marchio sive Princeps fuit Walramus quidam natione Theutonicus, patriâ Saxo, filius Ducis Saxonum, vir magnanimus & fortis, Ottonibus secundo & tertio charissimus, à quibus Marchionatum nomine Romani Imperij in feudum accepit. Ab hoc Principe clarissimo posteri Marchiones de Monte Ferrato per ordinem descenderunt: quorum plures Christianæ Religionis devotissimi cultores multas diversis temporibus Ecclesias insignes & Monasteria fundaverunt. Ex his quæ nostri sunt Ordinis placuit annotare.

Marchionatus mõtis Ferrati initium.

Fundatio aliquot Cœnobiorum.

Primum quod fundârunt Nostri Ordinis Monasterium sancti Martyris Justi non procul ab Alpibus apud Secutiam civitatem, quæ olim Pedemontana fuerat nuncupata: cui duo oppida cum omnimoda jurisdictione tradentes subjecerunt, aliisq; multis possessionibus locupletârunt, quorum omnium redditus & proventus comuniter annis singulis ad summam duorum ferè millium florenorum Rhenensium computantur.

Aliud Ordinis nostri Monasterium in honore S. Petri Apostolorum Principis apud Eporediam urbem construxerunt: quod prædijs & possessionibus multis munificentissimè dotatum similiter Monachis inhabitandum cum Abbate tradiderunt. Cujus summa redditum quotannis se extendit ultra quindecies centum auri florenorum.

Monasterium quoque aliud S. Michaëlis Archangeli celeberrimum de Stella nuncupatum construxerunt juxta Anilianum oppidum, non longè ab Alpibus ingenti sumptu ac mirificâ arte fabricatum, cujus Abbati multa oppida & villas in circuitu subdiderunt, quorum proventus omnium quotannis ad sex millia ducatorum computantur.

Item Monasterium aliud Monachorum nostri Ordinis, sub honore S. Benigni Confessoris, non longè à Taurinense urbe similiter condiderunt: cujus annui redditus ad duo millia ducatorum computantur.

Monasterium insuper ad sanctum Januarium Ordinis nostri in Monte Ferrato construxerunt: quod simili munificentia pro sustentatione servorum Domini in omnibus necessarijs providerunt: cujus proventus annuè ad quindecies centum ducatos taxantur.

Aliud Ordinis nostri Monasterium sub honore D. Victoris Martyris similiter in Monte Ferrato condiderunt: cujus annui proventus ad mille ducatos auri supputantur. Prædicta sex Ordinis nostri Cœnobia diversis quidem temporibus constructa sunt; sed ab una familia Marchionum de Monte Ferrato memoratorum in esse prodierunt.

Anno prænotato magna Germaniam fames oppressit: quam statim pestilentia ingens subsecuta, infinita hominum millia consumpsit. Quæ cùm nimium in omni terra sæviret, morereturque quotidie hominum multitudo maxima, tandem etiam Cœnobium S. Aurelij Hirsaugiense pestis cruenta invasit, & horrendæ calamitatis ejus, quæ non multò post secuta est, ut nobis videtur, causa fuit. Nam in brevi tempore trium videlicet mensium usque adeò prævaluit, ut hujus Cœnobij S. Aurelij plus quàm sexaginta Monachos meliores ex omnibus consumpserit. Quibus vitâ defunctis, miserabile fuit videre Hirsaugiam: ubi ex tot optimis fratribus duodecim numero duntaxat superstites remansisse memorantur: qui quantum à Monastica sinceritate quidam illorum defecerint,

Fames & pestilentia sæviunt.

rint, in electione sequentis Abbatis post mortem Hartfridi palàm ostenderunt. Novissimè verò post transmigrationē ab hac vita sexaginta Monachorum S. Aurelij ad patriam felicitatis æternæ, ut confidimus, sæva pestis Hartfridum quoque invasit Abbatem: quem consumens & rapiens ab hac mortalitate transmisit ad oves: cum quibus illum in sempiterna requie non dubitamus esse felicem. Obijt autem anno Christianorum præscripto 988. Indictione Romanorum primâ: tertiâ die mensis Novembris: anno ætatis suæ 38. & cum antecessoribus suis in Ecclesia S. Aurelij sepultus est. Complevit in brevi tempora multa; qui cùm placeret Deo, raptus est, ne forsitan aliqua fictio deciperet spiritum ejus.

Hartfridus Abbas moritur Anno Domini 988.

De Conrado Monasterij Hirsaugiensis decimo Abbate, qui præfuit annis duodecim, mensibus sex, diebus xv. & gestis illius temporis.

DEfuncto Reverendissimo Abbate Hartfrido cum LX. Monachis, sicut dictum est, peste sublatis, XII. numero duntaxat superstites remanserunt: Monasterium S. Aurelij Hirsaugiensis tribus ferè mensibus viduitatis suæ incommodum deplanxit. Quibus tandem evolutis convenerunt in unum corporibus locum Fratres XII. animis divisi, & quarto die mensis Februarij anno Christianorum 989. Indictione Romanorum secundâ, tempore Ottonis Imperatoris III. sub Baldrico Spirensis Ecclesiæ Pontifice, de substitutione novi Pastoris inter se varium cœperunt habere tractatum. Cúmque mutuis se se cœpissent infectari calumnijs, duos in Electione nominavêre dissentientes, Conradum videlicet Monachum, qui Confirmationem suam ab Episcopo Neometensi obtinuit; & Eberhardum Cellerarium, qui fugiens Monasterium spoliavit, & extremæ desolationis ipsius loci causam & seminarium dedit. Hinc gravissimæ dissensiones inter Fratres subsecutæ sunt, quoniam una pars adhærebat Conrado tanquam saniore consilio legitimè & canonicè ab eis electo: alia verò sequebatur Eberhardum, ut virum in temporalibus expertum, quem simili constantiâ prætendebant canonicè electum. Prævaluit verò tandem jure Conradus, & tanquam saniore consilio Fratrum electus, Ordinationem à Pontifice Neometensis Ecclesiæ, quâ decuit reverentiâ suscepit. Interea dum Conradus pro munere benedictionis, ut fieri solet, cum suis esset sollicitus: videns se contemptum Eberhardus, sublatis Clenodijs Monasterij, & cunctis, quos potuit habere, thesauris cum duobus Monachis Hartungo & Hermanno suæ factionis principibus ad Comitem de Calba, qui alioquin Monasterio sancti Aurelij graviter jam tunc erat infensus, petiturus ipsius auxilium confugit. Quem ille non solùm libenter, sed etiam valde gratanter suscepit: gavisus nimirum, sicut postea manifestè apparuit, datam sibi occasionem, quâ bonis Fratrum posset inferre animum hiantem, tali medio aliquando satiandum. Mox igitur Comes in tyrannidem versus, possessiones Monasterij Omnipotenti Deo, & S. Aurelio dudum à fidelibus oblatas invadit, rapit, & suis militibus in stipendium concedit: Eberhardo non solùm consentiente, sed etiam præstante auxilium

Dissensio duorum Electorum Abbatum Conradi & Eberhardi.

Comes bona Monasterij diripit.

xilium. Neminem in his omnibus miserandi Fratres habuêre defensorem, non Papam, non Imperatorem, non Episcopum: dum Comes non solùm potentiâ Monachos opprimeret, sed etiam suâ industriâ deciperet universos. Nam jure se bona Monasterij diripere posse asseruit: qui ea non sibi, sed Eberhardo Abbati legitimo ab injustis possessoribus vindicaret, in usum nihilominus Cœnobij fideliter reservanda. Eberhardus etenim datus in reprobum sensum, & mente penitus retrorsum conversus in malum, nullam cum Cœnobio miserationem habuit; quippe qui Comitem & milites ad rapinam incitavit, se Monasterij & verum & unicum asserens Dominum, Conradum idolum falsò suppositum. Interea res defertur ad Episcopum: sententia metu Comitis protrahitur in longinquum: minatur se tyrannus ulturum de Monachis, & quotidie Monasterium igne suppositio incendere omnes simul cominantur. Nec defuit Comiti voluntas Monachos cum Abbate Conrado de Cœnobio expellere, nisi & humana quædam obstitissent verecundia: & quod in brevi paupertate cogente nimiâ, sua sponte recessuri essent, spem habuisset. Conradus itaque in magna tribulatione, & inopia cum octo Monachis, nec omnibus quidem Rectori bene faventibus, residebat in Monasterio, nunquam tutus, nunquam à metu tyranni securus, sed animo tristis, & mœrore tabescens, momentis singulis deteriora sibi ventura formidabat. Erat autem natione Theutonicus, Patriâ Francus Orientalis, vir bonus, & cultor Monasticæ disciplinæ studiosissimus; qui & vitæ merito satis ad docendum fuit idoneus, & in omni genere scientiarum eruditus.

Abbas in medio malorum positus.

DCCCCLXXXIX.

Anno Conradi Abbatis primo, grana tritici, pisciculósque apud Gallos de cœlo pluisse memoriæ traditum est: quod tamen ad usum hominum non valuit; quoniam grana interius corrupta, & nimium putrida, cùm aperirentur, fœtorem pessimum emittebant.

Eodem quoque anno mortua est Theophana Imperatrix, Mater Ottonis Imperatoris III. & Coloniæ in Monasterio sancti Pantaleonis in absside australi cum digno honore sepulta. Quæ dum viveret, locum ipsum singulari semper devotione dilexit: cui de suis facultatibus multa beneficia præstitit, & exaltare pro viribus omni tempore procuravit. Hæc Theophana inter alia bona, quæ memorato Cœnobio contulit, corpus S. Albani Martyris de Italia sumptum in eodem collocavit. Fuit autem S. Albanus iste in Britannia miles pro fide Christi martyrizatus, cujus Corpus post multos annos per S. Germanum Episcopum transfertur in Italiam, & inde, sicut diximus, ad Coloniam. Quare autem apud Colonienses Albinus nominetur, cùm Albanus in baptismate dictus sit, operæ pretium fuerit breviter assignare causam, & rationem. Cùm Teophana Imperatrix memorata de Italia cum sanctis Reliquijs venisset ad Moguntiam, & fama totam implevisset civitatem, metuentes non sine causa Moguntinenses nomen sui Albani æquè Martyris, olim cum S. Theonesto Episcopo apud Moguntiam passi, & in Cœnobio nominis sui quiescentis, adventu istius Albani, aut obfuscari posse, aut in dubium revocari; precibus ab Imperatrice obtinuerunt, ut suus Martyr, quem attulerat, diceretur Albinus: & nomen suum Albanus Moguntiæ sepultus ad habendam utriusque necessariam discretionem retineret.

Theophana Imperatrix moritur.

Quare sit dictus Albinus, qui Albanus.

Hugo Epiſ. Herbipolenſis obijt.

Anno prænotato, 29. die menſis Auguſti obijt Hugo Epiſcopus Herbipolenſis, vir multæ ſapientiæ, & conſtantiſſimæ religionis, qui Monaſterium S. Burckhardi primi Præſulis Wirzburgenſis, ab ipſo in ſuburbano conſtructum, magnificè reformavit: ſcholas Monachorum inſtituit, quibus Arnoldum hujus Cœnobij Hirſaugienſis Monachum, ut dictum eſt anno Lupoldi Abbatis primo, virum doctiſſimum præfecit. Poſt Reverendiſſimum Hugonem Bernvvardus Monachus in Pontificatu Herbipolenſis Eccleſiæ ſuccedens, præfuit annis quinque, menſibus octo, diebus 18. Hic Bernvvardus Monachus primò fuit hujus Cœnobij S. Aurelij Hirſaugienſis, ſub Sigero Abbate ad Ordinem ſuſceptus, genere Nobilis ex Francia Orientali procreatus. Qui ſub magiſterio Præceptorũ optimè inſtitutus in virum doctiſſimum evaſit; & non ſolùm ſcientiâ ſcripturarum, verùm & vitæ merito cunctis innotuit eſſe venerandus. Quando Lupoldus Abbas Arnoldum Monachum poſtulante Hugone Præſule de Hirſaugia pro Magiſterio ſcholarum Monaſterij S. Burckardi direxit ad Herbipolim, Bernvvardum conjunxit itineris ſocium, & in Cœnobio ſancti Burckhardi ex eo tempore cum loci Monachis remanſerunt. Erat autem Bernvvardus, ſicut diximus, patriâ Francus, genere nobilis, frater videlicet Richardi Comitis de Rottenburg: & non ſolùm intuitu cœleſtis doctrinæ, ſed etiam conſideratione terrenæ potentiæ Pontifex creatus eſt, vir alioquin optimus, & qui verbo & exemplo paſtorem ſe verum exhibuit. Claruit his temporibus Theodericus Monachus Floriacenſis, vir tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus litteris egregiè doctus, qui ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula duos libellos de conſuetudinibus & ſtatutis Monaſterij Floriacenſis ad prænominatum Bernvvardum Epiſcopum, cujus operis Prologus tale habet exordium: *Domino ſancto ac Patri in Chriſto allectiſſimo Epiſcoporum inſigni Bernvvardo: frater Theodericus Floriacenſis Aſyli Cœnobita perexiguus.* De reliquis ſiqua ſcripſit, nihil ad notitiam noſtræ lectionis pervenit.

Bernwardus Hirſaugienſis.

DCCCCXC.

Eberhardus ſpoliat Monaſterium.

Anno Conradi Abbatis ſecundo, quartâ decimâ die Menſis Februarij Eberhardus transfuga non ferens Abbatiâ ſancti Aurelij diutius privari, diſſimulante negotium Comite, aſſumptis ſecum quibuſdam nebulonibus, Monaſterium nocturno tempore furtivè ingreditur, & Abbatem Conradum vel capere incarcerandum, vel interficere meditatur. Innotuit Abbati conſilium inſinuatione cujuſdam hominis de familia Comitis: qui nocte conſurgens, fugâ ſalutem adeptus eſt: nec ſibi tutum putabat latronum exſpectare incurſum. Circa medium noctis Apoſtata Eberhardus cum ſuis Monaſteriũ ingreſſus, cellam Abbatis perluſtratam invenit vacuam; qui dolens aufugiſſe, quem quærebat, ſpoliato clam Monaſterio ſine læſione fratrum prædâ, & ſcelere onuſtus cum ſpaticis ad ſua latibula revertitur. Ab illo die per biennium Abbas Conradus non redijt ad Monaſterium ſancti Aurelij, donec ſerâ tandem morte Eberhardus interijt.

Carolus Dux Lotharienſis obijt.

Anno prænotato, Carolus Dux frater quondam Lotharij Regis Gallorum, qui Ducatum Lotharingiæ conceſſione feudali, ab Imperatore Ottone III. obtinuit, moritur: & filius ejus Otto ſuccedens clementiâ Sereniſſimi Imperatoris memorati Ottonis ad Ducatum inveſtitur. Circa

hæc

hæc tempora mortuo Colonienſium Archiepiſcopo Warino, qui Cœnobium S. Martini à Gerone Prædeceſſore ſuo inchoatum conſummavit, & Scotis inhabitandum tradidit, Evergerus ſucceſſit; qui parvo tempore præfuit, & ob id nihil dignum memoriâ geſſit.

Anno quoque prænotato, ſextâ decimâ die menſis Martij, obijt Rudigerus Monachus & Scholaſticus Cœnobij S. Willebrordi apud Epternacum Treverenſis Diœceſis: de quo dictum eſt in præcedentibus, anno videlicet Sigeri nono decimo: qui ſcripſit non ſpernendæ utilitatis Commentarios in omnes Epiſtolas Pauli libros quatuordecim. In Epiſtolas quoque Canonicas libros ſeptem. In Regulam S. Benedicti explanationem elegantem compoſuit. Et quædam alia, quæ ad notitiam noſtræ lectionis minimè pervenerunt, lucubrâſſe dicitur. Poſt hunc Monaſticæ ſcholæ Magiſter inſtitutus eſt in præfato Cœnobio Adelharius quidam Monachus, & poſtmodum Abbas, vir & ipſe in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, qui non ſolùm eruditione litterarum diſcipulos utiliter inſtituit: ſed etiam ſanctimoniâ & integritate vitæ bonorum eis operum exempla demonſtravit. Qui inter cætera lucubrationum ſuarum opuſcula Chronicon ſui compoſuit Cœnobij: in quo & ſucceſſiones Abbatum ejuſdem, & facta congeſſit. Scripſit & alia quædam non contemnendæ lectionis opuſcula, quorum mentionem fecimus in ſecundo libro virorum Ordinis noſtri illuſtrium.

Adelharij Chronicon

Anno etiam prænotato moritur Hatto ejus nominis tertius Abbas Fuldenſis Monaſterij, qui fuit in ordine Abbatũ ejuſdem Cœnobij ſeptim⁹ decimus; cui Brantho Monachus ejus nominis ſecundus ſucceſſit: vir induſtrioſus & prudentiæ ſingularis: nec minùs in omni ſcripturarum ſcientia doctus, quàm conſilio cautus. Cujus tempore obſervantia Regularis diſciplinæ in Monaſterio Fuldenſi, quemadmodum & in pleriſq; alijs multum ſucceſſivè tepuit.

Brantho fit Abbas Fuldenſis.

DCCCCXCI.

Anno Conradi Abbatis tertio, jubente Papa Joanne ſexto decimo Concilium omnium Epiſcoporum totius Galliæ in civitate Rhemorum celebratum eſt: in quo Artaldus nepos Caroli Ducis Lotharienſium defuncti, quem ipſe Archiepiſcopum Rhemis ſubſtituerat, ſynodali omniũ ſententiâ exordinatus damnatur. Adelgarius verò Presbyter, qui Urbem prodens Carolo, portas anno priore aperuerat, à Concilio excommunicatur.

Synodus Epiſcoporũ Rhemenſis.

Gerbertus Monachus Floriacenſis Cœnobij depoſito Artaldo Rhemorũ Archiepiſcopus conſtituitur, vir magnæ litteraturæ; qui multa non parvæ ſubtilitatis conſcripſit opuſcula. Hic in Gallia natus, à puero Monachus apud Floriacum adolevit. Demum adoleſcens factus inſtigante ſuperbiæ ſpiritu Monaſterium abjecto habitu deſeruit, & in Hiſpaniã fugit. Inde profectus ad urbem Hiſpalim, quam Sibiliam vulgariter vocant, ſtudio litterarum operam dedit: & parvo tempore in ſcientia ſcripturarum doctiſſimus evaſit. Nam, ut Vincentius ait, ſuâ eruditione vicit in Aſtrolabio Ptolomæum, in aſtrorum ſcientia ſuperavit Alexandrum: & in fato longè præceſſit Firminium Philoſophum. Deinde reverſus in Galliam publicas Philoſophantium ſcholas tenuit, & multos nobiles & inſignes diſcipulos erudivit. Inter quos fuit non infimus doctrinâ & eruditione

Gerbertus fit Archiepiſcopus.

tione ſcripturarum Conſtantius, poſtea Monaſterij S. Maximini Aurelianenſis Abbas, ad quem regulas de Abaco ſubtiles compoſuit. Adelboldus etiam Trajectenſium poſtea Epiſcopus, de quo ſuo loco dicemus, qui ſcripſit vitam S. Heinrici ſecundi Regis, Imperatoris primi, & Epiſtolam ad ipſum Gerbertum de quæſtione diametri ſuper Macrobio, & multa alia. Otto quoque Imperator III. Rupertus filius Hugonis Cappucij Rex Gallorum, & alij complures Gerbertum ſuum cognovêre Magiſtrum. Tandem ergo per Rupertum Hugonis Regis filium Rhemorum Archiepiſcopus conſtituitur: ſed quibuſdam altius cauſam ventilantibus, viſum eſt, Artaldum non debere condemnari, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Unde Gerbertus ab Archiepiſcopatu depoſitus ad Imperatorem Ottonem III. confugit: cujus promotione Ravennæ Archiepiſcopus conſtituitur: & poſtremò ſummus Romanæ Sedis Pontifex ordinatus Sylveſter ſecundus nuncupatur. De quo inferius anno Conradi Abbatis nono, quæ reſtant, dicemus.

Gerbertus deponitur ab Epiſcopatu.

DCCCCXCII.

Anno Conradi Abbatis IV. miſer ille nimiúmque infelix transfuga Eberhardus, cùm ſe minaretur in proximo Cœnobium S. Aurelij penitus deſolaturum, morte ſatis inopinatâ præventus, ſine pœnitentia interijt, & temeritatis ſuæ præmium, quod merebatur, à Domino accepit. Monachi autem illi duo, qui cum eo de Monaſterio fugerant, in errore permanſerunt; nec amplius ad locum, unde exierant, reverſi ſunt. Et Eberhardus quidem hunc præſumptionis ſuæ finem accepit; eorum verò, quæ vel ipſe, vel alij de Monaſterij rebus abſtulerunt, nihil fuit omnino reſtitutum. Mortuo Eberhardo, Conradus ad Cœnobium ſuum de exilio revertitur: & cum paucis, qui remanſerant, Monachis in magna paupertate uſque in finem vitæ converſatur. Comes animum non relaxabat à tyrannide, ſed creſcente in eo quotidie odio Monachorum, Cœnobium in nihilum cupiebat redigere. Cauſam hujus perſecutionis primam, quis dederit, ignoramus: ſed quòd malum vehementiſſimè auxerit Eberhardus, manifeſtè ſcimus.

Eberhard. Monachus obijt.

Conrad. ad cœnobium revertitur.

His temporibus claruit in Saxonia ſanctus Bernvvardus ex Monacho noſtri Ordinis XIII. Epiſcopus Hildenshemenſis, vir in divinis ſcripturis doctus, & vitæ merito ſanctiſſimus: qui multis tam in vita, quàm poſt mortem miraculis claruit, & plures non minus exemplo boni operis, quàm verbo ſanctæ prædicationis ad ſemitam juſtitiæ revocavit. Ejus memoriæ feſtum 18. die menſis Novembris colitur, cujus geſta luculenter conſcripta recitantur.

Anno Conradi Abbatis prænotato, S. Bernvvardus prædictus Hildenshemenſis Eccleſiæ Reverendiſſimus Præſul Monaſterium S. Archangeli Michaëlis in Hildensheim ædificare cœpit: quod in brevi perficiens tempore, omnibus neceſſarijs pro ſuſtentatione Monachorum Deo ſervientium providit: & tandem mortuus in eodem Cœnobio ſepultus fuit. In quo ſucceſſu temporis multi viri doctiſſimi, atque ſanctiſſimi, qui varia ſcripſerunt opuſcula, ſub Monaſtico ſchemate floruerunt.

Claruit hoc tempore in Gallia Richerus Monachus Rhemenſis noſtri Ordinis, homo ſtudioſus, & tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus litteris egregiè doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio: qui

ſcripſit

scripsit ad Gerbertum supradictum Rhemorum Archiepiscopum, pulchrum & compendiosum Opus de gestis Gallorum, quod in duos libros divisit, & sic incipit: *Orbis itaque plaga, quæ mortalibus sese commodam præbet.* Cætera, quæ composuit, ad notitiam nostræ lectionis nondum pervenerunt. Anno prænotato Conradi Abbatis, 24. die mensis Aprilis, S. Adelbertus ex Monacho Fuldensis Cœnobij Pragensis in Boëmia Episcopus, de quo dictum est anno Sigeri Abbatis XXII. qui Ungaros & Polonos ad Christi fidem convertit, à paganis in terra Ruthenorum septies gladio perfossus, & tandem capite truncatus, in fide & amore Domini nostri Jesu Christi sanguinem fundens martyr efficitur.

S. Adelbertus martyrizatus Episcopus.

DCCCCXCIII.

Anno Conradi Abbatis quinto, hyems dura & longa nimis extitit: ac multa pecora fame perierunt. Secuta fuit æstas ferventissima, quæ penè omnia terræ nascentia calore intemperato consumpsit. Unde rerum comestibilium inopia gravem mortalibus famem induxit.

S. Odilo in Burgundia ex Clerico Brivatensi Monachum apud Cluniacum professus, sub norma D. Patris Benedicti, doctrinâ & sanctitate morũ his temporibus magno in pretio fuit, qui proficiens quotidie in melius, sexto conversionis suæ anno Pater & Abbas Cluniacensis Monasterij Fratrum electione constituitur, & per annos 56. in magno Religionis fervore præsidens, verbo, exemplo, & miraculis gregem sibi commissum semper ad meliora direxit.

S. Odilo fit Abbas Cluniacensis.

Circa hæc tempora Richardus Comes de Rotenburg in Provincia Francorum Orientalium, frater Bernvvardi suprà dicti Præsulis Ecclesiæ Herbipolensis, apud Regem Ottonem magno in pretio fuit. Huic erant & alij duo fratres, Emhardus videlicet ac Rudegerus, quorum prior nec uxorem habuit, nec liberos: multarum divitiarum possessor, in pauperes munificus pro Christi amore fuit. Quem bonorum suorum cupiens ordinare hæredem, in construendis Ecclesijs novis, & reparandis antiquitate collapsis præcipuâ intentione certabat. Construxit enim suis impensis Ecclesiam Parochialem in Fungendal, quam necessarijs etiam proventibus, & censibus annuis pro ministri sustentatione dotavit. Aliam fundavit in Remoltesberg, quam simili munificentiâ de necessarijs proventibus annuis providit.

Comites de Rotenburg clarâ.

Idem Comes Emhardus in civitate nostra Herbipolensi tertiâ fundavit Ecclesiam, quæ usque in præsentem diem Novum Monasterium nuncupatur, in quo Canonicos Deo servientes collocavit, quibus & de præsentis vitæ necessarijs providit. Quam Ecclesiam Novi Monasterij Heinricus ex Comitibus de Rotenburg post Bernvvardum Episcopus Herbipolensis melius & elegantius construens, ampliori providentiâ dotavit. Pari modo fecit Adelbero, postea Episcopus, ut suo loco dicemus: processu verò temporis prædictus Comes Richardus de Rottenburg mõtem quemdam concambio ab Augustensium Episcopo acquisivit, qui Kamberg dictus est, in quo castrum novum ædificavit, & habitabat in eo. Genuit autem filios quatuor, Emhardum, qui postea Episcopus fuit Herbipolensis: Burgkardum, qui construxit Monasterium in Camberg: Rudegerum quoque & Heinricum, qui Burgkardo fratri postea in constructione Monasterij Cambergensis cooperati sunt.

Novi Monasterij Herbipolensis fundatio.

DCCCC XCIIII.

Gregorius Papa V. Monachus Teuthonicus fuit.

Anno Conradi Abbatis VI. obijt Joannes Papa ſextus decimus, cui Gregorius quintus nomine ſucceſſit, & præfuit anno uno, menſibus octo, natione Teuthonicus, patriâ Saxo, profeſſione Monachus Corbeienſis, Ordine Epiſcopus Verdenſis, Bruno antea vocatus: de quo diximus Anno Lupoldi Abbatis primo, cujus pater fuit Otto Saxoniæ Dux, fundator Canonicalis Eccleſiæ in Aſchaffenburg, juxta Moganum in Diœceſi Moguntina, de quo ſuprà dictum eſt, anno Sigeri Abbatis triceſimo. Hic Romanus Pontifex ordinatus, conſenſu Cleri totius ac populi, Ottonem tertium primo anno Pontificatûs ſui Romæ Imperatorem coronavit, cui & ſanguine proximus erat. Qui multas Romanorum ſuſtinuit injurias, pro quibus Imperator Otto mox ſine dilatione Romam profectus, ſumpſit vindictam. Ille ſapientiſſimus Papa Gregorius cupiens gratias referre beneficijs magnifici Ottonis Imperatoris, congregatâ Romæ Synodo complurium Epiſcoporum, communi omnium decretò atq; conſenſu ſtatuit; ut Imperij dignitas apud Germanos perpetuò debeat remanere: ita videlicet, ut quemcumque Germaniæ Principes pro quolibet tempore exiſtentes in Regem elegerint, ſine contradictione à Romano Pontifice ad Imperij celſitudinem coronetur. Quæ conſtitutio jam per annos quatuordecim & quingentos ad hunc diem ita ſervata eſt.

Claruit his diebus Everhardus, vel ut quidam ſcribunt, Gebehardus ex Abbate noſtri Ordinis Monaſterij in Suevia, quod Elvvangen nominatur, poſt Heinricum, qui S. Udalrico ſucceſſerat, & in Calabrico bello cum alijs multis perierat, Epiſcopus Auguſtenſis, vir multæ doctrinæ, morúmque honeſtate non mediocriter inſignis: qui & in Monaſterio benè præfuit Monachis, & in Pontificatu quàm optimè Clericis. Anno quoque prænotato Indictione Romanorum ſeptimâ. Otto Rex intravit Italiam, & Romæ à Gregorio Papa Quinto, ſicut diximus, Imperij Coronâ cum ingenti gloria ſuſcepit. Hujus uxor Maria fuit, ut dictum eſt, ſterilis, & nimium laſciva, de qua talis narratur hiſtoria.

Otto Rex coronatur à Papa.

Comes erat in Italia quidam dives & potens, qui ad Imperium Regis Ottonis ingrediens & egrediens prudenter átque fideliter omnia ſemper in omnibus agebat. Hunc Maria indigna nomine cernens Imperatrix, virum nobilem fortem ac vultu decorum, mox in ejus concupiſcentiam exarſit: à qua tandem ſollicitatus ad concubitum, accedere mulierem Imperatori ac Domino ſuo nuptam renuit, & patrare tantum contra Deum ſcelus omnino recuſavit. Quem illa cum pallio apprehendens trahere ad ſe nititur, ut vel invitus pro verecundia quadam virili conſentire poſtulanti cogeretur. At ille dimiſsâ veſte in manibus Dominæ, velut alter innocens Joſeph pugnans & vincens ſine pallio receſſit. Contemptam ſe mulier dolens, Imperatori opportuno tempore conqueritur: & quòd eam Comes Mutinæ violenter voluerit opprimere, veſtis probare exhibitione conſtantiſſimè conatur. Credidit machinamentis nefandæ mulieris Imperator, & capit etruncari comitem ſine dilatione præcepit. Verùm innocens homo, cùm ſtaret jam paratus ad mortem, aſtantem, & lachrymantem non abs re propriam vocavit uxorem, cui ſecretò veritatem negotij, & modum vindictæ per eam ſumendæ dixit in aurem. Quo dicto Comes innocens capite truncatus occubuit. Poſtea cùm Imperator

Nefandæ Imperatricis hiſtoria.

perator apud Mutinam causas hominum auditurus querelas movere volentium pro tribunali sederet: uxor Comitis occisi caput ferens in manibus Judicem proclamavit iniquum: quippe qui mendacijs feminæ credulus, virum innocentem mandâsset occidi. Imperatore stupente, ac se reum læsæ Majestatis jure truncâsse multitudinis testimonio respondente, mulier ad probationem veritatis, quemadmodum à Comite marito fuerat informata, ferri candentis judicium postulat dicens: *Si justus es judex, aut ferri candentis testimonio te justum probato, & me tanquam contumeliosam Imperatoriæ Majestatis delatricem ignibus trades cremandam: aut si hoc tu subire judicium Imperator Otto formidas, ego me huic decreto expiationis libens subjicio: ego candentis ferri tibi horrendum, & cunctis mortalibus metuendum judicium confidenter subibo: ego te iniquam contra Dominum & maritum meum protulisse mortis sententiam, manifestâ ratione demonstrabo. Quod nisi Domino largiente fecero, ut ignibus me tradas sine dilatione jam consentiens permitto.* Judicium ferri candentis

Stupentibus cunctis mulieris facundæ constantiam, ad candentis tandem ferri judicium admittitur: & si defecerit in probatione, mortis, quam ipsa protulit, in eam sententia confirmatur. Mox ergo paratis, quæ negotium horribile postulabat, mulier ferrum candentissimum sine aliqua læsione tertiò reincensum nudis bajulat manibus, & quartò super discooperum caput roseo dependente capillo, & nec uno quidem læso, ferrum candentissimum diutiùs portat. His visis Imperator ad instantiam Comitissæ nefandam Imperatricem ignibus tradidit, & pro satisfactione tria illi castella cum alijs bonis dedit, & nunquam sine pœnitentia vixit. Imperatrix crematur ignibus.

DCCCCXCV.

Anno Conradi Abbatis septimi, Bernvvardus Episcopus Wirzeburgensis obijt 20. die mensis Septembris anno Pontificatûs sexto: qui primò ex Comite de Rottenburg Monachus fuit hujus Cœnœbij S. Aurelij Hirsaugiensis, & postea missus cum Arnoldo scholastico ad Herbipolim Pontificatûs apicem promeruit, sicuti anno Conradi primo superiùs diximus. Qui cùm juvenis dispositione parentum scholas in Gallia peteret, Gerbertum virum doctissimum, de quo & diximus, & dicemus, postea Romanum Pontificem habuit præceptorem. Monachorum quoq; Floriacensium amicitiam familiarem satis obtinuit, quorum consuetudines, postea factus Episcopus, per Theodoricum Monachum sibi, ut diximus, duobus libris conscribi fecit. Bernwardus Episc. Herbipolensis moritur.

Post Bernvvardum Heinricus Wirzeburgensium Episcopus constitutus est: & præfuit annis duobus & viginti, mensibus quinque, diebus viginti, vir per omnia magnificus, qui novum Monasterium in civitate Herbipolensi à Comite Embhardo de Rottenburg, sicut diximus, noviter constructum ædificijs melioravit, redditibú que multis pro Canonicorum sustentatione ampliavit. Iste Heinricus filius Comitis de Rottenburg frater sancti Heriberti Archiepiscopi Colonienſis fuit, qui multa bona fecit per omne tempus Pontificatûs sui, tam in antiquis Ecclesiis restaurandis, quàm in construendis novis; pro quibus & memoriam sibi comparavit in terris perpetuam, & mercedem in Cœlis procul dubio consecutus est in æterna felicitate Sanctorum permansuram. Heinricus frater Heriberti fit Episc. Herbipolensis.

His igitur temporibus Heinricus memoratus Herbipolensis Reverendissimus Præsul inprimis construxit insignem Canonicorum conventum Ecclesia in Howgis fundatur.

tum & Eccleſiam ſancti Joannis in Suburbano civitatis Wirzburgenſis, quæ ratione amœnitatis loci parumper eminentis Augia dicebatur, nunc autem vulgari vocabulo Havvgis per aſpirationem nuncupata eſt: quã multis prædijs & poſſeſſionibus pro ſervorum Dei ſuſtentatione dotavit, neceſſariiſque & rebus ornavit & libris, ac paramentis ad divinum cultum & Fratrum Canonicorum uſum pertinentibus.

Monaſterium S. Stephani fundatur.

Eodem quoq; tempore Præſul memoratus in ſuburbano dictæ Civitatis auſtrali aliam conſtruxit Eccleſiam, ſub honore Dei Genitricis Mariæ, ſanctorúmque Apoſtolorum Petri & Pauli, ac divi Protomartyris Stephani, in quam ſimiliter Canonicos poſuit: quibus de vitæ neceſſarijs copiosè providit. Poſt años deinde ferme ſexaginta Adelbero Epiſcopus Herbipolenſis Canonicos in civitatem ad alios Canonicos tranſtulit; & Monachos in Eccleſiam S. Stephani collocavit; quemadmodum inferiùs año Chriſtianorum quinquageſimo ſeptimo ſupra milleſimum dicemus. Hæc eſt Abbatia divi Protomartyris Stephani Ordinis S. Benedicti quondam in ſuburbano, nunc verò in civitate conſtituta.

Eccleſia in Anoltsbach fundatur.

Denique præfatus æternâ memoriâ digniſſimus præſul Eccleſiam in Anoltſpach ſub honore ſancti Gumberti fundavit, vel ut quidam volunt, inſtauravit; ubi quondam fuit Monaſterium Ordinis noſtri Monachorum ſub Abbate Deo ſervientium; nunc autem Collegiata Eccleſia eſt Canonicorum. Sunt qui dicant Adelberonem Epiſcopum Monachos de Anoltſpach Herbipolim tranſtuliſſe ad S. Stephanum; & Canonicos divi Stephani ad locum repoſuiſſe Monachorum; ſed hoc in litteris hujuſmodi translationis ejuſdem Præſulis non habetur: ubi Canonici ad Civitatem leguntur tranſpoſiti; ſed non eſt expreſſum, unde Monachi fuerint aſſumpti. Et de his quidem ſuo loco dicemus.

Año prænotato mortuus eſt Evergerus Colonienſium Archiepiſcopus, cui ſanctus Heribertus filius Comitis de Rottenburg, frater ſupradicti Herbipolenſium Præſulis Henrici ſucceſſit: vir ſempiternâ memoriâ dignus; qui multis & in vita & poſt mortem coruſcavit miraculis; ſicuti in hiſtoria geſtorum ejus legitur. Præfuit annis viginti quinque, & multa bona fecit tam Eccleſiæ ſuæ, quàm etiam Imperio Romano, & Chriſtianæ Reipublicæ.

Monaſterium Tuitienſe fundatur.

Hic ſanctiſſimus Præſul Heribertus, inter cætera pietatis ſuæ ſtudia, Cœnobium Tuitienſe Monachorum Ordinis noſtri juxta Rhenum in oppoſito urbis Colonienſis, de paternæ hæreditatis ſubſtantia in honorem ſanctæ Dei Genitricis à fundamento novum erexit: quod multis prædijs & poſſeſſionibus ad ſuſtentationem ſervorum Domini cumulavit. Caſtellum fuit antiquitus in eodem loco, ubi Monaſterium hodie conſtructum cernimus, Divitentium vulgariter nuncupatum, de quo multa narrantur miranda: ſed quia nobis fabuloſa viſa ſunt; eorum iſthic litteris exarare hiſtoriam inutile fore judicamus.

De S. Heriberto legimus, quòd Patriâ fuit Francus Orientalis ex Comitibus de Rottenburg procreatus, multum divitibus & potentibus in Imperio Romano: & multi ex eis multas pro Dei honore conſtruxerunt Eccleſias. Ejus frater, ſicut diximus, fuit Heinricus Wirzeburgenſis Epiſcopus: quorum frater tertius in Rottenburg ſæcularis habuit manſionem. Hic tempore famis pauperum mendicantium multitudinem in

Frater ſancti Heriberti pauperes combuſſit in horreo.

quo-

quodam horreo ad stipem convenientium, quasi in relevamen Patriæ, ignibus legitur concremâsse, Hattonis Moguntini Archiepiscopi secundi exemplo: de quo superiùs anno Sigeri 22. dictum est. Compunctus tandem Romam pro pœnitentia proficiscitur, & in mandatis accepit à Papa, quatenus Monasterium servorum Dei pro satisfactione reatûs sui construeret. Qui sanctissimi fratris hortatu ad fundationem memorati Cœnobij Tuitiensis promptâ manu impensas præbuit; & in dotando locum de sua substantia copiosissimè fidelis cooperator Archiepiscopi fuit.

Rupertus Rex Gallorum doctissimus.

Anno etiam Conradi Abbatis prænotato Hugone Rege Gallorum mortuo, Rupertus ejus filius in Regno succedens, regnavit annis quatuor & triginta. Hic erat Rex per omnia dignissimus, & tam in divinis scripturis, quàm in sæculari litteratura doctissimus; utpote qui Gerbertum eruditissimum virum multo tempore audivit præceptorem. Tantæ in pauperes extitit pietatis, ut suis se vestimentis multoties spolians, cùm aliud non haberet ad manum, eorum cooperiret nuditatem. In sacris lectionibus tam sedulus fuit, ut penè nunquam de ipsius manibus liber deponeretur: usque adeò, ut pro tribunali sedens, inter judiciorum & causarum strepitus, frequenter in sinu apertum teneret Psalterium. Verus Dei cultor extitit, & multis post mortem signis & miraculis coruscavit Quoties choro cum Clericis interesse potuit, horas cum illis Canonicas devotissimè cantavit. Quòd si causis Regni urgentibus ad Clericorum non venisset consortium, apud se nihilominus cum Presbytero Capellano Horarum Domino reddidit impensum. Cantus, Responsoria, Sequentias & Antiphonas ad honorem Dei, & laudem Sanctorum plures composuit, & congruâ dulcíque melodiâ regulavit. Inter prosas verò non ultima censetur illa de sancto Spiritu, quam in die S. Pentecostes ad sacrificium Missarum canimus, scilicet: *Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium.* Multa denique & alia composuit, quæ ad notitiam nostræ lectionis minimè pervenerunt. Hic summo Pontifice Gerberto quondam præceptore suo, Missam in festivitate sancti Petri Apostolorum Principis Romæ solemniter cantante, accedens ad Altare sub Offertorio, Responsorium illud: *Cornelius Centurio, &c.* in honorem sancti Petri à se compositum, super Aram summa cum devotione obtulit, & reverenter inclinans retrocessit. Aperientes schedulam Altaris ministri, devotionem simul & ingenium Regis plurimum admirantes collaudabant. Hinc idem summus Pontifex Romanus Gerbertus, qui & Sylvester ob memoriam sanctissimi Regis rogantibus Clericis statuit, quatenus hoc ipsum Responsorium deinceps ad honorem S. Petri in Ecclesia cantetur.

Cantus multos Rex iste composuit.

DCCCCXCVI.

Gregorius Papa ex Monacho obijt.

Anno Conradi Abbatis octavo, mortuus est Gregorius Papa V. natione Theutonicus, patriâ Saxo, professione Monachus, vir in omni genere scripturarum doctissimus. Hic ex Saxonum Ducibus natus, Bruno in baptismate primò dictus fuit, Monachus sub Regula sancti Benedicti in Cœnobio S. Viti, quod Corbeja nova appellatur, deinde Abbas, & postea Episcopus Myndensis, & postremò sicut dictum est, promotione Ottonis Imperatoris III. Summus Romanæ Sedis Pontifex per omnia semper dignissimus. Post hunc S. Romanæ Ecclesiæ Pontifex fuit ordinatus Gerbertus Ravennæ Archiepiscopus, & Sylvester II. dictus, præfuit annis

Gerbertus fit Papa Sylvester II.

quatuor, menſe uno, diebus octo, vir in omni ſcibili doctiſſimus, qui multa ſcripſit ſubtiliſſimæ diſputationis, multáque præclara volumina, de quibus invenimus ſubjecta. De Sphæra pulchrum & neceſſarium opus libr. 1. De compoſitione Aſtrolabij & Quadrantis libb. 2. Dialogum, quem cum Leone Nuntio Apoſtolico habuit, multi plurimùm commendant. In Arithmetica multas editiones lucubravit. Quæſtiones etiam plures ſubtiliſſimas ſubtiliter enodavit. Epiſtolas multas ſcripſit ad diverſos. Hunc quidam Hiſtoriographi Necromantiæ pactíque & fœderis initi cum dæmonibus arguunt: cujus rei ſententiam ferre nos nec poſſumus, nec debemus, qui ab alijs dicta ſcribimus.

Anno prænotato mortuus eſt Theodericus Monachus & Scholaſticus Cœnobij ſancti Matthiæ juxta urbem Trevirorum, de quo in ſuperioribus dictum eſt Anno Sigeri Abbatis xxix. Poſt quem Theodorus Monachorum ſcholæ in eodē Cœnobio præfectus eſt, homo certè multæ lectionis, & tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus litteris eruditiſſimus: qui cùm ſingulari fulgeret gratiâ docendi, multos in omni ſcientia diſcipulos egregios átque doctiſſimos erudivit. Præfuit autem ſcholæ Monachorum annis ſedecim, & plura compoſuit.

Eodem quoque anno mortuus eſt Baldericus Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus vigeſimus, ad cujus inſtantiam Otto Imperator III. multa bona contulit Eccleſiæ memoratæ Neometenſi, & ab alijs donata confirmavit. Huic in Pontificatu Neometenſi promotione Ottonis III. Imperatoris ſucceſſit Rupertus Monachus Cœnobij SS. Petri & Pauli in Weiſenburg, vir nobilis & doctus, qui præfuit annis quatuordecim.

DCCCCXCVII.

Ruperti Regis Gallorū devotio.

Anno Conradi Abbatis nono Rupertus Rex Gallorum doctiſſimus, de quo paulo ante diximus, orationis gratiâ Romam proficiſcens, tantâ largitione eleemoſynarum pauperes, Monaſteria & Eccleſias in itinere omnes cumulavit: ut cunctas totius Galliæ profudiſſe divitias putaretur. Veniens autem Romam, non fuit Eccleſia in tota urbe, quam ſuis non viſitâſſet muneribus. Ibi tunc poſitus in celebritate S. Petri Reſponſorium: *Cornelius Centurio*, à ſe compoſitum, ſicut eſt dictum, ſuper altare Papa Sylveſtro celebrante obtulit.

Otto Imperator perluſtrat Italiam.

Anno quoque prænotato Imperator Otto cum exercitu ſuorum magno intravit Italiam: & omnes Imperij civitates perſonaliter viſitans, omnia quæcunque perperam geſta invenisſet, correxit & emendavit.

DCCCCXCVIII.

Anno Conradi Abbatis x. Indictione Romanorum vi. mortuus eſt Remigius Abbas Monaſterij S. Luthvvini in Mediolacu Treverenſis diœceſis, vir magnæ doctrinæ, qui multa compoſuit in diverſis materijs opuſcula; & non minus vitæ merito clarus enituit, quàm ſcripturarum gloriâ nominis famam in omni terra ubique acquiſivit. De quo ſuperius anno Sigeri Abbatis xxix. plura diximus, & ob id hîc breviter nunc tranſimus.

Anno prænotato Conradus Dux Francorum nobiliſſimus obijt, qui multa pro Imperio Romano, prælia & bella fortiter ac feliciter commiſit. Poſt Branthonem Poppo Fuldenſis Monaſterij Abbas conſtitutus eſt, vir magnæ prudentiæ, & ſingularis in omni ſcientia litterarum doctrinæ:

ſtrinæ: Brantho autem ejus anteceſſor juſſu Ottonis Imperatoris tertij, & Cleri conſenſu Epiſcopus Halberſtatenſis ante fuerat ordinatus, vel ut dicunt aliqui, ab Heinrico ſecundo ad eam dignitatem fuit promotus, & Eccleſiam ſibi commiſſam in multa ſapientia ſtrenuè gubernavit.

DCCCCXCIX.

Anno Conradi Abbatis XI. Creſcentius Conſul Romanus, homo ſuperbus & arrogans, qui ſanctam Eccleſiam Romanam, & ejus Pontifices omnes inquietavit, & nonnullos miſerabiliter incarceravit & occidit, contra Ottonem Imperatorem tertium rebellionem parat manifeſtam, & graviſſimam exercet tyrannidem. Creſcent. Romanus Tyrannus.

Anno etiam Conradi Abbatis prænotato, quarto decimo die menſis Decembris, *obiit* Marinus Monachus Cœnobij S. Maximini Præſulis juxta mœnia urbis Trevirorum, vir in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, qui monaſticæ ſcholæ in eodem loco plurimis annis præfuit, & multos Monachorum ad perfectam ſcripturarum notitiam introduxit. Qui cùm eſſet ingenio ſubtilis, & promptus eloquio, multa ſcripſit ad utilitatem poſteritatis communem: quibus nomen ſuum æternitati prudentiſſimâ ratione conſecravit. E quibus nos invenimus quæ ſequuntur. Commentariorum in Geneſim libros octo. In Leviticum lib. I. In Apocalypſim Joannis libros tres. In Cantica Canticorum librum unum. In Evangelium ſecundùm Joannem lib. I. De Grammaticis Regulis lib. I. De arte metrorum libros quoque duos. Cætera quæ compoſuit, ad notitiam noſtræ lectionis non venerunt. Marin. Monach. Trevirenſis.

Poſt hunc Rathbodo Monachus ſcholæ Magiſter Præfectus, patriâ Moſellanus ex Longo Vico, qui uno diſtat in deſcenſu fluminis à Treviri milliario, natus, magnum eruditionis ſuæ palàm experimentum dedit. Nam Peregrinum doctrinâ hominem hæreticum, cunctis, ut putabatur invincibilem, primo diſputationis congreſſu vicit, & mox ad pœnitentiam convertit. Qui in eodem Cœnobio S. Maximini factus Monachus, in omni ſanctimonia vitam conſummavit. Rathbodo enim Præceptor Juvenum Monachorum non ſolùm ſcientiâ ſcripturarum fuit illuſtris, ſed etiam vitæ merito præclarus, & ideò non ſolùm ad ſcientiam diſcipulorum intellectum illuminare ſtuduit, ſed multò magis affectum ad Dei amorem inflammare curavit. Rathbodo Monachus Trevirenſ.

Milleſimus Domini Annus.

Anno Conradi Abbatis XII. qui fuit Dominicæ Nativitatis milleſimus, Indictione Romanorum octavâ, maximi terræ motus per totam Europam fuerunt, qui plura & fortia, & pulchra hominum ædificia ſubverterunt. Cometes etiam hoc anno terribilis apparuit, qui multos ſuo terruit aſpectu, metuentibus diem inſtare noviſſimum: quemadmodum ante plures annos à quibusdam fuerat falsâ æſtimatione deluſis prædictum, quòd mundus iſte viſibilis anno Chriſti milleſimo eſſet finiendus.

Eodem anno Imperator Otto tertius ad debellandum Creſcentium Romanæ Urbis invaſorem, qui multa contra Eccleſiam Romanam & ejus Pontifices commiſerat mala, & totiens victus & perjurus fidem Imperatori promiſſam ſervare contempſit, cum magno exercitu proficiſcitur. Cui Creſcentius bello congrediens victus & captus eſt: viliſſimóq; jumento aversè impoſitus per urbem circumducitur; ac paulatim truncatus Imperator vicit, & necat Creſcentium.

catus membris ante urbem poſtremò ſuſpenditur. Romam etiam Principes, qui cum Creſcentio contra Eccleſiam & imperium conſpiraverant, pari ſupplicio plectuntur.

Imperator Uxorem Creſcentij adamat.

Interempto Creſcentio, Imperator uxorem ejus, quoniam ſpecioſiſſima fuit, in ſui amorem ſollicitavit: quæ cupiditate regnandi facilè ſollicitanti dedit conſenſum. Manſit itaque Imperator diutius Romæ, & mulieris Creſcentij captus amore, continuíſque utens amplexibus, abire non potuit; quod ei tandem interitûs cauſam dedit, quemadmodum ſequenti anno factum dicemus.

M. I.

Anno Conradi Abbatis XIII. qui & ultimus fuit, nonâ die menſis Januarij, obijt Arnoldus Monachus quondam hujus Cœnobij ſancti Aurelij Hirſaugienſis, Scholaſticus Monaſterij S. Burckhardi prope Herbipolim, de quo ſupra eſt dictum, anno Lupoldi Abbatis primo, jacétque ibidem ſepultus. Poſt quem Egilvvardus ejuſdem Cœnobij Monachus, & Arnoldi præfati diſcipulus, Magiſter ſcholarum conſtitutus, plus quàm ſex & quadraginta annis docendi munus gloriosè implevit. Erat ſiquidem in omni ſcientia tam ſæcularium, quàm divinarum ſcripturarum doctus, ingenio promptus, eloquio Scholaſticus, vitâ, & converſatione præcipuè humilis, & devotus, qui ſcripſit inter cætera ad Piligrinum Abbatem ſuum, vitam ſancti Burckhardi Herbipolenſis Eccleſiæ primi Epiſcopi libros duos. De tranſlatione corporis ejus de crypta S. Kiliani ad Monaſterium nominis ſui, quod olim ipſe fundavit, librum unum. De miraculis ejus librum unum. Et alia.

Imperator diſcedit ab Italia.

Anno prænotato Conradi Abbatis ultimo, Imperator Otto III. propter Creſcentij uxorem diutius manens, & cum Romanis humaniter agens, in urbe contemptui ab eis haberi cœpit. Unde conſpiratione factâ, quoſdam ex militibus ejus in tumultu occiderunt: ipſúmque Imperatorem fortiſſimâ obſidione cinxerunt. Qui per induſtriam Heinrici Ducis Bavariæ, & Hugonis Marchionis Auſtriæ, ac S. Heriberti Archiepiſcopi Colonienſis, & aliorum Principum ſimulato fœdere pacis vix eductus, diſcedit à Roma, ſummo Pontifice comitatum illi præbente. Uxor autem Creſcentij, quæ voluptatibus jam diu conſenſerat Imperatoris ſpe regnandi, cùm illum abire ſe contemptâ, & Romæ dimiſsâ cerneret (quamvis compulſus Principum ſuorum conſilio invitus ab invita diſcederet) indignata nimium, ſe in illius perniciem armavit. Mittit ergo Imperatori poculum amoris veneno compoſitum: quod ille nihil mali ſuſpicatus hauriens, inter remeandum miſerrimè conſumptus, in Italia mortuus eſt. Pontifices autem, & qui cum eo fuerunt principes, indutum cadaver purpurâ, compoſitúmque arte quaſi adhuc viveret, ſuper equum poſuerunt: metuentes illius morte vulgatâ, ne perniciosus in eos tumultus forſitan ſuſcitaretur ab Italis. Et nihilominus crebris Italorum inſultibus laceſſiti, armis ſibi viam præparaverunt ad Germaniam. Sed cùm res jam tuta putaretur locata, Heinricus Bavariæ Dux cum magna ſuorum copia eis occurrit, & contumeliosè injuriato Colonienſium S. Archiepiſcopo Heriberto, à cujus ore omnes pendebant, inſignia Regni ab eo violenter extorſit, quaſi jure hæreditario ſibi competentia. Erat quippe filius Heinrici Ducis cognomento Hezzilonis, qui fuit natus de Heinrico

Otto Imperator III. moritur.

Heinricus Dux Bavariæ rapit inſignia Regni.

rico Duce fratre primi Ottonis Imperatoris: cui ipse magnus Imperator Ducatum Bavariæ filijs Arnoldi expulsis concesserat.

Anno prænotato, sicut diximus, vicesimâ octavâ die mensis Januarij, Otto Imperator tertius veneficio uxoris Crescentij Romani civis, quem in bello victum occiderat, in Italia mortuus est: cujus intestina fuerunt sepulta in Augusta civitate Sueviæ: corpus verò ad Aquasgrani delatũ in Ecclesia Beatissimæ Dei genitricis Mariæ decenter est positum.

Eodem quoque anno Sylvester Papa secundus, qui & Gerbertus Ordinis nostri, quondam in Cœnobio Floriacensi Monachus obijt: & in Ecclesia S. Joannis Lateranensis sepultus, qui hoc de seipso monostichon composuit. *Scandit ab R. Gerbertus ad R. post Papa viget R.* Insinuans se de Rhemensi Archiepiscopatu transisse ad Ravennatensem, & inde fuisse promotum ad summum Romanæ Papatum Ecclesiæ. De quo plura in superioribus jam diximus. Cui mox in summo Pontificatu successit Joannes XVIII. & præfuit mensibus quinque. Et nota, quòd Crescentius Antipapam intruserat contra Gregorium quintum, quem Joannem septimum decimum fecerat appellari; quo in Catalogo Romanorum Pontificum admisso iste Joannes haberetur octavus decimus, si verò non admittatur, ut justum reor, iste dicendus est numero XVII.

Joan. XVIII. fit Pap. Romæ.

Anno quoque prænotato, vicesimâ die mensis Augusti, mortuus est Conradus hujus Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis Abbas in ordine decimus: anno regiminis sui tertio decimo non completo, ætatis verò sexagesimo secundo, & in Ecclesia dicti Monasterij sui cum antecessoribus suis tumulatur: Vir quidem bonus, sed in multis tribulationibus vitam qui complevit mortalem: pro quibus non dubitamus eum cum omnibus Electis Dei felicitatem obtinere perpetuam. Post cujus mortem Abbatia Hirsaugiensis desolata miserabiliter vacavit annis 64. mensibus tribus, diebus quatuordecim, usque ad introitum Friderici Abbatis in nova instauratione primi; de quo inferius anno Christianorũ 1065. latius dicetur.

Conradus Abbas Hirsaugiensis moritur.

Quamvis autem per tot annorum spatia Hirsaugiensi vacante Abbatiâ, seriem narrationis usque ad tempus instaurationis rationabiliter possemus intermittere, tamen ne hoc opus nostrum historiale mancum videatur, sive truncatum, decrevimus ordinem gestorum pro viribus continuare, rem tibi ô Princeps Hirsaugiensis Abba Joannes, ut confidimus, non minùs gratam facturi, quàm jucundam.

Histor. Monasterij cõtinuatur.

De Abbatia hujus Monasterij Hirsaugiensis per annos LXIV. vacante, post mortem Abbatis Conradi, & quibusdam gestis sub illo tempore.

ANno igitur Dominicæ Nativitatis millesimo primo, Indictione Romanorum XIV. die mensis Augusti vicesimâ, mortuo Conrado Abbate hujus Cœnobij S. Aurelij Hirsaugiensis decimo: Anno à prima sui fundatione centesimo sexagesimo tertio, ovile servorum Christi sine Pastore vacare cœpit, & in desolatione per annos LXIV. menses tres, & dies XIV. permansit, usque ad tempora Comitis Adelberti, qui ruinas illius instauravit. Nam Conrado Abbate sepulto,

Monasterium Hirsaugiense desolatur.

Monachi octo duntaxat numero in Cœnobio remanserunt, inter quos duo, qui Eberhardo in dissensione quondam adhæserant, non parvam inter Fratres tribulationem suscitârunt. Cùm enim de futuri Pastoris electione haberetur tractatus, Comes per eos occultè interpellatus Electionem celebrandam violenter prohibuit, se illis de prudentum consilio Abbatem ex alio Monasterio daturum bonum, & utilem repromisit. Qui ut omnia Cœnobij bona sibi paulatim attrahere posset, & locum penitus evacuare Monachis, ex suis famulis unum illis Curatorem & Oeconomum præposuit; cui omnium rerum temporalium curam & dispensationem demandavit, donec Abbas promissus veniret, quem nunquam venturum in animo sciebat; cui omnia restituturum, quæ viderentur ablata, fallaciter promittebat. Sed hoc reverà solum meditabatur consequi, quod non diu postea contigit, ut Monachis vel cedentibus loco, vel dedentibus, ipse ad jus suum omnia simul revocaret. Nam post biennium ortâ inter Fratres & Oeconomum quadam dissensione super malo ejus regimine, quod mirum nulli videatur in tanta rerum desperatione laborantibus, nactus occasionem tyrannus, omnes præter illos duos, qui olim Eberhardo consenserant, de Monasterio ejecit. Erant autem numero sex, inter quos Theobaldus fuit Monachus & Presbyter senex, Magister Scholarum, de quo suprà dictum est, anno Sigeri Abbatis XXIV. vir bonus & mansuetissimæ conversationis. Hic venit cum uno fratre ad Monasterium Fuldense, ubi cum charitate susceptus, usque ad mortem in omni plenitudine conversationis Monasticæ cum socio permansit. Aliorum verò duo in Monasterio S. Albani prope Moguntiam, & reliqui duo in Cœnobio Divi Burckardi apud Herbipolim susceptri, tandem in Dño quieverunt, & ibidem sepulti sunt. Deinde post annos paucos mortuis duobus illis, qui apud sanctum Aurelium permissione Comitis remanserant, an etiam expulsis, non satis mihi constat, locus omnino desertus à Monachis, paucis Clericis traditur ad inhabitandum. Interea si quid proventuum aut possessionum Cœnobio remanserat, quotidie imminutum est, & vel à Comite raptum, vel ab injustissimis possessoribus consumptum: donec omnia tandem redacta in nihilum fuerunt, & Monasterium penitus desolatum.

Comes Monachos de Cœnobio expulit.

Anno Domini prænotato quo Monasterij Hirsaugiensis vacatio cœpit, Joannes Papa XVIII. obijt: cui Joannes XIX. successit, & præfuit annis quatuor, mensibus octo, patriâ Romanus. His temporibus Monachus quidam Cluniacensis Cœnobij rediens ab Jerosolymis apud quendam Eremitam in Sicilia prope montem Æthna aliquandiu hospitio detentus est: à quo cùm audisset in eodem monte Vulcani defunctorum hominum animas torqueri flammis ignium, quas mons ille continuè ac semper emittit, & ex his multas liberari quotidiè per orationes & merita fidelium, sed præcipuè Monachorum Cluniacensium: quod sibi manifestatum revelatione spirituum, tam bonorum quàm malorum, idem Eremita juramento firmabat: accessit montem quàm propius sine periculo Eremita ducente potuit, & voces ejulantium de medio voraginis audivit. Qui ad Cluniacum tandem reversus, hoc Odiloni sanctissimo Abbati retulit: cujus ordinatione per omnia Monasteria sibi commissa fidelium animarum commemoratio alterâ die post festum omnium sanctorum,

Joann. Papa XIX.

Commem. animarum instituitur

quot-

quotannis celebranda laudabiliter nimis instituta fuit. Quam commemorationem fidelium annuam Joannes Papa XVIII. confirmavit.

M II.

Anno vacantis Monasterij Hirsaugiensis primo Heinricus secundus cognomento Claudus Dux Bavariæ filius Heinrici primi, communi electione Principum ad imperium Romanum assumptus est: & imperavit annis ferme XIX. quorum octo fluxerunt in Regno, & reliquos XI. in imperio consummavit. Hic in regni sede Principum suffragio sublimatus magnificus & victoriosus extitit, & omnes adversarios suos citò superavit. Heinricum Marchionem & quosdam alios initio regni sui sibi resistentes habuit: quos tamen sapientiâ & armis ad obedientiam coëgit. Deinde Italiam & Romanos in sua verba jurare compulit: & Boëmiam cum magna suorum multitudine ingressus, Bolislaum Ducem cum omni ejus gente, suo imperio potenter subjugavit. Uxorem habuit Cunegundem Siffridi Comitis Palatini Rheni filiam, de qua tamen liberos non suscepit: nam sicut eo tempore palàm dicebatur ab omnibus, qui ambos noverunt, & historijs legimus insertum, thorum sine sorde pollutionis mundum servantes, nomine tantum conjuges, actione vixerunt ut fratres. Quod nos verum credere, & auctoritas scribentium vitam eorum admonet, & miraculorum ab eis factorum consideratio persuadet.

S. Heinric. Rex II. eligitur.

S. Cunegũdis uxor S. Heinrici Regis.

Claruit his temporibus Gaudentius Monachus Cœnobij S. Bonifacij Fuldensis, Frater S. Adelberti Pragensis Episcopi & Martyris, de quo supra dictum est anno Conradi Abbatis quarto. Nam anno Conradi Abbatis XII. Otto Imperator III. cum multis Episcopis atque Principibus in manu suorum valida intravit Poloniam, venienſque ad sepulchrum S. Martyris Adelberti, nuper ut diximus occisi, & infinitis miraculis coruscantis, ob ejus honorem & memoriam Gaudentium illius fratrem de Monasterio per legationem evocatum Pragensis Ecclesiæ Pontificem fecit ordinari. Qui factus Episcopus, cùm esset doctus in scripturis divinis, nec minus sanctimoniâ vitæ præclarus, tam verbo prædicationis, quàm exemplo piæ conversationis multos ad melioris viæ semitas convertit. Videns Imperator tot signa & miracula fieri circa tumbam sancti Martyris, brachium ejus unum à Duce multis precibus obtinuit, quod Romam secum deferens in Ecclesia insulæ S. Bartholomæi Apostoli collocavit. Post Eberhardum ex Abbate Monasterij nostri Ordinis in Elvvangen Episcopum Augustensem, Bruno frater S. Heinrici Imperatoris I. Regis autem Romanorum secundi, successit.

S. Gaudentius Episcopus Pragẽsis.

Anno quoque prænotato S. Heinrico per Principes ad Imperium, sicut diximus, electo, primùm institutum fuit, ut in futurum, non per sanguinis successionem, sicut eatenus, sed per quosdam Germaniæ Principes, ad hoc deputatos instituatur Imperij Romani Moderator: quod etiam deinceps usque in præsentem diem ita cernimus observatum esse.

M III.

Anno Monasterij vacantis secundo, comes sumptâ sibi occasione, quòd Monachi S. Aurelij Oeconomum, quem eis in temporalibus præposuerat, injuriosè tractâssent, omnes præter duos Eberhardi fautores, ut supra diximus, expulit: & omnia Monasterij bona & proventus suo imperio violenter subjecit. Monachi autem, sicut Meginfridus est auctor,

Monachi S. Aurelio expelluntur.

de Cœnobio expulsi, S. Heinrico Regi & multis alijs Principibus contra violentiam comitis sæpius detulerunt querimoniam: sed nihil proficere potuerunt, comite semper promittente, quòd vellet instaurare Monasterium, & causas morarum quotidie novas pro excusatione sui prætendente: donec mortuis tandem Monachis nemo remansit, qui desolationem S. Cœnobij ad mentem reciperet.

Heinricus Rex omnia sibi subjugat.

Eodem Anno Heinricus Rex Marchione Austriæ superato, & ad obedientiam omnimodam armis coacto, Italiam cum magno exercitu ingreditur, eam totam suo imperio potenter fecit esse subjectam: Bolislaum quoque Boëmiæ Ducem & quoscunque sibi rebelles cum exercitu petens, omnes in brevi tempore suis obtemperare jussis, & veniam petere coëgit. Et quia Deum dilexit super omnia, illiúsque in cunctis operibus principaliter quæsivit honorem: quicquid voluit, illo adjuvante facilè perfecit. Unde pacem Domino largiente assecutus in circuitu, considerans se filios non habiturum (quippe qui, ut supra diximus, consortem Regni S. Cunegundem nunquam cognovit, sed ut sororem dilexit) Christum Jesum datorem omniũ bonorum habere delegit hæredem, pro cujus honore multas Ecclesias de novo cõstruxit, veterésq; plurimas renovavit.

M IV.

Lutgerus Monachus Luneburg.

Anno vacantis Monasterij tertio mortuus est Erhardus Monachus & Scholasticus Cœnobij S. Michaëlis in Luneburg, de quo dictum est supra anno Lupoldi Abbatis primo, qui fuit homo magnæ sapientiæ & incomparabilis doctrinæ, sub cujus magisterio plures laudabiliter instituti ad plenitudinem omnium scientiarum doctissimi profecerunt. Cui succedens in magisterio doctrinarum Lutgerus Monachus ejusdem Cœnobij scholis præfuit annis ferme quatuor & viginti: qui & ipse à bono Præceptore optimè institutus, vir in omni genere scripturarũ doctissimus fuit.

Eodem anno Cometes longo tempore apparuit: post quem fames per universam Germaniam gravissima secuta fuit, cujus atrocitate non solum jumenta, sed multa quoq; hominum millia interijsse perhibentur.

Anno etiam prænotato S. Heinricus Rex Romanorum Valentianas, castrum situm in confinibus Galliæ & Lotharingiæ obsidione vallavit & cepit, quod Flandrensium comes Baldevvinus invaserat. Qui ad gratiam Regis post veniæ petitionem, ipsum castrum datâ pecuniâ in beneficium feudale imperij de manu Regis Heinrici accepit.

M V.

Hermanno Cõtractus Monachus S. Galli.

Anno vacantis Monasterij IV. Helpericus Monachus, & Scholasticus apud S. Gallum in Suevia moritur, anno ætatis suæ 96. de quo longè suprà diximus anno Diethmari Abbatis XVI. ubi lucubrationum ejus latam fecimus mentionem. Post quem Hermannus Monachus ejusdem Cœnobij, qui dicebatur Contractus, filius Comitis de Veringen docendi munus accepit, quod multis annis gloriosè ministravit. Hic puer infirmus, debilis & contractus, quia ad mundum videbatur inutilis, parentum consilio in Monasterium S. Galli Domino serviturus perpetuò traditur, & Helperico scholarum Magistro imbuendus singulari fiduciâ commendatur. Qui cùm annorum esset XIV. claudus & contractus, & parùm propter ingenij tarditatem in litterarum cognitione proficeret: cœpit ipse miseriam suam vehementer deplangere, & novercantem sibi fortunam accusare.

accusare. Cernens autem Helpericus Præceptor juvenem duplici calamitate nimis afflictum, & animo semper tristem: alterâ quòd corpore fuit contractus, alterâ verò quòd ingenio discendi obtusus, ejus desolationi compassus monuit, quatenus se totâ mentis devotione ad orationis studium converteret: ac pientissimam Dei Genitricem intactam semper virginem Mariam in adjutricem sedulò invocaret. Hermannus miserabilis suâ conditione puer monitis libenter acquievit magistri, formansq; sibi consuetudinem orandi congruam, sanctam Deiparentem devotis assiduè precibus invocavit. Et ecce biennio necdum plenè revoluto quadam nocte Beatam Dei genitricem in somnis sibi apparentem vidit, quæ diceret: *Orationes tuas, ô bone puer, audivi, & in auxilium tuum rogata adveni. Nunc ergo duorum tibi datur optio; quorum alterum, quod volueris, elige: quod me præstante consequêris. Aut sanitatem tibi corporis tui, si volueris, dabo: aut omnium, quam postulas, scientiam & eruditionem scripturarum.* Qui amore scripturarum, neglectâ corporis sui imbecillitate, scientiam sibi dari postulavit omnium scripturarum. Ex illo tempore ingenium docile ac promptissimum habere cœpit: & brevi doctissimus in omni scientia tam divina quàm humana præ cæteris condiscipulis evasit. Et qui priùs propter ingenij tarditatem, aut nihil aut parum discere potuit, post hanc visionem omnes subtilitate & promptitudine animi superavit. Nam inter omnes Germaniæ Doctores sui temporis Philosophus, Rhetor, Astronomus, Poëta, Musicus, & Theologus celeberrimus habitus est: & multa præclara synthemata scripsit; de quibus extant ea quorum tituli sequuntur. De Musica librum unum. De Monochordo librum unum. De sex mundi ætatibus librum unum. De Astronomia libros tres. De compositione Astrolabij libros tres. De usu & utilitatibus Astrolabij libros duos. De compositione & usu quadrantis librum unum. De quodam Horologio, quod Chelindrum vocant lib. 1. De alio Horologio quodam lib. 1. De Geometrica arte libros plures. De mundo & Elementis lib. 1. De solis & lunæ defectu lib. 1. De Computo lib. 1. De quadratura circuli lib. 1. De conflictu Rythmimachiæ lib. 1. De Physionomia lib. 1. Vitas quoque plurimorum Sanctorum elegantissimo stylo composuit. Epistolas etiam multas edidit ad diversos, quarum plures vidimus. Diversi generis Carmina penè infinita conscripsit. Hymnos, Cantus, & Prosas de Domino Deo, & Sanctis ejus, sine certo numero plures edidit.

Hermanno B. Virgo apparuit omnium q; scientiam dedit.

Opuscula Hermanni Contracti.

Hic est Hermannus ille, qui dulcisonam de Beatissima Virgine Maria composuit Antiphonam: *Salve Regina Mater misericordiæ.* Et illam: *Alma Redemptoris Mater.* Illam quoque: *O florens Rosa.* Et Prosam illam, sive Sequentiam: *Ave præclara maris stella.* Alia quoque plura in laudes Sanctorum edidit: quorum mentionem per singula facere nimis foret tædiosum. Transtulit etiam nonnulla Græcorum & Arabum volumina in latinum sermonem, sicut ipse fatetur in quodam Aristotelis prologo: quoniam utriúsque linguæ plenam notitiam habuit. In Aristotelem, & Tullium commentationes etiam plurimas scripsit: & divinarum similiter scripturarum nonnulla volumina explicans, pulcherrimis Commentarijs elucidavit. Qui ut Promotrici, & Illuminatrici suæ Beatissimæ Virgini Mariæ gratum se, ac dignum posset exhibere Ministrum, multos in ejus honore Cantus, & Prosas composuit: quas dulci, & regulari modu-

Hic Salve Regina cõposuit.

Multarum linguarum peritus.

lamine decoravit. Valde namque fervidus in ejus veneratione extitit; per cujus meritum tam inæstimabilis scientiæ donum à Dño accepit.

Circa hæc tempora S. Ausfridus ex Comite Clericus, & ex Clerico Præsul Ecclesiæ Trajectensis, vir magnæ sanctitatis, & patientiæ Monasterium nostri Ordinis sub honore Beatissimæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ in eadem civitate condidit: quod multis prædijs & possessionibus ad sustentationem Monachorum Domino servientium dotavit. Est autem Cœnobium illud insignis Abbatia nostri Ordinis; quæ hodie ad sanctum Paulum nuncupatur. Consummato tandem eodem Cœnobio, & Monachis cum Abbate impositis, visitavit Dominus dilectum servum suũ Ausfridum Episcopum, & eum flagello cæcitatis in augmentum meritorum sanctitatis percussit. Quod flagellum ille non solùm patienter sustinuit: sed etiam percutienti Deo gratias humiliter egit.

S. Ausfrid. Episcop. fit Monachus

Anno igitur Dominicæ Nativitatis v. supra millesimum prænotato, Pontificatûs sui anno quinto decimo, regimen pastoralis curæ spontaneâ voluntate pro Dei amore deseruit, & Cœnobium præfatum, quod ipse construxerat, intravit, factúsque & habitu & conversatione Monachus, in sancto proposito permansit. Post quem Adelboldus Regis Heinrici Cancellarius in ordine Trajectensium Pontificum xix. successit, & præfuit annis xviii. vir in omni genere scientiarum doctissimus, & non minus vitæ merito, quàm eruditione scripturarum venerabilis. Sunt, qui dicant eum Lobiensis Cœnobij extitisse Monachum, & Herigeri Abbatis, de quo suprà diximus, anno Sigeri Abbatis xxviii. discipulum, cujus rei sententiam nos ferre non possumus, qui certum desuper auctorem non habemus. Scripsit autem non spernendæ lectionis opuscula, de quibus invenimus subjecta. De laudibus S. Crucis lib. i. De laudibus quoq; S. Mariæ lib. i. Vitam & gesta Domini Heinrici II. Imperatoris, pulchro, & eleganti stylo composuit. Et alia multa ad laudem Omnipotentis Dei & Sanctorum vario styli genere compilavit. Hic nomine Imperatoris & sui multa prælia pro libertate Ecclesiastica gessit contra Theodericum Hollandiæ comitem, bona Pontificatûs sui deprædantem, quem sæpe triumphans humiliavit.

Adelbold. Episc. Trajectensis.

MVI.

Anno Monasterij vacantis quinto Burchardus Monachus Lobiensis Cœnobij, discipulus & auditor quondam Adelberti Abbatis Gemblacensis, de quo supra dictum est, anno Sigeri Abbatis xxviii. Ecclesiæ Wormatiensis Episcopus ordinatus est, S. Heinrico Imperatore præcipiente, cujus meminit Gratianus in decretis: lxx. distinctione: *In nomine Domini*: vir tam in divinis scripturis, quàm in sæculari litteratura studiosissimus, qui ex Concilijs & sententijs Patrum, magnum illud volumen Decretorum comportavit, quo ante compilationem Gratiani Juristarum industria utebatur, quod in libris viginti ordinavit. Alia etiam nonnulla edidit, quæ ad manus nostras minimè venerunt.

Burchard, Monachus Episcop. fit Wormatiæ

Decretum Burchardi cõpilatur.

Anno prænotato Joannes Papa xix. obijt, & Romæ apud S. Petrum sepultus est. Huic in summo Pontificatu successit Sergius ejus nominis iv. patriâ Romanus, & præfuit annis duobus, mensibus sex: vir optimus & sumæ devotionis in Deum, & in sanctos ejus: ad cujus instantiam Christiani Principes Saracenos in manu valida expulerunt de Sicilia & cunctis insulis maris.

MVII.

MVII.

Anno Monasterij vacantis sexto Heinricus Rex Germanorum devotissimus, pacem consecutus à Deo per circuitum in toto regno studium suum omne ad ampliandum cultum divinitatis ex animo conferens, multas ad Dei honorem Ecclesias de novo condidit, & complures nimiâ vetustate collapsas in integrum restauravit. Inprimis quidem Bambergensem Episcopatũ in provincia Moguntina, in regno Franciæ Orientalis de novo instituit: fundatámq; in ipsa civitate pretiosam valde Basilicam multis possessionibus, proventibus, ornamentis, libris & vasis aureis & argenteis magnificè dotavit. Primum ejusdem Ecclesiæ Eberhardum quendam Pontificem instituit, qui annis in Episcopatu tribus & triginta præsedit. Hujus Babenbergensis Ecclesiæ Patronum Petrum Apostolorum Principem & S. Georgium Martyrem Rex Divus elegerat: in quorum veneratione singulari devotione fervebat. In meridiana quoque parte civitatis Monasterium in honore sancti Protomartyris Stephani sub ordine Canonicorum fundare simili devotione studuit: quod multis possessionibus pro eorundem sustentatione abundare fecit.

Episcopatꝰ Bamberg. erigitur.

In monte juxta civitatem, qui ab eventu mons hodiè Monachorum nuncupatur, insigne nostri Ordinis Cœnobium fundavit, in honorem S. Michaëlis Archangeli: in quo Monachos collocavit, viventes sub regimine Abbatis secundum Regulam Beati Benedicti. Quibus pro vitæ sustentatione multa bona & redditus annuos contulit: & ut omnipotenti Deo in tranquillitate mentis servirent, liberos esse jussit. Multi successũ temporis clarissimi viri sub monastico schemate in eodem Cœnobio floruerunt, eruditione & vitæ merito sanctam illustrantes Ecclesiam.

Cœnobiũ mõtis Monachorum Bambergæ fundatur.

Episcopatum similiter novum in civitate Bobiensi in partibus Longobardorũ de consensu Comprovincialium Episcoporum erexit: quem etiam satis abundanter in omnibus necessarijs providit. Locus verò Ecclesiæ Cathedralis in Bobio quondam à sancto Columbano constructus nostri Ordinis fuit Cœnobium: in quo multitudo servivit Deo Monachorum. Divus itaque Heinricus ob memoriam primi fundatoris Ecclesiam sublimavit in melius, & Monachos electores constituit esse Pontificis.

Episcopat. Bobiensis nostri Ordinis fundatur.

Episcopatum etiam Basiliensem in Provincia Bisuntina, nimiâ vetustate collapsum, & magnâ paupertate depressum suis impensis magnificè restauravit: conferens ei multas possessiones, vicos, castella, census & proventus: instauratóque non mediocriter statu illius Ecclesiæ, alter meritò fundator & fuit & dicitur. Nam Beatæ Virginis Mariæ Dei Genitricis amator maximus extitit, sub cujus honore Basileensis Ecclesia fundata fuit. Quidquid ergo in restaurando Ecclesiam Matris Dei expo-suit, gratissimum omnipotenti Deo non dubitavit.

Episcopatꝰ Basilienſis instauratur.

Unde cùm die quadam de Basilea civitate per Alsatiam ad Argentinam tenderet, contigit illum noctu hospitari in oppidulo quodam parvo, quod à fluviolo præterfluente Schotteraugia dicitur: quod hodie corrupto vocabulo Schutteren vulgariter nuncupatur, & distat ferme tribus ab Argentina milliaribus. Est in eodem vico Monasterium nostri Ordinis, quod sub honore Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ S. Pyrminius Meldensis in Gallia Episcopus beatissimi Mauri Abbatis discipulus quondam temporibus Theoderici Francorum Regis circa annum Domi-

Cœnobiũ Schotteren-ſe instauratur.

Dominicæ Nativitatis sexcentesimum à fundamentis construxit (quemadmodum in vita ipsius legitur) & auxilio impensisque cujusdam amici sui viri nobilis, qui multas habuit in Suevia possessiones in pago, qui Syntlaz non procul à Constantia commorantis, pro Monachorum sustentatione, ut potuit, providit. Post annos deinde aliquos Offo quidam filius Regis Anglorum, qui amore cœlestis patriæ mundum despiciens, & factus Christi peregrinus, Romam, & alia Sanctorum loca frequentare solebat, venit Deo sic providente ad Schutteraugiam, & amœnitate loci simul & amore S. Pyrminij Pontificis captus, ibidem reliquum vitæ suæ tempus manere statuit: assumptóque sanctæ conversionis habitu, Monachum vivere cœpit. Hic de suo patrimonio postea loca meliora-
vit in proventibus, & ampliavit necessarijs ædificijs Cœnobium, in quo multitudinem magnam coadunavit Domino famulantium Monacho-
S. Pyrmini. plura Monasteria fundavit. rum. Eodem quoque S. Pyrminius tempore construxit & alia quædam Ordinis S. Benedicti Monasteria, quorum ista in ejus vita exprimuntur vocabula. Altha in Bavaria, Schuttera, & Schvvarzach, & Gengenbach, & Mossmynster, & Nuvviler, & Murbach in Alsatia. Hornbach quoque & Doleya in Vosagavv, ac postremò Cœnobium illud insigne prope Constantiam, quod Augiense vocatur. Sanctus igitur Heinricus Rex sæpè memoratus veniens ad Monasterium Schutterense prædictum antiquitate & crebris incendijs penè collapsum, misericordiâ motus, omnia ædificia statim renovari, & ampliari constituit: & locum ob honorem sanctæ Dei Genitricis multis proventibus & divitijs, ut hodie cernitur, insignem fecit. Et in memoriam hujus beneficij Abbatiam Schutterensem Ecclesiæ Babenbergensi feudalem constituit, ita ut quilibet pro tempore ejus loci Abbas Babenbergensem Episcopum Dominum suum teneatur cognoscere, & in principio sui regiminis Abbatiam semel de ejus feudali beneficio teneatur acceptare. Quod ab illo tempore ita servatum, & continuatum est usque in præsentem diem.

MVIII.

Anno vacantis Monasterij VII. Indictione Romanorum sextâ, sanctus Bruno ex Monacho nostri Ordinis Episcopus Pruthenorum, ac Ruthenorum Apostolus, vir doctus, & verbi Dei prædicator egregius, post multos toleratos pro Christo labores à Prusijs multis supplicijs crudeliter afflictus, & manibus pedibúsque abscissis, postremò capite plexus cœlos penetravit, & statim infinitis cœpit coruscare miraculis.

Erckenbal-
dus Abbas Fuldensis.

Anno prænotato, post Bopponem Abbatem Fuldensis Monasterij Erckenvvaldus Monachus successit, & annis ferme quatuor præfuit, qui tandem sicut dicemus, in Archiepiscopum Moguntinensis Ecclesiæ post Willegisum ordinatus extitit, vir & moribus, & eruditione illustris.

His temporibus Bruno Episcopus Augustensis frater, ut suprà diximus, S. Heinrici Regis Germanorum & Romanorum secundi floruit in humanis. Qui felicibus fratris actibus invidens, multas ei adversitatum injurias in quantum potuit suscitavit. Cui sanctus frater non solum talionem non inferebat, verùm fraternæ etiam dilectionis, & patientiæ bono vincere illum potius satagebat: malum in bono vincere, ut verus Christi amator devotissimus semper studuit: & ideo Dominus JEsus illum cunctis inimicis majorem fecit.

MIX.

M IX.

Anno Monasterij Hirsaugiensis vacantis octavo, Sergius Papa IV. moritur, & Romæ in Ecclesia S. Petri Principis Apostolorum sepelitur. Post quem Benedictus ejus nominis VIII. patriâ Tusculanus Pontifex creatus, sedit annis XI. & mensibus X. qui contra omnes adversariorum insultus sancti Heinrici Regis defensione utens ubique semper, quamdiu ille vixit, securus permansit, & Pontificatum triumphator administravit.

His etiam temporibus Rex Ungarorum sororem sancti Regis Heinrici Gisilem nomine sibi dari uxorem postulavit. Sed eam impetrare non potuit, donec se Christianæ Religionis rudimenta, & sacri baptismatis Sacramentum cum omni gente sua susceperurum promisit. Quam pollicitationem opere complens, in Dominum Jesum sincerâ devotione credidit: & ablutus undâ baptismatis nomen S. Protomartyris Stephani accepit. Qui Christi conversus ad fidem in omni se morũ sanctitate deinceps exercuit, & quanti fuerit apud Deum meriti, post multas in vita virtutes patratas, infinitis etiam mortuus miraculis demonstravit. Post Adelberonem Metensis Ecclesiæ Præsul ordinatus est Theodericus filius Siffridi Comitis Palatini Rheni, frater sanctæ Cunegundis Imperatricis, vir mundanus, ac acer ingenio: qui propter suam in omnes proterviam multos contra se æmulos provocavit.

S. Stephan. Rex Ungarorũ ad fidem convertitur.

M X.

Anno vacantis Monasterij nono, Theodericus memoratus Ecclesiæ Metensis Episcopus frater Imperatricis S. Cunegundis, dotem, & patrimonium sororis suæ Babenbergensi Ecclesiæ delegari ab Imperatore Heinrico ægrè ferens rebellionem contra eum paravit.

Eodem anno mortuus est Rupertus ex Monacho Wisenburgensis Cœnobij Episcopus Spirensis, vir doctus, & vitæ merito venerandus: de quo supra dictum est anno Conradi Abbatis octavo; cui in Pontificatu Nemetensis Ecclesiæ successit, Waltherus in ordine Episcoporum Spirensium XXII, & præfuit annis ferme XX. qui non parvæ utilitatis bona Ecclesiæ suæ à S. Heinrico impetravit.

Anno prænotato, XVI. die mensis Julij, obijt Meginfridus Monachus, & schokasticus Cœnobij sancti Bonifacij Fuldensis, vir in omni genere scripturarum doctissimus, de cujus ingenio, eruditione, & lucubrationibus dictum est anno Lupoldi Abbatis quarto: ex cujus Chronici opere hactenus in compilatione hujus historiæ non parvum adminiculum habuimus, propter quod singulari eum honore meritò collaudamus. Nam fundationem primi Cœnobij S. Aurelij apud Hirsaugiam ab Erlafrido comite factam, Abbatúmq; institutiones, successiones, & gesta, ultimóque diebus suis ejusdem desolationem Cœnobij, quemadmodum hæc omnia in superioribus descripsimus, non alio, quàm ejus testimonio habemus. Post hunc Richardus Monachorum Scholis in Fulda præficitur, homo doctus & mundanæ prudentiæ singularis: qui Erckenbaldo Abbate post paucos annos, ut dicemus, ad Archiepiscopatum Moguntinensis Ecclesiæ sublimato, in ejus locum Abbas Fuldæ constituitur.

Meginfrid. Monachus, & Chronographus obijt.

Richardus Scholastic. Fuldensis.

M X I.

Anno Monasterij vacantis decimo, Heinricus Rex cum magno suorum exercitu contra Theodericum Episcopum Metensem in Lotha-

ringiam properat, & urbem Metim Theoderico faventem obsidione vallat. Videns Episcopus in civitate positus tantæ se potentiæ Regis non posse resistere veniam petijt, & mox gratiam impetravit.

Anno prænotato, inter milites Balderici Leodiensis Episcopi eo presente, & Lampertum Comitem Lovaniensem apud villam Bugardis dictam prælium committitur: & vincente comite Lamperto ac multis ex parte Balderici Episcopi necatis, reliqui mox in fugam convertuntur. Episcopus gravi attritus infortunio, vix evasit. Iste prænominatus Baldericus Leodiensis Ecclesiæ Pontifex post Notgerum immediatus Monasterium sancti Jacobi Apostoli minoris, & Philippi Ordinis nostri fundavit in insula Leodiensi: quod necessarijs & sufficientibus bonis, atq; proventibus ad Monachorum Deo servientium sustentationem dotavit.

MXII.

Heinricus Romæ coronatur Imperator.

Anno Monasterij vacantis undecimo, Heinricus Rex cum multis Episcopis, & Principibus Romam in manu valida proficiscitur, & Imperator Romanorum à Benedicto octavo summo Pontifice coronatur. Cum maxima Romanorum pompa susceptus fuit: & multas sanctorum Reliquias impetravit à Papa Romano, & ab alijs diversis: quas, in Franciam orientalem deferens ad Ecclesiam novam Babenbergensem, & alias à se fundatas devotè collocavit. Consummatis structuris principalis Ecclesiæ Babenbergensis sanctus Imperator eam cum magna fecit solennitate consecrari, ad quod officium sex & quadraginta Episcopi astiterunt, quorum nomina brevitatis causa omittimus.

Theodorus Monachus & Scholasticus Trevirensis obijt.

Anno prænotato quintâ die mensis decembris moritur Theodorus Monachus, & Scholasticus Cœnobij sancti Mathiæ Apostoli extra muros Trevirorum, de quo diximus anno Conradi Abbatis octavo: vir certè in omni varietate scripturarum doctissimus; qui scripsit libros quatuor commentariorum in Isajam Prophetam pulcherrimos. De Incarnatione Domini lib. 1. De resurrectione mortuorum lib 1. De Virtute charitatis lib. 1. In gesta Trevirorum additiones usque ad sua tempora. Sermones & Homilias plures, & lectione veterum locupletes composuit. Alia insuper multa edidit, quæ ad notitiam nostræ lectionis non venerunt. Huic mortuo discipuli tale posuerunt Epitaphium.

Theodori Monachi pausant hic membra sepulti,
Qui pietate vigens, simplicitate cluens.
Presbyter officio quod complens ordine certo,
Fervebat summi laudibus in Domini.
Prudens & doctus nulli pietate secundus,
Totum quod didicit, mox alijs retulit.
Ut sibi commissum bene collocando talentum,
Centuplici & justus, atque pius Dominus.
Transijt in Nonis felici fine Decembris:
Pro quo posce Deum, qui legis hunc titulum.

Golscherus Monachus Scholasticus

Sepultus est in Cœmeterio fratrum retro Ecclesiam sancti Materni, ubi præscriptum ejus Epitaphium in lapide sculptum in muro cernitur. Post quem Golscherus ejusdem Cœnobij monachus Scholæ præfectus est: vir & ipse multùm eruditus, metro simul exercitatus & prosâ, Theodori præceptoris quondam auditor atque discipulus, qui scripsit

inter

inter cetera ingenij sui opuscula de laudibus sancti Eucharij primi Trevirorum Episcopi discipuli sancti Petri Apostoli librum 1. De laudibus sancti Valerij secundi Episcopi lib. 1. De laudibus sancti Materni Trevirorum tertij Episcopi lib. 1. Sermones & Cantus in laudem Dei multos composuit. Ad Historiam Trevirorum gesta temporis sui addidit. Præfuit autem scholæ Monachorum apud sanctum Matthiam annis viginti sex.

MXIII.

Bellũ Ducis Lotharingiæ Gotfridi.

Anno Monasterij Hirsaugiensis vacantis XII. Gotfridus Dux Comitatum Reginheri Montensem depopulatur. Quem Reginherus cum patruo suo Lamperto Lavaniensi Comite insecutus, apud Castrum Florinis pugna conseritur: ubi plus quàm quadringenti viri occisi sunt, inter quos & ipse Comes Lampertus occubuit. In quo conflictu res mira contigit, quæ posteritatis memoriæ videtur esse commendanda. Comes Lovaniæ Lampertus philacterium cum Reliquijs Sanctorum pro sui munimine portare secum ad pectus solebat. Qui cùm in præscripto bello victoriam in manibus jam se habere putaret, philacterium instante sibi vitæ termino quasi morituro adesse contemnens, de collo gestantis procul exilijt, & quasi violenter impulsum super campi tumulum saltavit. Vidit hoc miles quispiam, & levato de terra phylacterio, in caliga sua reposuit; sed confestim coxâ ejus intumescente perterritus, extractum de caliga phylacterium Domino suo Hermanno fratri Ducis Gotfridi præsentavit. Erat autem Gotfridus iste Dux Lotharingiæ filiu Gotfridi Comitis Ardennæ, vir sapiens, & strenuus, cui sanctus Imperator Ottone Duce sine filijs mortuo Ducatum propter virtutem & fortitudinem suam in beneficium feudale, ut est moris, concesserat. Unde sciendum, quòd Lothariensium Ducatus quondam erat latissimus, nec his finibus & terminis, quibus hodie constringitur, olim fuit restrictus. Nam caput ejus civitas Leodiensis extitit: & Provinciam inter Mosellam, & Mosam pene omnem, cum urbe Metensi, Luzenburg quoque & multis Comitatibus ac oppidis inclusit. Nam terminos suos usque ad Aquisgrani & Mastricht longius expandit.

Ducatus Lotharingiæ termini.

Circa hæc tempora res miranda contigisse in Burgundia legitur, de qua multi sapientes diversimodè opinantur. Mulier quædam saga, quales vulgò rectè maleficas appellamus, juvenem quendam poculo excantato diabolicis non dubium carminibus in bestiam commutâsse vita est, ita quòd omnibus, qui eum viderant, non homo, sed asinus apparebat. Quæ res, quàm sit facilis permittente Deo, ac sagæ cooperante diabolo, jam dudum sententiâ Doctorum exploratum habemus: qui confirmant diabolo non esse difficile, modo Cunctipotens permiserit Deus, hominum decipere sensus.

Juvenis maleficiatus in asinum.

Anno prænotato Willegisus Archiepiscopus Moguntinus moritur, & Moguntiæ in Ecclesia sancti Protomart. Stephani, quam ipse de novo constructerat, sepelitur: de quo anno Sigeri Abbatis vicesimo quarto latiùs diximus. Huic in Pontificatu Moguntino successit Erckenbaldus Abbas Fuldensis, & præfuit annis novem: vir sapiens, & Ecclesiasticæ disciplinæ moderator egregius. Post quem Richardus Monachus, & Scholasticus, de quo suprà dictum est, Abbas Fuldensis constituitur.

MXIIII.

Ezelinus Comes, frater Cunegundsi Imperatricis rebellat.

Anno Monasterij vacantis XIII. Ezelinus Comes Palatinus Rheni frater sanctæ Cunegundis, & Theoderici Metensis Episcopi, post diuturnam cum Imperatore Heinrico dissensionem, & rebellionem propter dotem sororis suæ Imperatricis, ac Patrimonium Babenbergensis Ecclesiæ ab Imperatore traditum, tandem placatus muneribus in gratiam susceptus fuit. Qui cùm per annos decem continuos Regi ob prædictam causam fuisset rebellis, nec aliquo posset modo induci, ut à cœptis desistens ad obedientiam animum suum reduceret, sanctus Imperator consultiùs tandem arbitratus est, virum nobilem, & strenuum beneficijs vincere, quàm armis ad subjectionem coarctare. Vocatum igitur ad se primum inter amicos constituit, & plura reconciliato jam munera donavit. Inter quæ fuit Insula S. Svvigberti cum oppido Augiæ Cæsarianæ, quam vulgò Keyserswverd nuncupant, duobus ferè à Novesio milliaribus juxta Rhenum fluvium, cum omnibus pertinentibus ad eam: simili traditione concessit ei oppidum Dusberg inter Rhenum, & Roram flumina cum omnibus & singulis proventibus suis: deinde Salfeldt cum emolumentis suis, non modica Regni beneficia de consensu Principum Comiti Palatino memorato, & hæredibus ejus perpetuâ donatione concessit. Uxorem habuit idem Comes Ezelinus Machtildem Ottonis tertij quondam sororem, filiam videlicet Theophanæ & Ottonis secundi: de qua suscepit filios tres, & septem filias, quorum ista sunt nomina: Primogenitus fuit Hermannus, cognomento Nobilis, qui, ut suo loco dicemus, post Piligrimum Archiepiscopus Colonienſis Ecclesiæ fuit: Eberhardus secundò genitus, ex Præposito Wormatiensis Ecclesiæ, post Bopponem Trevirorum Archiepiscopus sapientissimus fuit: Lutholfus tertiò genitus hæres, & Possessor ducatûs paterni extitit: Richisam inter filias primam Misecho Dux Poloniæ habuit uxorem: Adelheidis secunda filia Monialis nostri Ordinis, & Abbatissa fuit in Cœnœbio S. Gertrudis Nivelensis in Brabantia: Theophana filia tertia in Essendia Cœnobio tunc Ordinis nostri tribus à Novesio milliaribus Abbatissa fuit constituta, Virgo singularis devotionis in Deum: quarta filia nomine Mechtildis in Cœnobio Didikirchen nostri Ordinis similiter Abbatissa fuit: quinta filia nomine Willicha in Cœnobio sanctæ Mariæ semper Virginis Coloniæ in Capitolio nuncupato tunc Ordinis S. Benedicti Monialis, & Abbatissa fuit: sexta filia nomine Sophia Moguntiæ in Monasterio Beatæ semper Virginis nostri tunc Ordinis Abbatissa Monialium extitit: septima filia cujus nomen Helvvigis in Gandersheim Cœnobio Saxoniæ, quod primus Otto fundavit Imperator, Abbatissa similiter fuit. Memoratarum sex Ordinis nostri Magistrarum Pater Ezelinus Palatinus Rheni Comes potentissimus, & dives in proprio fundo suo Bruvviler, quod uno tantum milliario distat à Colonia, Ordinis nostri Cœnobium in honore S. Nicolai Episcopi fundavit, in quo multitudinem servientium Deo Monachorum sub moderamine Abbatis constituit, quibus de hujus vitæ necessarijs copiosè providit: in cujus Ecclesia tandem mortuus, ut jusserat, sepulturam accepit.

Sex filiæ Comitis Palatini Abbatissæ.

Monasterium Bruwiler à Palatino Comite fundatur.

Claruit his temporibus Reinhardus Abbas Monasterij S. Petri Senonensis in Gallia, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris

non

non infimè doctus, nec minus vitæ conversatione religiosissimus; qui omnes Monasterij sui officinas nimiâ vetustate collapsas magnificè restauravit, Monachósque suos ad pristinum fervorem religionis monasticæ reducens, verbo, & exemplo erudire ad bonum non cessavit.

Homines XIX. integro anno mirabiliter chorisantes.

Contigit his fermè temporibus in quadam villa Saxoniæ, Rupertum quemdam Sacerdotem Parochialis Ecclesiæ sancti Magni Martyris primam in nocte Natalis Domini, ut moris est, Missam celebrare in sui præsentia populi. Quam cùm decantare cœpisset, quoniam frigus erat, laicus quidam Otbertus nomine cum alijs quindecim viris, & fœminis tribus in cœmiterio ipsius Ecclesiæ choreas ducens, & sæculares cantilenas perstrepens, ita Sacerdotem impediebant, ut ipse verba eorum inter sacra Missarum solennia resonare audire cogeretur invitus: unde mandavit, ut tacerent. Quo contempto, imprecatus est dicens: *Faciat Deus, & sanctus Magnus, ut per totum annum ita vos saltare oporteat.* Verba mox imprecantis effectus miserabilis secutus est, & anno toto sine intermissione, ut cœperant, chorisârunt. Filius Presbyteri nomine Joannes volens sororem suam de medio saltantium extrahere, per brachium eam arripuit, quam cùm traheret, avulsum de corpore brachium fuit, & ne una quidem gutta sanguinis exivit. Illa ergo toto illo anno cum cæteris ducens choreas die noctúque permansit: quod spectaculum nimis terribile fuit. Chorisabant sine intermissione cantantes: non cecidit super eos nix aut pluvia: non frigus læsit eos, nec fervor caloris adussit: nec fames, aut sitis saltantes tetigit: neque lassitudo cursum intercepit: Vestimenta eorum permanserunt integra, calceamenta non sunt attrita. Ut vecordes sine ordine cantabant: interrogati responsum nulli omnino reddentes. Primum usque ad genua, deinde usque ad fœmora saltando in terram demersi sunt. Fabrica tecti aliquantulum super eos nutu Dei erigebatur, quæ pluviam arcebat.

S. Heribertus Archiepiscopus chorisantes absolvit.

Anno tandem evoluto sanctus Heribertus Archiepiscopus Colonienſis, in cujus parochia locus erat, ad cœmeterium Legatos misit, & eos à maledicto sacerdotis absolvit, reconciliationem faciens ante altare S. Magni Martyris. Filia presbyteri cum alijs duobus statim exanimata est. Continuis cæteri diebus ac noctibus tribus dormierunt. Aliqui postea objerunt, & miraculis, ut fertur, coruscârunt, quia valde pœnituerunt. Cæteri pœnam suam membrorum tremore prodiderunt. Hoc ita scriptum Othbertus supradictus ex eis unus in testimonium posteritati reliquit: in cujus paginæ calce sic scriptum erat; *Datæ sunt nobis litteræ à Domino Peligrimo beati Heriberti successore, Anno Domini MXXIII.*

Adelgerus Scholasticus Corbejensis moritur.

Anno prænotato, XIV. die mensis Novembris obijt Algerus Monachus & Scholasticus Corbejensis in Saxonia vir in omni varietate scripturarum omnium suo tempore facilè doctissimus: de cujus ingenio, & scriptis anno Lupoldi Abbatis primo latiorem, & quantam potuimus invenire fecimus mentionem. Post quem Rogerius Monachus ejusdem Cœnobij scholis omnium consensu Monachorum præficitur homo multæ eruditionis, sed eo tempore satis profectæ ætatis, ac propterea administerium doctrinæ minùs idoneus. Præfuit tamen scholis Monachorum annis fermè sex: de cujus lucubrationibus feruntur: ad Wintikindum Comitem de corpore & sanguine Domini lib. 2. Ad eun-

dem de hiſtoria Saxonum lib. 1. De vita, Paſſione & miraculis S. Viti Martyris. De ſalute fidelium lib. 4. & alia quæ necdum vidimus.

Claruit hiſdem diebus, & alius Rutgerus Monachus, & Magiſter ſcholarum Cœnobij S. Pantaleonis in Colonia, vir doctus, & in omni genere ſcientiarum eruditus: ingenio promptus, & clarus eloquio, qui inter alia ſcripſit vitam, & geſta Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi ejuſdem Monaſterij fundatoris celeberrimi. Item ſcripſit miracula S. Maurini Abbatis, & Martyris. Miracula quoque S. Albini Martyris. Et alia nobis incognita.

MXV.

S. Simeon apud Treviros floruit.

Anno deſolati Monaſterij XIV. S. Simeon Monachus in civitate Trevirorum ſanctimoniâ vitæ, & miraculorum teſtimonio claruit. Qui natione quidem Siculus, patriâ Syracuſanus fuit: ejus longam pro Chriſto peregrinationem ſummis nos laudibus concelebrare monet devotio. Nam exiens cum ſancto Abraham de terra, & cognatione ſua, navigavit in Jeruſalem viſitare ſanctum Domini ſepulchrum. Inde tranſivit in montem Synai, & ibidem in Cœnobio S. Catharinæ Monachus factus, vitam ſuam in omni puritate conſervavit. Poſtea iterum pro quibuſdam negotijs in Jeruſalem reverſus eſt. Quem illic reperiens Boppo Archiepiſcopus Trevirorum, qui causâ orationis illò venerat, ſecum duxit in Galliam, cui manſionem dedit poſtulanti in quadam altiſſima turri, in civitate Trevirenſi apud portam nigram, quæ nunc S. Simeonis nomine vulgariter nuncupatur. In hac turri pro Chriſti amore incluſus multas hominum ſuſtinuit injurias, pluréſque dæmonum tentationes perpeſſus eſt. Nam homines meritum illius ſanctitatis ignorantes, magum & necromanticum eſſe conclamabant. Unde quoties fruges, aut tempeſtate perjerunt, aut ſiniſtri aliquid in civitate contigit, ejus maleficijs & demeritis factum arbitrantes, contumelias, & opprobria in illum ſpumabant. Sæpius etenim furore concitati turrim, in qua manebat, igne ſuppoſito incendere tentabant. Huic vulgi opinione in ſanctum dæmones cauſam præbuerunt: qui ſervum Dei perſequentes circa turrim in qua manebat, ſæpiùs noctibus importunè vociferantes, impium, & malefactorem cunctis audientibus inclamabant. Sanctus autem Dei ſervus conſummato præſentis vitæ ſtadio, feliciter tranſivit ad Dominum: móxque cœpit infinitis clarere miraculis. Cujus vitam virtutibus plenam Ebervvinus Tholegiæ Abbas deſcripſit: & ſtatim poſt mortem (quod paucis contingit) ad inſtantiam Bopponis Archiepiſcopi Romanæ ſedis decreto Sanctorum Catalogo inſcriptus eſt. In eo autem loco juxta portam nigram, ubi ſanctus Dei Simeon manere conſuevit, inſignis hodie Canonicorum Eccleſia fundata cernitur.

S. Simeon moritur.

S. Elphegus ex Abbate Archiepiſc. martyrizatur.

Claruit his etiam temporibus ſanctus Elphegus ex Abbate Monaſterij Balneorum in Anglia primum Epiſcopus Wintonienſis, ac poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus: qui quondam ſplendidiſſimis natalibus ortus ad litterarum ſtudium poſitus, lectis & perlectis, quæ ad ſalutem videbantur neceſſaria, totum philoſophiæ ſtudium convertit ad diligendum Deum. Unde primò conſtruxit in eo loco, qui Balneum dicitur, Cœnobium, in quo congregavit multitudinem Monachorum, quos verbo & exemplo ad obſervantiam Regulæ S. Patris Benedicti ſemper inſtruebat. Qui tandem Archiepiſcopus factus, cùm Dani Gentiles Angliam

gliam devaſtarent, & multa Chriſtianorum millia peremiſſent, noviſſimè & ipſe multis affectus ſupplicijs ab eis occiditur, & Londoniæ ſepelitur.

MXVI.

Anno Monaſterij vacantis xv. in Friſia Theoderico Gandavenſiũ Comite filio Arnolphi debellante Friſones in vindictam patris ſui ab eis occiſi, Godfridus Dux Lotharingiæ ad eum debellandum ab Imperatore in Friſiam mittitur: & conſerto prælio, voce (neſcitur unde) emiſsâ: *fugite fugite*; cunctis fugientibus à paucis perimuntur. Dux autem Godfridus cum damno ſuorum capitur.

His temporibus Monachi Fuldenſis Cœnobij propter nimiam vitæ diſſolutionem in deriſum & fabulam omni populo facti ſunt. Qui per S. Heinricum ſæpius admoniti, ut vitam & mores emendarent in melius, cum non acquieſcerent, ſciens illos S. Imperator nimiâ divitiarum abundantiâ factos contumaces: multa bona & poſſeſſiones de Monaſterio Fuldenſi per Edictum imperiale abſtulit: & alijs Monaſterijs, ubi regularis vigebat obſervantia, in jus proprietatis perpetuò conceſſit.

Monaſterium Fuldenſe ſpoliatur

Iiſdem quoque temporibus Monaſterium Fiſcannenſe Ordinis ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti per Richardum Normannorum Ducem fundatum eſt, & multis bonis, ac poſſeſſionibus ad ſuſtentationem Monachorum magnificè dotatum; in quo deinceps per ſucceſſum temporis multi ſanctiſſimi, atque doctiſſimi viri ſub Monaſtico ſchemate in ſumma religione Deo ſervierunt.

MXVII.

Anno vacantis Monaſterij xvi. Rudolphus Burgundiæ Rex injurijs, & temeritate Burgundionum irritatus, regnum ſuum ſancto Heinrico Imperatori tradere deliberat: Quod cùm innotuiſſet Burgundionibus, pœnitentiâ ducti ad veniam ejus redeunt, & ſe de cætero in omnibus ei parituros fideliter promittunt.

Rudolphus Rex Burgundionũ.

Claruit his quoque temporibus Meginfridus Monachus Cœnobij ſancti Burckardi Wirzeburgenſis, diſcipulus quondam Arnoldi Hirſaugienſis Monachi, de quo ſupra diximus anno Lupoldi Abbatis primo: vir in divinis ſcripturis eruditus, & ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, quem ſanctus Imperator Heinricus propter doctrinam, & vitæ meritum Eccleſiæ Magdeburgenſis in Saxonia conſtituit Archiepiſcopum. Qui eandem Eccleſiam ſtrenuè gubernavit annis xxvii. non minùs exemplo prædicans, quàm verbo.

Fulbertus etiam Carnotenſis Eccleſiæ Præſul doctiſſimus cùm eruditione ſcripturarum, tum vitæ merito hæc tempora reddidit clariora. Qui pluribus annis ante Pontificatum publicè in ſcholis docendi munere functus, multos auditores doctiſſimos habuit. Scripſit in laudes Beatiſſimæ Dei Genitricis non parvæ eruditionis ſynthemata. Cantus etiam diverſos ad Dei honorem compoſuit. Epiſtolas & quæſtiones ſcripturarum multas, & varias abſolvit. Mortuus tandem miraculorum exhibitione crebrâ ſanctitatem aperuit.

MXVIII.

Anno Monaſterij vacantis xvii. die menſis Novembris xiv. obijt Heinricus Epiſcopus Herbipolenſis, frater ſancti Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi, vir magnificus, & ſempiternâ memoriâ dignus. Inſtaurator

Meginhardus fit Epiſcopus Herbipolenſis.

rator & fundator multarum Ecclesiarum: cujus animam regnare cum Christo nullus fidelium dubitabit. De quo dictum est supra anno Conradi Abbatis septimo. Cui in Pontificatu Herbipolensium Francorum successit Meginhardus, & præfuit annis xv. mensibus decem, diebus 22.

Eodem quoque anno Benedictus Papa Romanus cum quibusdam Cardinalibus & Episcopis ad sanctum Heinricum Imperatorem venit in Germaniam,& apud Babenberg sanctum cum eo Pascha celebravit. Qui summo apud Imperatorem honore habitus, ac multis ab eo donatus muneribus, Romam peracto negotio suo revertitur. Anno etiam prænotato Hierusalem civitas sancta per Saracenos capitur, & omnia sancta loca in civitate,& extra per infelicissimos homines Machumeticæ stultitiæ fœdantur, & multa hominum Deo rectè credentium millia per eos crudeliter occiduntur. Patriarcha Hierosolymitanus in Babylonem captivus ducitur, & ibidem post multa sævissimæ crudelitatis tormenta ab impijs trucidatur. In ea vastatione crudeli sacrosancta Dominici Sepulchri pretiosissima Ecclesia cum alijs quatuor ferè millibus Deo consecratis templis funditùs destructa est; ita ut lapis super lapidem minimè remaneret: & totum regnum illud à Mahumeticis fœdatum est.

Hierusalē capitur ab infidelibus.

His etiam temporibus Ernestus Dux Suevorum in venatione ab Adelberone Comite sagittâ confossus occiditur. Latuerat enim Comes ipse cum suis in nemore, quò Ducem noverat esse venturum: quo veniente de insidijs repentè prosiliens in eum hostiliter irruit, & nec promissis, nec precibus ut parceret, flecti potuit. Hujus Ernesti Ducis pater fuit Hermannus Dux ejus nominis secundus, de quo in historijs Allemannorum multa narrantur: Ernestus verò iste duos reliquit filios, Ernestum & Hermannum.

Ernestus Dux Suevię occiditur.

Claruit his quoque temporibus Berno Abbas Monasterij Augiæ Majoris in Diœcesi Constantiensi, quod S. Pyrminius Episcopus Meldensis discipulus S. Mauri fundavit olim tempore Theoderici Regis Francorum circa sexcentesimum Dominicæ Nativitatis annum: Vir in omni genere scripturarum doctissimus, & Musicus celeberrimæ opinionis, qui anno vacantis Monasterij Hirsaugiensis sexto Abbas ordinatus multis annis strenuè præfuit, & Cœnobium antiquitate jam penè collapsum novis ædificijs in meliorem statum restituit: bonisque per negligentiam antiquorum turpiter distractis, prout potuit, recuperatis, magnam Fratrum multitudinem ad serviendum Deo introduxit: quos vivere secundùm Regulam sancti Benedicti non minùs exemplo, quàm verbo docuit. Scripsit etiam non spernendæ lectionis opuscula, de quibus inveniuntur subjecta: ad Piligrinum Colonienſem Archiepiscopum insigne volumen de Musica, liber 1. De instrumentis Musicalibus liber 1. Ad Aribonem Archiepiscopum Moguntinum de celebratione Adventûs Domini lib. 1. De Missæ Officio lib. 1. De jejunio quatuor temporum lib. 1. De jejunio Sabbati lib. 1. De mensura monachordi lib. 1. Sermones etiam complures ad fratres: alia denique non pauca scripsisse legitur, quæ ad nostræ lectionis notitiam non venerunt.

Berno Abbas Augiēsis Doctor.

Opuscula hujus Bernonis Abbatis.

MXIX.

Anno Monasterij vacantis XVIII. Heinricus Imperator Nativitatem Domini in Colonia celebrat, ubi S. Heribertum Archiepiscopum, quem olim

olim in extorquendis ab eo Imperialibus insignijs offenderat (ut supra diximus anno Conradi Abbatis XIII.) humili satisfactione placat. Cui reconciliatus Pontifex manifestò prædixit, quòd eum amplius in hac vita non esset visurus: quod verum exitus rei non diu postea probavit.

Eodem anno Wernherus Argentinensis Episcopus multas à Burgundionibus rapinas, incendia, & injurias perpessus, tandem Suevos contra illos in auxilium conducens ad præliandum cum adversarijs producit exercitum: & inito certamine Præsuli victoria conceditur: Burgundiones autem in fugam convertuntur.

S. Gerardus Episcopus & Martyr.

Claruit etiam hisce temporibus sanctus Gerardus ex Monacho nostri Ordinis Cœnobij S. Gregorij in urbe Roma Episcopus Morisenus à Papa Benedicto ad prædicandum Dei verbum noviter conversis in Vngariam missus, vir doctus & sanctissimæ conversationis, qui posteaquàm pluribus annis prædicando multos convertisset ad fidem, ultimò ab impijs martyrizatus transivit ad cœlos.

Claruit etiam his ipsis temporibus Ebervvinus Abbas ex Scholastico Monasterij S. Maurizij Tholegiensis Ordinis sanctissimi Patris nostri Benedicti, quod olim in Westrasia construxit Dagobertus Rex Francorum, sicut ipsi dicunt, qui locum hodie inhabitant: sed ut nos comperimus, fundator ejus extitit Divus Pyrminius Weldensis Episcopus, ut in præcedentibus est dictum: cujus discipulus fuit S. Wandalinus. Alibi reperi S. Columbanum ejusdem Monasterij primum fuisse incœptorem. De hoc Monasterio longè supra fecimus mentionem, anno videlicet primi Abbatis Lutberti secundo: cujus memoratus Abbas Ebervvinus vir doctissimus inter alia scripsit jussione Bopponis Archiepiscopi Trevirorum vitam S. Simeonis Monachi lib. 1. Gesta quoque ejusdem Bopponis Archiepiscopi lib. 1. De jejunio, & potentia lib. 1. Sermones etiam multos, & varios ad fratres.

S. Wilhelmus Abbas Divionensis.

Wilhelmus etiam Cœnobij Divionensis clarissimus Abbas hac ipsâ tempestate claruit: vir doctus in scripturis divinis, & sæcularium litterarum non ignarus: regularis disciplinæ moderator, & custos religiosissimus: & magnæ sanctitatis homo: qui multis, & in vita, & post mortem coruscat miraculis.

Claruit & Boppo Stabulensis Monasterij Abbas in diœcesi Leodiensi Ordinis nostri: vir his temporibus celeberrimæ opinionis, qui cùm eruditione scripturarum, tum sanctitate morum Galliam bono respersit odore, & monasticam institutionem gloriosè reformavit. Qui multis, & in vita, & post obitum miraculis claruit. Decedens tandem ab hac miseria cœlum beatus petivit: cujus festi memoria celebratur annuè vicesimâ quintâ die mensis Decembris.

S. Richard. Abbas Virdunensis.

Richardus etiam Abbas Virdunensis vir doctrinâ, & sanctitate admirabilis hæc tempora reddidit clariora: qui multis signis, & miraculis clarus vitam Monachorum verbo, & exemplo quàm optimè instituens, ad primævam multos reduxit integritatem; nec solùm claustrales cœlestis vitæ tritico pavit, sed etiam sæcularibus verbum Dei prædicans, multos ad emendationis vitæ semitas revocavit.

MXX.

Anno vacantis Monasterij nono decimo, Erckenbaldus ex Abbate

Arito fit Archiepiſc. Moguntin.

Fuldenſis Cœnobij Archiepiſcopus Moguntinus moritur, cui Aribo, quem alij Erbo, alij verò Erpho nominant, ſucceſſit: vir in divinis Scripturis multùm eruditus, & ſæcularis Philoſophiæ non ignarus. Qui inter cætera ingenij ſui opuſcula ſcripſit in quindecim Pſalmos graduum pulchrum Commentariorum, librum unum. Epiſtolas etiam plures ſcripſit ad diverſos. Et alia quæ ad notitiam noſtræ Lectionis non venerunt. Ad hunc Archiepiſcopum Berno Abbas Augienſis, de quo paulò ante diximus, librum de Adventu Domini edidit. Eodem anno moritur ſanctus Heribertus ex comitibus de Rottenburg in Francia orientali juxta Tuberam, Archiepiſcopus Colonienſis frater B. Heinrici Herbipolenſis Epiſcopi, vir per omnia Chriſtianiſſimus, & in Monaſterio Tuitienſi, quod ipſe in oppoſito urbis Colonienſis juxta Rhenum de ſuo conſtruxerat, ſepelitur. Qui mox infinitis cœpit clarere miraculis: unde & ſanctorum inſcribi Catalogo meruit. Ad cujus tumbam uſque in præſentem diem miracula fiunt. Huic ſanctiſſimo Pontifici in Archiepiſcopatu ſucceſſit Piligrinus nepos ejus, Abbas Monaſterij ſancti Burckardi Herbipolenſis, & præfuit annis ferme quindecim: vir magnæ prudentiæ, & in diſponendis, ordinandiſque negotijs Eccleſiaſticis induſtriæ ſingularis.

Guido Aretinus Moretinus Monachus, & Muſicus maximus.

Claruit his etiam temporibus Guido Aretinus Monachus Cœnobij Crucis ſancti Leufredi poſtea, ut legitur Abbas, vir in omni genere ſcripturarum doctiſſimus, Dialecticus, Rhetor, & Muſicus omnium ſuo tempore celeberrimus: in hoc etiam præferendus cæteris, quòd ignotos cantus pueri, & puellæ per ejus regulam in manu facilius jam diſcant per ſe, quàm antea per vocem Magiſtri, vel cujuſcunque uſum inſtrumenti. Inter cætera ingenij ſui opuſcula ſcripſit de Muſica inſtitutione libros duos. Contra Berengarium Turonenſem de Corpore & Sanguine Domine libr. Et quædam alia, quæ ad manus meas minimè venerunt.

MXXI.

Eccleſia mõtis Monachorum dedicatur.

Anno Monaſterij vacantis. xx. Eberhardus primus Epiſcopus Eccleſiæ Babenbergenſis Monaſterium Ordinis noſtri in monte Monachorum juxta civitatem per Heinricum Imperatorem, & S. Cunegundem de fundamentis conſtructum in honorem S. Michaëlis, & omnium cœleſtium Spirituum cum ſumma devotione conſecravit. Hoc ipſo quoque anno ſanctum obijſſe Imperatorem quidam hiſtoriographi ſcribunt. Alij verò in biennium ejus mortem diſtulerunt, quorum diverſitatem Lector otioſus facilè poterit judicare. Nos enim potiores ſecuti mortem ejus biennio ſequenti deſcripſimus.

Benedictus Papa VIII. moritur.

Anno præſcripto Benedictus Papa VIII. moritur, & Romæ in Baſilica S. Petri Apoſtolorum Principis ſepelitur. De quo Petrus Damiani ſcribit, quòd mortuus quâdam vice in nemore viſus ſit à quodam Epiſcopo in vita ſibi familiari equo inſediſſe nigro: qui ab inſpectante rogatus, cur nigro veheretur caballo, reſpondiſſe. *Heu quantum torqueor.* Quibus dictis Epiſcopum Rogâſſe ut pecũnias, quas ipſe occultaverat, acciperet, & ſuo nomine pauperibus erogaret. Nam quæ priùs nomine Eleemoſynarum datæ eſſent, nihil ſibi profuiſſe, propterea quòd injuſtè fuerint conquæſitæ. Fecit Epiſcopus quod defunctus petivit, & poſtea dimiſſo Epiſcopatu vitam Monaſticam aſſumpſit. Huic Benedicto in ſummo Pontificatu Joannes xx. ſuccedens præfuit annis novem, & multas à Romanis perſecutiones ſuſtinuit.

His

His temporibus Brantho ex Abbate Monasterij Fuldensis, de quo supra dictum est, anno Conradi Abbatis x. Halberstatensis in Saxonia Episcopus, vir potens in opere, & sermone, vigilans super gregem suum more boni pastoris, summum pro ampliatione divini cultûs in regiminis sui tempore studium impendit. Unde in civitate Halberstatensi sub honore S. Joannis Baptistæ Congregationem instituit, quibus vitæ præsentis necessaria providit. Aliam simili devotione Ecclesiam sub honore S. Bonifacij Martyris in loco, qui dicitur Boslevem, instituit, in quam pari modo Canonicos locavit: veteres quoque restauravit Ecclesias, & multa bona fecit. *MXXII.*

Brantho ex Abbate Ep.

Anno Monasterij vacantis XXI. Heinricus Imperator exercitum contra Græcos, & Saracenos magnum duxit in Apuliam, expulsísque inde profanis, Ducem Imperatoris Constantinopolitani Saracenis faventem bello aggreditur: & multis Græcorum occisis reliquos in fugam convertit. Inde procedens Trojam novam urbem, ubi Hannibal sua quondam tentoria fixit, obsidione vallans potenter obtinuit. Urbe autem post 4. menses obsidionis captâ, pestilentia gravis invasit exercitum: qua factum est, ut Imperator dimissâ Italiâ ad Germaniam maturaret regressum: qui novit omnia Deus, cur non vellet apud Italos mori famulum suum, sine dubio scivit.

Claruit his temporibus S. Gothardus ex Monacho nostri Ordinis Episcopus urbis Hildenshemensis in Saxonia, vir sanctissimæ conversationis, qui multis, in vita, & post mortem coruscavit miraculis. Hic primùm fuit Abbas Monasterij Altahensis, quod S. Pyrminius Episcopus Meldensis olim fundavit, in Bavaria: deinde jussione S. Imperatoris Heinrici Abbatiam Hirsfeldensem, ad instantiam Willegisi Archiepiscopi Moguntini regendam invitus susceptit, & pari commissione Cœnobium Tegerense habuit comendatum; sed utrumque postea resignavit: Hirsfeld Arnulpho ibidem Præposito suo, & Tegerense Bernhardo primicerio suo, ipséque ad Altah reversus est; nec multò post promotione Imperatoris Heinrici, electione tam Cleri, quàm populi Episcopus Hildenshemensis Ecclesiæ factus est. Qui tandem plenus sanctitate, & operibus bonis migravit ad Dominum, sepultus in Monasterio S. Bartholomæi Apostoli, quod ipse prope Hildensheim de novo construxerat. Annis XVI. in Episcopatu præfuit: cujus dies festus celebratur annuè, quintâ die mensis Maij.

S. Gothard. ex Abbate Episcopus.

His temporibus prænominatus Episcopus Hildenshem. S. Gothardus Cœnobium Monachorum nostri Ordinis juxta mœnia præfatæ civitatis fundavit in honorem D. Bartholomæi Apostoli, quod prædijs, & possessionibus ad sustentationem servorum Dei sufficienter dotavit, in quo mortuus sepulturam accepit, unde Bartholomæi nomine amisso nunc ad S. Gothardum vocatur.

Cœnobiũ S. Gothard. fundatur.

His etiam temporibus Boppo Trevirorum Archiepiscopus Ludolphi Marchionis Austriæ filius, qui S. Simonem Monachum de partibus transmarinis, ut supra diximus, Treverim adduxit, ejusque Canonizationem à Benedicto Papa VIII. impetravit, divino attactus spiritu cum quibusdam Clericis, & Monachis in Daniam proficiscitur: & Danos eatenus idololatras continuâ prædicatione ad fidem Christi convertens meritò Danorũ Apost. habebatur. *MXXIII.*

MXXIII.

Concilium Provinciale celebratur in Selgenstatt.

Anno vacantis Monasterij XXII. Indict. Roman. VI. die quoque mensis Augusti sexto, Aribo Moguntinæ Sedis Archiepiscopus Synodum provincialem apud Selgenstatt in Monasterio SS. Martt. Marcellini, & Petri celebravit, in quo Episcopi & Abbates subscripti convenerunt. Aribo ipse Archiepiscopus consilio præsidens. Burckardus ex Monacho Episcopus Herbipolensis. Bruno frater Imperatoris Episcopus Augustensis. Eberhardus primus Episcopus Babenbergensis, Waltherus Episcopus Spirensis, Gothardus Episcopus Hildenshemensis. Richardus Abbas Fuldensis. Arnolphus Abbas Aichfeldensis. Reginboldus Abbas Laurishem. Hericho Abbas S. Maximini Treverensis. Ebervvinus Abb. Tholegiensis. Heinricus Abbas S. Burckardi Herbipolensis. Sisicho Abbas Schuchterensis. Gerbertus Abbas S. Albani Moguntinensis. Adelbertus Abbas Clingenmonasterienſis. Rudolphus Abbas Blidenstattensis, & alij ex ordine Clericorum quàm plurimi, in qua Synodo multâ discretione & sapientiâ patrum utiliter constituta sunt plurima ad utilitatem Ecclesiæ communem: quæ in actis ejusdem sacri Concilij diligentissimè conscripta habentur. Eodem anno Adelbero Trajectensis Ecclesiæ Scholasticus vir doctus in omni genere scripturarum Chronicon suum de Origine civitatis, successione, ac gestis Pontificum Trajectensium complens terminavit: cetera verò, siqua scripsit, ad notitiam nostræ lectionis non venerunt.

S. Heinric. Imperator obijt.

Anno etiam prænotato sanctus Heinricus Imperator gloriosissimus post multa feliciter gesta tertio decimo die mensis Julij moritur: & in Ecclesia Cathedrali Bambergensi, quam ipse fundaverat sepelitur. Cujus vitam Adelboldus Trajectensis Episcopus, ut supra diximus, luculento scripsit eloquio. Qui mox infinitis cœpit coruscare miraculis: quorum veritate compertâ Eugenius Papa tertius post annos ferme centum viginti quatuor miraculis non cessantibus eum Sanctorum catalogo inscripsit. Cujus festum annuè solemniter colitur.

Claruit his ferme temporibus Ludovicus ex Monacho Cœnobij Cassinensis Episcopus Marianensis, & sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, vir tam in divinis scripturis multùm eruditus, & mundanæ Philosophiæ non ignarus: qui propter ingenij sui dexteritatem vitæque sanctimoniam apud Romanos suo tempore magno in pretio fuit.

MXXIV.

Conradus secundus fit Imperator.

Anno vacantis Monasterij XXIII. Conradus Francorum Orientalium Dux, sed Regno ante rebellis favore Aribonis Archiepiscopi, & Eberhardi Babenbergensis Episcopi Principum electione Imperator designatus est, & imperavit annis quindecim. Heinrico etenim super lectum ægritudinis jam morituro decumbente, qui aderant principes, quem successorem sibi consuleret eligendum, sciscitabantur. Qui Conradum ipsum designans omnibus prætulit; quippe qui nullius unquam servituti se submisit, regióque genere ortum, & egregiæ libertatis virum. Hic verò Conradus Imperator ejus nominis secundus uxorem habuit Gisilam Heinrici Imperatoris defuncti neptem, Brunonisque Saxonum Ducis viduam relictam; de qua genuit Heinricum Regem tertium, qui patri in imperio successit: & Cunegundem filiam, quæ jam nubilis obijt,

& in

& in Lyntburgensi Monasterio sepulta fuit. Duxerat autem Gisilam Brunonis viduam Imperatore Heinrico renitente, & propterea quamdiu Imperator vixit, ejus gratiam Conradus non habuit: & nihilominus tamen in mortis eum articulo successorem sibi designavit. Ista verò Gisila primò nupserat Arnolpho Duci Suevorum, ex quo peperit filios duos Ernestum videlicet Ducem, & Hermannum. Quo mortuo nupsit Brunoni Duci, ut diximus, Saxoniæ. Illo etiam brevi defuncto accepit istum Conradum postea Imperatorem, de quo loquimur. Erat autem iste Conradus in armis strenuus, consilio providus, Juriscivilis peritus, sapientiâ cautus, & Christianâ Religione devotus. Eodem anno mortuus est Adelboldus Trajectensis Episcopus quinto Calendas Decembris anno Pontificatûs sui octavo decimo, vir moribus, & eruditione illustrissimus: qui vitam sancti Heinrici Imperatoris cum multis alijs descripsit, quemadmodum superiùs dictum est.

Gisila Imperatrix Conradi II. Uxor.

MXXV.

Anno Monasterij vacantis XXIV. magna quorundam Principum dissensio Conradum Regem graviter offendit, quæ brevi tamen tempore divino munere sopita fuit. Cuno, qui & Conradus Bavariæ Dux magnus, & potentissimus molestè ferens se neglecto Conradum patruelem suum ad Imperium delectum, jura necessitatis prætergredi ens, nova in illum quamvis frustra moliebatur. Hic Heinrico Imperatore mortuo interrogatus à Principibus, quem ad Imperium consuleret eligendum, superbiâ tumens, & in sua æstimatione de regno securus, quasi deridendo patruelem respondit: *Quis meo Nepote melior, Duce Conrado?* Nihil minùs, quàm electionem ejus fore possibilem cogitans, utpote qui Heinrico simul, & Imperio contumax, & rebellis extitit. Electo tandem Conrado statim Cuno Dux primus fuit ex omnibus Principibus, qui electioni ejus contradixit, sed Deo sic ordinante nihil contra eum attentavit. Anno prænotato, Rupertus Rex Gallorum sive Francorum Occidentaliũ, de quo suprà diximus, anno Conradi Abbatis septimo, jam senio confectus, & totus Deo deditus, ne propter negotia regni plurima penitùs à sua devotione cogeretur recedere, Heinricum suum filium regni consortem assumit, & cum eo regnans sex annis supervixit.

Cuno Dux Bavariæ potentissimus.

Rex Gallorum cum Filio.

MXXVI.

Anno Monasterij vacantis XXV. Conradus II. cum magno exercitu suorum in Italiam proficiscitur, & à Romano Pontifice Joanne vicesimo Romæ in Imperatorem solemniter cum magna pompa, & honore coronatur. Qui factus Imperator consilio Brunonis Episcopi Augustensis fratris Heinrici Imperatoris, qui semper, ut suprà dictum est, felicibus ejus invidebat actibus, Bambergensem Episcopatum meditabatur destruere, quia idem Bruno Episcopus promisit Reginæ Gisilæ omnia prædia ad se hæreditario jure pertinentia filio ejus Heinrico contradere. Locus igitur, & tempus conventui statuitur, ubi ad effectum res ipsa perducatur. Nocte verò, quæ diem conveniendi statutam præcessit, Eberhardus Episcopus Babenbergensis clam ad tentorium dicti Brunonis accessit, lectóq; ejus assidens, multa in contrarium monendo, obsecrando, fratrísque memoriam animo ejus inculcando, cum eodem sollicitus egit. Qui ubi jam multâ noctis horâ transactâ recesserat, & Brunonem Episcopum pro

auditis sollicitum somnus oppresserat, visus est ei frater astare defunctus, facie squallidus, & barbâ ex una parte turpiter depilatus. Cui super hac re stupido, ac miranti, interrogantíque, quis tantæ homo temeritatis fuerit, qui talem Imperatori contumeliam inferre præsumpsisset? sanctus Imperator respondit: *Tu hæc feci sti, qui me, & Sanctos Dei, quos rebus à DEO mihi concessis spoliare disposuisti. Cave jam deinceps frater ab hac temeritate tua, ne gravi percussus animadversione districti Judicis pœnam luas terribilem, quia horrendum est DEI judicium.* Móxque visio disparuit, & experrectus de somno Episcopus valde perterritus fuit. Manè autem facto, cùm diu expectatus ad Conventum Procerum non veniret, Regina pro filio sollicita missis nuntijs obnixè rogavit, ut adveniens promissa pridem perficeret; ille verò tantâ se infirmitate gravatum asseruit, ut neque de lecto surgere, neque pedem ullatenus posset movere. Cúmque rogaretur, ut se in lecto ad Conventum portare pateretur, quo vel sic ejus perficeretur promissio, non acquievit: sed palàm se in Deum, & Sanctos ejus graviter peccâsse liberâ voce proclamavit; & sic illa pravorum conspirantiú temeritas illusa conticuit, & fundatio permansit.

S. Heinrico fratri apparuit.

Anno prænotato, Conradus Imperator consensu Principum Heinricum filium suum Regem constituit, cui Cunegundem filiam Regis Danorum Sponsam matrimonialiter copulavit. Quæ cùm aliquamdiu cum eo mansisset, & objectum adulterij crimen duello pueruli parvissimi contra falsum delatorem magnum hominem publicè diluisset, ad suos unde venerat, redijt: & neque minis, neque precibus unquam induci potuit, ut cum Sponso maneret diutiùs, aut in ejus matrimonium consentiret.

Heinricus fit Rex III.

His quoq; temporibus in principio Regni Conradi II. Imp. Dux Polonorũ Bolislaus, quem S. Heinricus noviter imperio compulit esse subjectum, se ipsum Regem constituere voluit, sed morte præventus, hanc suam cogitationem non implevit, cujus filius Misicho patri mortuo in Ducatu Poloniæ succedens, arrogantiâ plenus fratrem suum Ottonem de Polonia expulit, & Regem se facere, atque penitus ab Imperio abalienare patris imitatione cogitavit. Quod cùm Imperatori Conrado innotuisset per Ottonem, qui ad eum confugerat, cum magno exercitu Poloniam ingreditur; cujus adventu Dux Misicho perterritus, cùm tantæ multitudini non posset resistere, fugit ad Udalricum Ducem Bohemiæ, qui & ipse tunc temporis hostis, & rebellis erat imperio, quem Bohemorum Dux se traditurum Imperatori non requisitus ultro pollicitus est, sperans per hoc ad ejus gratiam posse pertingere. Sed Imperator Conradus hanc ejus perfidiam detestatus, quidquid pollicebatur, contempsit. Tandem Misicho gratiam Imperatoris postulans obtinuit; Ducatum ab eo Polonorum nomine imperij in feudum accepit, seque cum universa gente sua imperio submisit, & coronam, quam pater ejus fieri fecerat, ad manus ejus resignavit.

Imperator Exercitum movit in Poloniam.

MXXVII.

Año Monasterij vacantis XXVI. Bruno Episcop. Augustensis, & Welfo Comes de Schevveren subortâ inter eos gravi dissensione prædas, & incendia inter se mutuò hostiliter agunt. Ernestus Dux Suevorum privignus Conradi Imperatoris, Gisilæ Reginæ ex priore marito filius, & Welfo

Ernestus Dux Suevorum.

Comes

Comes suprà dictus Imperatori rebellare statuunt, prædas contra eum facientes, & spolia.

Claruit hisce temporibus in Anglia Egelvotus Monachus nostri Ordinis, & postea Cantuariensis Episcopus, vir in divinis scripturis eruditus, & sæcularium litterarum non ignarus, vitâ, & conversatione sanctissimus, Advocatus pauperum pientissimus, cujus hortatu Cynito Rex Angliæ multas faciebat eleemosynas, præsertim ad Ecclesiam Carnotensem, cui tunc præerat Fulbertus Præsul, doctus, atque sanctissimus, cujus suprà fecimus mentionem, anno vacantis Monasterij sexto decimo. Scripsit autem sanctus iste Archiepiscopus Egelvotus inter cætera ingenij sui opuscula de laudibus Deiparæ Mariæ semper Virginis Opus pulcherrimum, & quasdam non inelegantes Epistolas.

Adelmannus Episc. Brixiensis.

Claruit & Adelmannus ex Clerico Leodiensi, Episcopus Brixiensis in Longobardia sub Archiepiscopatu Mediolanensi, Fulberti Carnotensis Episcopi quondam Auditor, atque discipulus, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, metro exercitatus, & prosâ, qui scripsit ad Berengarium Turonensem quondam apud Fulbertum Condiscipulũ suum tunc errare, & perversè dogmatizare incipientem, valde prolixè, & amicè illum corripiens, de corpore Domini librum unum. Cætera, quæ scripsit, ad notitiam nostræ lectionis udhuc non venerunt.

MXXVIII.

Lutgerus Monachus Luneburgensis.

Anno Monasterij vacantis XXVII. Indictione Romanorum undecimâ, quintâ die Mensis Januarij, obijt Lutgerus Monachus, & Scholasticus Cœnobij sancti Michaëlis Luneburgensis in Saxonia, Ordinis Divi Patris nostri Benedicti, de quo dictum est anno Monasterij Hirsaugiensis vacantis tertio, qui scripsit inter alia ingenij sui opuscula: in Isaiam Prophetam. In Cantica Canticorum. In Proverbia Salomonis. In Evangelium Matthæi, & alia plura, quæ nos latent.

Anno prænotato, Ernestus Dux Suevorum filius Gisilæ Imperatricis, & Welfo Comes suprà dicti post longas dissensiones, & plurima damna, quæ prædando, & incendendo pauperum domos, & villas Imperio quantùm prævaluerant, intulissent, monitione tandem, & interventu Gisilæ Imperatricis in deditionem Conradi venientes admissi sunt.

MXXIX.

Bruno Augustensis Episcopus moritur.

Anno Monasterij vacantis XXVIII. Bruno Augustensis Episcopus, frater sancti Heinrici Imperatoris obijt, qui, ut suprà dictum est, sancto fratri suo multas quondam irrogavit injurias, sed post mortem ejus semel in visione correptus animum à malè cœptis revocavit, & gesta jam fratris defuncti non solùm non improbavit amplius, sed quantùm potuit viribus totis defendere, & manu tenere usque ad mortem studuit.

Claruit his temporibus Didacus ex Monacho nostri Ordinis Cœnobij, ut ferunt, Corbejensis in Saxonia post Gaudentium fratrem sancti Adelberti Martyris Episcopus Pragensis in Bohemia, eo tempore sub Metropolitano Ecclesiæ Moguntinæ: vir in divinis scripturis doctus, & prædicator inter multos præcellenter egregius, qui verbo, & exemplo multos ad viam justitiæ, & veritatis erudiens, commissum sibi gregem strenuè gubernavit.

MXXX.

MXXX.

Anno Monasterij vacantis XXIX. Rupertus Gallorum Rex pijssimus, atque doctissimus non sine opinione sanctitatis obijt, de cujus ingenij vigore, scriptis, & Christianissima conversatione latiùs dictum est anno Conradi Abbatis septimo: cui Heinricus filius in regno paterno successit, & super Gallos XXX. annis regnavit. Contra hunc Heinricum mater ejus proprio nomine Constantia, cum alijs certis regni proceribus conspiravit. Maluisset enim fratrem suum Rupertum Ducem regno præsidere, quàm filium. Heinricus autem prævaluit, & omnes sibi adversantes in brevi tempore superavit. Eodem anno Itali conjuratione factâ contra Imperatorem Conradum, Stephanum Pannoniæ Regem vocant in auxilium. Qui precibus eorum consentiens, non parvum suorum exercitum in Lombardiam destinavit. Quod cùm Imperatori Conrado fuisset nunciatum, collectis copijs Ungariam ingreditur, & omnia igne devastans, & ferro, contumeliam sibi factam acerrimè vindicavit. Stephanus autem Rex tantis se copijsConradi videns haud posse resistere, pacem, & amicitiam Imperatoris petijt: quam datis obsidibus, & juramento impetravit. Interea verò quòd Imperator Conradus cum exercitu morabatur in Ungaria, Ernestus Dux Suevorum privignus ejus, Welfo Comes, Wernherus comes, & quidam alij denuo conjurantes contra Imperium, & Conradum, gravem in regno tumultum suscitârunt. Qui cùm rapinas & incendia more suo peragerent, indignati fidem Imperatori servantes contra eos procedunt ad prælium: in quo consertis manibus Dux Ernestus XVII. die mensis Augusti occiditur: Comes Wernherus cum multis alijs in eodem certamine peremptus occubuit. Conradus Imperator in Alemanniam reversus de Ungaria, cùm omnia reperisset turbationibus plena, citò pacem, & concordiam reformare studuit: & Ducatum Suevorum postulante Reginâ Hermanno privigno suo fratri Ernesti commendavit.

Imperator devastat Ungariam.

Ernestus Dux Suevorum occiditur.

MXXXI.

Anno vacantis Monasterij XXX. mortuus est Waltherus Ecclesiæ Spirensis XXII. Episcopus, qui multa Ecclesiæ suæ prædia, & privilegia impetravit ab Imperatoribus S. Heinrico, & Conrado secundo. Huic in Episcopatu Nemetensi successit Regingerus, & parvo tempore præfuisse legitur, mensibus videlicet tantùm duobus. Regingero autem post menses duos mortuo Reginbaldus in Episcopatu Nemetensi populi simul & Cleri consensu successit, & Præfuit annis X. & aliquot diebus, vir magnificus amator Cleri, & Doctor populi multùm egregius, qui multa bona fecit Ecclesiæ suæ: sicuti patet in viginti quatuor versibus, quos à se compositos coronæ inscripsit. Ejus tempore Conradus Imperator secundus majorem Ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis Spiræ, sicut dicemus, novam fundare cœpit.

Anno prænotato Aribo Mnguntinæ sedis Archiepiscopus obijt, vir doctus, nec minus vitæ merito venerandus: cui sanctus Bardo Monachus nostri Ordinis, & Abbas in Archiepiscopatu succedens, præfuit annis XX. vir doctus in Scripturis sanctis, & morum religione multum illustris, ac venerabilis. De cujus Abbatia, unde fuerat in Pontificem assumptus, certam hac vice non possumus dare sententiam, propter multiplicem scriptorum diversitatem, quorum alij asserunt fuisse Fuldensem

S. Bardo fit Archiepisc. Moguntin.

post

post Richardum: alij Hirsfeldensem post Arnolphum: & alij Augiensem post Bernonem. Major tamen pars Fuldensem Abbatem illum fuisse post Richardum confirmant.

His ferme temporibus Conradi Imperatoris celebratum fuit Concilium Episcoporum & Abbatum ejus mandato generali apud villam Triburiensem, in quo multa fuerunt constituta, quorum aliqua novitates quasdam introduxerunt multorum animos turbantes. Synodus Triburiensis.

MXXXII.

Anno Monasterij vacantis xxxi. Rudolphus Burgundionum Rex, qui avunculus erat Gisilæ Imperatricis, jam moriturus Heinrico filio Conradi Imperatoris nepoti suo diadema regni Burgundiæ misit, & eum Regem super Burgundiones Testamenti vigore constituit. Quod ægrè ferens Otto Comes Parisiensis, cùm ad se regnum illud hæreditario pertinere jure crederet, magnum paravit exercitum, & Heinricum prævenies violenter occupat regnum. Quæ temeritas cùm innotuisset Conrado Imperatori, Burgundiam cum exercitu potenter intravit, & regnum illud sibi totum subdidit: Ottonémque, & omnes terræ illius Principes in deditionem accepit, extinctóque regio titulo Burgundiam in provinciam redegit: cui deinceps non Reges, sed Duces imperij feudales nomine præfecti sunt. Rudolphus Rex Burgundionũ ultimus.

Eodem anno mortuus est Joannes Papa xx. cui Benedictus ejus nominis ix. successit: & præfuit annis xiii. mensibus iii. quem Romani tanquam ignavum, & nullius pretij virum dejecerunt: substituentes ei Joannẽ Sabinensem Episcopũ, quem Sylvestrum iii. appellârunt. Quo etiam post xlix. dies pulso, Benedictus ad summum Pontificatum revocatus est.

Claruit his temporibus Campanus Philosophus natione Italus, patriâ Lombardus: in Mathematica & Astronomia eo tempore summus, qui scripsit de computo Ecclesiastico insigne volumen. De compositione quadrantis librum. De Calendario similiter unum librum non spernendum. In Astronomia etiam complura: & alia diversa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis adhuc minimè venerunt. Campanus Astronom.

MXXXIII.

Anno Monasterij vacantis xxxii. Meginhardus Episcopus Herbipolensis moritur xxi. die mensis Septembris: cui Bruno vir sanctissimus in Pontificatu Wirzburgensis Ecclesiæ succedens præfuit annis xi. menso uno, diebus xiv. vir per omnia Deo & hominibus justus, doctus & Christianæ Religionis cultor, & propagator integerrimus: qui cùm in divinis scripturis studiosus esset, & multùm eruditus, inter alia scripsit, & comportavit super toto Psalterio Commentariorum opus insigne: cui præfationem, & pulchras difficilium quæstionum declarationes præmisit. Si quid amplius in scripturis edidit, ad notitiam nostræ lectionis non pervenit. Sanctus hic Bruno Imperatori familiaris, & multùm charus extitit: cujus ut legitur, patruelis fuit. Episcopus autem factus in omni sanctitate & justitia vivere omni tempore diligentissimè studuit, & omne bonum, quod verbo docuit, prius opere demonstravit. Ecclesiam majorem S. Kyliani Martyris in civitate nimiâ vetustate ruinosam, ac more priscorum simplicem à fundamentis novam construxit: & omne patrimonium suum, quod in Saxonia habuit, unde nationis fuit, ad structuram & ornatũ ejusdem Ecclesiæ impendit. Eccl. Herbipolensis major fundata.

Monaſteri. in Lyntpurg fundatur.

Anno Domini prænotato Julij menſis die XII. Conradus Imperator mane horâ quartâ primum lapidem in monte Lympurg pro Monaſterio noſtri Ordinis conſtruendo poſuit: quod per ſe inchoans, per filium in XII. annis feliciter perfecit. Conſtruxit autem inſignem valde Eccleſiam, quam in honorem S. Dei genitricis Mariæ, ac vivificæ crucis voluit conſecrari. Locus hujus Monaſterij Lyntpurgenſis antea fuit caſtrum, quod ipſe Conradus jure hæreditario poſſidebat, tribus à Wormatia, & totidem à Spira diſtans milliaribus. Cujus Eccleſia magna fuit atque pulcherrima, pedes in longitudine excedens quinquaginta & ducentos, in latitudine verò centum quadraginta. In qua fuerunt Altaria viginti: & reverà non memini me noſtri Ordinis Eccleſiam vidiſſe majorem ac pulchriorem. Columnis ex ſolido lapide ab introitu, uſque ad chorum viginti magnis fuit ſubnixa: quarum unaquæque in longitudine pedes habebat xx. & in circumferentia latitudinis cubitos geometrales binos ferme continebat. Erectæ ſtabant ſuper baſes magnas & quadratas, capitella ſimilis formæ & magnitudinis habentes, ſuper quibus muri ab utraque parte in modum ſemicirculi uſque ad tectum extendebantur. Conſummato tandem Monaſterio cum Eccleſia & cunctis manſionibus ad habitandum neceſſarijs, Monachis & Abbate ſub Regula S. Benedicti Deo militantibus traditur: & multis prædijs, redditibus ac proventibus tam à Conrado Imperatore, quàm ab Heinrico tertio ejus filio pro dote ſublimatur.

Año 1470. Lyntpurg deſtruitur.

Stetit hoc inſigne Cœnobium ab hinc annis 470. & multi ſanctiſſimi viri per ſucceſſum temporis in eo claruerunt. Tandem evolutis annorum circulis, quos diximus, noſtris, pro dolor! diebus, anno videlicet Dominicæ Nativitatis, 1504. bello Imperij contra Philippum Bavariæ Ducem Rhenique Palatinum Comitem, ac Principem Electorem nimis crudeliter ſæviente, datam ſibi occaſionem gaudentes æmuli Monachorum Chriſtianæ Religionis deſertores inimici Dei, quidam latrunculi ſervitores conductitij comitis Emichonis ex Lynigen de Duroburgio caſtello vicino, cum furore & impetu exeuntes tricesimâ die menſis Auguſti, Monaſterium cum Eccleſia & univerſis ædificijs igne ſuppoſito incenderunt, ac funditus deſtruxerunt, ut ſuo tempore, & loco plenius dicetur.

Maior Eccleſia Spirenſis fundatur.

Eodem die Conradus Imperator primario lapide in monte Lyntpurgenſi mane poſito, feſtinanter ad civitatem Neometenſem proficiſcitur: & priore Eccleſiâ cathedrali prius depoſitâ, pro nova conſtruenda Lapidem ſimiliter primum poſuit: quam perfectam, in honorem Beatiſſ. Dei Genitricis ac D. Papæ, & Martyris Stephani prioris patroni conſecrari mandavit: verùm præventus morte neutram complere Eccleſiam potuit, quas tamen ipſo præcipiente filius ejus Heinricus tertius magnificè conſummavit. Multa uterque ad hanc Neometenſem Eccleſiam beneficia contulit, eámq; in ſepulturam Regum Romanorum uterq; ordinavit.

Eccleſia S. Guidonis fundatur.

Item eodem anno & die, quibus fundamentum Conradus Eccleſiarum in monte Lyntpurg, & in Spira majoris locaverat, lapidem primarium ſimiliter poſuit tertium, ad Eccleſiam S. Joannis Evang. in urbe Neometenſi prædicta, quæ hodie S. Guidonis appellatur. Miranda & ſempiternis celebranda laudibus in Deum devotio Conradi Cæſaris, qui uno die trium inſignium Eccleſiarum fundamenta jejunus poſuit, quas

maxi-

maximis prædijs, & possessionibus ad sustentationem servientium Domino, in prima Monachorum, in 2. & 3. Canonicorum magnificè dotavit. Idcirco memoria ejus in Benedictione est, & præmio in cælo donatur cum omnibus sanctis perpetuò coronatus.

MXXXIV.

Anno Monasterij vacantis XXXIII. Conradus Imperator expeditionem fecit contra Ottonem, ut supra diximus, comitem Galliæ Celticæ in Burgundiam, & in manu valida eam Imperio subjecit, unà cum omnibus ad Regnum Burgundionum pertinentibus, extinctóque regio titulo terram in provinciam commutans, Ducem ei præposuit. Inde rebus in Germania & Burgundia ex voto compositis, cum magnis copijs in Lombardiam profectus est, & bellum indixit Mediolanensibus, qui conspiratione factâ mandatis ejus obedire contempserant. Territi omnes, præter Mediolanenses, Imperatoris adventu, ultro sese in ejus deditionem tradiderunt; unde Mediolanum obsidione vallavit, quam se penitus desolaturum comminatus fuerat, propter impiam civitatis conspirationem. Qui cùm in die S. Pentecostes S. Brunone Herbipolensis Ecclesiæ Pontifice, in quadam capella juxta mœnia civitatis celebrante, Missam suo more devotus audiret, subitò contigit horrendos tonitruum perstrepere mugitus, tantásque fulgurum coruscationes ingruere, ut conturbatis omnibus, aliqui nimiâ turbatione agitati mente excederent, nonnulli & spiritum exhalarent. Interea Bruno Episcopus beatum Ambrosium vidisse comminantem Imperatori mortis periculum legitur, nisi à Mediolani excidio, quod mente gerebat, desisteret. Itaque Imperator Brunonis consilio acquiescens, pacem cum Mediolanensibus fecit; Principes tum factionis aliquos fecit occidi, & reliquos in exilium relegari: inter quos Archiepiscopum, conspirationis reum, apud Aquilejam relegavit in exilium; qui tamen postea sine Imperatoris consensu clam auffugit, & denuo conspirationem fecit. Imperator à Mediolano discedens, Cremonam profectus est; cui in medio ferme itineris Benedictus Papa nonus obviam venit; quem cum multo honore dimittens, ipse propter calorem æstatis in montana secessit.

Imperator capit Burgundiam.

Mediolanū obsidione cingitur.

Interea Otto Comes Celticus juramenti contemptor, & violator factus, Imperatori denuo rebellare statuens, exercitum ducit in Burgundiam; cui milites ad præsidium regionis ab Imperatore positi, cum cæteris fidelitatem, quam juraverant, servantibus, occurentes viriliter proceedunt ad prælium, & factâ congressione, ipse Otto Comes occiditur; cujus vexillum in signum victoriæ statim ad Imperatorem destinatur. Et sic Burgundia legibus obedire coacta fuit imperialibus.

Otto Comes Celticus perimitur.

MXXXV.

Anno Monasterij vacantis XXXIV. Pagani, qui dicebantur Lintici, Saxonibus multum infesti cum multitudine suorum fines Saxoniæ aggressi, castellum, quod Wirbina vocatur, capiunt: & multa Christianorum millia occidunt: alios autem captivos abducunt. Audiens hanc fidelium cladem Christianissimus Imperator Conradus magnum suorum exercitum congregans, contra gentiles ipsos properat: & aggressione factâ Domino largiente victor extitit: & quia crudele videbatur omnes perdere, quamvis essent eo tempore infideles, sibi & sacro Imperio tribu-

tributarios fecit. Existimatio quorundam est, hunc populum esse, qui hodie Prussiam & insulas inhabitat. Anno prænotato Piligrinus Archiepiscopus Colonienſis, in præsentia Conradi Imperatoris, & multorum Episcoporum, Principum & Abbatum, cryptam cum tribus altaribus sub choro Ecclesiæ Monasterij Lyntpurgensis nostri Ordinis, de quo supra dictum est, solenniter consecravit. Iste Archiepiscopus Piligrinus Scotos Monachos nostri Ord. in Colonia in Monasterio S. Martini Dño in sinceritate famulantes, odio singulari, ob quam causam nescio, persequebatur. Quodam ergo die parùm ante vitæ suæ diem extremum, dixit ad Eliam Scotorum Abbatem: *Cùm rediero de Curte regia: omnes vos Scotos expellam de Colonia.* Cui Elias constanter respondit: *Si vivus redierit ad Coloniam de Curte Piligrinus, non habitat in nobis pauperibus Christus.* Quàm autem verâ fuerit hæc prophetia Eliæ Abbatis, mortis sequentia demonstravit.

Monachi Scoti in Colonia fuerunt.

MXXXVI.

Anno Monasterij vacantis xxxv. Indictione Romanorum quartâ mortuus est Piligrinus Archiepiscopus juxta verbum Abbatis Eliæ, & vivus ad Coloniam non est reversus, sed mortuus. Vir alioquin bonus, & ab infantia sub Monastica vita in Cœnobio S. Burckardi prope Herbipolim regulariter educatus, natione, ut supradictum est, Francus Orientalis ex Comitibus de Rotenburgo, nepos S. Heriberti Archiepiscopi Colonienſis, Prædecessoris videlicet sui. Huic in Archiepiscopatu Ecclesiæ Colonienſis successit Hermannus filius Comitis Palatini Rheni Ettelonis, de quo supra diximus, anno tertio decimo Cœnobij S. Aurelij vacantis, qui frater erat S. Cunigundis Imperatricis, & fundavit Monasterium Bruvviler prope Coloniam. Fuit autem Hermannus iste præsul magnificus, & non minus sapientiâ, & vitæ merito, quàm sanguine clarus: qui præfuit Ecclesiæ Colonienſi strenuè annis ferme viginti, & multa bona coram Domino fecit. Ejus Germanus fuit Eberhardus post Bopponem Archiepiscopus Trevirorum.

Piligrinus Colonienſ. Archiepisc. moritur.

Anno prænotato Arnolphus Abbas Hirsfeldensis, quem sibi Successorem in Abbatia S. Gothardus reversurus ad Monasterium suum Altha substituerat, fit Episc. Ecclesiæ Padelbrunensis, vir ad regimen animarum multum idoneus: in divinis scripturis doctus: eloquio disertus, & prædicator Dei sermonum egregius: nec minus sanctimoniâ vitæ, quàm eruditione ac multitudine scientiæ illustris ac venerabilis. Hoc anno Conradus Imperator filio suo, Regi Heinrico Gundhildem, sive ut alij scribunt, Cunegundem filiam Cnuthonis Danorum Regis, ut dictum est anno vacantis Cœnobij vicesimo quinto, copulavit uxorem. Quæ ad navem ducta est, stipantibus omnibus Daniæ proceribus, & in expensis multa conferentibus: quæ ad sponsum perveniens, multo cum eo tempore fuit. Tandem adulterij accusata, puerulum quendam corpore nanum, quem secum ex Daniâ adduxerat, contra delatorem giganteæ molis hominem, ad monomachiam opposuit, cæteris clientibus, mortis timore refugientibus: susceptо duello insimulator per miraculum Dei ad ostensionem Innocentiæ mulieris, succiso poplite, enervatus est. Gundhildis autem post victoriam viro suo repudium dedit, & nec minis nec blanditijs induci potuit, ut ulterius manere cum eo consentiret, sed gratias agens liberatori suo Domino Deo, virum, sæculum, regnum, & om-

Henricus Rex primâ ducit uxorem Gundhildem.

& omnes mundi voluptates contemnens, pro Christi amore deseruit, & Monasterium intravit. Monialis autem facta in omni puritate vitam suam custodiendo instituit, & consummato vivendi cursu ad Dominum migravit. Henricus autem Rex aliam post repudium prioris sibi datam uxorem duxit, Agnetem videlicet filiam Wilhelmi Comitis Pictavensis, de qua genuit Heinricum, qui ejus nominis IV. Rex, post eum imperavit, & duas filias, quarum prima fuit nomine Gisila Monialis nostri Ordinis in Gandersheim: secunda verò Adelhaidis vocabulo, in Monasterio S. Servatij nostri Ordinis in Quedelnburg, Abbatissa fuit.

Agnes Uxor Heinrici Regis II.

MXXXVII.

Anno Monasterij vacantis XXXVI. die mensis Aprilis sextâ, visa est in cælo inter orientalem, & australem plagam, ignea trabs, miræ magnitudinis, quæ currens super solem jam ad occasum vergentem, visa est in terram cadere, cujus vestigia in aëre postea diu apparuerunt.

Anno prænotato S. Bardo ex Monacho Archiepiscopus Moguntinus decimâ die Mensis Novembris, in præsentia Conradi Imperatoris secundi, Henrici Regis tertij multorúmque Episcoporum Principum & Abbatum, Majorem Ecclesiam S. Martini in Moguntia consecravit.

His temporibus in Apulia, fuit quædam statua lapidea, quæ stabat in campo à multis temporibus erecta, habens circa caput suum æreum circulum, in quo sic erat scriptum: *Calendis Maij oriente sole habebo caput aureum.* Multis ibidem steterat annis: & nemo quid significaret, intelligere curavit. Quam videns quidam Saracenus à Christianis eo tempore captivus, & intelligens Mysterium scripturæ, in Calendis Maij oriente jam sole notavit umbræ capitis statuæ terminum, & ibi suffodiens terram, thesaurum infinitum reperit; quem pro liberatione sui spontaneus dedit.

Magni thesauri mirabilis inventio.

Anno etiam præscripto, 1. die mensis Junij S. Simeon, ex Monacho Eremita solitarius inclusus apud Treviros moritur: cujus vitæ sanctitas, mox infinitis ad tumbam ejus miraculis declaratur. Unde Boppo Reverendissimus Trevirorum Archiepiscopus, missâ legatione ad Sedem Apostolicam, à Benedicto Papa nono canonizari sanctum Patronum suum Simeonem precibus impetravit. Cujus vitam, & miraculorum partem Ebervvinus Tholejensis Abbas, ex commissione Bopponis Archiepiscopi, ut supra dictum est anno Monasterij vacantis quarto decimo, satis ornato, & luculento scripsit, & digessit eloquio. Hujus sanctissimi viri Simeonis græcum Psalterium antiquis Græcis litteris, pulchris, parvis, sed optimè legibilibus scriptũ memoratus Abbas ejus vitæ scriptor, ab Archiepiscopo Boppone oblatum, pro memoriali accepit: quod in Tholejensi Monasterio vidimus & legimus, ac quatuor folia, reliquiarum loco, à Gerardo Abbate impetravimus.

S. Simeon apud Trevirim moritur.

MXXXVIII.

Anno Monasterij vacantis XXXVII. qui fuit annus à primæva ipsius Cœnobij sancti Aurelij Hirsaugiensis fundatione ducentesimus, à mundi autem creatione sexies millesimus ducentesimus tricesimus septimus, à conditione urbis Romæ millesimus, septingentesimus octogesimus octavus, Indictione Romanorum sextâ S. Cunegundis Imperatrix Heinrici quondam Imperatoris Conjunx, & relicta vidua, Cœnobij Confugiensis Fundatrix, & Sancti-Monialis fæmina, cum Hermanno Duce Suevorum,

Ducentesimus annus Monasterij.

S. Cunegundis Imperatrix.

& alijs multis devotis perſonis, causâ devotionis, & orationis Romam proficiſcitur, completâque ſuâ peregrinatione, ad Monaſterium devota revertitur, & multò poſt elapſo tempore infirmata, ſacramentíſque munita ſalutaribus, feliciter ad Dominum migravit. Cujus corpus in Eccleſia Babenbergenſi, juxta ſepulchrum Domini & Mariti ſui Heinrici Imperatoris quondam ſepelitur, anno poſt ejus dormitionem 10. ad ſacrum cujus tumulum Omnipotens Deus infinita miracula operatur, ab illo tempore uſque in præſentem diem. Deinde poſt annos ferme centum, & ſeptuaginta propter crebra ejus miracula per Innocentium Papam III. Sanctorum Catalogo inſcribitur, & canonizatur.

Erhardus Monachus Corbejæ.

Claruit his temporibus Erhardus Monachus in omni ſcientia ſcripturarũ doctiſſimus, Adelgeri Monachi, & Scholaſtici quondã Auditor, atque diſcipulus, qui Rogerio Monacho, de quo ſupra dictũ eſt anno vacantis Monaſterij XIII. in regimine ſcholarum, ante annos decem & octo, ſicut patet ex computatione temporis ſucceſſerat, & multos diſcipulos in omni genere doctrinarum inſtituit. Hic inter cætera ingenij ſui opuſcula ſcripſit in quinque libros Moyſis, non ſpernendæ lectionis Commentaria: quorum ſtudio ſuos Auditores Monachos reddidit doctiores. Sermones quoque & Homilias complures dictavit ad fratres elegantes. De Reſurrectione mortuorum ſcripſit plenum eruditione Tractatum. Scholis ferme præfuit annis triginta, & multa ſcripſit, quorum notitiam non habemus.

Anno etiam prænotato, mortuus eſt Golſcherus Monachus, & Scholaſticus Cœnobij S. Matthiæ Apoſtoli in Suburbano Trevirorum, de cujus ingenio, & lucubrationibus dictum eſt anno Monaſterij vacantis XI. Cui

Lampertus Monachus Trevirenſis.

in regimine ſcholarum ſucceſſit Lampertus Monachus dictus de Legia, vulgariter de petra, vir & ipſe doctus, & in omni genere ſcripturarũ exercitatus, qui ſcholis præfuit annis XXIX. & multos Auditores ad optima ſtudia inſtituit. Scripſit & metro, & proſâ complura opuſcula, ex quibus referuntur ſubjecta. De miraculis Sanctorum libros quinque. De S. Agricio Archiepiſcopo Trevirorum librum unum. Vitæ S. Matthiæ Apoſtoli librum unum. Sermones inſuper varios, & diverſa Carmina in laudem Sanctorum compoſuit.

Anno item prænotato, mortuus eſt Hermannus Dux Suevorum Filius Giſilæ Imperatricis, & privignus Conradi Imperatoris II. Poſt quem Otto Comes Ducatum Allemanniæ, qui & Sueviæ, de manu Conradi Imperatoris ſuſcepit, & annis ferme decem ducavit.

MXXXIX.

Conradus Imperator II. moritur.

Anno Monaſterij vacantis XXXVIII. die menſis Junij 4. Conradus Imperat. II. moritur, & in Eccleſia Spirenſi, quam à fundamentis novam erexerat, cum honore ſepelitur. Paulo antequam tempus moriendi ejus inſtaret, Romam orationis causâ profectus fuerat, & reformatâ inter Pontificem Benedictum IX. & cives pace, exercitum duxit per Apuliam, ubi Græcos & Nortmannos diſſentientes ſimili authoritate ad concordiam revocavit. Inde per Adriaticum mare navigans, venit in Holandiam, & in civitatem proficiſcens Trajectenſem inferiorem ex corruptione marini aëris, quam hauſerat, cœpit graviter infirmari. Vocans igitur filium ſuum Heinricum, ubi ſe vidit moriturum, ſerioſius illi commiſit,

misit, quatenus Ecclesias Spiræ, & in Lyntpurg à se incœptas perfectè consummare, ac sufficienter dotare non omitteret: sed omnia, quæ ad eorum decorem pertinent, quantocius adimpleret. Promittit filius Patri omnia se facturum, quæcunque mandâsset, sicuti & mox postea fideliter in opere demonstravit. Commendavit deinde filium Principibus, qui secum aderant, rogans, ut illi tanquam Imperatori suo in omnibus fideliter assisterent. Et facto more Imperatorum testamento Sacramentis munitur Ecclesiasticis, moriénsque apud Trajectum inferius Spiræ tumulatur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, Regenbaldus Ecclesiæ Neometensis XXIV. Episcopus, XIII. die mensis Octobris moritur: vir sempiternâ memoriâ dignus, utpote qui satis utiliter populo sibi commisso præfuit: quem non minus bonæ conversationis exemplo, quàm sanctæ prædicationis verbo pascere, & instruere consuevit. Cui succesisit in Pontificatu Ecclesiæ Spirensis Sigebotho, & præfuit annis, ut fertur XI. sub quo Heinricus Imperator III. Conradi supradicti filius Ecclesias Lyntpurgensem & Spirensem gloriosè consummavit. Et eodem anno, XXII. die mensis Augusti eclypsis fuit solis. Libet isthic morari parumper, & fabulam Gottfridi Viterbiensis de Conrado Imperatore secundo ejúsque filio Heinrico tertio, & fundatione Hirsaugiensis Monasterij pro viribus refellere: & quàm sit confícta, & inconveniens ac dissona veritati, rationibus demonstrare, sic enim in suo Pantheon dicit de Conrado & Heinrico metro simul & prosâ. Conradus secundus nulli pacem violanti parcebat; unde Comes Lupoldus violator pacis timens occidi ab Imperatore fugit in sylvam remotissimam, ibique cum uxore sua solus in tugurio latitabat. Contigit Imperatorem in venatione casu errantem illuc divertisse, & cum Lupoldo hospitium nocte illâ habuisse in tugurio. Mediâ nocte Comitis uxor masculum peperit; quo vagiente vox tertiò de cælo intonuit: *O Imperator infans iste erit tibi gener & hæres.* Hac voce tertiò auditâ territus Imperator, surgit de strato, & inventis duobus è familia sua dixit: *Ite, & occidite illum infantem, & cor ipsius repræsentate mihi.* Qui euntes accipiunt infantem, & ejus miserti non occiderunt eum, sed super arborem ponunt, & ibidem vagientem dimittunt: Regi autem repræsentant cor leporis, pro corde infantis. Transiens postea inde Dux quidam, invenit & deportat infantem uxori suæ sterili, fingenstque illum de se genitum, ut filium educari fecit. Deinde post annos plures, Imperator videns illum infantem in domo Ducis juvenem, jam formâ decôrum assumit in Satellitem sibi, patre invito; & cœpit paulatim suspicari, ne fortè Sylvani illius rustici (ut ipse putabat) sit filius, quem jusserat infantem occidi. Ut ergo fieret à suspicione liber, misit illum ad Reginam Aquisgrani morantem, cum litteris in hunc modum formatis, ipso nesciente puero, quid in Epistola contineretur: *Mandamus tibi, O Regina, sub pœna mortis, quatenus mox visis his litteris nostris, hunc facias puerum sine aliqua dilatione vel contradictione occidi: quod si non feceris, te noveris occidendam.* Pergebat puer, velut alter Urias internecionis propriæ nuntius; qui pro hospite receptus nocte in domo cujusdam sacerdotis, & lautè refectus, tam ab itinere fatigatus, quàm gravatus à vino fortiter cœpit obdormire. Sacerdos autem curiositate ductus, cùm vidisset bursam cum litteris à

Fabula Gotfridi Viterbiensis de fundatione Monasterij Hirsaw.

Vocem audivisse Cæsarem dicit.

Juvenem misit cum litteris ad Reginam.

teris à collo pueri dependentem, litteras rapuit, cautè aperuit, legit, raſitque præceptum mortis, & in hunc modum reſcripſit: *Quatenus mox viſis his litteris noſtris, huic puero filiam noſtram per nuptias ſolemnes trada uxorem.* Clauſitque litteras denuo cautè ſacerdos, & in burſam viatoris, ipſo penitus ignorante repoſuit. Manè conſurgens puer, iter ſuum continuat, venienſque ad Palatium Aquiſgrani Reginæ dat litteras, ut videbatur ſanas & integras, quas ab Imperatore Conrado accepit. Regina cernens annulum Regis, & manum ſcribentis agnoſcens, obſtupuit, filiam mox iuveni uxorem dedit, ac nuptias cum ingenti pompa celebravit. Poſthæc Imperatori nuntiatur à dicentibus, quàm ſolemniter nuptiæ filiæ ſuæ in Aquenſi palatio celebratæ fuerint; qui nimiùm ſtupens à duobus armigeris, qui puerum juſſi fuerant occidere, à Duce quoque Heinrico, & ſacerdote comperiens ordinem rei geſtæ, ordinationi divinæ neminem poſſe reſiſtere didicit, vocatóque ad ſe Genero jam ſuo, poſt ſe regnaturum inſtituit. In loco autem illo, ubi puer iſte Heinricus fuerat natus, poſtea nobile Monaſterium fuit conſtructum, quod uſque in hunc diem Hirſaugia vocatur.

Filia Imperatoris puero copulatur.

Hæc eſt ſumma congeſtionis fabuloſæ, quam penitus ſilentio pertranſiſſem, niſi omnino veritati manifeſtè eſſet contraria, & huic noſtræ compilationi, de fundatione Hirſaugienſis Monaſterij adverſa. Addo, quòd viri alioquin graves, & eruditi quidam Hiſtoriographi, Gotfridus Presbyter Viterbienſis, Martinus Prædicator, Hermannus quoque, & pleríque alij principium, fundationémque memorati Hirſaugienſis Cœnobij neſcientes, præſcriptam fabulam ſecuti, ab Heinrico Imperatore III. Conradi filio, exiſtimant ſumpſiſſe initium; quæ opinio, cùm & falſa ſit, & compilationi huic noſtræ prorſus contraria, operæ pretium fore credimus, ſi præſcriptam fabulam rationibus apertis confutemus.

Cauſa refutatiõis hujus fabulæ.

Primum falſitatis argumentum ex illo paſſu narrationis accipitur, ubi Comes Lupoldus in ſylvam ab hominum habitatione remotiſſimam metu fugiſſe Conradi, & ibi habitâſſe in tugurio cum uxore ſolus memoratur. Nam eo tempore, quo hanc fabulam contigiſſe locorum ignarus Auctor commemorat, Caſtellum, in proximo, Calba, Comitis ipſius Lupoldi, cum vico adjacente plenum habitatoribus ſtabat, locus autem in quo Heinricus puer natus confingitur, vix quartali unius milliaris ab oppido Calba diſtare videtur; quomodo igitur Lupoldus Comes ibidem latere potuit, ubi caſtrum ejus tam proximum fuit? ſylva enim ſi fuiſſet ab hominum habitatione remotiſſima, ſequeretur neceſſariò, nec oppidum Calba, nec Labencel, ubi ſunt thermæ hoc tempore, tunc extitiſſe, quæ Monaſterio Hirſaugienſi omnino ſunt proxima; ſed cùm utrúmque fuerit ante Hirſaugiam, falſum eſt, eo loci, ubi Monaſterium nunc ſtat, Lupoldum in ſylvam fugiſſe remotiſſimam.

2. Argumentum falſitatis prænominatæ hujus fabulæ, tali ratione conſtruimus; quòd Imperatorem à ſuis omnibus in tali loco, tali tempore, maximè autem per totam noctem deſeri potuiſſe dubitamus. Charior ſemper fuit principibus vita, quàm ſe tanto exponant periculo; major etiam ſollicitudo familiæ, quàm ut omnes ita fugerent à Domino.

3. Quòd fines hiſtoriæ veracis tranſgreditur in tempore regiminis Conradi, in quo fuga Comitis ſituatur. Conradus etenim, ut ſupra dictum eſt,

ctum est, anno vacantis Monasterij vicesimo tertio sumpsit imperium, & anno XXXVIII. diem clausit supremum. Annis igitur XV. imperium tenuit: in quibus & nasci Heinricum, & generum ejus fieri necessarium fuit. Et quomodo Comitem Cæsar antea sibi notissimum ac familiarem non agnovit? quem solum fugisse cum uxore, ac latere in nemore multorum relatione didicit? non enim Cæsari potuit esse incognitus: si hæc historia in principio Imperij ejus facta est. Néque enim tam parvo intervallo temporis notissimus & familiaris, in oblivionem venire Dñi sui potuisse credendus est. Quod si hoc tardius contigit, quomodo puer ad nuptias contrahendas idoneus fuit?

4. Fictitij sit Argumentum, Lupoldum Comitem, virum strenuum, fortem, audacem, ac talem, qui transgredi mandatum Imperatoris non timuit, si ad incognitum solus venisset nocturno tempore in nemus opacum, à cujus comminatione fugisset, aut precibus veniam impetrâsse, ab hospite desolato: aut armis periculi sustulisse auctorem.

5. Sit Argumentum, nullatenus esse credendum Imperatorem Conradum Deo principem semper devotum, tantæ fuisse temeritatis, ut ordinationi restitisset divinæ, quam trinæ vocis intonatione cognovisset, maximè si liberis caruisset, quemadmodum fabula confingit.

6. Nos sentire monet fabulanti contrarium, Cæsarem non potuisse mandare infantem perimere, si voluisset per alium: cùm utique potuisset per semetipsum. Comitem suas etiam non interposuisse vices, infantem si vidisset necandum: quis homo sanæ mentis credat?

7. Falsitatis indicium est, inconvenientia, & temporis, & personarum. Quis fuit ille Dux, qui vagientem puerum reperiens sterili uxori suæ pro filio contulit? Heinricus, inquiunt, Babenbergensis de Bavaria: cujus uxor Cunegundis sterilis fuisse memoratur. Cunegundem Heinrici Ducis & Imperatoris uxorem liberis superius caruisse diximus: sed hunc potuisse supponere sibi puerum, impossibile confirmamus. Conradus enim iste secundus post mortem Heinrici hujus Ducis sumpsit Imperium, quemadmodum per omnium Chronicorum & historiarum manifestum constat Documentum.

8. Falsitatis Argumentum, ex ipsa fabula sumitur, quòd post annos ferme XV. de puero, quem omnes credebant filium Ducis, Imperatorem dicit fuisse suspicatum: cùm aliud non sciret, quàm illum, de quo narratur suspicio, à duobis famulis occisum. Quomodo ergo illum esse puerum rustici, quem jusserat in nemore occidi, suspicari potuit: quem ducis filium haberi ac dici cognovit?

9. Figmenti Argumentum, ex illo manifestum accipimus: quòd filios Ducum, qualis iste puer tunc habitus fuisse describitur, cùm mitteretur cum litteris ad Reginam, solitarios ac mendicos ire per viam non solere scimus. Enimverò, si missus est cum litteris solitarius, ut fabulatur historia, Ducis Heinrici filius, vel cujuslibet alterius Principis credi vel haberi ab hominibus non potuit, quomodo ergo ad nuptias filiæ Regis, qui rustici filius credebatur ab omnibus, pervenit?

10. Figmenti hujus fabulæ, argumentum est, missionis pueri ponderatio; quem si Imperator occidi voluit, quare illum non in loco, unde mittebatur, aut in via per suos clientes secretius necavit. Quod facere

per se occultissimè, si voluisset, potuit. Reginæ cur comisit, non videtur, quod fabula narrat, fulcimentum habere veritatis, cùm occisioni destinatum puerum, ab Imperatore missum dicit ad feminam.

11. Quod nos compellit fidem narrationi subtrahere est, quòd verisimile non videtur, sacerdotem litteras Imperatoris, in re tam ardua potuisse absque suspicione doli & fraudis permutâsse. Quòd si etiam potuit, quis credat, quòd talia contra Imperatorem fecit, capitis habeat timere periculum, qui tantum in Cæsarem facinus perpetrâsset.

12. Falsitatis Argumentum præcedentibus conjungendum duximus: qui consuetudinem celebrandi nuptias Principum & Regum, non ignoramus. Constat Gisilam Imperatoris Conradi mulierem fuisse prudentissimam, quæ filiam non sine multorum consilio Principum etiam jussa per litteras mariti puero tradidisset, quem filium Rustici credidit: néque fidem habuisset filio Ducis, qui pauper & solus venit. Rescriberet ad minus vel semel, aut mitteret aliquos: quorum informatione voluntatis causam jubentis agnosceret: nec Regum consuetudo est, insolita Reginis tali sub pœna præscribere, &c.

13. Hujus falsitatis argumentum est, quòd omnes Historiographi successiones Imperatorum scribentes, hunc, de quo loquimur Heinricum Regem tertium, Cæsarem verò ejus nominis secundum, Conradi filium nuncupant: qui filiam ejus si duxisset uxorem, ut fabula astruit, gener, non filius diceretur.

14. Falsitatis Argumentum, ex illo sumitur, quòd ambæ uxores, quas Heinricus iste habuit, in Chronicis nominatim exprimuntur. Quarum prima Gundehildis filia Regis fuit Danorum, ut supra jam diximus: secunda verò Agnes filia Comitis Wilhelmi Pictavienſis, sicut & diximus, & iterum dicemus. Nusquam legitur in Chronicis, filiam Conradi uxorem habuisse Imperatoris.

15. Arg. erroris falsi, ex eo manifestum ducimus, quòd Hirsaugiense Monasterium apud S. Aureliũ prius, quàm Conradus imperare posset, constructum scimus. Nam ut ex temporum supputatione manifestissimè constat, fundatio sæpe dicti Monasterij, ducentis annis minus sex imperium præcessit Conradi; quomodò ergo verum esse poterit, quòd in eo loco, ubi Heinricus natus fuit, Hirsaugia postea constructa fuerit, quemadmodum fabulæ auctor scripsit. Quod verò nonnulli adjiciunt, Heinricum in loco nativitatis suæ in nemore præfato, Hirsaugiense nobile construxisse Cœnobium, nullum habet veritatis fundamentum. Nam si de primo Cœnobio loquantur S. Aurelij, fundatio est Comitis Erlafridi, quæ cœpta est anno Dominicæ nativitatis, octingentesimo, tricesimo, tempore Ludovici Pij, Imperatoris primi. Si verò ad secundam convertant intuitum, dicimus instaurationem Monasterij fuisse Hirsaugiensis, non fundationem. Et hæc quidem instauratio, non per Imperatorem Heinricum, sed per Comitem Adelbertum de Calba, sicut postea dicemus, facta est. Quod si fundationem istius Monasterij præsentis Hirsaugiensis trans pontem nobis pro fabulæ confirmatione objecerint: respondemus. Monasterium Hirsaugiense novum trans Nagaltaham fluviolum, néque per Regem aliquem, néque per Comitem, sed per S. Wilhelmum Abbatem duodecimum, & suos Monachos, à fundamentis de novo esse constructum.

Fundatores Hirsaugiæ qui fuerint.

Ulti-

Ultimum falsitatis Argumentum ex illo colligimus: quòd etiam ipsi Scriptores hujus fabulæ, & Gottfridus, & alij quos cõmemoravimus, Henricum Regem tertium Conradi Imperatoris secundi filium, extitisse manifestè scribunt, non Generum. Multa possemus, & alia introducere argumenta contra hujus præscriptæ figmentum fabulæ, si non videretur nobis superfluum, & legentibus forsitan esse tædiosum. Satis ergo fuerit nos in ejus confutationem ea posuisse, quæ diximus: quatenus & nostram compilationem, & Hirsaugiensis Monasterij vetustatem ab injurijs ignorantium defendamus. Quæ autem causa moverit inventorem fabulæ, ad mentiendum, ut puto, nihil mea interest.

MXL.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis XXXIX. Heinricus Conradi secundi Imperatoris filius, Rex Romanorum III. principum electione ad imperium assũmitur, & imperavit annis XVII. qui erat multæ urbanitatis, prudens, sapiens, & in omni genere scripturarum non parum eruditus. Qui factus Imperator omnes Ecclesiarum structuras, tam in monte Lyntpurg, quàm in civitate Spirensi, quas pater magnificè inchoaverat, sum̃a cum diligentia consummavit, donationes etiam & possessiones, quas pater pro sustentatione servorum Domini, ad easdem Ecclesias contulerat, non solum in aliquo non minuit: sed multa de suis proprijs adijciens, quantum potuit auxit, & ampliavit. Et sciendum, quòd abhinc quædam inter scriptores temporum differentia sonare videtur; quam consideratione nostrâ facilè poterimus amputare. Heinricum istum nonnulli secundum, alij verò tertium nuncupârunt, & sic deinceps úsque ad ultimum dissonantia continuatur, quod inde manifestum est provenisse, quia Heinricus Rex I. coronam Imperij non habuit, & ob id de catalogo Imperatorum à quibusdam repellitur, ab alijs verò insertus reperitur. Qui repudiant eum ab Imperatorum consortio, istum Heinricum appellant secundum, qui verò admittunt, tertium. Nos autem illos sequemur, qui I. Heinricum inter Imperatores computant, nec Imperij coronã distinguimus, sed nomina Regum; qui etsi coronati non fuerint, locum tamen, & potentiam imperialem habuerunt, & excludi non debuerant.

Heinricus tertius fit Imperat.

Dissonantia inter Scriptores de Heinricorum numero.

Anno prænotato mortuus est Eberhardus primus Episcopus Ecclesiæ Babenbergensis, vir tam eruditione scripturarum, quàm morum integritate venerabilis, qui suâ industriâ Ecclesiæ novellæ non mediocriter præfuit. Post quem Svvidegerus ordinatur secundus Episcopus, & præfuit annis sex, quibus evolutis, in sum̃um Romanum Pontificem electus est.

MXLI.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis XL. Heinricus Rex contra Uratislaum Ducem Boëmiæ duxit exercitum, sed non satis prosperum res consecuta est effectum. Multis namque proceribus atque militibus in præstructione sylvarum conclusis, occisis & captis, Petro quóque Ungarorum Rege Boëmis auxilium ferente, cum gravi dispendio suorum redijt. Eodem anno mortuus est Elias Abbas Monasterij S. Martini Scotorum in Colonia, vir integerrimæ conversationis, qui ad mensuram Regulæ SS. Patris nostri Benedicti unà cum Monachis suis vitam duxit valde arduam & religiosam, paucísque tunc temporis imitabilem.

Rex copias ducit in Boëmiam.

ratione cujus multas à carnalibus hominibus quotidie sustinuerunt injurias: qui bonorum opera virorum, quæ imitari non poterant, impio dente pessimæ æmulationis provocati, studio, ut solet fieri, carpebant.

Gwimund. ex Monacho Archiepiscopus.

Claruit his temporibus Gvvimundus ex Monacho Cœnobij de S. Cruce S. Leufridi nostri Ordinis Archiepiscopus Aversanus, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, ingenio subtilis, & disertus eloquio, qui scripsit ad Rogerium Monachum de Corpore & Sanguine Domini, contra errores Berengarij Turonensis necessarium opus in 3. libros divisum: alia etiam nonnulla composuit, quæ ad manus nostras non pervenerunt.

Rogerius Monachus scriptor.

Claruit & Rogerius Monachus ejusdem Cœnobij Crucis S. Leufridi ad quem prædictus Gvvimundus adhuc in Monasterio constitutus, suum in opere memorato exercitavit ingenium; vir certè & ipse doctissimus, qui simili scripsit intentione contra Berengar. de Sacramẽto Altaris lib. 1. De integritate fidei Catholicæ lib. 1. De imortalitate animæ lib. 1. & alia quædam lucubrâsse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis non venerunt. Claruit hisdem quóque temporibus Lampertus Monachus Cœnobij S. Laurentij Leodiensis nostri Ordinis, sub norma D. Patris Benedicti, in scripturis eruditus, nec minus vitæ merito reverendus: qui Magister scholæ Monachorum prælatus bene docuit, & plura scripsit. In quibus se virum egregiè doctum ostendit: & utilem ac notum posteritati fecit. Hic Adelmanni præceptoris, ac postea Brixinensis Episcopi quondam fuit discipulus, à quo magnis effertur præconijs: vitam S. Heriberti Colonienſis Episcopi pulchro ordine, & diserto admodum eloquio lib. 1. De ejusdem S. miraculis lib. 1. Hymnorum varij generis carminum lib. 1. Epigrammaton lib. 1. Officium nocturnum de S. Heriberto scripsit, quod pulchrâ & regulari modulatione composuit, alia etiam multa lucubrâsse dicitur, quæ ad manus nostras non pervenerunt.

MXLII.

Pannonij Petrum Regem expellunt.

Anno vacantis Monasterij S. Aurelij XLI. Pannonij qui & Ungari, seditione factâ, Ovonem quendam super se Regem constituunt, & de Regno Petrum expellunt. Qui profugus & exul Heinrici Regis, cui priori anno Boëmis ferendo auxilium, rebellaverat, gratiam petijt, & impetravit. Rex igitur Heinricus magno suorum congregato exercitu, Boëmiam rursus ingreditur: animum Leonis induens quasi rugientis, omnia devastat, omnia vincit, omnia superat; nihilque omnino intactum relinquens, Ducem Uratislaum rebellem obsides dare, ipsumque post se Ratisponam ad deditionem humillimam venire compulit: à quo mox fidelitatis perpetuæ juramentum, & servitij cum omnibus cautionibus necessarijs accepit. Interea dum hæc agerentur in Boëmia, Ovo indignatus, quòd Rex Heinricus Petrum suscepisset ad gratiam, collecto magno suorum exercitu, fines Bavarorum ingreditur: & omnia prædis & incendijs de populatur. Contra quem Adelbero, provinciæ Austriæ Marchio Regi Heinrico fidelis in prælium descendens, magnam partem Ungarorum bellando superavit & extinxit, reliqui conterriti fugiendo se salvârunt.

Heinricus Rex Boëmiam suo Imperi. subijcit.

MXLIII.

Anno Monasterij vacantis XLII. Indictione Romanorum XI. Amichadus Fuldensis Cœnobij Monachus natione Scotus, & multis annis pro Christi amore apud Fuldam inclusus, de incolatu, ad patriam felicitatis

citatis æternæ transmigravit. Super cujus tumulum nocturno tempore lumina divinitus missa lucere sunt visa, voces cantantium Angelorum auditæ, & plura ostensa miracula.

Gisila uxor Imperatoris moritur

Eodem anno die XIV. mensis Februarij mortua est Gisila Imperatrix Conradi secundi uxor, & mater Heinrici Regis tertij, cujus cadaver juxta mariti sui tumbam in Ecclesia Spirensi sepelitur.

Hermannus contractus moritur.

Anno prænotato Hermannus Contractus ex Comitibus de Veringen Monachus nostri Ordinis Cœnobij S. Galli in Suevia, homo in omni litteratura doctissimus, non sine opinione sanctitatis moritur: de cujus ingenio & lucubrationibus longè dictum est suprà, anno Monasterij vacantis tertio, qui scholæ Monachorum in eodem loco plusquam XXXVIII. annis gloriosè præfuit, & multos docendo erudivit. Quis verò in regimine scholarum isti Hermanno successerit, nescimus.

Anno præscripto Heinricus Rex memor injuriarum, quas Regno & sibi anno priori Ovo Pannoniæ tyrannus intulerat: volensque pro viribus ulcisci contumeliam, cum suorum exercitu magno Ungariam ingressus, duas populosissimas Civitates evertit, & plures in deditionem accepit, multorumque spolijs dives, in Germaniam felix revertitur.

S. Clarus Monachus Selgenstat.

Claruit his temporibus in Cœnobio SS. Martyrum Marcellini & Petri in Selgenstat, Moguntinæ Diœcesis, Monachus quidam conversatione simul & nomine clarus, qui tam in divinis scripturis, quàm in sæculari litteratura nobiliter doctus, & divino tandem spiritu miraculo è inspiratus, omne studium suum, in quo prius delectabiliter solebat occupari, convertit ad amorem Dei; nam de licentia sui Pastoris, ut Christo servire totis potuisset viribus, omnium cœpit hominum declinare consortium, & inclusus juxta idem Monasterium in arctissima cella, gratum Deo exhibuit famulatum. Annis triginta ferme in eodem loco fuit, pro Dei amore spontaneâ voluntate reclusus, devotissimâ intentione in Dei laudibus semper occupatus. Octavo reclusionis suæ anno, spiritum S. prophetiæ à Domino accipere meruit, & deinceps usque ad mortem in omni puritate mentis, & corporis duravit. Carnem, & omne, quod vitam habuerat, non manducavit: vinum & siceram cunctis diebus reclusionis suæ non bibit; in spirituali exercitio fuit continuus, lectioni divinarum scripturarum, orationi & contemplationi semper deditus, & nullo unquam tempore otiosus: tandem post multa sanctarum virtutum opera, post clara de futuris contingentibus, quæ Deus illum voluit prædicere, vaticinia, anno Dominicæ Nativitatis prænotato, I. die Mensis Februarij, ut verus Dei sanctus, ad requiem cœlestis patriæ vocatus moritur, & inter chorum & altare summum, cum reverentia & honore sepelitur. In cujus transitu, voces cantantium Angelorum sub melodia inenarrabilis suavitatis auditæ sunt, non ab omnibus, qui aderant, sed à quinque Monachis, Brunone, Hermanno, Richvvino, Joanne & Rudolpho, quos vitæ sanctimonia fecerat dignos, qui & ipsi quinque orantes exauditi sunt, & eodem anno ad Clari consortium moriendo transmigrârunt. Series autem Cantici, quod præcinentibus Angelis audierant, hunc tenorem continebat: *In cœlestibus regnis Sanctorum habitatio est Alleluja, & in æternum requietorum Alleluja.* Custos quoque Ecclesiæ præfati Monasterij nomine Erlungus Monachus, probatæ fidei, & religionis septem vicibus candelas

Annis 30. fuit inclusus.

Multis claruit miraculis.

ad tumbam ejus positas, quas extinxerat suâ manu, divinitus reincensas reperit: multa de hoc sanctissimo viro in suis compilationibus Marianus Scotus Monachus Fuldensis, & alia miracula de Sanctis, qui suo tempore claruerunt, recitat, quæ nos brevitatis causâ omittimus.

MXLIV.

Rex devastat Pannoniam.

Anno vacantis Monasterij S. Aurelij xxxxiii. Heinricus Rex denuo duxit in Pannoniam, & Petro in Regni solio potenter restituto, satisfactionem, munera, obsides, & pacis, fidelitatísque observationem per Jusjurandum ab Ungaris suscipiens, cum ingenti gloria victor ad sua revertitur. Eodem quoque anno synodus Episcoporum magna, & conventus Principum apud Constantiam Sueviæ civitatem celebratur: ubi convenientibus multis, etiam Heinricus Rex de Ungaria reversus, inter eos personaliter comparuit, & cunctis, qui in eum deliquerant, debita dimisit, omnibúsque inimicitijs destructis, pacem eatenus inauditam per totum regnum edicto publico confirmavit.

Nova Regina inungitur.

Anno prænotato, Heinricus Rex post repudium, quod sibi dederat Gunhildis uxor prima, ut supra diximus, Agnetem Comitis Wilhelmi Pictaviensis filiam apud Moguntiam ungi faciens in Reginam, per ministerium S. Bardonis Archiepiscopi, regalibus sibi nuptijs apud Ingelenheim villam regiam, uxorem copulavit. Convenisse ad has nuptias infinitam Histrionum & Joculatorum multitudinem legimus, quos omnes, non solùm muneribus, sed etiam cibo & potu vacuos, Rex abire præcepit; cibaria verò, quæ manducantibus invitatis supererent, non Histrionibus & Mimis, sed Christi pauperibus, quorum aderat multitudo maxima, deberi confirmans.

Lupoldus Austriæ Marchio moritur.

Anno etiam prænotato, mortuus est Lupoldus Marchio Austriæ, filius Adelberonis, cujus antea mentio habita fuit, vir ætate Juvenis, corpore & animo fortis, qui Ungarorum malleus, & ferrea virga extitit. Maxima pestis hoc anno pecudum fuit, hyems dura, & nivosa.

Eodem quoque anno Gozzilo, Dux Lotharingiæ moritur, duos relinquens filios, Gozzilonem videlicet, & natu majorem, & Gotfridum minorem ætate. Qui Gotfridus fratre suo astutior, Ducatum Patris seniori debitum præoccupans, illum ad Regem fugere compulit, & Principatum solus violenter possidere cœpit. Missâ igitur legatione ad Regem Heinricum, fratrem ut inutilem postulat abjici, & sibi Ducatum Lothariensium concedi, quod cùm impetrare minimè potuisset à Rege, postponens Jusjurandum, & fidem, parat rebellionem.

MXLV.

Heinricus Rex Ungariam subjicit.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis xxxxiv. Indictione Romanorum xiii. Heinricus Rex tertiò Pannoniam ingressus, Domini præsente clementiâ victor extitit, & Ovonem cum uxore, filijs, & cognatis, quibus fugiendi locus erat, de Regno effugavit, Petrum denuo in Regni solium instituit, & tam ipsum, quàm totum Ungarorum Regnum suo imperio subjicit; summóque cum honore ad sua redijt. Eodem anno Gotfridus Lotharingiæ Dux Regi Heinrico, ut diximus, rebellis, ad humillimam deditionem compellitur, & in castello quodam suo, quod Gibichenstein dictum est, usque ad satisfactionem custodiæ mancipatur. Peractâ tandem pœnitentiâ, condignè ad Regis gratiam recipitur.

Anno

Anno prænotato, 28. die mensis Maij, mortuus est S. Bruno Episcopus Herbipolensis, patriâ Saxo, & in Ecclesia S. Kiliani Martyris sepelitur in crypta, vir magnificus, qui optimè rexit, & multa bona fecit Ecclesiæ suæ: non minus vitæ merito, quàm scientiâ scripturarum illustris. Hic Heinrici Regis III. nepos fuit, in cujus familiaritate præcipuus extitit, de cujus ingenio & scriptis anno Monasterij vacantis XXXI. dictum est. Huic in Episcopatu Herbipolensis Ecclesiæ successit Adelbero Abbas Monasterij Lambach nostri Ordinis in Bavaria, & præfuit in principio quidem feliciter, postea verò sub Heinrico Rege IV. excommunicato in multis tribulationibus, annis XLV. mensibus tribus, diebus septem. Heinrico etenim IV. tanquam hæretico, per Romanum Pontificem excommunicato, cives Herbipolenses contumaciter semper adhærentes, prædictum Adelberonem Episcopum suum Apostolicis mandatis obedientem expulerunt, substituentes in locum ejus de mandato Imperatoris Meginhardum: quo post triennium mortuo, Eberhardum statuerunt Episcopum. Adelberone adhuc in exilio apud suos Bavaros vivente. Sed de his locis congruentibus omnia singulatim dicenda, in melius reservamus. Præfuit autem Adelbero in Ecclesia Herbipolensi residens annis quadraginta, supervixit deinceps expulsus annis quinque, ut patet in loco suo. Iste Præsul Adelbero, & Ecclesiam Canonicalem S. Stephani Herbipolensem anno Pontificatûs sui decimo, Monasterium Ordinis nostri fecit, & Canonicos ad alias Ecclesias transtulit, sicut inferius suo loco dicemus.

Adelbero Abbas in Lambach fit Episcop. Herbipolensis.

Anno etiam prænotato, Caliphâ Archisoldano Ægyptiorum mortuo, filius ejus, qui patri successit in regno, ad instantiam Imperatoris Græcorum Christianis indulsit, ut templum Dominici sepulchri ante annos, ut supra dictum est, sex & viginti per Saracenos destructum, reædificare possent. Unde Nicephorus Patriarcha, unà cum Christi fidelibus manus apponens operi, Soldano nihilominus sumptus, & impensas ob amorem Imperatoris Constantinopolitani necessarios de suo ærario publico ministrante, satis insignem Ecclesiam instar prioris, brevi tempore construxerunt, in quo Domino servientes, multas eleemosynas Regum acceperunt.

Ecclesia Jerusalem reædificatur.

MXLVI.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis XLV. ultimâ die mensis Martij mortuus est S. Guido, Cœnobij Pomposiensis in suburbanis Ravennæ, villâ Casamarensi Abbas anno regiminis sui XLVIII. vir SS. Conversationis, qui multis in vita & post mortem coruscavit miraculis, cujus Corpus sanctissimum non diu postea propter signa & miracula multa, Rex precibus suis ab Archiepiscopo Ravennatensi obtinuit, & cum summa reverentia in Germaniam deportans, Spiræ in Ecclesia S. Joannis, quam pater fundaverat, collocavit; ab illa die, usque in præsens tempus, Ecclesia ipsa, quæ sub honore S. Joannis Evangelistæ consecrata fuerat, ad S. Guidonem nuncupatur: sancti autem Corporis ad Spiram illatio facta est 28. die Aprilis, in cujus rei memoriam, festum ejus quotannis eodem die apud Neometenses agitur.

S. Guido Abbas moritur.

Anno prænotato Heinricus Rex tertius, rebus in Germania dispositis, Italiam cum exercitu ingreditur: venienséque ad urbem à Romanis pacificè cum honore magno suscipitur, & à Patribus ut fluctuanti Ecclesiæ

Tres Papæ deponuntur Romæ.

inter

inter procellas ſubveniat, rogatur. Tres namque de ſummo pontificatu contendebant, Benedictus videlicet nonus, Sylveſter tertius, & Gregorius ſextus. Rex indictâ Synodo Epiſcoporum, Abbatum, & Presbyterorum, cauſas de papatu contendentium, diligentiſſimè fecit examinari, & inveniens nullum eorum juſtum ad Pontificatum habuiſſe introitum, omnes per ſententiam Concilij depoſuit, & ad pœnitendum ſuis locis deputavit. Deinde Suidegerum Babenbergenſis Eccleſiæ ſecundum Epiſcopum, virum ſapientem, & doctum eligendum patribus obtulit: qui unanimi omnium conſenſu Papa ordinatus, Clemens ſecundus nuncupatus fuit, homo certè pontificio munere digniſſimus, ſed brevi tempore in eo vivere permiſſus. Duntaxat præfuit menſibus novem, diebus ſeptem. Ejus nomen fuit ante Papatum ſicut ſcripſimus Suidegerus per u. & non Syndegerus per y. ut imperitè à pleriſque ſcriptum legitur. Hæc ordinatio Pontificis memorati Clementis Romæ facta eſt in fine Menſis Decembris anno præſcripto. Anno itaque prænotato Suidegero in apicem ſumi Pontificatûs, ſicut diximus, ſublimato, Heinricus Rex, Conradi Imperatoris ſecundi filius, coronam imperij de manu ejus, in die Nativitatis Domini noſtri Jesu Chriſti Romæ cum magna ſolemnitate ſuſcepit. Simili pompâ benedictionem imperialem Agnes Regina Heinrici uxor eodem die, de manibus Clementis Papæ ſecundi aſſecuta eſt. Quo facto, Romanos in ſua verba jurare Heinricus Imperator jam compulit: ut de cetero pontificum electioni ſine mandato Cæſaris pro tempore exiſtentis ſe nullatenus debeant intromittere; quòd etſi forſitan illo tempore videbatur neceſſarium: poſtea tamen, ut Eccleſiæ libertati contrarium, rectè per non uſum extitit revocatum. Imperator Heinricus exercitum à Roma duxit in Apuliam, cum magno ubique honore ſuſcipitur, & ut unicus, & verus mundi Dominus, & Monarcha ſalutatur. Interea dum Imperator viſitans perluſtraret Apuliam, Agnes Imperatrix remanſit gravida cum præſidio apud Ravennam. Impletis tandem diebus ſuis, filiam peperit: quam Giſilam vocavit, quæ Ordinis noſtri poſtea ſanctimonialis virgo extitit.

Suidegerus Epiſcopus Bambergēſis fit Papa Romæ.

Heinricus Rex, fit Imperator.

Imperatrix filiâ parit Giſilam.

MXLVII.

Anno Monaſterij vacantis XLVI. obijt Lambertus Monachus, & ſcholaſticus Cœnobij ſancti Matthiæ apud Treviros, de cujus ingenio, & ſcriptis ſuperius anno vacantis Monaſterij Hirſaugienſis XXXVII. fecimus mentionem. Poſt quem Joannes Cœnobij Monachus ſcholis Monachorum præfectus, docendi munus decem & octo annis ſtrenuè implevit. Erat autem in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, ſed in Muſica præcipuâ eruditione ſingularis, qui ad honorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum ejus, multos Cantus, & proſas compoſuit, ac regulari melodiâ dulciter ornavit. Ad geſta Trevirorum, quod deerat, uſque ad ſua tempora addidit, & Carmina diverſi generis plura ſcripſit. Iſte quoque vir doctiſſimus geſta Sanctorum in duodecim volumina ſecundùm totidem anni menſes, non ſine maximo labore comportavit: quod opus à pleriſque légenda aurea nominatur. Commentarios etiam ſcripſit in omnes Epiſtolas Pauli. Et alia plura lucubrâſſe dicitur, quæ necdum ad notitiam noſtræ lectionis meminimus perveniſſe.

Joannes Scholaſticus Trevirorum.

Anno prænotato, 9. die menſis Octobris, Clemens Papa II. de Roma cum

ma cum Heinrico Imperatore proficiscens moritur: & in Ecclesia Bambergensi, ubi antea sex annis fuerat Episcopus, sub albo marmore sepelitur. Cui mox in Pontificatu successit promotione Imperatoris Boppo natione Bavarus, Brixiensis Ecclesiæ in Bavaria primùm Episcopus, & deinde Aquilejensis Patriarcha, quem Damasum vocavêre secundum, qui uno duntaxat mense præfuit, minus septem diebus. Nam tertio, & vicesimo Pontificatûs sui die, veneno Romanorum interijt: & in Ecclesia S. Laurentij extra urbem, sicut dispositerat, sepultus fuit: & vacavit sedes 4. mens. Post Damasi mortem, miserunt Romani Legatos ad Imperatorem in Saxoniam rogantes, optimum quempiam sibi dare pontificem. Qui consilio suorum habito, misit eis Brunonem Episcopum Urbis Leucorum, quæ Tullensis nuncupatur, & est sita in Confinibus Lotharingiæ & Burgundiæ, in provincia Trevirorum, virum in divinis Scripturis eruditum, & morum sanctitate venerabilem; qui veniens Romam, in summum Pontificem omnium consensu ordinatus, Leo IX. dictus est, & sedit annis quinque, mensibus duobus. Hic natione fuit Theutonicus, patriâ Suevus, filius Comitis de Ehingen, vel ut quidam volunt, Alsaticus, ex Comitibus de Egesheim, qui puer in Monasterio traditus, sub bonis præceptoribus scientiam omnium hausit scripturarum. Deinde meritis cum ætate crescentibus, Tullensis Ecclesiæ præsul factus est, & postremò Romani Pontificatûs apicem conscendere promeruit. Hic Romam ingrediens voces Angelorum in aëre cantantium audivit: *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Papa factus sanctissimè vixit, Christum in forma leprosi hominis hospitio susc epit. Scripsit inter alia contra errores Græcorum ad Constantinopolitanum principem lib. I. Cantus quóque varios de diversis sanctis pulcherrimâ ordinatione & melodiâ composuit. Hoc ipso anno Petrus Rex Pannoniæ, factâ suorum defectione, à quodam tyranno Ungaro captus, & excæcatus est, trususque in custodiam, non diu postea moritur. Cujus Imperium tyrannus ille capessens, regnare pro eo cœpit.

Leo Monachus Pap. 9.

Miraculis claruit.

MXLVIII.

Anno Monasterij vacantis XLVII. Indictione Romanorum I. mortuus est Otto Dux Suevorum, vir potens & magnanimus, amator pacis & pauperum, defensor suorum constantissimus. Post quem Otto comes de Svveinfurt, patriâ Francus Orientalis, Dux & Princeps Suevorum de consensu Heinrici Imperatoris fuit institutus, & præfuit genti Suevorum annis novem, vir & ipse potens & inclitus.

His quóque temporibus Anselmus Abbas Monasterij Lauriss ensis nostri tunc ordinis (quod Præmonstratenses nunc occupant) in Strata Montensi construxit novam circa Heydelberg Oppidum præposituram, in qua Monachos nostri Ordinis cum Præposito, sibi tamen subjectos, posuit: pro quorum sustentatione, proventus eis, & redditus necessarios deputavit. Verùm post annos deinde centum ferme & quinquaginta hæc ipsa Monachorum præpositura in Cœnobium Monialium ejusdem Ordinis nostri per Conradum Palatinum Rheni Comitem fuit commutata, ut suo inferius loco & tempore plenius favente Domino dicemus.

Cœnobij Nuenburg fundatio.

Anno prænotato sextâ die mensis Junij obijt Egilvvard⁹ Monachus, & Scholasticus Cœnobij S. Burghardi prope civitatẽ Herbipolens. vir doctus,

ctus, & vitæ merito satis venerandus: de cujus ingenio, & lucubrationibus longè supradictum est, anno Conradi Abbatis XIII. Huic in regimine Scholastico successit Marquardus Cœnobij Monachus, præfati Egilvvardi quondam auditor atque discipulus, vir & ipse tam in divinis Scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, metro simul exercitatus & prosâ: qui legendo, scribendo, & docendo scholis gloriosè præfuit Monachorum annis quatuor & viginti, multosque in ordine discipulos in omni varietate scripturarum consummatos instituit. Scripsit in Evangelium Matthæi Commentariorum libb. 4. In Regulam quóque S. P. nostri Benedicti Commentarium edidit. Cantus quóque varios, Carmina & Epistolas ad diversos scripsit elegantes.

Marcquardus Monachus Herbipolensis.

Anno etiam prænotato, XVI. die mensis Junij obijt Boppo Trevirorum Archiepiscopus, non sine magna opinione sanctitatis in Ecclesia S. Petri Apostolorum principis Cathedrali sepultus, quem Dani suum meritò recognoscunt Apostolum, per quem sacræ sumpserunt fidei Christianæ Documentum. Ejus vitam & gesta Ebervvinus Tholegiensis Abbas descripsit, quemadmodum supradictum est, anno vacantis Cœnobij XLIV. cui singulari familiaritatis amicitiâ semper conjunctus fuit. Post quem Eberhardus Wormatiensis præpositus in Archiepiscopatu successit, vir nobilis & strenuus, nec minus vitæ merito, quàm generis nobilitate venerandus, & præfuit annis decem. Hic filius erat Palatini Comitis Rheni Ezzelini nobilissimi Principis, & frater Hermanni Archiepiscopi Colonienſis, & Ludolphi Palatini, de quibus longè supra diximus anno videlicet Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis vacantis XIII. de miserabili autem interitu hujus S. Pontificis Eberhardi, suo loco inferius dicemus, anno vacantis Monasterij quinquagesimo septimo.

MXLIX.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis XLVIII. Heinricus Imperator exercitum suorum validum duxit in Galliam, contra Gotfridum Lotharingiæ Ducem, & Baldevvinum rebelles: quibus ad deditionem coactis, & regno in illis partibus pacificato, victor cum honore in Germaniam revertitur, & convocatis Regni principibus in Ulma vico Sueviæ colloquium pro utilitate & negotijs reipublicæ indixit. Eodem anno Synodus Moguntiæ generalis celebrata est Episcoporum & Abbatum, *in qua* Leo Papa IX. cum Cardinalibus multis comparuit.

Heinricus Imperator vastat Galliam.

Anno quóque præsignato, XXIV. die mensis Aprilis, Berno Augiensis Cœnobij Abbas, & reformator clarissimus, de quo supradictum est, anno vacantis Monasterij XVII. Ecclesiam S. Marci, quam de novo construxerat, magnam & insignem consecrari fecit per Theodoricum Episcopum Constantiensem, præsentibus Heinrico Imperatore, & multis alijs Episcopis, Principibus & Abbatibus: prior autem Ecclesia, quam S. Pyrminius Episcopus Meldensis B. Mauri Abbatis discipulus, tempore Theoderici Regis Francorum, in prima Cœnobij Augiensis fundatione construxerat, nimiâ vetustate, utpote quadringentorum annorum, ac priscâ simplicitate ruinosa & penè destructa, stare diutius in vigore non potuit. Eodem anno, VII. die mensis Junij prænominatus Berno Abbas Augiensis morbo gravatus & senio, bonis operibus plenus moritur, & in prædicta S. Marci Ecclesia, quam de novo construxerat, anno Regimi-

Augiensis Ecclesia nova consecratur.

Berno Augiensis Abbas moritur.

nis sui

nis sui ac curæ pastoralis XL. cum honore sepelitur, die videlicet post dedicationem Ecclesiæ, quam diximus, quadragesimo tertio, de cujus ingenio, & scriptis dictum est supra loco præallegato.

Anno item prænotato primâ die mensis Januarij moritur, S. Odilo V. Abbas Monasterij Cluniacensis nostri Ordinis, in Burgundia, vir sanctissimæ vitæ, qui multis & vivus & mortuus coruscavit miraculis, propter quod in SS. Catalogum relatus est; cujus vitam Petrus Damiani ex Monacho Episcopus Cardinalis postea litteris commendavit. Obijt autem anno ætatis suæ 87. Abbatiæ verò LVI.

Humbertus Monachus Cardinalis

Claruit his temporibus Humbertus Monachus nostri Ordinis Cœnobij Tullensis, natione Lotharingus; vir in omni genere scripturarum doctissimus, quem Bruno Episcopus Tullensis Romam profecturus ad summum Pontificatum suscipiendum, ut supra diximus, propter sapientiam & doctrinam viri, secum duxit, & primò quidem Episcopum ordinavit in Sicilia, postea fecit eum sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, cujus consilio semper in rebus magnis & arduis uti familiarissimè consuevit. Qui missus Constantinopolim, contra errores Græcorum, magnificè disputavit publicè, coram Imperatore & Patriarcha, superavitq; Leonem Episcopum Bulgarum, & Nicetam Pyctoratum, Monachum valde doctum usque adeò confutavit, quòd omnes libros erroneos à se compositos coram omnibus manu propriâ injectos ignibus concremavit, & errorem pristinum abjurans & detestans, execratusque anathematizavit. Hanc autem disputationem suam omnem Humbertus litteris commendavit, conficiens Dialogum valde bonum & elegantem; cujus interlocutores sunt ipse alter sub nomine Romani, & Niceta Monachus alter sub nomine Constantinopolitani. Alia quóque nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis non venerunt.

Hildebrandus Monachus Card.

Hildebrandus etiam Monachus Cluniacensis, vir doctiss. hâc tempestate Romæ claruit, quem Leo Papa nonus Abbatem primò constituit Monasterij S. Pauli Apost. extra urbem; ac deinde S. Romanæ Sedis Diaconum Cardinalem ordinavit. Qui tandem summus Pontifex creatus & Gregorius septimus dictus, multas ab Heinrico quarto Rege, alijsque injurias & contumelias susceptit. *ML.*

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis XLIX. sanctus Leo Papa nonus ad petitionem Imperatoris Heinrici, Germaniæ provincias multas perlustrans, varia in diversis locis consilia tenuit, & pacem ubique reformavit. Morabatur eo tempore Comes in Calba nomine Adelbertus, de Genealogia Comitis Erlafridi quondam primi fundatoris Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis linealiter procreatus; qui habebat uxorem nomine Wiltrudem Christo satis devotam fœminam. Hic nepos fuit S. Papæ Leonis, cujus mater filia extitit Comitis de Egishaim, soror videlicet ipsius Pontificis. Qui audiens Romanum Pontificem, avunculum videlicet suum, ad partes venientem Suevorum, in ejus occursum festinus properat, & quatenus ad suum parumper declinet hospitium, humillimè rogat. Pontifex cum devotione postulantis, tum sanguinis & necessitudinis consideratione permotus libenter annuit: & à via paululum deflectens iter, ad Calbam Comitis domicilium intravit. Qui humanissimè receptus, ne vacuus videretur domum intravisse nepotis, verbum

Adelbertus comes Calbanus.

sanctæ prædicationis ubique suo more disseminat, & mentes hominum ad Dei sustollere amorem laborat. Alterâ die Pontifex Leo comprehendens dexterâ Comitem, de Castello recreationis animi causâ foras egreditur, & conscendens in montis verticem, his nepotem sermonibus affatur: *Videtur nobis, chare nepos, locus iste montibus circumseptus, quem & aquarum copia fertilem, & nemorum solitudo reddit quietis capacem, valde idoneus, ad construendum aliquod servorum Dei habitaculum, in quo die ac nocte Numen adoretur divinum. Et mirum, imò dolendum est, si omnis solitudo hæc servorum Dei nullum debuerit habere Cœnobium.*

Cui Adelbertus Comes tale dedit responsum: *Est in vicino hic, Reverendissime Pater, Ecclesia, quondam à Progenitoribus meis in honorem ejusdem S. Aurelij nomine constructa, cujus & corpus in ea fertur sepultum, in qua olim fuit multitudo Monachorum; qui sicut à patre sæpius audivi meo, per plures annos Omnipotenti Domino in vera devotione regulariter vivendo servierunt, sed tandem miserabiliter à sanctæ Religionis fervore tepescentes, paulatim in utrog; statu spiritualium simul, & temporalium penitus defecerunt. Qui cùm sæpius ab Avo meo ad emendationem vitæ revocati, monitiones salutares contemnerent, ac in deterius proficerent, Deo sic perordinante, ne diutius improbitate suâ scandalizarent populum simplicem & indoctum, penitus deficientes, aut mortui fuerunt, aut inopiâ rerum temporalium compulsi, de Monasterio nescio quorsum abierunt.* Quibus auditis Papa ingemuit, & Comitem sic alloquens interrogavit: *Et quis hodie possidet bona & emolumenta illius Cœnobij?* Cui Nepos respondit: *De bonis Monasterij rationem dare nequeo; cùm quales habuerit possessiones, penitus ignoro.* Intellexit Papa mysterium, & quod mente cogitabat, prudenter tenuit, ad horam secretam; noluit enim durius nepotem arguere, sed veritatem prius voluit indagare. Ad Ecclesiam igitur S. Aurelij personaliter statuit procedere, & Corpus sancti absconditum, si inveniri potuisset, rursus elevare. Erat ibi Clericus quidam senex nomine Bertoldus, qui Monachos apud S. Aurelium religiosissimè conversantes viderat, & omnem historiam, quæ contigerat, plenissimè sciebat. Is à summo Pontifice secretè interrogatus, veritatem gestorum aperuit: & quòd Avus Comitis Adelberti propter suam avaritiam destruxisset Monasterium, sub juramento revelavit. Quibus Papa cognitis, vehementer doluit, & ubi Corpus D. Aurelij putaret absconditum, requisivit. Qui respondit, se audivisse à majoribus suis, ossa divi præsulis Aurelij, tempore quo Normanni destruxerunt Wormatiam, per quendam ejus loci Abbatem, sub terra fuisse abscondita, & usque in eum diem incognita omnibus permansisse. Quibus auditis Papa Leo sanctissimus fecit adesse artifices pro inquisitione Reliquiarum idoneos: qui ab eo jussi, fodere in diversis Ecclesiæ locis cœperunt. Cumque diutius casso labore fatigarentur artifices, & nihil penitus inveniissent, omnes tandem de inventione Reliquiarum cœperunt desperare. Tunc sancto in orationibus procumbente Pontifice, ac fossores, ne desperet, cohortante, unus ex eis in arte magis peritus, (qui pridem ex dominio Venetorũ cum filijs advenerat, & multa in constructione novi Monasterij bona contulit) industriosè perquirens singula loca, tandem ex repercussione malleorum deprehendit, terram subus esse cavatam. Ad cujus consilium artifices in eodem loco fodere cœperunt: & postremò non sine labore humo remotâ camerâ subterraneam inve-

Leo Papa venit in Hirsaugiã.

Corpus S. Aurelij quæritur.

invenerunt, pulchrâ testudine formatam, in qua sarcophagus reclusus apparuit. Quem videns Leo Papa, magno gaudio repletus est, præcipiens, ut omnes ad orationem genua flecterent, & omnipotentem Deum, pro desiderata Confessoris sui revelatione collaudarent. Oratione completâ, S. Leo propius accedens, jussit aperiri sarcophagum: quo reclusо, mox odor exhalavit suavissimus, qui omnes in Ecclesia præsentes suâ fragrantiâ mirâ dulcedine recreavit.

Corpus S. Aurelij invenitur.

Invenerunt itaque sanctissimi Aurelij Præsulis ossa pannis sericis involuta, & in modum humani corporis ordinatim disposita, & ad caput plumbeam tabulam ita continentem: *Corpus S. Aurelij Episcopi tempore Arnolphi Regis hîc repositum sub Harderado Abbate.* Cùm Papa titulum legisset, ingemiscens coram omnibus dixit: *Væ illis, qui hunc locum tanti Præsulis corporali præsentiâ, & meritis sanctificatum in desolationem redegerunt.* Et clausо iterum sarcophago, ad castellum Comitis Adelberti revertuntur. Posterâ die, ubi Papa vidit opportunum æstimatione suâ tempus, vocatis ad se Nepote Adelberto, & ejus uxore Wiltrude coram certis Cardinalibus dixit: *Hesterno die vidimus sacras Christi Confessoris Reliquias, honore debito spoliatas, ipsumque locum Omnipotenti Deo, & sacræ Religioni Monasticæ, pro cœlestis patriæ desiderio à Progenitoribus tuis, chare Nepos, constructum, & dicatum, & à Servis Dei multo tempore inhabitatum: quem, sicut accepimus, avus & genitores tui, nefandâ possessionibus crudelitate ablatis fugatísque Monachis desolatum reddiderunt, sanctamq; officinam virtutum, introductis dissolutissimæ vitæ Clericis, in speluncam vitiorum commutárunt. Tu quoque, sicuti probato sumus informati testimonio, pravo majorum tuorum inhærens exemplo, quæ rapuerunt illi, injustè possides: Deúmque & omnes Sanctos ejus spoliando, tibi adversarios, & inimicos constituisti. Neq; parvum scelus est sive peccatum, quod in Deum, & Sanctos ejus committitur; cùm apud omnes etiam mortales rectè sentientes, injusta rerum alieni juris usurpatio, crimen inexpiabile judicetur. Unde secundùm Ecclesiasticæ institutionis veritatem tibi denuntiamus: quoniam peccatum tibi rapacitatis tuæ nunquam dimittetur, nisi Monasterio ablatum restituatur. Ecce tu unà cum patre tuo, & avo contra Deum armatus, fidei pactum turpiter violâsti: testamentum progenitorum tuorum subvertisti: Deum, B. Aurelium & omnes Sanctos ejus portione legitimâ spoliâsti, quam nisi quantocius in integrum restitueris, procul dubio maledictus in æternum cum diabolo peribis. Quod olim Erlafridus, & Progenitores tui Deo, & Sanctis ejus Benedicto, & Aurelio, in construendo, & dotando Monasterium Hirsaugiense prædictum contulerunt, & per avum tuum, sive per genitorem ablatum in tua continetur potestate, nisi totum restituas, & te, & omnes post te in injusta possessione succedentes damnandos procul dubio scias. Et hoc tibi diximus ex parte Omnipotentis Dei, quoniam nisi B. Aurelio restituas Monasterium suum, noveris te à regno Dei penitus alienum: & semen tuum in brevi esse delendum. Nam quæ tibi spes salutis poterit esse, nisi erratum tuorum, tuúmque in hac vita quantocius emendaveris, qui Christum Salvatorem fidelium hæreditate suâ tam infideliter spoliâsti? gravius est peccatum tuum scelere Judæorum, qui Dominum morti tradiderunt: quoniam illi mortalem persecuti sunt, in quem non tredíderant, tu autem illum persequeris, & spolias, quem Dominum credis, & venturum Judicem exspectas. Periculosum est tibi, penitusq; damnabile, Deum habere contrarium: qui etsi tecum ad tempus misericorditer dissimulat, non emendatum sine dubio postmodum gravius damnat. Nos ergo, quibus cura est, & tuæ*

Papa Comitem durius increpat.

Alienum usurpare gravissimum.

Spoliatores Ecclesiarũ, quàm graviter peccent.

salutis & tuorum, non solùm ratione Pontificij muneris, quo licet immeriti ex officio saluti omnium sumus debitores; verùm etiam consideratione sanguinis, & jure propinquitatis, qui de naturæ legibus nobis es proximus, atque charissimus, te ex tantis animæ periculis omnino cupimus liberare, scientes neminem tuorum, qui tibi in hæreditate successerit hac tua, sicut nec te, nec patrem tuum, nec avum posse salvari; donec omnia, quæ sancto Aurelio ablata detines, in integrum restituantur. Auctoritate igitur Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, quorum vices gerimus in terris, te monemus, requirimus, & exhortamur: ac sub æternæ maledictionis pœna mandamus, quatenus memoratum locum quantocius in pristinum statum, & in Cœnobium Monachorum restituere non negligas; Monachos ibidem & Abbatem, quemadmodum fuerunt antiquitus, iterum instituas: eisque omnia & singula, sive per te, sive per alios, ablata restituas, & siquid ad consummationem hujus sancti operis amplius requiritur, de tuis rebus & bonis pro Dei amore fideliter impendas. Hæc tibi nepos, & filt charissime quantocius perficienda unà cum Conjuge tua Nobis in Christo filia dilecta, auctoritate Omnipotentis Dei in remissionem tuorum peccaminum seriosè injungimus. Quæ si neglexeris (quod non speramus) aut mandatorum nostrorum contemptor inventus fueris, indignationem Omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum ejus, te noveris incursurum, & cum dæmonibus sine fine cruciandum. His & alijs Papæ

Mandat Papa Comiti reparare Monasterium.

sermonibus Comes Adelbertus vehementer compunctus, ad pedes illius provolvitur: se graviter deliquisse cum lachrymis publicè confitetur, commissorum à S. Pontifice postulat veniam: & omnimodam promittit emendationem: Monasterium se reformaturum promittit, & omnia, quæ Papa ei mandaverat, se facturum pollicetur. Cui veniam precanti S. Pontifex respondit: *Si perfeceris ea, quæ nobis præcipientibus te facturum polliceris, veniam tibi malorum non solum concedimus, sed æternæ felicitatis filium fore non dubitamus.* His dictis, aliisque ad sanctum opus conducentibus ritè peractis, Leo sanctissimus Præsul iter continuans Moguntiam profectus est. In Moguntiam autem veniens, ut suprà per anticipationem diximus, Concilium generale præsente Heinrico Imperatore celebrat: in quo Cardinales, & Episcopi quadraginta duo comparuerunt, cum Abbatibus & alijs Clericis multis. Plura in ea synodo constituta sunt, quæ vitam & honestatem Clericorum concernunt. Multi quoque ab itinere deviantes rectitudinis ad viam justitiæ in eodem concilio reducti sunt. Sigebotho Spirensis Episcopus, in eadem S. synodo coram Papa Leone de simonia, & alijs quibusdam criminibus accusatus, judicio se Communionis Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi legitimè expurgavit. Sanctus Bardo Reverendissimus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus in eadem synodo Legatus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ declaratus est. Heinricus verò Imperator de Moguntia discedens, exercitum contra Baldevvinum Comitem rebellantem duxit in Flandriam eúmque in deditionem jurare compulit, & obsides pro fidelitatis confirmatione, quotquot voluit, accepit. Leo autem Papa IX. peracto Concilio de Moguntia per Rhenum descendit ad Coloniam, & inde ad Aquisgrani profectus, Imperatorem, donec rediret à Flandria, exspectavit; multas ubique diversis in locis Ecclesias, Capellas, & Altaria consecravit, & quod plures nostræ tempestatis infimi Pontifices facere cùm teneantur, despiciunt; ille, qui summus erat, nec tenebatur, pro Dei amore humiliter adimplere nunquam recusavit.

Synodus XLII Episcoporum Moguntiæ.

Leo Papa multas Ecclesias consecrat.

Anno

MLI.

Anno Monast. vacantis L. Indictione Roman. XIV. obijt Erhardus Monachus & Scholasticus Corbejensis Cœnobij in Saxonia, de cujus ingenio, & lucubrationibus dictum est anno desolationis Monasterij XXXVII. Huic in regimine scholarum dictæ Congregationis successit Bernardus Monachus in divinis scripturis studiosus, & eruditus, sæcularísque litteraturæ non ignarus, & præfuit officio sibi demandato, annis ferme viginti octo. Scripsit ad Harduinum Archiepiscopum Magdeburgensem, opus luculento, sed nimis mordaci sermone contra Heinricum Regem IV. Imperatorem verò tertium Romanæ Ecclesiæ rebellem, & excommunicatum. In quo volumine patet clarissimè, quàm gravis & odiosus idem Imperator fuerit Saxonibus. Alia quoque plura lucubrâsse opuscula dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt.

Bernardus Monachus Corbejensis.

Anno prænotato, Heinricus Imperator Festum Pentecostes cum Papa Leone, & multis Principibus in Badelbronna celebravit, ubi S. Bardo ex Monacho Archiepiscopus, habito ad Missam sermone, obitum suum instare clarâ voce prædixit: veniam & pacem ab omnibus petijt, ac se orationibus fidelium auditorum commendavit. Post hæc eodem mense, quo sermonem fecerat, seque prædixerat moriturum, obijt, 10. videlicet die mensis Junij, anno Pontificatûs sui XX. Hic, ut scribit Abbas Eckardus in Chronica sua, in Cœnobio Fuldensi sub Monastica professione à puero nutritus, inde pro vitæ merito ad Pontificalem dignitatem provectus, spiritu prophetiæ, multísque virtutibus, & miraculis clarus effulsit. Quod verò supra diximus, anno desolati monasterij, cujus monasterij fuerit Abbas, nos ignorare, diligentiore inquisitione certificati retractamus. Constat enim nunc manifestè Monachum Fuldensis extitisse Cœnobij, non Abbatem. Nam Richardo in Abbatia successit Sigebertus, post quem Rosingus, postea Bardo, sed non iste de quo loquimur, deinde Ecgebertus, postea alius Bardo, ac deinde Siffridus, qui post Lutpoldum Moguntinæ sedis magnus fuit Archiepiscopus. Sancto igitur Bardone mortuo, atque sepulto, Lutpoldus Babenbergensis Ecclesiæ Canonicus in Archiepiscopatu Moguntino succedens præfuit annis octo, mensibus quattuor: vir moribus & conversatione præstantissimus, divinorumque sermonum, juxta ejus consuetudinem temporis, egregius prædicator, qui verbo & exemplo utiliter præsidens, multorum corda convertit ad Dominum. His temporibus prænotatus Archiepiscopus Moguntinensium Lutpoldus, Monasterium nostri Ordinis in Monte Speciosо, vulgariter verò Schönberg antiquitus dicto, sub honore sancti Jacobi Majoris Apostoli construxit, quod prædijs & proventibus necessarijs ad servorum Dei sustentationem sufficientissimè dotavit. In quo Monachos posuit sub Abbate secundùm Regulam D. Patris Benedicti conversantes. Sunt qui dicant hoc ipsum Monasterium à principio fundationis suæ, donatione fundantis à Monachis Scoticæ nationis possessum, primósque inhabitatores de Colonia ex Monasterio S. Martini, quod eo tempore Scotorum erat, fuisse assumptos. Quod si verum est, oportebat brevi eos tempore mansisse: quoniam nobis certâ probatione constat, quòd anno MC. nullus in eo Monachus fuit de natione Scotorum, sed omnes erant Germani.

Monasterium S. Jacobi Moguntiæ cõstruitur.

Anno

Ungari funduntur à Bavaris.

Anno prænotato Ungari contra Imperatorem rebellantes, fines Regni hoſtili animo devaſtare tentârunt. Quibus Gebhardus Ratisponenſis Epiſcopus patruus Heinrici Imperatoris, unà cum Conrado Bavarorum Duce & Adelbetto Marchione Auſtriæ non magno exercitu veniens obviàm vice Imperatoris, multos eorum occidit, & reliquos in fugam convertit: urbem deinde Haymenburg in Marchia poſitam, ædificijs, muris & turribus inſtauravit, & poſuit in ea pro cuſtodia præſidium.

Anno etiam præſcripto mortuus eſt Sigebotho Spirenſis de multis criminibus priore anno accuſatus, ſed in Moguntina Synodo, ſicut diximus, coram Papa Leone IX. Dominici corporis & ſanguinis cõmunione ſe legitimè expurgavit. Cui Arnolphus in Pontificatu ſucceſſit.

Imperator devaſtat Ungariam.

Item anno prænotato, poſt ſtragem Ungarorum, quam Gebhardus Epiſcopus Ratisponenſis fecerat, Heinricus Imperator cupiens illas ſibi ulciſci injurias, cum magno exercitu Pannoniam denuo ingreditur, diviſãque in duas partes multitudine militum, utrínque Regionem illam ſylvis, & maximè aquarum collectionibus circumſeptam occupans intravit. Sed gens illa durior cæteris nationibus, cum Rege ſuo doloſè agens, ſuáque pariter cum alijs diripiens, fame & ſiti, multíſque cladibus laſſatum Imperatoris exercitum fugiens evaſit. Milites autem Imperatoris, vaſtatâ magnâ parte provinciæ, multíſque inibi occiſis, pacificè quidem, licet intactè ad propria redierunt, quoniam fugientes comprehendere non poterant, quippe qui diverſis in montibus, & nemoribus latebant. Imperator de Pannonia revertens, venit in Bavariam, ubi ſanctum Leonem Pontificem reperiens, Ratisponam ſimul intraverunt. Papa verò in præſentia Legatorum Regis Galliæ tumbam juſſit aperiri apud ſanctum Hemmramũm noſtri Ord. Cœnobium, in qua buſta ſanctiſſimi Martyris Dionyſij Areopagitæ Pariſiorum Apoſtoli contineri fama ſparſerat ab olim publica, licet Galli penitus dicant contrarium. Quibus viſis certa, vera & indubitata S. Dionyſij oſſa cõprobavit. Deinde oſſa Divi Wolfgangi Ratisponenſium quondam Epiſcopi de ſepulchro cum magna ſolemnitate levavit, & fidelium venerationi publicè expoſuit. Magna deinceps ad invocationem Divi nominis miracula utrobíque facta ſunt, tam ad Reliquias ſancti Martyris Dionyſij, quàm ad tumbam Beatiſſimi Præſulis Wolfgangi.

Reliquiæ S. Dionyſij Ratisponæ.

MLII.

Imperator petit Ungariam.

Anno Monaſterij S. Aurelij vacantis LI. Heinricus Imperator cum exercitu magno iterum petit Ungariam, habens ſecum in comitatu ſanctum Leonem Papam; ſed Pannonijs denuo fugâ latentibus, parùm proficiens ad ſua revertitur. Qui cum Pontifice per Bavariam tranſiens, venit in orientalem Franciam, & ſimul venerunt in Bambergam: ubi Summus Pontifex privilegia illius Eccleſiæ coram Imperatore & omni populo, per Fridericum Cardinalem, & Cancellarium ſuum recitari fecit, & lecta publicè authoritate ſuâ confirmavit: tributum quoque annuum, quo S. Imperator Heinricus Eccleſiam Bambergenſem S. Petro, & Apoſtolicæ Sedi obligavit, in perpetuum remiſit. Erat autem cenſus marcarum argenti centum, & equus phaleratus pulcherrimè albi coloris, pro Summo Pontifice unus: à quo Eccleſiam Bambergenſem liberam fecit Leo Papa. Anno prænotato, Heinricus Imperator apud Goſlariam Saxoniæ

xoniæ oppidum quosdam Hæreticos, Manichæo errore fœdatos, qui inter alios pravi dogmatis articulos esum cujuscunque animalis, quod vitam habuit, ut mortale peccatum, & pernicioſum damnabant, comprehendi fecit, & in errore pertinaces, ne macularent alios, laqueo suspendi. Hæretici in Saxõia necantur.

Eodem anno S. Leo Papa IX. Dominicæ Nativitatis festum cum Imperatore & multis Regni Principibus celebravit in Wormatia, & summam ipse Missam solemniter cantavit. Alterâ die Lutpoldus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, in cujus provincia dies agebant festos, à summo Pontifice jussus se ad officium de S. Protomartyre Stephano cantandum in principum omnium præsentia præparavit. Qui peractâ processione, ut ad hoc ventum est in Missa, ut oratione completâ, postquam se in sua sede ante Altare locavit, quidam ex Diaconibus suis nomine Humbertus, sicut multi ob illius festi reverentiam solent, lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papæ assistentes vituperabant, quòd secus, quàm Romana haberet consuetudo, ageretur, suaseruntque Papæ, ut tacere Diaconem Moguntinum præciperet. Misit ergo Papa Ministrum ad Diaconem, qui lectionem interdiceret. Quod cùm ille Juvenum more contemneret, iterum mittendo Papa lectionem interdixit. Qui nihilominus eâdem qua prius vocis sonoritate cantans lectionem, usque ad finem decenter complevit. Quâ finitâ Papa illum ad se vocavit; & quasi pro inobedientiæ contumacia degradavit, vel ut propriè loquar, ab executione officij sui pendit. Archiepiscopus verò misit ad Papam rogans, suum restitueret ministrum; quod ubi Papa renuit, Archiepiscopus ut erat antiquæ disciplinæ, licet ægrè, patienter tamen, interim tacendo sustinuit. Perlecto Evangelio, & Offertorio ex more decantato, ubi sancti sacrificij tempus advenit, Archiepiscopus in sua cathedra resedit, verè contestans, nec se, nec alium quemquam completurum inchoatum officium, nisi prius receperit processionis suæ ministrum. Quod ubi Apostolicus Præsul intellexit, cessit Archiepiscopo, reindutumque continuò ministrum ad Dominum remisit. Quo recepto mox inchoatum continuavit officium. Qua in re, & Archiepiscopi authoritas, & Papæ consideranda est humilitas; dum & ille officij sui dignitatem defendere contendebat, & iste licet majoris dignitatis Metropolitano tamen in sua Provincia cedere magis, quàm contendere volebat, quod pauci hodie facerent. Imperat. & Papa Wormatiæ Domini Natalem celebrant.

Posthæc S. Papa Leo de Wormatia Romam revertitur, multis eum diversarum provinciarum militibus imperiali præceptione, & amicorum subventione comitantibus. Qui ut supra dictum est, in diversis locis Germaniæ, multas Ecclesias, & Capellas consecrare suis manibus non recusavit. Inter quas Parochialem Ecclesiam in Hingstetten, & Capellam S. Nicolai super pontem Nagalthæ extra oppidum Calba, eodem tempore memoratur consecrâsse. Papa Leo Romamre. vertitur.

MLIII.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis LII. Indictione VI. Leo Papa in Italiam reversus, mox cum exercitu Imperatoris, quem de Germania secum adduxerat, in Apuliam profectus est, post dies videlicet Dominicæ resurrectionis, contra Normannos, illius terræ quondam advenas, sed tunc possessores iniquos, Romanarum quoque partium invasores, & sacri hostes Imperij: ubi conserto prælio, multa millia hominum ab utráq; Leo Papa devastat Apuliam.

parte ceciderunt. Papa fugiens cum paucis, absque victoria regreditur, relictis illic Francorum, Bavarorum, ac Suevorum militibus optimis, qui gladijs Normannorum interierunt. Ipse verò in civitate Beneventanensi consedit, in qua Udalricus natione Bavarus vir prudentissimus eo tempore Pontificatum tenebat.

Concilium Vercellense contra Berengarium.

Anno prænotato S. Leo Papa IX. apud Vercellas Episcoporum Synodum celebravit, in qua Berengarium Thuronensem, suis pravis dogmatibus, integritatem fidei Catholicæ graviter perturbantem, cum errore suo condemnavit. Asserebat namq; Sacramentum Dominici corporis & sanguinis, quod in altari sumimus, non esse reverà corpus Christi & sanguinem, sed veri corporis & sanguinis figuram. Contra quem multa, & scripta, & disputata sunt; qui etsi diu fuit in errore pertinax: tamen multorum tandem consilio informatus valde pœnituit, & ideò pravum dogma publicè revocavit. Talem verò pœnitentiam ante vitæ suæ finem egisse legitur, ut moriens à multis sanctus haberetur. Eodem quoque anno Leo Papa IX. S. Gerhardum V. ante se Leucorum sive Tullensium Episcopum sanctimoniâ vitæ quondam mirabilem, Synodo habitâ per Apostolicam authoritatem decrevit in numero Sanctorum Confessorum in Ecclesia Dei solemniter venerandum.

LIII.

S Leo Papa IX. moritur

Anno Monasterij vacantis LII. S. Leo Papa IX. post multa pietatis & Christianæ Religionis studia XIX. die mensis Aprilis moritur: & Romæ in Ecclesia S. Petri honorificè sepelitur. Ad cujus tumbam multa deinceps miracula ostensa sunt. Cujus vitam & gesta simul, & itinera pro reformatione statûs Ecclesiastici habita, latissimè descripsit Anselmus Monachus Rhemensis, de quo postea dicemus, in quo volumine sive itinerario comportavit ipsius sanctissimi viri dicta & facta, in itinere à Roma in Germaniam & Galliam, in Synodis etiam, quas plurimas in diversis locis celebravit: quantâ videlicet justitiâ & authoritate causas examinaverit Ecclesiasticas: quáve districtione peccantes corripuerit, & quemadmodum ei virtus sit cooperata divina, sicut patuit in Episcopo Frisingensi; qui cùm in Synodo Rhemensi contumaciter ageret, contra authoritatem Apostolicam, in conspectu omnium repentè obmutuit. Bonus autẽ Leo Papa IX. cùm esset in divinis scripturis, ut supra diximus, valde studiosus, & multùm eruditus, scripsit de Hæresibus extirpandis lib. I. Ad Constantinũ Monomachum Imperatorem contra errores Græcorum lib. I. Ad Patriarcham Constantinopolitanum lib. I. Contra Græcorum errores multa scripsit, & Epistolas plures ad diversos. Eodem anno Chuno, qui & Conradus Dux Bavariæ cum Pannonijs confœderatus, Imperatori gravissimè rebellans, multa in Regno mala fecit: pro quibus tandem ab Imperatore pulsus, Ducatúque simul & patriâ, sicut meruit, privatus fugit in Ungariam, & paulo post exul moritur. Baldevvinus etiam Flandriæ Comes, qui Hannoniæ comitatum, ante annos quatuor Imperatore renitente invaserat, & cum Duce Lotharingiæ Gotfrido eatenus rebellaverat: cùm se videret ab Imperatore non posse obtinere, quem petivit consensum: totis viribus coadunatis auxit rebellionem, & violenter detinet, quod habere bonâ voluntate non posset.

Opuscula hujus sanct. Pontificis.

Anno prænotato Romani post mortem S. Papæ Leonis missâ legatione

tione ad Imperatorem in Germaniam, dari sibi Pontificem in locum demortui rogaverunt. Qui apud Moguntiam Episcoporum Conventum indixit, quibus, ut Romanum eligerent Pontificem virum aliquem idoneum præcepit. Illi autem consilio inter se habito, Gebhardum Eichstetensem Episcopum natione Bavarum in Successorem S. Leonis statuerunt. Qui Romam missus, à Cardinalibus populóque Romano cum reverentia susceptus est: ordinatúsque in Papam, Victor secundus fuit nominatus: & præfuit annis duobus & mensibus ferme octo. Cujus ordinatio Romæ facta est anno sequenti in Cœna Domini: vir optimus, qui multa bona & statuit, & fecit in Ecclesia.

MLV.

Victor Papa II. synodum celebrat.

Anno vacantis Monasterij S. Aurelij LIV. Gebhardus, qui & Victor secundus Romæ in Cœna Domini, sicut diximus, Papa ordinatus est, qui mox eodem anno Florentiæ Synodum celebravit, in qua multos Episcopos propter Simoniam, & fornicationis crimen deposuit. Clerum statutis, & admonitionibus reformavit: quid unumquemque secundum suum gradum maximè deceat docuit: pœnasque in transgressores refundendas acriter multiplices fulminavit. Inde progressus, per diversas mundi Provincias singulas Cathedrales visitavit Ecclesias de vita præsulum, & Clericorum diligentissimam ubiq; faciens inquisitionem. Bonos & rectæ operationis Ecclesiæ ministros beneficijs, & laudibus prætulit: malè autem operantes districtiùs emendavit. Victor iste Papa sanctiss. cùm die quadam Romæ, coram multitudine populi missam cantaret, ac pòst Dominici Corporis consecrationẽ levare calicem similiter ad consecrandum voluisset, minimè potuit; qui territus preces ad Dominum fudit: & ecce Diaconus ad altare ministrans, confestim à Dæmone malo arripitur, & quia venenum in Calicem miserit, magnâ voce publicè confitetur. Quo Sanctus Præsul audito, factum ministri non iñeritò perhorruit, & pro miraculo gratias omnipotenti Domino persolvit.

Venenum Papæ in calicem mittitur.

Lis inter Episcopũ Mogunt. & Abbatẽ Fuldensem

Anno prænotato Heinricus Imperator cum Episcopis & Principibus, qui eum in magno semper numero comitabantur, Pentecosten in Moguntia celebravit. In die autem festo, cùm ante peractionem sacrificij sedilia ex more in Choro Principibus locarentur, contentio gravis inter ministros Lupoldi Archiepiscopi Moguntini & Sigefridi Abbatis Fuldensis pro sedilium positione suborta fuit, quæ post verba contentiosos ad verbera compulit, & consertis manibus pavimentum sanguine respersit: intercurrentibus alijs tandem sedatur contentio, fitque per Episcopos templi violati reconciliatio, & sanctum Diei Officium inchoatur. Sequentiâ verò cantatâ, & ultimo ejus versu dicto: *Hunc diem glorioſum feciſti*: Vox ab aëre lapsa, sub eadem melodia cantavit. *Hunc diem bellicoſum ego feci*: rigentibus cunctis prætimore. Imperator considerans diaboli versutiam, coram omnibus dixit: *Tu omnis malitiæ inventor diabole, diem bellicoſum, & arrogantibus luctuoſum feciſti, ſed nos per Dei gratiam, qui illum glorioſum fecit, pauperibus gratioſum reddemus in tui confuſionem.* Et mox reincœptâ sequentiâ solemni vociferatione sancti Spiritus gratiam implorabant. Missâ finitâ Imperator omnes pauperes convocari fecit, quibus in magna multitudine convenientibus, universas dapes sibi, & Curialibus paratas distribuit, & eis manibus proprijs ministravit.

Heinricus Imperator Italiam visitat.

Anno etiam prænotato, Heinricus Imperator Italiam cum exercitu ingreditur, dispositisque pro voto rebus, in pace reversus est, secum ducens neptem suam Beatricem, Bonifacij Ducis quondam uxorem, indignè tractans eam, propterea quòd mortuo duce Bonifacio Marito suo in multa vivere insolentia consueverat, & cum multis fornicationibus semetipsam diffamârat. Eodem quoque anno mortuus est Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, filius Ezelini Comitis Palatini Rheni viri nobilissimi, de quo plura diximus. Post quem S. Anno in Pontificatu Colonienſis Ecclesiæ succedens præfuit annis xx. vir moribus integer, & doctrinâ scripturæ illustris, qui magnâ utens industriâ Monachos simul & Clericos suæ Diœcesis reformavit: Monachorum Claustra diligentissimè perlustrans, vitam eorum studiosè rimabatur: quorum mores convenire statutis Patrum reperit, multis beneficijs cumulavit; eos verò, qui à tramite rectitudinis deviaverant, ad observantiam Regularis disciplinæ compellere non cessavit.

S. Anno fit Archiepisc. Colonienſ.

Anno etiam prænotato Chuno, sive Conradus Dux Bavariæ, qui pulsus ab Imperatore Heinrico, propter infidelitatem, & rebellionem suam confugerat in Ungariam, desolatus ibidem, & animo deficiens moritur: & Otto quidam de genere Saxonum ab Imperatore Dux post eum ordinatur. Eodem quóque anno mortuus est Welfo Carinthiorum Dux. Item eodem anno moritur Arnoldus Spirensis Episcopus, cui Conradus in Pontificatu ejusdem Ecclesiæ successit, & non multis annis præfuit. Nam alij scribunt eum præfuisse mensibus tantùm decem, alij verò duobus annis, & mensibus decem, & hoc nobis videtur magis convenire veritati, quam ex privilegijs Spirensis Ecclesiæ concessis potuimus colligere.

S. Aaron Abbas in Colonia.

Claruit his temporibus Aaron Abbas Monasterij S. Martini in Colonia, post Eliam, de quo supra diximus anno vacantis Cœnobij Hirsaugiensis quadragesimo, vir in omni Sanctimonia vitæ præclarus, nec minus eruditione scripturarum illustris, natione Scotus, Regularis disciplinæ moderator, & conservator præcipuus, qui Monachos suo regimini commissos, verbo & exemplo ad observantiam normæ Divi Patris nostri Benedicti gloriosè instituit: moriens tandem, non sine magnæ sanctitatis opinione miraculis coruscavit. Alibi legimus, quòd Abbas fuerit S. Pantaleonis in Colonia: qui Cantum nocturnalem de B. Papa Gregorio Magno, per S. Leonem Papam IX. compositum ipso donante à Roma detulit in Germaniam, & in suo Monasterio primus jussit decantari.

M LVI.

Hermanno comes Frãcorũ obijt.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis quinquagesimo quinto, indictione Romanorum nonâ, die mensis Januarij vicesimâ septimâ, obijt Hermannus Comes Francorum Orientalium, vir dives & potens, Heinrico Imperatori semper fidelissimus, & in prælijs multis Victor sæpe gloriosus. Eodem anno Gebhardus Ratisponensis Ecclesiæ Præsul, Imperatoris Heinrici patruus, & hostis occultè pessimus, deprehensus & convictus in custodiam mittitur; sed jussu nepotis misericorditer, quod non meruerat, tractatur: non multò post non solùm veniam, & liberationem promeruit, sed etiam ad pristinum suæ dignitatis gradum restitutus fuit.

Anno

Annô etiam prænotato Gottfridus Lotharienſium Dux, frater Abbatis Caſſinenſis poſtea Romani Pontificis Stephani IX. pluribus jam annis Imperatori contrarius, & rebellis, prudenti amicorum conſilio uſus, redit ad concordiam, & promittit Imperatori deinceps fidelitatem.

Hoc anno magna cædes facta eſt Chriſtianorum in finibus Saxoniæ, quorum multi gladio Paganorum, qui Lintici vocabantur, perjerunt, alij verò in aquis ſubmerſi ſunt. Perijt in eodem conflictu Wilhelmus Marchio Miſnenſium Princeps inclitus, ſtrenuus & bellicoſus. Iſdem temporibus multi Principes in diverſis Provincijs perjerunt, fames magna fuit, & multas regiones graviter afflixit: egeſtas & penuria victualium ubique terrarum prævaluit, & multos fames conſumpſit.

S. Edvvardus Rex in Anglia.

Claruit his quóque temporibus in Anglia Rex Edvvardus Elcheredi filius, qui regnavit annis fermè quatuor & viginti, qui adeò manſuetus fuit, ut nec viles homines lædere verbo noverit. Et tamen erat ejus apud domeſticos, & familiares reverentia magna: apud exteros metus ingens. Nam fovebat ejus ſimplicitatem omnipotens Deus, ut poſſet ab omnibus timeri: qui nemini omnino conſueverat iraſci. Moribus & converſatione fuit ſanctiſſimus, & prophetiæ ſpiritu plenus, de quo multa miranda prædicantur: quæ brevitatis causâ omittimus.

Monaſterium in Segeberg fundatur.

His etiam temporibus S. Anno Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Monaſterium noſtri Ordinis in Monte dicto Segeberg tribus à Bonna milliaribus fundare cœpit, quod feliciter perficiens, in honorem ſancti Archangeli Michaëlis conſecravit. In quo multitudinem Monachorum ſub obedientia Abbatis Domino ſervientium conſtituit: quibus neceſſaria hujus vitæ in annuis redditibus & proventibus copioſiſſimè providit: ubi tandem moriens ſepultus eſt, infinitis coruſcans miraculis.

Heinricus Rex tertius moritur.

Anno etiam prænotato, Heinricus Imperator II. Rex verò tertius infirmari cœpit, qui videns ſe moriturum, ſapienti perſuaſus conſilio, veniam malè commiſſorum in quoſcunque humiliter petijt, quibuſdam prædia, quæ abſtulerat iratus, miſericorditer compunctus reſtituit: omnibus, qui in eum, vel in Regnum peccaverunt, clementer pro Dei amore indulſit, filiúmque ſuum puerum vix octo annorum electione Principum, & conſenſu Victoris Papæ II. tunc in Germania præſentis Regem conſtituit. His & alijs, prout vitæ poſſibilitas morituri admiſit, ritè diſpoſitis, ſe muniri ſacramentis Dominicis poſtulavit, & factâ confeſſione peccatorum Summo, ut ferunt, Pontifici, 5. die menſis Octobris devotiſſimè in Domino quievit. Cujus corpus juxta patrem Spiræ in Eccleſia majori cum honore, & reverentia ſepultum eſt. Iſte Heinricus, multa bona fecit Eccleſiæ memoratæ Spirenſi, ipſamque à Patre magnificè incœptam glorioſius conſummavit: multiſq; poſſeſſionibus largiſſimè dotatam, privilegijs, & libertatibus inſignem reddidit. Corpus S. Gvvidonis Abbatis de Italia, ut ſupra diximus, in Germaniam tranſtulit, & in eandem Civitatem Neometenſem collocavit. Crucem quoque valde pretioſam majori contulit Eccleſiæ, pro honore Beatiſſimæ Dei Genitricis, in cujus circumferentia ſic ſcriptum legimus.

Contulerat ſanctæ felix hæc dona Mariæ,
Semper ut æternæ capeſcat munia vitæ,
Heinrich Conradi natus de ſtirpe Monarchi,

Gisila, quem genuit, multum satis ipse benignus.

In dorso verò sic legimus sculptum.

Ad votum Regis Heinrici dona ferentis,
Respice de solio residens, quo Christe superno.

Monasterium quoque Lyntburg à patre inchoatum cõplevit, & magnificè dotavit, ut diximus. Hoc ipso anno, quo mortuus est Imperator Heinricus, Victor Papa II. de Roma venerat in Germaniam, & apud Goslariam Saxoniæ oppidum circa Festum Nativitatis Mariæ octo & viginti ante mortẽ Imperatoris Heinrici diebus, ab eo & Principibus Regni cum summa reverentia fuit susceptus: Electioni etenim Regis Heinrici IV. morti quoque & sepulturæ ipsius Imperatoris Spiræ Victor Papa cum multis Cardinalibus, Episcopis & Principibus interfuit, & electionem Heinrici pueri, sicut diximus, in Regem approbavit. Heinrico Imperatore mortuo, Agnes Imperatrix mater pueri Heinrici Regis, mulier prudens, & industriæ singularis, regnum sub moderamine suo aliquandiu tenuit, ac sapienter & strenuè rexit. Verùm cùm postea Principibus non videretur honestum, nec tollerandum diutius, à muliere imperium gubernari Romanum, Heinricum puerum Regem matri abstulerunt, eámque ab imperij regimine abjecerunt. Quòd cùm emendare non posset, cum amaritudine animi patienter tolleravit, & pro sustentatione sui Ducatum Bavariæ suscipiens, regni gubernacula dimisit. Tandem rerum permutationes considerans, dimisso Bavariæ Ducatu Italiam petijt, & in quodam Cœnobio, quod Fruteria nuncupatur, aliquamdiu vitam religiosam duxit. Postea Romæ defuncta est, & in Ecclesia sanctæ Petronellæ sepulta.

Victor Papa 2. venit in Germaniam.

MLVII.

Anno Monasterij vacantis S. Aurelij LVI. Heinricus Rex IV. ejus verò nominis Imperator III. adhuc puer, sicut diximus, octo annorum, Heinrici defuncti Imperatoris filius, mortuo patre sumpsit imperium, & regnavit annis ferme quinquaginta, cujus tempore multiplicata sunt mala super terram. Enim verò quamdiu Heinricus iste sub tutela & directione suæ matris fuit, & S. Annonis Archiepiscopi Colonienſis, bene ac laudabiliter se gessit in omnibus, nulliq; fuit gravis, nulli molestus, nulli onerosus. Sed postquam sui juris esse cœpit, libertatem regnandi per semetipsum assecutus, paulatim defecit in increpationibus, tyrannus, & persecutor factus Cleri, & Ecclesiæ, qui Custos esse debuerat, & Imperator. Pravorum namque depravatus consilio, Clerum oppressit, Christi Vicarios contempsit, Ecclesias Dei fugatis Pontificibus honore simul, & rebus spoliavit. Pro his aliisque innumeris malis, atque sceleribus à Romanis Pontificibus ad emendationem sæpius revocatus contempsit; unde contumax in superbiam elatus, à Romanis Pontificibus excommunicatus est, iterum contempsit, hostisque factus est Ecclesiæ manifestus, innumerabilium malorum, vel causa, vel occasio fuit, ut infra dicemus.

Heinricus Rex 4. regnat.

His temporibus Comes quidam, frater Archiepiscopi Magdenburgensis Monasterium nostri Ordinis construxit in finibus Thuringiæ, non procul à civitate Neoburgensi, quod Gosek nuncupatur, in quo Monachos de Corbeja Saxoniæ venientes posuit, quibus de hujus vitæ necessarijs ad serviendum Domino, in tranquillitate mentis & corporis, sufficienter

Monasterium in Gosek fundatur.

cienter providit, adjuvante illum prædicto fratre Archiepiscopo. Hujus Monasterij Abbas primus, qui cum Monachis venerat de Corbeja nomine Benno, vir erat in divinis scripturis eruditus, qui posteaquam Cœnobium rexisset annis fermè tribus, quidam ex Monachis diabolico spiritu ducti, sanctum virum apud Comitem & Archiepiscopum Fundatores de fornicationis crimine graviter accusantes, eousque in malè cœptis profecerunt, quòd per Comitem de Cœnobio injuriosè fuit expulsus. Qui exemplo divi Præceptoris nostri Benedicti Monachorum improbitati cedens, Heremitorium quoddam non procul ab oppido Goslarienſi solus intravit, & in amaritudine cordis Omnipotenti DEO, quantâ potuit devotione mentis servivit.

Contigit interea Romanum Pontificem Victorem II. sicut diximus ad Heinricum Imperatorem venire Goslariam, qui audiens Abbatem latere in Eremo, & cognitâ causâ, ejus desolationi compassus est, & volens ejus relevare miseriam, vocatum ad se, Canonicum eum fecit in Ecclesia Goslarienſi, ejúsque inopiam suâ munificentiâ relevavit. Sanctus itaque Benno de Abbate Eremita, & de Eremita Canonicus factus, etsi ritè memini, postea Decanus, vitam suam in omni puritate innocentiæ, & sanctitatis continuans, & Deo placuit, & hominibus. Contigit autem post annos aliquot Misnensem Ecclesiam suo viduari Pontifice, in cujus locum Benno consensu omnium, Episcopus est constitutus. Qui majoribus se mox virtutum exercitijs subjiciens, & de die in diem semper altius proficiens, in omni tandem sanctitate consummatus evasit. In ea denique perturbatione, quam Heinricus IV. contra Ecclesiam Dei, & universum Clerum suscitaverat, multis cedentibus, Benno Præsul sanctissimus, tyranno in faciem restitit, & pro defensione authoritatis Romani Pontificis cunctis diebus fortiter stetit. Circa finem vitæ suæ tale factum de eo narratur miraculum. Marchio Misnensis, fautor Heinrici Regis excommunicati malitiam adversus libertatem Ecclesiasticam quantam potuit, exercebat. Cui, cùm sanctus Benno Episcopus quâdam vice nescio quid, respondisset durius, tyrannus commotus alapam dedit Pontifici. Cui Præsul sanctissimus dixit: *Hâc ipsâ horâ annali recurso tempore, alapam, quam mihi dedisti, tibi rependam.* Marchio risit, & comminationem S. Pontificis contempsit. Benno autem prius, quàm revolveretur annus, ab hac vita ad Dominum migravit, & mox infinitis cœpit coruscare miraculis. Año revoluto, cùm tyrannus pontem, qui est super Albim fluvium in civitate Misnensi, transiret, in ipsa hora, quâ Præsulem percusserat vivum, sibi obviantem cernit mortuum, & subitò clamavit: ☞ Weh! *Benno Episcopus venit, Benno Episcopus venit.* Et ecce confestim S. Benno, cæteris quidem invisibilis, alapam tyranno dedit, quam promiserat, adeò fortiter, quòd in terram recidit, nec diu postea ab hac luce miserabiliter discessit. Beatissimus autem Pontifex Benno in Ecclesia Misnensi sepultus, usque in præsentem diem stupendis miraculis claret, quamvis necdum Sanctorum Catalogo habeatur inscriptus.

S. Benno fit Episcopus Misnensis.

Anno prænotato, Adelbero Episcopus Herbipolensis cum suorum consilio Canonicos Ecclesiæ S. Protomartyris Stephani, quos Heinricus Episcopus frater S. Heriberti quondam constructâ Ecclesiâ illic posuerat, ut supra diximus anno Conradi Monasterij S. Aurelij Abbatis septimo, ad

Monaster. S. Stephani Herbipol.

alios

alios Canonicos in civitatem transposuit, & Monachos nostri ordinis 30. numero cum Abbate collocavit apud S. Stephanum anno fundationis ejusdem Ecclesiæ sexagesimo; cujus Cœnobij primus Abbas fuit Rupertus vir per omnia Religiosus, & Monasticæ disciplinæ moderator & conservator vigilantissimus.

Anno etiam prænotato Victor Papa II. natione Suevus, ante summum Pontificatum Episcopus Aichstetensis nomine Gebhardus, post multa bene gesta in Germania Romam redijt, & eodem anno, 5. die mensis Octobr. ad Dominum migravit: vir certè optimus, cui si diutius vivere licuisset, omnes profectò Ecclesiastici Ordinis status reformâsset. Huic in sumo Pontificatu post dies undecim successit Friderico Cassinensis Abbas & nomen noni suscipiens, præfuit mensibus decem. Hic fuit filius Gozzelonis, & frater Gottfridi Ducum Lotharingiæ, primò quidem Levita Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ fuit: qui ad Constantinopolim missus à sancto Leone cum alijs, & legatione peractâ Romam reversus, cùm sibi Heinricum Imperatorem propter rebellionem fratris Gottfridi sensisset offensum, Romam cum suis dignitatibus pro Dei amore deseruit: & Monasterium Cassinense Domino militaturus, sub monastico schemate intravit. Qui proficientibus meritis primum ejusdem Cœnobij Abbas constitutus est: ac postea ut diximus, Papa ordinatus. Eodem anno Saxones magno coadunato exercitu gentem efferam Leuticorum eis conterminam (qui Litavi jusque hodie nuncupantur, eo tempore adhuc Gentiles, quos divus Otto Episcopus Bambergensis postea convertit ad fidem.) hostiliter invaserunt, diversisque malis eam affligentes imperio Romano subjecerunt, imponentes eis tributum annuum imperio solvendum: & acceptis cautelis & obsidibus necessarijs ad sua redierunt.

Stephanus ex Abbate Pap. nono.

Otto Suevorũ Dux moritur.

Anno etiam prænotato, vicesimâ octavâ die mensis Septembris, obijt Otto ex Comite de Svveinfurt Dux Suevorum natione Francus Orientalis, vir prudens, imperio fidelis, actione strenuus & bellicosus; qui cùm potens esset in armis, fuit nihilominus in pace, & otio gloriosus. Cui Rudolphus de Reinfelden, qui postmodum pro Regno contendit, in Ducatu Suevorum successit, & plus quam viginti annis eum tenuit, ac postea contra Heinricum quartũ per quosdam Principes apud Forchaim oppidum Franciæ orientalis in regem, ut dicemus infrà, sublimatus fuit. Sciendum, quòd iste Rudolphus, mox post mortem Heinrici secundi filiam ejus Rumoldo Episcopo Constantiensi commendatam, utrum consilio raptam, an dolo nescimus, uxorem duxit, & moriente Duce Suevorum Ottone prædicto in gratiam redierat Imperatricis, à qua Ducatum Sueviæ vacantem propter filiæ honorem accepit. Quod Berchtoldo Comiti, qui postea Carinthiorum accepit Ducatum, valde displicuit: & ob id contra Imperium multas inquietudines suscitavit. Nam Heinricus Imperator olim adhuc vivente Duce Ottone Ducatum Suevorum, quàm citò ille moreretur, se daturum Comiti Bertholdo promisit: eique annulum suum velut hujus rei commonitorium dedit, quem ille diligenter conservans, post amborum obitum, Imperatoris videlicet Heinrici, & Ducis Ottonis, Imperatrici Agneti imperium tunc disponenti obtulit, eamque annulum agnoscentem pro Ducatu sibi promisso commonuit. Verùm quia Ducatum Suevorum à Rudolpho præoccupatum habere non

Berchtold. fit Dux Carinthiæ.

potuit,

potuit, pro viciſſitudine poſtea Ducatum Carinthiorum, ut diximus, accepit: quem poſtea filio æquivoco, precibus ab Heinrico quarto Rege concedi obtinuit. Heinricus autem Rex poſtea Ducatum Carinthiorum, quem Rudolpho ſenioris Rudolphi filio conceſſerat, perſuaſus quorundam conſilio, ab utroque aufferens, Lutolpho conſanguineo ſuo tradidit, ſicque patrem & filium parvipendens, graviter offendit. Unde renovatâ priore injuriâ Berchtoldus Dux omnia conſiliorum machinamenta, quorum plenus extitit, ad hoc vertebat: ut ſe de utróque, rege videlicet ac Rudolpho poſſet ulciſci: ab iſto, quoniam Ducatum ſibi promiſſum præripuit: ab illo autem, quoniam quem donaverat, iterum ſibi aufferre præſumpſit. Interea dum viribus totis contra regem machinaretur conſilium, multa quæ perperam fiebant in regno, ejus conatibus præbuerunt incrementum. Bavarorum Dux Otto, ſicut poſtea dicemus, violentiâ regis à ſuo ducatu deijcitur: Conradus genere Suevus à militibus regis interficitur, & quaſi Rex juſſerit, mala contra eum multiplicantur; conſpirant igitur adverſus regem Otto memoratus, à Bavarorum Ducatu pulſus in Saxonia: Berchtoldus propter occiſum Conradum in Suevia: fiunt motus & conventus utrobique, in quibus odia ſuſcitantur in Regem, & multi paulatim, ſeſe ab ejus fide ſubtraxerunt. Lutolphus Dux.

Anno etiam prænotato civitas Padelbronnenſis in Saxonia cum duobus Monaſterijs cathedralique Eccleſia majore, feria ſextâ ante Palmas incendio miſerabiliter conflagravit. Erat in Monaſterio uno ibidem noſtri Ordinis, quod hodie incolæ civitatis Abdinghoven nuncupant, Monachus quidam pro Dei amore incluſus, natione Scotus, nomine Paternus, vir magnæ Religionis, qui vitam ſolitariam in incluſorio ſuo multis annis duxit, Lectioni divinarum Scripturarum & orationi ſemper cum devotione intentus: qui hoc incendium ſibi divinitus revelatum, longè antea futurum prædixerat: ſi homines pœnitentiæ remedia non aſſumerent in tempore. Verùm cùm ejus prædictionem mortales contemnerent, nec pœnitentiam agere curarent, ecce feriâ ſextâ prædictâ ante Palmas, ſubitò ignis in diverſis locis nominatæ civitatis oritur, & cum maximo impetu ubique per urbem nullo potente reſiſtere vagatur. Cumque dictum Monaſterium medijs jam flammis eſſet circumdatum, & Monachi Paternum rogarent, ut exiret de incluſorio, noluit; ſed quia vellet divinum exſpectare judicium reſpondit. Adhuc ſermonem volvebant incœptum, cùm ignis cellæ propinquans Monachos ſalutis propriæ ſtudioſos fugere compulit; Paternum verò in ſuo propoſito perſeverantem cum ſuo domicilio conſumpſit. Cauſa propter quam cellulam exire noluit, propoſitum incluſionis fuit.

MLVIII.

Anno Monaſterij vacantis LVII. Stephanus ex Abbate Monaſterij Caſſinenſis, natione Lotharingus ejus nominis IX. apud Florentiam infirmatus moritur, & in Cathedrali Eccleſia ibidem ſepelitur. Ipſe inter cetera pietatis ſtudia Mediolanenſem Eccleſiam, quæ ſe jam annis ferme ducentis à Romana Eccleſia alienaverat, revocavit ad obedientiam, & omnimodam ſubjectionem; Hildebrandum quóque ex Monacho Cluniacenſi S. Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum Cardinalem Vicarium ſuum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum conſtituit, ipſumque per Italiam, Stephanus Papa IX. moritur.

Longobardiam & Burgundiam pro extirpatione Simoniacæ pravitatis destinavit. Qui commissi muneris officium fideliter implens, quoscunq; hoc scelere infectos reperit, sine personarum delectu, omni dignitate malè acceptâ confestim spoliavit. Stephano tandem, ut diximus, defuncto, Romani quendam Episcopum Veltrensem, invitis & reclamantibus Cardinalibus & omni Clero, qui tum Romæ erant, Papam constituunt: eíque nomen Benedicti IX. imponunt: qui præfuit mensibus octo diebusq; viginti: Cardinales autem cùm Romæ non possent, apud Senas pro Electione sumi Pontificis conveniunt: & Gerardum Florentinæ civitatis Episcopum, natione Sabaudum in Papam concorditer eligunt, qui Nicolaus secundus dictus est, & præfuit annis tribus, mensib. VI. diebus XXVI. Qui mox ut creatus fuit, Sutrium concessit, ubi celebrato concilio Benedictum Pontificatu se abdicare coëgit. Inde Romam proficiscens, sedem Petri obtinuit.

Lampertus Monachus Hirsfeldēſ.

Anno Prænotato, his temporibus floruit Lampertus Monachus Hirsfeldensis in Buochonia Sylva, quæ est inter Hassiam & Thuringiam Moguntinæ Diœcesis, vir tam in divinis scripturis doctissimus, quàm in sæcularibus litteris valde eruditus, ingenio subtilis, & clarus eloquio: qui inter cætera ingenij sui opuscula scripsit Chronicon Monasterij sui Hirsfeldensis, breve quidem, sed non inutile. Scripsit etiam de gestis Regum, Principum, & Imperatorum, à tempore Caroli Magni, usq; ad annum Dominicæ nativitatis millesimum septuagesimum septimum. Historiarum volumen unum, insigne, & jucundæ lectionis. Alia quoq; multa composuit, quæ ad notitiam nostræ lectionis non venerunt.

Anselmus Monachus Rhemenſ.

Claruit etiam his ipsis temporibus, Anselmus Monachus nostri Ordinis Cœnobij Rhemensis vir in omni genere doctrinarum eruditissimus, qui scripsit Itinerarium S. Leonis Papæ IX. de Roma in Germaniam & Galliam: in quo gesta & dicta ejus in diversis Synodis habita conscripsit; alia etiam scripsisse dicitur, quæ necdum vidimus.

Petrus Damiani Cardinalis.

Claruit his etiam temporibus Bernardus Monachus Cluniacensis in divinis scripturis eruditus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, qui jubente S. Hugone Abbate, qui Odiloni successerat, inter cætera scripsit consuetudines regularis observantiæ Monasterij, & unionis Cluniacensium in uno volumine. Reliqua verò quæ composuit ad notitiam *nostræ* lectionis minimè adhuc pervenerunt. Petrus etiam Damiani *quondam* Episcopus Hostiensis, ex Monacho nostri Ordinis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; vir undecunque doctissimus, & morum sanctitate integerrimus, qui amore & desiderio cœlestis patriæ, Pontificatum deseruit, & ad heremum convolavit, ubi cum Monachis Monachus vixit, & eos verbo simul & exemplo in omni sanctitate præcedens erudivit. Multa scripsit memorandæ lectionis opuscula, è quibus nos invenimus subjecta. Apologeticum sui ad Papam Nicolaum secundum, excusando se, quòd Episcopatum dimiserit, librum unum. Ad eundem alios duos. Ad Leonem Eremitam interrogantem, utrum solitarius in horis Canonicis debeat dicere: *Dominus vobiscum*, librum unum. Contra vitium incontinentiæ sacerdotum librum unum. De uxoribus Clericorum l. I. Regulam solitariorum lib. I. Exhortatorium ad Monachos lib. I. De profectu Monachorum lib. I. De multis miraculis sui temporis volumen unum,

Opuscula hujus Petri Damiani.

unum. Antilogion contra Judæos lib. 1. Contra avaritiam Prælatorum lib. 1. Vitam S. Odilonis Abbatis Cluniacensis. De timore mortis lib. 1. De meditatione mortis lib. 1. Contra Episcopos Simoniacos lib. 1. Contra quendam Episcopum lib. 1. De insolentia malignorum hominum lib. 1. Ad Heinricum Ravennatensem Archiepiscopum lib. 1. quem prænotavit gratissimum sive probatissimum. Declamationis Rhetorices lib. 1. De natura quorundam animalium lib. 1. De Flora & Lucilla lib. 1. De S. Bonifacio lib. 1. De S. Anastasio lib. 1. Sermonum & homiliarum volumen unum: alia insuper multa edidit, quæ ad notitiam nostræ lectionis adhuc non venerunt.

Lanfranco ex Monach. Archiepisc.

Claruit his etiam temporibus Lanfrancus ex Monacho nostri Ordinis Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia natione Italus, patriâ Ticinensis, vir undecunque doctissimus, & morum integritate sanctus ac venerandus, qui scholis apud Parisienses, multo tempore præsidens, magnam eruditionis suæ laudem & gloriam acquisivit. Qui divino tandem spiritu admonitus, omnia pro Christi amore contemnere proposuit, qui semetipsum dare pro nobis in mortem crucis minimè recusavit. Primò igitur in Pectensi Cœnobio Monachus factus est, in quo triennio latuit incognitus, quis vel unde esset. Postea verò cognitus, mandato Abbatis sui, scholis Monachorum præficitur, ac deinde Cadonensis Monasterij Abbas ordinatur. Factus postea Cantuariensis Archiepiscopus, multa bona in Ecclesia Anglicana fecit. Qui cùm esset in omni varietate scripturarum suo tempore omnium facilè doctissimus, scripsit super omnes Epistolas Pauli opus magnũ & insigne. Commentarios quóque in omnes Psalmos eruditione plenos lucubravit. Contra Berengarium Thuronensem de Sacramento altaris malè sentientem, librum edidit authoritate instructum simul & ratione. Gesta quóque Wilhelmi ex comite regis Anglorum. De cæteris quæ scripsit, nihil vidimus. Hujus Lanfranci auditor fuit in Monasterio Pectensi S. Anselmus, qui & in Prioratu, & in Archiepiscopatu Cantuariensis Ecclesiæ ei postea successit.

Opuscula Lanfranci.

MLIX.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis LVIII. Eberhardus Archiepisc. Trevirorum, filius Ezzelini comitis Palatini Rheni publico statuit edicto, Judæos omnes, qui fidem Christi non consentirent assumere, infra octavas paschatis hujus anni, de civitate Trevirorum expellendos. Judæi habito inter se consilio, quemadmodum imminens sibi periculum possent evadere, miserunt pro quodam Judæo ad Wormatiam, qui vocabatur Rabbi Moyses, rogantes ut veniret ad eos Trevirim; erat enim maleficus incantator, & Necromanticus omniũ suo tempore maximus. Qui cùm venisset ad Trevirensem civitatem, volens salvare gentem suam, cùm probitate non posset, rem maleficio aggreditur. Imaginem fecit ex cera secundùm dispositionem Archiepiscopi, quam presbyter quidam Ecclesiæ S. Paulini, nomine tantùm Christianus pretio corruptus in nomine ipsius Archiepiscopi baptizavit, & Judæo malefico tradidit. Deinde cùm Archiepiscopus in Vigilia Paschatis, Pontificalibus indutus, ad benedictionem sacri baptismatis cum Clero procederet, perfidus Judæus domo inclusus imaginem incantationibus, punctauris, ignibus cruciat, Dæmones invocat, & ceram baptizatam nomine Archipræsulis

Nefandum Judæi maleficium.

maleficijs incantat. Mira divinæ permissionis dispensatio! Imagine jam ex media parte ab igne consumptâ, Archiepiscopus super fontem, sacris instans officijs, subitò gravissimè cœpit infirmari, qui ministerio Clericorum in sacrarium reportatus, inter verba orationis ante imaginem crucifixi ad parietem depictam, genibus flexis inter manus ministrorum sustentantium confestim expiravit, quintâ decimâ die mensis Aprilis in eadem Ecclesia S. Paulini, ubi hæc facta fuère, sepultus. Qui cùm vir esset in omni conversatione sua integer, sanctus, & religiosissimus, quis verbo & exemplo dignum exhibuit Christi ministrum, mirum erat, fidelem pastorem spirituum permissum tam miserabiliter interire. Si quis fidem his derogat, gesta Trevirorum, unde sumpsimus legat.

Meginherus Hirsfeldensis Abbas moritur.

Anno etiam prænotato vicesimâ sextâ die mensis Septembris, mortuus est Megenherus, Abbas Monasterij Hirsfeldensis, vir in divinis scripturis doctus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, magnarúmque in Christo virtutum, & unicum exemplar monasticæ religionis. Hic pro quibusdam præfati Monasterij sui decimationibus in Saxoniæ provincia situatis, cum Burghardo Halberstatensi Episcopo lites, & controversias habuit, quæ annis duraverant non paucis. Qui cùm vidisset Episcopum non jure, sed violentiâ prævalere, sibi autem nec leges forenses, nec jus Ecclesiasticum positivè in aliquo suffragari, propter judicum iniquitatem, qui instantes illius querelas, aut surdâ transierunt aure, aut fabulas reputarent, comotus tandem pro defensione justitiæ, ad tribunal Christi appellans Episcopum illo sub termino citavit. Quo, ante terminum quem præfixerat citationis, mortuo, cœpit Episcopus Dei judicium formidare, qui nihilominus divinâ ultione tactus, visceribúsque diruptis in termino secutus est; qui tamen priusquam moreretur, ejulans & clamans ad Dei judicium per Abbatem Hirsfeldensem se justè fatebatur citatum: missisque ad Monachos nuntijs, ablata restituit, & veniam postulavit, & sic inter spem metumque positus, eo die, qui citationis fuit ultimus, decessit.

Ruthardus Abb. Hirsfeldensis.

Meginhero in Abbatia successit Ruthardus Monachus Corbejensis, vir doctus, & magnæ reputationis, qui scholis Monachorum apud Corbejam multo tempore præfuit, & magnum eruditionis suæ experimentum dedit, deinde proficientibus meritis, Abbas ejusdem Monasterij fratrum electione constituitur, & satis religiosè conversatur. *Post* annos verò paucos quorundam criminum, falsò, ut creditur, insimulatus, dimissâ tandem Abbatiâ, nonnullos per diversa Cœnobia privatus exegerat annos: donec Hirsfeldensem Abbatiam post Meginherum obtinuit, in qua usq; ad mortem sanctissimè vixit. Scripsit de tranquillitate vitæ pulchrum opusculum, in quo seipsum multimodâ ratione consolatur: dicens Monachum non debere perturbari propter quoscunque contrarios eventus rerum transitoriarum; cùm omnia sint brevi mortis interventione terminanda. De miseria quoque vitæ præsentis libellum edidit non contemnendæ lectionis. De institutione Monachorum lib. 1. De Justitia Christiana libb. 2. De Sacramento Altaris contra Berengarij hæresim libb. 2. Et alia, quæ non vidimus.

Opuscula Ruthardi Abbatis.

De in-

De instauratione, renovatione, & secunda fundatione Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis facta per Adelbertum Comitem.

ANno Dominicæ Nativitatis prænotato, millesimo videlicet, quinquagesimo, qui fuit Monasterij S. Aurelij vacantis, annus octavus & quinquagesimus, à prima ejusdem Cœnobij fundatione ccxxix. Indictione Romanorum XII. Cùm Adelbertus Comes Calbensis, verborum, admonitionum simul, & comminationum sanctissimi Avunculi sui Leonis Papæ IX. paulatim videretur oblivisci: quippe qui potens, dives, & sanus, mundi negotijs totus esset immersus, uxor ejus Wiltrudis, mulier Christo fide, & actione devotissima, comminationis verba S. Pontificis, à memoria recedere non sinebat. Metuens ergo, ne memoria sanctum Comitis propositum tandem penitus enervaret, precibus simul & lachrimis illum continuis aggreditur, & ne diutius moretur promissum in restituendo S. Aurelij Monasterio, flens, orans sine intermissione per Dei judicium contestatur: *Esto memor*, inquit, *Domine, precor verborum comminationis S. Pontificis, ad mentem revoca, oro, debitum spontaneæ promissionis, ne sententiam incurramus æternæ maledictionis; reddamus Omnipotenti Deo promissum, quando possumus: restituamus D. Præsuli Monasterium suum dum vivimus, & sani sumus. Nulla mihi quies est mentis, nulla tranquillitas cordis, semper illam S. Papæ comminationem audire videor, nimis terribilem, quâ dixit nobis non instaurato Monasterio, nullam fore salutem.* Hæc & his similia Comiti fœmina quotidie inculcabat, non cessans die, ac nocte verba Papæ Leonis in mediũ reducere: ut quem blandimentis, & precibus emollire non poterat, saltem importunitate superaret. Quâdam igitur die Comes nimiâ devotæ mulieris importunitate superatus, negotium aggreditur, & vocatis artificibus negotium inchoatur. Convenientes ad locum artifices consilium Comiti dederunt, ut omnem structuram dejiceret, & novam lapideámque à fundamentis in locum veteris relocaret. Erat enim vetus illa structura omnis tam Ecclesiæ, quàm totius Monasterij ligneo tabulato priscorum simplicitate fabricata, & nimiâ vetustate semidiruta: jam prope minabatur ruinam, & ad restaurandum penitus videbatur inutilis. Comes igitur Adelbertus, tam aliorum consilio fretus, quàm prudenti consideratione motus, primam Ecclesiam ab Erlafrido Comite quondam de lignis constructam, funditus præcepit destrui, & locum pro novo templo, secundùm formam sibi à peritis traditam restituendo emundari. Interea lapides de vicino monte quadratos, & ligna, cæteráque ad tantum opus necessaria magnis sumptibus præparat, & omnem curam, omnémque sollicitudinem incœpto operi diligens commendat. Toto namque prænotato Dominicæ Nativitatis anno in præparatione necessariorum fuit sollicitus, & anno sequente fundamenta Ecclesiæ collocavit.

Instaurationis Monasterij S. Aurelij præludia.

Prior Ecclesia sancti Aurelij dejicitur.

His etiam temporibus Eberhardus Comes quidam in Suevia cooperante sibi uxore suâ, nomine Ida, cupiens Deum bonorum suorum constituere hæredem, Monasterium nostri Ordinis, quod Schafhausen nuncupatur, condidit, quod multis prædijs, & possessionibus pro sustentatione ser-

Monasterium in Schaffhausen fundatur.

ne servorum Domini dotavit, in quo Cœnobio postea per successum temporis multi doctissimi, atque sanctissimi viri sub Regula S. Benedicti Abbatis claruerunt. De quo etiam plura Monasteria nostri Ordinis nova, Monachos, & Abbates primos inhabitatores, diverso tempore habuerunt.

MLX.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis LIX. Indictione Romanorum præscriptâ XIII. Comes Adelbertus de Calba pro nova constructione Ecclesiæ prænominatæ S. Aurelij Hirsaugiensis prima fundamenta locavit eo loco, modo, & formâ, uti hodie cernitur, & in paucis annis omne totius Monasterij continuatum ædificium consummatur.

Eodem anno Luitpoldus Archiepiscopus Moguntinus 7. die mens. Decembr. moritur, & in Monasterio S. Jacobi nostri Ordinis, quod ipse in Monte speciosо extra mœnia civitatis construxerat, sepelitur: cujus ossa post multos annos levata, & in capsula lignea posita continentur in extremitate chori supra januam in fenestra subtus altare S. Helenæ Imperatricis. In eo loco, ubi nunc est Monasterium, antiquitus fuit castellum, quod Julius Cæsar ad munimen civitatis constructum, Theutonicâ linguâ Schönberg, id est, speciosum Montem fecerat appellari, in quod per longi milliaris spatium à villa, quæ Fonthaim aquæ ductum emittens appellatur, non sine magnis impensis partim super terram fecit introduci. Mortuo Luitpoldo Reverendissimo Præsule, Sigefridus Abbas nostri Ordinis, Monasterij S. Bonifacij Fuldensis in Archiepiscopatu succedens, præfuit annis XXIV. sæpius interea pulsus de Ecclesia sua per Heinricum Imperatorem propter conjurationem in eum, sæpius etiam in peregrinatione longo tempore absens, ad Romam, Jerosolymam, S. Jacobum in Galitia, aliaque diversa loca; quia in Germania nusquam tutus erat. In Abbatia verò Monasterij Fuldensis post Sifridum successit Monachus quidam nomine Wideradus, qui præfuit usque ad Ruthardum. Eodem anno mortuus est Heinricus Rex Gallorum, filius quondam doctissimi, atque devotissimi Regis Ruperti, de quo supra dictum est anno Conradi Abbatis septimo, post quem regnavit Philippus filius ejus annis abhinc novem & quadraginta. Sunt, qui scribant, Philippum patre adhuc vivente anno prænotato sumpsisse regnum, ob ejus *senium*.

Sigefridus Abbas Fuldensis fit Archiepiscopus.

Anno prænotato, Heinricus Comes Palatinus Rheni, qui morabatur in Castello Lacensi prope Andernachum, pater Heinrici Comitis, qui postea Monasterium Lacense fundavit, in amentiam versus delirare cœpit. Unde sub specie devotionis Monachus fieri, & sæculum spernere volens, reclamante uxore Cœnobium Echternach, quod S. Wilibrordus tempore Dagoberti Regis Francorum olim fundaverat, intravit, & Monachum profiteri omnino delirus voluit. Sed cum ejus insania Monachis videretur prorsus intollerabilis, de Monasterio præfato per suos extrahitur, & ad propria renitens, & insaniens reportatur. Qui crescente vesaniâ non diu postea propriam occidit uxorem, & furens usque ad mortem, non longè post moritur. Cujus pater fuit Ludolphus Comes filius, & primogenitus Ezzelini Comitis, de quo longè supra diximus anno Monasterij vacantis XIII. Avus autem paternus Sifridus Comes Palatinus Rheni Magnus, pater S. Cunegundis Imperatricis. Nam Sifridus genuit

Genealogia Palatinorum Comitum.

genuit Ezzelinum fundatorem Monasterij Bruvvilerensis, fratrem sanctæ Cunegundis: Ezzelinus genuit Ludolphum, & fratres ejus Hermannum Colonienſem, & Eberhardum Trevirorum Archiepiſcopos, de quibus dictum eſt: Ludolphus genuit Heinricum & Eberhardum: Heinricus poſtea, ſicut diximus, furioſus genuit Eberhardum Ducem Moſellanum, de quo linea continuatur Palatinorum Comitum: & Heinricum, qui Lacenſem comitatum mortuo patre obtinuit, & deſtructo Caſtello, Monaſterium noſtri Ordinis, quod à vicino ſtagno Lacus vocatur, ſicut dicemus, ædificavit.

MLXI.

Anno iſto, Monaſterio S. Aurelij adhuc vacante, comes Adelbertus cœpto fideliter perſtabat in opere: nihil magis videre deſiderans, quàm conſummationem inchoati Cœnobij, & præſentiam ſervorum Dei. Magna eodem anno fames, totum penè Romanum Imperium occupavit, & multos per Saxoniam, Sueviam, Bavariam & Orientalem Franciam homines graviter afflixit, poſtquam peſtilentia graviter ſecuta fuit. Eccleſia S. Aurelij conſtruitur.

Eodem anno morttuus eſt Nicolaus Papa II. qui apud S. Joannem Lateranenſem Romæ, Concilio Epiſcoporum habito, formam Cardinalibus eligendi Romanum Pontificem conſtituit, & Heinricum Regem IV. ut quidam referunt in III. Imperatorem coronavit. In eodem Concilio Berengarium Turonenſem ab errore ſuo revocatum conſtat, & pœnitentiam pollicitum, quam toto deinceps vitæ ſuæ tempore diligentiſſimè peregit. Poſt Nicolaum Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, patriâ Mediolanenſis communi voto Cardinalium Romanus Pontifex eligitur: Alexander ejus nominis II. nuncupatur, præfuitque annis XI. & menſibus VII. Contra hunc Heinricus Imperator inſtinctu quorundam Epiſcoporum Cadalum Parmenſem Epiſcopum in Antipapam erigens, graviſſimũ in Eccleſia Dei ſchiſma ſuſcitavit. Huic autem Antipapæ mox omnes Epiſc. Lombardiæ obedientiam præſtiterunt, qui contra Alexand. armata manu pugnavit: & multi ab utráque parte ceciderunt. Irrumpente tandem Ottone Mediolanenſium Principe, & Gottfrido Normanno, alijſque compluribus, qui ſtabant pro Alexandro, Cadalus victus eſt ab eis. Tandem vices ſuas interponente Heinrico Imperatore in Concilio Mantuano, ſchiſma extinguitur, & Cadalo cedente Alexander confirmatur. In eodem Concilio Mantuano idem Papa Alexander multa ad communem Eccleſiæ utilitatem conſtituit, & vir magnæ authoritatis fuit. Qui ſoluto Concilio de Mantua Romam proficiſcens, majorem Eccleſiam Lucenſem, cujus Epiſcopus antea fuerat, in honorem S. Martini, conſecravit, & Canonicos ejuſdem in ſignum priſtinæ charitatis paſtorali mitrâ inſignivit, multiſque privilegijs & libertatibus honoravit. Concilium Mantuæ celebratur.

MLXII.

Anno Monaſterij S. Aurelij Hirſaugienſis, Abbatiâ vacante, LXI. inchoata ipſius loci renovatio continuatur. His temporibus Marianus Scotus Monachus noſtri Ordinis, vir doctus, & morum integritate ſanctiſſimus, qui pro Regni Cæleſtis amore, patriam ſuam, & omnia mundana contemnens, peregrinus venit in Coloniam, & in Cœnobo ſancti Martini, vitam in incluſorio aliquamdiu religioſiſſimè duxit Eremiticam, divinis lectionibus, & ſanctis orationibus ſine intermiſſione dans operam. Marianus Scotus Monachus.

operam. Deinde ad petitionem Sifridi Abbatis Fuldensis dimisit Colo-
niam, & cum eo venit in Fuldam, & ibidem novem annis in inclusorio
stetit, in ea videlicet cellula, in qua S. Amichadus inclusus quondã hab-
tavit, de quo diximus anno Monasterij vacantis XLIII. Postea verò cum
Sifridus Abbas Moguntinus ordinaretur Archiepiscopus, Marianum,
Chronicon Mariani Monachi. quasi unicum vitæ suæ Patronum, secum ad Moguntiam transtulit, & in
cellulam juxta Ecclesiam S. Martini majorem habitare fecit, in qua us-
ad mortem Domino serviens permansit. Scripsit multo studio, & ma-
no labore volumen grande historiarum ab origine mundi usque ad s-
tempora, mirâ subtilitate ostendens errorem præcedentium Chro-
graphorum, ita ponentium Christi Nativitatem, ut annus passionis e-
quantum ratio demonstrat computi, cum veritate Evangelij omnino n-
queat concordare, vnde ipse adjiciens, tres & viginti annos illi anno, ub
priores Chronographi Nativitatẽ Domini posuerunt, sub tempore Co-
sulum prætermissos, in margine voluminis alternatim collocavit, hinc
annos Evangelicæ veritatis, illinc verò annos falsæ supputationis prio-
rum, quo non solùm intellectu, sed etiam visu discerni veritas à falsi-
tate possit. Scripsit etiam de Concordantia quatuor Evangelistarum li-
brum unum, & quasdam eruditionis & devotionis plenas Epistolas, qua-
rum lectio Monachis est utilis. Produxit autem Chronicon suum ab or-
gine mundi, usque ad annum Dominicæ Nativitatis millesimum, octo-
gesimum secundum.

MLXIII.

Hoc anno, qui fuit LXII. à morte Conradi ultimi, & decimi Abba-
tis, prioris Monasterij Hirsaugiensis, Adelbertus Comes de Calba, sine in-
termissione opus novi Monasterij S. Aurelij, quod inchoaverat ante bi-
ennium, continuavit. Hoc ipso anno moritur Lampertus de Legia Mo-
nachus & Scholasticus Cœnobij S. Matthiæ Apostoli extra mœnia Tre-
virorum, de quo supra diximus anno vacantis Monasterij tricesimo se-
Arnoldus Monachus Trevirens. ptimo. Post quem Arnoldus ejusdem Cœnobij Monachus tam in divi-
nis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, officium do-
cendi accepit, quod annis duobus strenuè administravit: ad quem Ma-
rianus Scotus Monachus inclusus elegantem destinavit Epistolam. Scri-
psit opus metricum de proverbijs Salomonis librum unum. *Ad Mari-*
anum Scotum de ratione computi Ecclesiastici librum unum. De Cyclo &
inventione Festi Dominicæ Resurrectionis librum unum. Alia, quæ com-
posuit, ad notitiam nostræ lectionis minimè pervenerunt.

Infans bi-ceps in Sue-via nasci-tur. Anno etiam prænotato, mulier quædam de familia Monasterij Pem
domûs Constantiensis uxor cujusdam Ibonis infantem peperit, duo capi-
ta, & omnia membra superiora duplicata habentem, qui tandem in
unum hominem à Clunium loco ad inferius desinebat. Eodem anno fi-
gus maximum fuit per dies quatuor in medio mense Aprili: aura quoque
venenosa & nivibus plena, quæ pecudes læsit, arbores subvertit, & vites
in vineis miserabiliter devastans annihilavit, unde magna vini defectio
subsecuta fuit.

MLXIV.

Hoc anno, qui fuit Monasterio S. Aurelij vacante LXIII. Indictio-
ne Romanorum secundâ, Trevirorum Ecclesiâ post miserabilem interi-
tum Eberhardi Archipræsulis per annos jam quatuor vacante, Heinricus
Impe-

Imperator ſanctum & innocentem virum nomine Cunonem ſive Conradum eis fecit ordinari Antiſtitem. Qui cùm properaret ad Trevirim pro ſuſcipienda ſibi commiſſa Eccleſia, Theodericus ſceleratiſſimus comes Trevirorum Palatinus unà cum quibuſdam impijs ſattellitibus ſuis ei furibundus occurrit, & ductum de recto itinere, in nemus proximum non procul à civitate cum multis injurijs, contumelijs, & opprobrijs tertiò de rupe altiſſima præcipitavit, Chriſtique Martyrem fecit. Cujus corpus in medio Eccleſiæ Monaſterij Tholegienſis noſtri Ordinis ſepultum infinitis mox cœpit coruſcare miraculis. Comes parricida nequiſſimus tandem ſeriò pœnitentiâ ductus, pro ſatisfactione Jeroſolymam profectus, non amplius eſt reverſus. Reliqui omnes conſentanei ſceleris malo fine brevi tempore perierunt. Audiens interitum S. Cunonis Imperator ingemuit, & circumſtantibus dixit: *Trevirenſes, miſi vobis paſtorem innocentem, atque mitiſſimum, & illum crudeliter occidiſtis; ecce talem vobis Archiepiſcopum dabo, qui veſaniæ veſtræ poſſit reſiſtere.* Habitóque ſuorum conſilio, Trevirenſibus Archiepiſcopum deſignavit, Ottonem, quem Uttonem nonnulli vocabant, virum ſtrenuum, prudentem & magnanimum, filium Eberhardi comitis Suevorum, fundatoris Monaſterij Schafhauſen, de quo dictum eſt anno vacantis Cœnobij Hirſaugienſis LVIII. Hunc ergo Imperator cum magno exercitu ad Trevirim introduxit, & cives unà cum Clero in ejus jurare ſententiam compulit. Deinde vindictam de homicidis, qui non prius fugâ lapſi fuerant, capitum amputatione terribilem fecit.

S. Cuno Trevirorũ Archiepiſc. martyrizatur.

Otto fit Archiepiſcop. Trevirorũ.

Anno prænotato Siffridus Archiepiſcopus Moguntinus, Guntherus Epiſcopus Bambergenſis, Otto Epiſcopus Ratisponenſis, Adalbero Epiſcopus Herbipolenſis, Wilhelmus Epiſcopus Trajectenſis, & alij quàm plures Epiſcopi & nobiles in magna comitiva (ſeptem ut fertur millium) Jeroſolymam devotionis cauſsâ profecti ſunt; qui multas moleſtias, & infeſtationes ab infidelibus ſuſceperunt, tandemque perventione fruentes optatâ, numero & rebus multùm attenuati aliqui redierunt, & ſicut ſcriptum invenimus, de ſeptem millibus vix duo millia ſuperfuerunt.

Epiſc. proficiſcuntur Jeroſolymam.

Eodem quoque anno mortuus eſt Arnoldus Eccleſiæ Wormatienſis Epiſcopus, vir modeſtus & Pontificiali honore digniſſimus, qui oves Chriſti ſibi commiſſas, non minus exemplo, quàm verbo ad bonæ converſationis ſtudium erudivit. Huic in Pontificatu ſucceſſit Adelbero Monachus Cœnobij S. Galli in Suevia noſtri Ordinis, frater Ducis Suevorum Rudolphi de Reinfelden, de quo ſupra diximus, uno pede omnino debilis & claudus, vir ſpectaculo dignus; erat enim corpore magnus, robore fortis, edacitatis multæ, craſſitudinis tantæ, quæ non minus horrorem incuteret videntibus, quàm riſum & admirationem.

Adalbero Monachus S. Galli fit Epiſcop. Wormat.

Claruit his temporibus Walramus ex Scholaſtico Bambergenſis Eccleſiæ Monachus Fuldenſis, ac deinde Abbas Merſeburgenſis Cœnobij in Saxoniâ, vir tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus litteris non mediocriter eruditus, qui primùm apud Pariſienſes in Gallia Philoſophiam gloriosè docuit; poſtea apud Bambergenſes in orientali Francia Grammaticam & Rhetoricam publicè legit. Qui Monachus factus ſcripſit metro ſimul & proſâ tres libellos in Cantica Canticorum, interſerens quoſdam pro intelligentia ſimplicium rhythmos in lingua noſtra

Teutonica. Cætera quæ composuit, ad notitiam nostræ lectionis adhuc non venerunt. Guntherus etiam Monachus Cœnobij S. Amandi Elvonensis in Gallia, vir in omni genere scientiarum doctissimus, hæc tempora scribendo & docendo reddidit clariora, de cujus lucubrationibus extant subjecta. Metro vitam & passionem S. Dominici composuit, quem Græco vocabulo Cyriacum appellamus. Vitam quoque S. Amandi Episcopi quondam Trajectensis simili carminis genere lucubravit. Homilias denique plures sive sermones ad fratres, & quædam alia conscripsit. Eodem ferme tempore floruit Theodoricus Abbas S. Trudonis, vir in divinis scripturis eruditus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, metro exercitatus & prosâ; qui utroque scribendi genere multa lucubrâsse dicitur, è quibus ista duntaxat potuimus invenire. Vitam S. Trudonis lib. 1. Vitam S. Bavonis Monachi Gandavensis lib. 1. Sermones etiam varios & Homilias ad Monachos suos lucubravit.

S. Arnolph. ex Monach. Episcopus.

Claruit & S. Arnolphus Cœnobij Divi Præsulis Medardi Suessionensis, qui multis annis ibidem pro Christi amore in inclusorio stetit, orationi & contemplationi vacans die ac nocte. Deinde factus est ejusdem Cœnobij Abbas, & postremò Suessionensis Ecclesiæ Pontifex ordinatus, vitam in omni sanctitate continuavit. Hic tandem pro confirmatione pacis & concordiæ venit in Flandriam, & inter prædicandum populo verbum salutis prædixit se brevi moriturum. Constructo igitur & consecrato in honore S. Petri Apostolorum Principis Ordinis nostri Monasterio, XVI. die Mensis Augusti, sicut prædixerat, moritur: & miraculis coruscans in Ecclesia ejusdem Cœnobij honorificè sepelitur.

Maurilius quoque Monachus Fiscanensis Cœnobij in Normannia vir sanctissimæ conversationis, circa hæc tempora post depositionem Malgerij Archiepiscopi Rothomagensis in locum ejus propter doctrinam & vitæ meritum ordinatus, virtutibus & miraculis clarus habetur, qui moriens in Ecclesia S. Mariæ sepelitur, cujus gesta conscripta sunt. Circa hæc tempora S. Anno Colonienſium Archiepisc. Monasterium Ordinis nostri, quod Grafffchafft nuncupatur, in finibus suæ Diœcesis, in terra Saxonum, in pago Westvvalen fundavit; in quo Monachos cum Abbate sub Norma D. P. N. Benedicti posuit; quibus de vitæ hujus necessarijs ad serviendum Domino providit. Eodem ferme tempore idem S. Anno fundavit & aliud in finibus Thuringorum Ordinis nostri Cœnobium ad honorem omnipotentis Dei: in quo similiter Monachos cum Abbate posuit: quibus vitæ necessaria procuravit. Cujus Monasterij vocabulum Salveldia dictum est. In monte Sigeberg tertium fundavit Monasterium tribus ferme à Bunna oppido Rheni milliaribus distans, in honore sancti Archangeli Michaëlis, de quo jam supra satis est dictum.

Monaster. Salveld. in Thuringia.

M L XV.

Anno Monasterij S. Aurelij vacantis LXIV. supra nominati Pontifices Sifridus Moguntinensis, Adelbero Herbipolensis, & alij qui cum 7000. priori anno ad terram sanctam profecti fuerant, cum 2000. revertuntur. Guntherus autem Bambergensis Episcopus in reversione ab Jerosolyma in Ungaria moritur, cujus corpus à ministris suis, qui remanserant, Bambergam relatum in Ecclesia cathedrali sepelitur. Huic in Episcopatu successit Hermannus primicærius Ecclesiæ Moguntinæ, seu vice-

domi-

dominus pretio & precibus amicorum promotus, ut ferunt, & peæfuit annis decem. Verùm quia non per ostium intravit in ovile, sed per Simoniacam pravitatem, post annos decem Pontificatum, quem malè fuit adeptus, authoritate Gregorij Papæ VII. compulsus amisit: & pro agenda pœnitentia Monasterium S. Felicitatis in Schvvarzach, quod tribus ab Herbipoli distat milliaribus, intravit.

Eodem anno Gosvvinus quidam comes in Francia orientali tyrannidem, prædas, & incendia contra Herbipolensem Ecclesiam hostili incursu exercuit; qui sæpius admonitus cùm nollet desistere, tandem à comitibus Adelberonis Episcopi comprehensus, occisus fuit.

Monaster. Hafflingen fundatur.

Circa hæc tempora comes quidam Brabantiæ Monasterium nostri Ordinis valde insigne fundavit in Brabantia, quod Haffliginium vocatur, & distat ab oppido Bruxellensi tribus ferme milliaribus, in quo multitudinem Monachorum posuit, quibus omnia hujus vitæ necessaria copiosissimè procuravit; quorum primus Abbas Fulgentius nomine vir doctissimus & religiosissimus fuisse memoratur. Magister verò scholarum Franco nomine extitit, qui postmodum in Abbatia Fulgentio successit: de cujus ingenio & lucubrationibus anno Wilhelmi Abbatis XVI. dicemus.

MLXVI.

Hoc anno, qui fuit Monasterij Hirsaugiensis Divi Aurelij vacantis LXV. à morte videlicet Conradi Abbatis ultimi, cometes per totum orbem diu apparuit, præsignans magnam in Ecclesiam turbatione; quæ postea non longè subsecuta fuit.

Wilhelmꝰ Comes Nortmañ. fit Rex Angliæ.

Eodem anno Angliâ per Wilhelmum Nortmanniæ comitem miserabiliter afflictâ tandemque subactâ, ipse Rex ejus efficitur: & in die Natalis Dñi ab Adelredo Eboracensi Archiepiscopo coronatur. Noluit autē hoc munus benedictionis à Stigando Cantuariensi Archiep. recipere, quia non legitimè ad Pontificatum ferebatur assumptus. Qui factus Rex omnes penè ejus Insulæ Præsules in exilium relegavit, eos maximè, qui vel simoniacè, vel malo introitu, & non canonicè Pontificatûs apicem fuerant consecuti. Nobiles etiam sibi non faventes jussit occidi: mediocres autem suis militibus in servitutem tradidit, & uxores indigenarum quibuscunque advenis, nobiles rusticis in matrimonio conjunxit.

Comitissæ Wiltrudis consilium.

Anno prænotato, cùm opus inchoati Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis studiosissimè continuaretur, Wiltrudi comitis uxori religiosissimæ fœminæ omnis mora nimium videbatur gravis & molesta; utpote quæ domini sui animum in multis occupatum noverat, & remittendum quavis occasione formidabat; unde sagaci usa consilio, Monasterij consummationem non duxit expectandam, ne quod impedimentum se medio tempore interponeret, si vel ipsa, vel comes imperio mortis raperetur; monuit ergo multis precibus comitem, tandem rogando persuasit, ut (non expectato consummationis articulo, qui adhuc longius videbatur restare) Monachos introduceret: quorum consilio & auxilio, quod restabat, construendum facilius, tandem cum tempore consumaret. Dedit ergo comes Adelbertus postulanti fœminæ consensum, sed unde Monachi adducerentur, qui secundùm Regulam S.P. Benedicti Domino Deo in omni puritate servirent, mutuum inter se cœperunt habere consilium. Multa quidem Ordinis nostri eo tempore in Germania fuêre

Cœnobia, sed non in omnibus integra vigebat monasticæ institutionis disciplina. Plures etenim claustrales in illo tempore monasticam institutionem corruperant, qui turpiter in via rectitudinis claudicabant. Monachi námque Fuldensis Cœnobij, sicut & cæteri plures, à tramite regularis disciplinæ deviantes, illo in tempore vix Monastico nomine digni videbantur. Erat eo tempore Monasterium Schaffhausen in Suevia novi-

Legatio ad Schaffhausen mittitur.

ter à comite quodam Eberhardo, patre Utonis Archiepiscopi Trevirorum, ut supra diximus, fundatum, in quo Monachi secundum Regulam S. P. N. Benedicti omnium testimonio vicinorum religiosissimè conversabantur: quorum se fama laudabilis in omni terra Suevorum longè latéque diffuderat. Comes igitur Adelbertus missâ legatione ad Abbatem memorati Cœnobij, mitti sibi Monachos duodecim postulavit & Abbatem, promittens se illis omnia, quæ fuerint necessaria, provisurum. Ad cujus preces Abbas, & tota Congregatio facilem præbuere consensum, & habito inter se consilio, Monachos destinandos XII. statuerunt, quibus tertium decimum Fridericum nomine præficientes Abbatem, ad Hirsaugiam in Dei nomine transmiserunt.

Quo tempore & de quo Cœnobio primi Monachi ad Hirsaugiam in hac secunda fundatione Comitis Adelberti venerint.

ANno prænotato Dñi Nativit. MLXVI. Indictione Romanorum quartâ, die mens. Decemb. similiter IV. ab obitu Conradi Abbatis ultimi LXV. à prima verò Monasterij fundatione comitis Erlafridi anno CCXXVIII. Fridericus Abbas cum Monachis duodecim, missus de Monasterio Solitariorum venit in Hirsaugiam ad petitiones comitum de Calba Adelberti & Wiltrudis, necdum ad plenum consummato Monasterio. Quos ut vidit devota Christi famula Wiltrudis, incredibili gaudio perfusa, Dominum in servis suis summa cum alacritate suscepit, & omnibus quæ ad eorum sustentationem videbantur necessaria, copiosè dispositis, Monasterium eis astante & consentiente Adelberto comite perpetuò inhabitandum assignavit. Sed cùm Fridericus Abbas & Monachi dicerent eam traditionem loci nequaquam sufficere, *nisi coram* Episcopo Neometensi in facie S. Matris Ecclesiæ, vocatis adhoc idoneis testibus, ut moris est, secundum consuetudinem ordinis solenniter fuerint confirmata, non satis comiti placuit; quippe qui Monasterium in sua cupiebat habere potestate. Dissimulans tamen exteriori apparatu mentis intentionem occultam: respondit, se consummato structurarum opere facturum omnia, quæcunque ratio postularet. At verò de possessionibus, quas majores sui de Monasterio quondam rapuerant, majorem tunc partem restituit, reliquas ad tempus occupavit: nam post depositionem Friderici Abbatis, cùm S. Wilhelmus in regimine Monasterij fuisset prælatus, prudentiâ serpentinâ, & simplicitate columbinâ comitis astutiam superavit, & omnimodam Cœnobij libertatem, tam ab Imperatore Heinrico quàm summo Pontifice obtinuit. Atqui posteaquam fratres in possessionem Monasterij realem fuerunt admissi, cœperunt diligentissi-

Monaster. S. Aurelij iterum inhabitatur.

gentissimè intendere, quatenus Ecclesiam necdum perfectam cum reliquis mansionibus necessarijs potuissent quantocius consummare. Comitissa verò devotissima Wiltrudis cernens fervorem Monachorum ad operis perfectionem indefessum, & in sancta sedulitate constantiam, omnia quæ videbantur necessaria, fratribus tradidit, & de cõmissione mariti comitis fideliter cooperata fuit.

Quamvis autem Fratres unà cum artificibus, & ministris conductitijs Adelberti Comitis cœpto continuò instarent operi, quia tamen adhuc multa restabant construenda, non subitò, sed cum tempore omnia fuerunt, per ordinem consummata: per annos namque decem continuos Adelberti Comitis Cœnobium impensis construitur, quod anno Dominicæ Nativitatis sexagesimo supra millesimum, sicut diximus, inchoatum, septuagesimo tandem consumatur, cujus Monasterij perfectionem Fridericus Abbas videre non potuit: quoniam sicut dicemus ante consumationem operis depositus fuit. Hujus autem fundationis consummationem, Ecclesiæ consecrationem, & liberam traditionem Monasterij in manus Abbatis hoc loco rationabiliter describere non possumus, sed omnia convenienter suo tempori designanda reservamus. Nam quidquid factum constat tempore Abbatis Wilhelmi, non videtur nobis historiæ conserendum Friderici.

De Friderico Monasterij Hirsaugiensis undecimo Abbate, qui præfuit annis duobus, mensibus 4. diebus viginti, & gestis illius temporis.

Fridericus Abbas sancti Aurelij XI.

ANno itaque Dominicæ Nativitatis præscripto, MLXVI. Monachis duodecim de Monasterio Solitariorum, quod vulgariter Einsidel nominatur, in Hirsaugiam venientibus, Fridericus natione Suevus, communi electione Abbas in ordine Pastorum hujus Cœnobij undecimus Prælatus est, & præfuit annis duobus, mensibus quatuor, diebus viginti, ordinatus in die S. Thomæ Apostoli ab Einhardo Spirensis Ecclesiæ Pontifice. Nos autem annos regiminis sui computamus à die introitûs in Hirsaugiam, qui contigit anno præscripto in festo D. Barbaræ Virg. & Mart. 4. videlicet die mensis Decembr. anno Abbatiæ vacantis post obitum Conradi Abbatis decimi LXV. mense 3. & die 14.

Fridericus Abbas, natione Suevus.

Fuit autem Fridericus iste Abbas, sicut diximus, natione Suevus, parentibus ingenuis, & antiquâ familiâ ortus, qui puer ad litteras positus, cum ætate profecit non mediocriter in studio scripturarum, postea verò quàm sapere, & intelligere aliquantum cœpit, se totâ mentis intentione convertit ad Dominum, cupiens & mundum cum suis vanitatibus contemnere, & Deo puro semper corde in Monasterio servire. Vnde præventus Spiritûs sancti gratiâ de consensù parentum ad Monasterium Solitariorum, ubi tunc magna vigebat Monachorum Religio, proficiscitur, & præmissâ petitione solemni consuetâ, Monachorum Collegio sociatur. Monachus autem factus, omne tempus lectioni, meditationi, orationi, cæterisque Monasticæ disciplinæ exercitijs distribuit, & sine querela conversatus, nulli unquam molestus, vel onerosus fuit. Studio namque spi-

ritualium exercitiorum consuetus nullum potuit cum mundo habere commercium: utpote qui omne desiderium suum locaverat in contemplatione supernorum.

Fuerunt enim Monachi dicti Cœnobij Solitariorum illo in tempore vitam regularem sine querela ducentes integram, rectam, & sanctam, quorum fama laudis in omnem terram longè se latéque cum honore, & admiratione diffuderat. Qui pueros in Monasterio secundùm regulam oblatos in omni scientia scripturarum, tam sæcularium, quàm divinarum more veterum, quàm optimè instituere solebant, quos etiam non minus bonæ conversationis exemplo, quàm sanctæ prædicationis verbo ad mundi contemptum, ac Dei amorem provocare, & incendere summa diligentiâ curabant. Horum institutis simul & exemplis Fridericus, quàm optimè formatus, viam simplicitatis, quam traditione majorum semel didicit, in omni vita sua inviolabiliter custodivit. Post plures deinde annos cùm Adelbertus Comes Monachos duodecim prædicto Monasterio, sicut diximus, expeteret, nullus Friderico melior ad curam animarum promovendus occurrit; quippe qui non solùm verbis, & exemplis corda subditorum ad mundi contemptum, & Dei amorem per amplius potuit inflammare. Nam quantum ad corporis dispositionem pertinebat, staturâ quidem mediocris fuit, nec multùm brevis, nec longus nimium existens, facie corpulentus, & plenus, fortis & robustus, pietatis habens plurimum, severitatis nihil, nec pinguis fuit nimium, nec omnino macilentus, sed mediâ proportione rectè dispositus, capillis nigris, canitiéque hinc inde respersis, sed nullâ calvitie depilatus. Qui cùm nomen & dignitatem pastoralis curæ suscepisset, nihil prioris conversationis intermisit, sed lectioni scripturarum, meditationíque & orationi, die vacans & nocte, occupationes negotiorum sæcularium non facilè admisit. Vagos de Monasterio excursus, quos Monachi hujus temporis multi nimium frequentant, non amabat, sed in secreto residens, quantum potuit, Dei saluti in silentio exspectavit: vigilijs & jejunijs corpus suum pro Christi amore indesinenter afficiens, hostiam se Domino vivam, & immaculatam offerre quotidie cum suspirio, & lachrymis satagebat. In pauperes multum fuit misericors, quibus propria sua vestimenta, & cibos sibi paratos ipse jejunans multoties impertivit. Secundùm nomen suum, pacem dives & abundans extitit, pius & charitate plenus fuit, & *magnam in* omnes benevolentiam ostendit. Coram Deo magnus cùm esset, humillimum se hominibus semper exhibuit, & nunquam in aliquo de superbia notari potuit. Nam inter scriptores locum & sedem cum Monachis habuit, & omnia, quæ ad communitatem pertinebant, sicut unus ex Monachis diligentissimè custodivit. In habitu suo nihil ab alijs differebat, qui omni vilitate contentus juxta regulam subtus cucullam, sicut & Monachi supra dicti Monasterij omnes, & cappam desuper nigri coloris & grosso tegmine portabat. In summa humilitate innocentis vitæ ambulans Fridericus iste Reverendissimus Abbas, Deo placens & cunctis hominibus justis, pravorum temeritatem non potuit evadere, sed quantò plus Omnipotenti Deo in vera simplicitate placere studuit, tantò impiorum contra se ingratitudinem amplius provocavit, quorum temeritas in pejus semper proficiens, sancto viro tandem insidias posuit, eúmque, ut dicemus, nequiter circumvenit.

Fridericus optimè fuit institutus.

Mores hujus Fridrici Abbatis.

Anno

MLXVII.

Anno Friderici Abbatis Monasterij S. Aurelij primo, Heinricus ejus nominis IV. Bertham Ottonis cujusdam Italici Comitis, & Adelhaidis Comitissæ filiam duxit uxorem, nuptias celebrans Triburiæ. Ad hanc Adelhaidem Comitissam Benzo Episcopus Albensis Heinrici Regis partibus nimium favens contra Romanam Ecclesiam, & ejus Reverendissimos Pontifices Alexandrum II. Gregorium VII. & alios, multas scripsit Epistolas. Fuit autem iste prænominatus Benzo Episcopus Albensis homo doctus, & promptissimæ adinventionis, tam in divinis litteris, quàm sæcularibus scripturis multùm eruditus, qui spiritu erroris deceptus, Heinrico Regi excommunicato pertinaciter adhæsit, contra sumos Pontifices prænominatos egit, dixit, & scripsit, quidquid mali potuit. Cadalum Episcopum Parmensem in Antipapam contra Alexandrum verum Christi Vicarium ab Heinrico Rege, & quibusdam Episcopis Lombardiæ erectum sequebatur, impium justificans, & eum, qui justus erat, contra justitiam, quantum potuit, verbis, scriptis, & persecutionibus damnans. Causam odiorum Benzonis in Romanos Pontifices extitisse ferunt, quia cùm Hildebrandus ex Monacho S. Romanæ Sedis Archidiaconus vice Domini Papæ per Italiam & Galliam Concilijs habitis propter simoniacam pravitatem multos deponeret Episcopos, ipsum quoque Benzonem ob simile crimen à Pontificatu Albensis Ecclesiæ dejecit; qui nimiâ indignatione commotus ad Regem Heinricum se contulit, & datus in reprobum sensum veros Christi Vicarios totis viribus usque ad mortem persecutus fuit. Ad hæc auctoritatem habere cupiens, multa scripsit frivola contra Romanos Pontifices, quos impio dente lacerans, Sarabaithas & Idola non metuit appellare: seque spiritu divino plenum confingens, & Archangeli Gabrielis allocutione prophetam Regi Heinrico datum gloriatur. Pulsus de suo malè acquisito Pontificatu, multa confinxit pro Rege contra S. Romanam Ecclesiam mendacia, pro quibus vitæ præsentis mercabatur subsidia. Scripsit libb. VII. de rebus & gestis Heinrici Regis IV. Imperatoris verò III. in quibus multa congessit mendacia contra sanctos Romanæ Sedis Pontifices, Alexandrum videlicet II. & Gregorium VII. & Urbanum II. Cadalum Episcopum Parmensem, & Gibertum Ravennæ Archiepiscopum homines seditione plenos laudibus extulit, quos Heinricus Rex in Antipapas, & Idola contra legitimos Christi Vicarios turpiter erexit.

Benzo Episcopus Albens. Schismaticorũ Fautor.

His temporibus cùm Hildebrandus prænominatus Romanæ Sedis Archidiaconus in Gallia vice Domini Papæ præsideret in quodam Concilio, ubi plures Episcopi propter simoniam fuerunt depositi, unus inter alios ejusdem criminis reus fuerat accusatus, qui nullis potuit argumentationibus concludi, nullisve testium probationibus convinci; nam tantam dicendi peritiam habuit, ut quidquid in eum fuisset prolatum, facili responsione refelleret. Tunc Archidiaconus dixit coram omnibus: *Humanum esset eloquium, in medium oraculum proferatur divinum. Certum est,* inquit, *gratiam Episcopalem donum esse Spiritûs sancti, unde quisquis Episcopatum pretio comparat, donum Spiritûs sancti pecuniâ comparandum putat.* Et conversus ad eum, qui accusabatur, dicit: *Coram nobis, qui judicio Spiritus sancti congregati sumus, si à scelere delato te confidis immunem, dicito: Gloria Patri, &*

Hildebrandus deponit Episcopos simoniacos.

tri, & Filio, & Spiritui sancto. Quod si expresse, & sine titubatione dixeris, tene. stabit apud me te non esse simoniacum. At ille conditionem libens accepit, nihil minùs, quàm quod accidit metuens. Aperiens itaque os suum, *Gloria Patri, & Filio,* sine difficultate protulit, sed in hoc: *Et Spiritui sancto* hæsit. Suscitato circumsedentium strepitu, ac sæpius monito, ut inchoatum compleret versiculum, nullo conatu, vel tunc, vel deinceps omnibus vitæ suæ diebus Spiritum sanctum nominare potuit. Hunc abjectum de episcopatu S. Hugo Cluniacensis Abbas pro testimonio miraculi sæpe in cum ducere, ac miserabilem ejus culpam narrare consuevit.

MLXVIII.

Heinricus Rex contemnit Principes.

Anno II. Friderici Abbatis VI. Indictione Romanorũ VII. Heinricus Rex adolescentiæ abutens libertate Saxoniam solam ex omni Romani Imperio incœpit incolere, Principes despicere, Nobiles opprimere, inferiores sustollere, venationibus, lusibúsque, & cæteris hujusmodi levitatibus vacare, justitiam negligere, & neque Dei honorem, neque Regni honestatem curare, filias quoque illustrium invitis parentibus quibuslibet obscurè natis conjungere, potentibus in regno non satis confidere, & ob id privata contra eos præsidia & munitiones ædificare. His discordiæ seminarijs contigit regi quàm plurimos vitæ ac regni insidiatores succrescere. Qui tamen cùm necdum plenæ maturitatis attigissent annos, fuerunt qui non tam ipsum, quàm Adelbertum Bremensem Archiepiscopũ culpandum judicarent, quasi ejus consilio hæc omnia faceret.

Claruit his temporibus Merbodus ex Monacho nostri Ordinis Episcopus Redensis, vir in divinis scripturis eruditus, & sæcularis philosophiæ non ignarus, metro exercitatus & prosâ, qui plura scripsisse laudatur opuscula, quibus memoriam sui nominis posteritati commendavit, quorum tamen pauca ad notitiam nostræ lectionis pervenerunt. Legimus sub ejus nomine opus non spernendæ authoritatis in Cantica Canticorum lib. I. Passionem quoque SS. Thebæorum Martyrum metro composuit. Aliorum etiam complurium sanctorum vitam & passiones et prosaica historia solerti studio vario genere carminis sub lege metrorum coarctavit. Bernoldus quoque presbyter Ecclesiæ Constantiensis, natione Teutonicus, patriâ Suevus, in divinis scripturis studiosus & eruditus, nec minus vitæ merito, quàm scientiæ varietate illustris & venerandus, hæc tempora scriptis & virtutibus suis reddidit clariora. Qui cùm esset undecunque doctissimus, scripsit insigne opus, quod prænotavit Ordinarium Romanum. Cætera quæ composuit ad manus nostras adhuc minimè venerunt.

S. Ramboldus Abbas Ratisbonæ

Claruit his quoque temporibus Ramboldus Abbas Monasterij S. Emerammi Ratisbonensis in Bavaria, vir multarum virtutum, & sanctissimæ conversationis, qui custos regularis disciplinæ vigilantissimus Monachos verbo & exemplo ad pristinæ sanctitatis fervorem revocavit. Qui vivus multis claruit virtutibus, & miraculis post mortem similiter coruscavit: sub cujus magisterio multi fratres religiosissimi claruerunt. In omni conversatione sua Domino Deo semper placere studuit, & ideò Monachos ad tramitem rectitudinis diligentissimè perduxit. Inter alios

Wilhelm. prior Ratisbonensis.

paternæ sanctitatis discipulos præcipuus fuit Wilhelmus ejusdem Cœnobij sub S. Ramboldo Prior monasticus, qui post depositionem Friderici Abbatis hujus Cœnobij Hirsaugiensis Antistes factus est duodecimus, vir

magnæ

magnæ Religionis, qui Regularis disciplinæ obſervantiam & in ſe & in alijs ſemper diligentiſſimè cuſtodivit. De cujus virtute ac meritis adjuvante Domino ſequenti anno latius dicemus.

Claruit his quoque temporibus Egkbertus Leodienſis Eccleſiæ Clericus *in divinis* ſcripturis eruditus, & ſæcularis philoſophiæ non ignarus, *qui* tam metro, quàm proſâ nonnulla ſynthemata compoſuit, quibus *nomen* ſuum poſteritati commendavit. E quibus extat volumen elegánti metro compoſitum, quod prænotavit de ænigmatibus ruſticanis. Quod opus cùm placeret multis, poſtea reſcribendo ampliavit, & in majus volumen extendit. De cæteris ejus opuſculis nihil vidimus.

Anno etiam prænotato mortuus eſt S. Theobaldus Monachus pro Chriſti amore apud Vincentiam urbem pluribus annis incluſus, vir certè multarum in Chriſto virtutum: quippe qui verbo & exemplo vitam Domini in veritate oſtendit. Mortuus autem infinitis mox cœpit coruſcare miraculis, ob quorum crebram multitudinem catalogo ſanctorum inſcriptus eſt. *MLXIX.*

Anno Friderici Abbat. 3. Agnes Imperatoris Heinrici quondã uxor, & mater Heinrici Regis IV. videns filium à tramite rectitudinis per abrupta laſcivientis adoleſcentiæ diſcedere, & Principum animos in odium ſui nimium provocare, tædio affecta, nec minus divinitus compuncta, Ducatum Bavariæ depoſuit, & Regni gubernacula penitus contemnens, pro Chriſto Romam ſe contulit, ibíque dignis pœnitentiæ fructibus mirâ humilitate Dño ſerviens, poſt annos paucos ad cœleſtia tranſmigravit.

Agnes Imperatrix fit Monialis Romæ.

Ducatum Bavariæ Otto quidam Saxoniæ Comes prænominatæ Imperatricis largitione ſuſcepit, vir dives, potens & bellicoſus, quem parvo *tempore* gubernavit. Cùm etenim Principes Regni contra Henricum Regem *conſpirare* paulatim cœpiſſent, propter nimiam ejus inſolentiam, quâ eos contempſit, & oppreſſit, Otto quoque Dux iſte unus de conſpirantibus in eum extitit, & propterea Ducatu privatus fuit, quod Regi magnum detrimentum peperit.

Anno prænotato cùm Fridericus Abbas Monaſterij S. Aurelij Hirſaugienſis in ſimplicitate cordis ſui divinis omni tempore manciparetur obſequijs, lectioni meditationíque ſemper pro viribus intentus, ac Monachis quos externarum rerum curatores poſuerat, omnimodam permitteret libertatem, cœperunt eum contemnere, & ejus quieti concitante diabolo invidere. Nam ſicut vita bonorum virorum bonis eſt odor vitæ in vitam, ita ſanctiſſima hujus viri converſatio malis & reprobis Monachis odor mortis fuit in mortem; & unde boni in melius proficiunt, inde reprobi ſæpe in deterius prolabuntur. Sanctæ igitur tranquillitatis exercitium, quod in Abbate ſuo Monachi omnes laudare, & imitari pro viribus debuerant, quidam ex eis nimis temere carpebant, & quod pro ſolius Dei honore vir juſtus facere didicit, non virtuti, ſed inertiæ vitio Monachorum quorundam temeritas imputavit. O quid non præſumit cæca perverſorum ambitio, quæ Dei ſemper oblita, præſentia nimis anxiè cogitat, memoriam nullam admittens futurorum! Virum honore maximo dignum Monachi penitus indigni non ſolum contemnunt & deſpiciunt, ſed falſis etiam delationibus comiti odioſum reddunt. Nam in odium concitati innocentis viri principes factionis quidam è fratribus comitem

Odiũ Monachorum contra Friderici Abbatem.

Monachi Abbatem innocentem accuſant.

mitem in vicino commorantem adeunt, pastori suo nequiter detrahunt; inertem, otiosum, & prorsus inutilem ad curam animarum falsò & mendaciter deferunt: animum comitis ab ejus reverentia penitus avertunt: usque adeò nempe animum comitis Adelberti sancto Abbati reddiderunt infensum: ut depositionis contra illum causam & articulos cœperint quàm diligentissimè inquirere. Bone Deus, quàm frivola Monachorum turba est, quæ innocentem criminis pastorem suum falsò & mendaciter accusare non metuit! Igitur cùm legitimam depositionis causam non haberent, fornicationis in eum crimen nebulones impij confinxerunt, & quem deponere à sua dignitate jure non poterant, deijcere injuriâ festinabant. Confestim igitur discurrunt ad comitem, reũ criminis accusant Abbatem, innocentiam falsitate commaculant, mendacio veritatem obtenebrant. Et quidem de facili comitis animum viro innocenti reddiderunt aversum; quippe qui mundanis rebus deditus, nullam internæ conversationis experientiam unquam fuerat assecutus. Habuerat jam pridem comes occultum in corde adversus Abbatem displicentiæ scrupulum, quem superius in traditione Monasterij propter omnimodam libertatem constat fuisse generatum. Unde Monachorum delationibus citò credidit, & quidquid mendacij confinxerunt in sanctum, faciliter admisit. Delato igitur falsæ confictionis crimine ad eum, contra Fridericum per quosdam ex Monachis, sicut diximus, non examinavit causam, nec fide digno rem testimonio fecit inquiri, sed æquitati violentiam præposuit, & solos delatores Monachos quasi testes idoneos secutus fuit.

Abbas Fridericus injustè deponitur.

Anno igitur prænotato Dominicæ Nativitatis MLXIX. Indictione Romanorum septimâ, die verò Mensis Aprilis vicesimâ quartâ, Fridericus Abbas hujus Monasterij Hirsaug. undecimus machinamentis perversorum injustè & mendaciter circumventus, sicut postea manifestè innotuit, præcepto comitis Adelberti deponitur, & sine causa justus & innocens ab impijs condemnatur; qui de crimine fornicationis non commisso nequiter accusatus, nec propriâ confessione reus extitit, nec probatione legitimorum testium convictus fuit. Et quamvis vir innocens se juris præsidio potuisset defendere, maluit tamen injuriam suam pro Christi amore humiliter dissimulare, quàm per impatientiæ vitium coronam sibi præparatam amittere. Depositus ergo ab officio dignitatis suæ, contumelias sibi illatas patientissimè sustinuit, & quasi nihil passus, in medio fratrum humilis, quietus & plenus devotione innocentiam suam, ut priùs, inviolatam custodivit. Nulli unquam fuit molestus, nulli gravis, nulli onerosus: sed omni tempore ad injurias patiens, ad irrisiones quasliber mansuetus tacitus & animo tranquillus. Qui cùm dare locum potuisset iræ, noluit; sed cum his, qui pacem oderant, pacificus in omni puritate mentis ambulavit. Post cujus depositionem iterum Abbatia vacavit mense uno, & 7. diebus.

Innocentiâ ejus Deus manifestavit.

Verùm Omnipotens Deus, qui scrutatur renes, & cor, judex justus & rectus, patientiam & humilitatem pauperis famuli sui non despexit in finem; quoniam quem tribulari ad tempus innocenter voluit, quàm injustè fuerit depositus, brevi postea varijs indicijs declaravit. Non est malitia super nequitiam perversorum claustralium; qui omne, quod livor suggesserit, audent; quidquid cogitare cœperint, aggrediuntur:

Nihil

nihil pensi habent, quem decipiant; dum fallere quærunt, causas innocentiæ non dijudicant: solum quod libet, implere per fas nefásq; festinant. Audiens depositionem Friderici Abbatis Reverendissimi Udalricus Abbas Monasterij Laurishemensis quondam notus & amicus, venit in Hirsaugiam, & cognitis injurijs contumelijsque sancto viro non merenti à Monachis & comite irrogatis ingemuit, & lacrymas cum indignitate facti, tum compatiens desolationi familiaris amici amarissimas fudit. Volens itaque paci & tranquillitati hominis amici consulere, quasi agnum in medio luporum conversantem eripuit, ac secum abductum in monte S. Archangeli Michaëlis, qui Ebernsperg dicitur, cum alijs inibi morantibus Monachis paucis collocavit; cui de omnibus hujus vitæ necessarijs ad omnem sufficientiam honestissimè providit. In eodem loco usque ad mortem suam Fridericus Dei servus, innocentis vitæ conservator permansit, lectioni, orationi, contemplationi, vigilijs & jejunijs, cæterísq; piæ conversationis studijs omni tempore cum lacrymis intentus, & nec ad momenti spatium unquam remissus vel otiosus. Divinâ tandem miseratione duros ejus volente remunerare labores, infirmari cœpit, ac viribus carnis repentè destitui, premissaque confessione peccatorum, & cum summa reverentia sacramentis Dominicis ex more susceptis, anima sancta de corporis ergasterio felix egreditur, & cæli civibus in æternum coronanda sociatur. Quo mortuo catena ferrea ad carnem ejus nudam inventa est, quam non sine dolore portâsse multis annis creditur, quod ex livore vulnerum ejus facilè probatur. Sepultus est in Ecclesia ejusdem montis sub honore consecrata D. Archangeli Michaëlis, non sine opinione sanctitatis. Ad cujus tumulum lumina cælitus incensa nocturnis horis ardere visa sunt, & signa divinitus ostensa, & innocentis viri probata miracula. Et iste quidem exitus Friderici Abbatis Reverendissimi extitit, quem pravorum temeritas in multis graviter afflixit. Monachos autem illos, qui sanctum virum de crimine fornicationis mendaciter accusaverant, vindicta divinæ ultionis subsecuta est, ut quantam innocenti fecissent injuriam, omnibus fieret manifestum. Nam unus ex eis paralysi dissolutus miserabili cruciatu interijt: alius de gradu cadens fracto capite exspiravit: tertius morte subitaneâ decessit; ita ut nullus eorum, qui falsæ delationi consenserant, biennio supervivere potuerit. Comes autem, qui mendacijs delatorum fidem contra innocentem virũ adhibuit, causâ tandem cognitâ, usque ad mortem penè dolens contristatus est, divináque miseratione compunctus, in alium virum mutatus est. Volens igitur acceptam Deo pœnitentiam agere, non solum ablata Monasterio restituit, sed multa etiam de suis proprijs S. Aurelio pro satisfactione dedit. Denique tantam illi Omnipotens Deus gratiam devotionis contulit, quòd tandem sub Wilhelmo venerabili Abbate, contemptis omnibus, quæ mundi fuerant, uxore jam in Christo piè defunctâ, conversationem Monachi assumpsit.

Fridericus olim Abb. moritur.

Miraculis post mortẽ claruit.

Adelbertus comes valde pœnituit.

De S. Wilhelmo Monasterij Hirsaugiensis XII. Abbate, qui præfuit annis xxii. mense uno, die uno, & gestis illius temporis.

POst depositionem Friderici Abbatis non parva inter Monachos de successore deligendo concertatio subsecuta fuit; cupientes enim idoneum invenire Pastorem, qui oves sibi commissendas verbo & exemplo in itinere monasticæ conversationis præcederet, nec minus temporalia, quàm spiritualia singulis pro necessitate ministraret, multùm necessariò fuêre solliciti, propterea quòd tales rarò poterant inveniri. Verebantur nihilominus conscientiam Adelberti comitis, quòd, cujus potentiâ Fridericum tanquam minus expertum in temporalibus, quàm fundatoribus infensum deposuerant, ejus iram, si minus idoneum in locum substituissent, meritò formidabant. Fuit eo tempore in Monasterio S. Emmerammi Ratisbonæ Prior sub sancto Ramboldo Abbate nomine Wilhelmus, de quo superiùs diximus, vir in omni genere scientiarum valde doctus, & in conversatione integritatis monasticæ validâ constantiâ multùm religiosus, quibusdam fratribus hujus Cœnobij dudum pro vitæ merito notus & familiaris: cujus bonæ conversationis nomen & fama etiam reliquis jam priùs relatione multorum innotuerat. Post multos igitur tractatus inter se habitos, tandem divinitus inspirati præfatum Priorem Wilhelmum in Abbatem sibi unanimiter duxerunt eligendum, quo salubriter concluso inter se unanimi consilio mittunt ex se duos Monachos cum legatione comitis Adelberti ad Monasterium S. Martyris Emmerami Ratisbonam, qui nomine totius Conventûs Hirsaugiensis Priorem Wilhelmum sibi dari Abbatem postularent. Legati in viam directi ad Ratisbonam veniunt, commissum sibi negotium S. Ramboldo Abbati simpliciter exponunt, Wilhelmum Priorem à Conventu S. Aurelij electum Abbatem sibi postulant cum instantia magna, & impetrant. Qui cùm fratrum Hirsaugiensium vota in suam audisset dejecta personam, non in superbiam se extulit, sed jejunijs & orationibus causam omnem Domino instantissimè commendavit. Imperio itaque S. Abbatis sui compulsus post dies paucos se ad iter cum his, qui missi fuerant, contulit, & comitante Domino tandem ad Hirsaugiam vigesimâ octavâ die mensis Maij anno præscripto feliciter pervenit: qui magno fratrum gaudio susceptus est, & quinto postea die, hoc est, quarto Nonas Junij communi fratrum consensu in Abbatem Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis assumptus.

Wilhelm. Prior sanct. Emerami.

Wilhelm. venit in Hirsaugiã.

Qui cognitâ causâ depositionis antecessoris sui iniquâ graviter tulit, & vix persuaderi poterat, ne regrederetur, unde venit. Exhortari Comitem cœpit, quatenus virum innoxium dignitati suæ restitueret, cujus locum eo vivente occupare nemini penitus liceret. Quem ut pertinacem in sua sententia cerneret, redire ad Monasterium unde venerat cogitavit. Quod cùm innotuisset fratribus, provoluti pedibus ejus humillimè supplicant, ne desolatas Christi oviculas deserat, metuatque se potius divino examini fore obnoxium, si pastoris solatio destituras lupis permi-

permiserit devorandas. Multis & magnis virum precib⁹ obvolventes, vix tandem ut maneat, & pastoralis curæ sollicitudinem suscipiat impetrârunt. Acquievit igitur plurimùm rogatus, ut maneret, curamque Monachorum suscepit humiliter, & quantâ potuit diligentiâ prodesse omnibus studuit, & à priore sua simplicitate non recessit. Quamdiu verò in hac vita superstes Fridericus Abbas quondam extitit, Wilhelmus ordinari ab Episcopo, vel sedere aut stare in loco Abbati deputato non consensit. Supervixit autem Fridericus post introitum S. Wilhelmi ad Hirsaugiam mensibus XI. diebus sex. Interea Wilhelmus benedictionem usque in annum sequentem distulit, locum Abbatis minimè occupavit, sed velut ministrum humillimum in omnibus semper exhibuit.

Ordinari Friderico vivente Wilhelm⁹ noluit.

M L XX.

Anno Wilhelmi sanctissimi Abbatis primo, Theti quidam Marchio non sine Principum consilio Saxoniæ apertam rebellionem contra Regem Heinricum exercere cœpit, in detrimentum suimet ipsius maximum. Nam Rex mox suorum collecto exercitu munitiones, sive castella ipsius Marchionis Bichilingen. & Schidingen obsidione vallavit, cepit, ac funditus destruxit. Deinde post dies paucos filius ejus ad militiam satis idoneus à proprio servo interimitur, & ipse moriens in brevi secutus est.

Anno prænotato, die mensis Maij octavo, Fridericus quondam Abbas hujus Monasterij S. Aurelij Hirsaugiensis in Monte S. Michaëlis, qui Ebernsperg, hoc est, Aprimons dicitur, non longè à Monasterio Lorissensi, moritur, & in Ecclesia ibidem non sine certa opinione sanctitatis sepelitur Cujus innocentia vitæ multis mox signis, & virtutibus ad ejus tumulum declaratis ostenditur, & quàm injustè fuerit à sua Prælatura dejectus, multorum exhibitione miraculorum demonstratur.

Fridericus quondam Abbas moritur.

Quo mortuo, statim ultio divina in illos tres Monachos, qui depositionis innocentis viri auctores extiterant, graviter, ut supra dximus, vindicavit, & Comiti Adelberto metum non parvum incussit. Qui, ut iram Dei posset subterfugere, in alium virum subitò mutatus est, in tantum, ut quod rogatus antea dare noluerat, jam deinceps voluntate spontaneâ libens, & rogans ad Monasterium offerre festinaret. Quidquid enim petere ab eo Monachorum devotio potuit, mox totum sine dilatione aliqua concessit.

Comes ad pœnitentiam compungitur.

Anno igitur præscripto, post mortem Friderici Abbatis, Wilhelmus, qui deposito priori anno successerat compulsus instantiâ fratrum, munus Benedictionis in Festo Dominicæ Ascensionis, quod fuit quarto Nonarũ mensis Maij, Cœnobio necdum consummato, suscepit, & tunc primùm sedere, aut stare in locis Abbati deputatis ex more Ordinis Monastici consensit. Præfuit autem à prima institutione sua, quæ anno præterito facta est, in magna religione, & sanctitate annis duobus, & viginti, diebúsque triginta uno, quibus nomen & statum Hirsaugiensis Cœnobij multum dilatavit, sicuti per ordinem locis congruentibus plenius dicemus. Patriâ Bavarus erat, honestis parentibus ortus, quorum donatione puer in Monasterio S. Emĕramĩ Ratisbonæ fuit oblatus, in quo cum tempore crevit non solùm corpore, sed etiam vitæ merito valde profecit, & tam in divinis scripturis, quàm in sæculari Philosophia doctissimus evasit. A

S. Wilhelmus Abb. benedicitur.

bonis Præceptoribus optimè inſtitutus, quidquid ad Monachi conſummationem pertinet, perfectè didicit, & omnes coætaneos eruditione ſcripturarum, & morum puritate facilè ſuperavit. Nemo illum unquam vidit otioſum, nemo vanitatibus notavit intentum, lectioni & orationi ſemper fuit deditus, aut certè aliquo manuali exercitio per obedientiam occupatus. In omni genere ſcientiarum evaſit doctiſſimus, & brevi tempore Præceptoribus altior factus, omnes artes, quas liberales appellant, penetravit. In Philoſophia diſputator acutiſſimus extitit, in Muſica ſingularis eruditionis fuit, utpote qui cantus in laudem Sanctorum, & plures & varios compoſuit. In Aſtronomia, Mathematica, & Arithmetica quàm peritus fuerit, ejus volumina teſtantur; de his facultatibus multa lucubravit. Nam ut paucis tanti viri comprobemus ingenium, ejus lucubrationes in medium proferamus. Scripſit igitur imprimis de Muſica lib. 1. De Computo Eccleſiaſtico libb. 2. De correctione Pſalterij libb. 2. Conſtitutiones Monachorum, ſive conſuetudines Hirſaugienſium libb. 2. Epiſtolas plures, ad diverſos, & quædam alia ſcripſit, quæ non vidimus.

S. Wilhelmus in omni ſcientia doctiſſimus.

Corporis diſpoſitio S. Wilhelmi.

Staturâ quidem corporis, ut ex monimentis veterum accepimus, procerus fuit, in anteriore capitis parte calvus, pilos in reliquo habens raros, faciem cærulei mixtam albedine coloris pulchram, & aliquantulum productam, mannúmque digitos pulchrâ diſtinctione longos, atque ſubtiles, & totum corpus debitâ proportione, quaſi vas quoddam virtutibus ornatum rectè diſpoſitum. Vox illi grandis, atque virilis erat, qualis cum naturali quodam ornatu verborum optimum quémque Oratorem facere conſuevit; vnde in exhortando multum valuit, ita ut vocis ſonorâ dulcedine, & ſermonis quâdam auctoritate modeſtiſſimè præſtans animos Auditorum quodammodo in ſua videretur habere poteſtate, dum quidquid dicere voluiſſet, mirâ facilitate, & ornatu ſuis Auditoribus potuit perſuadere. Commendabat in eo dicendi peritia naturam, ut facilè perſuadendo alliceret, quoſcunque ſermonis dulcedine voluiſſet. In corrigendis verò delinquentibus, etſi aliquantulum videbatur ſeverus, mirâ tamen prudentiâ, & diſcretione utebatur, tantâque ſagacitate mores animorum diſcernere, & curare noverat, quantâ nullus Medicorum ægritudines corporum, vel intelligere, vel ſanare potuiſſet: quamvis enim peccantes durè ſicut oportebat, argueret, mel tamen pietatis nulli unquam ſubtraxit; ſed ita ſermones ſuos temperando commiſcuit, ut nulli unquam juſtæ murmurationis cauſam dederit. Non ſe exhibuit in emendatione delinquentium animo turbatum, verba indignationis non protulit, quæ notarent mente commotum, ſed paternæ pietatis normam ubique tenuit, & conſcientias fratrum exulcerando non turbavit. Maximâ in Deum charitate fervebat, pro cujus amore omnia hujus mundi voluptates nutrientia blandimenta contemnens deſeruit, & quidquid contigiſſet adverſi, fortiter ubique toleravit. Omnia, quæ divinis noverat mandatis contraria, ſemper fugiens abhorruit, & quidquid Domino placere intellexerat, omni quo potuit anniſu ſtudioſiſſimè adimplevit. Vitæ ſuæ directorium Regulam S. P. N. Benedicti conſtituit, à cujus tramite nec in minimo declinavit. Deum ſuum purâ mente, & integro corde amavit ſuper omnia, in cujus meditatione conſcientiam ſuam cunctis operibus bonis omni tempore cum ſumma devotione decoravit.

In correctionibus fuit diſcretus.

Maximâ in Deum charitate fervebat.

coravit. Corpus suum in memoriam Dominicæ Passionis durâ satis castigatione maceravit, jejunijs, vigilijs, orationibus & continuis penè laboribus manuum accommodans studium, exponens Deo semetipsum vivens holocaustum. Compunctionis gratia nunquam ei defuit, sed quoties aut Imaginem crucifixi vidit, aut Christi nomen audivit, totus resolutus in lacrymas fletum cohibere non potuit. Inter loquendum sæpe compunctus in lacrymas consuevit prorumpere, & præ magnitudine devotionis, quasi violenter impulsus interruptis vocibus clamare. In amictu nec pretiosus fuit, nec superfluus, sed in omni vilitate & extremitate secundum Regulam contentus, quasi ultimus omnium fratrum abjectus & humilis incessit. Nunquam in mensa singularis in cibo vel potu extitit, nunquam à communi fratrum consuetudine recessit, sed quoties sibi aliquid singulariter fuisset appositum, alicui ex Monachis infirmo aut debili ejus mox fuit jussione condonatum. Omnem singularitatis notam exteriori apparatu fugiendam Monacho docuit: quam tamen in interiore conversatione laudabiliter admisit. In compunctione siquidem cordis, in devotione mentis, & in fervore divini amoris laudabiliter multum singularis extitisse legitur: quippe qui se quotidie cum lacrymis & orationibus Domino Deo in ara cordis hostiam vivam obtulit, & mentem in meditatione Dominicæ passionis amaricavit. In quotidiana conversatione fratrum jucundum se exhibuit, non dissolutum: maturum quoque non turbulentum: patrem non Dominum: subditos sibi omnes miro charitatis dilexit affectu, causasque omnium & necessitates singulorum, non secus ac animam suam discernens diligentissimè procurabat. Nullus ad eum fratrum suorum gratiâ consolationis unquam tristis accessit, qui non dulcedine verborum ejus lætus & consolatus abjerit: Spiritus etenim Dei sanctus loquebatur in eo, per quem omnẽ diaboli colligationem & melancholiam novit dissolvere. Summæ in pauperes clementiæ fuit & maximæ pietatis, quippe qui egenos, infirmos & debiles paterno semper fovebat affectu, quibus omnia necessaria hujus vitæ pro viribus hilariter administrare consuevit. Multa in pauperes & hospites largâ manu distribuit, & nihilominus Domino benedicente fratrum suorum curam habens nunquam eorum necessitatibus aliquid subtraxit. Multoties se proprijs indumentis spolians pauperes vestivit: subtractáque ori suo cibaria indigentibus ministravit. Magnam fiduciam in Dominum Jesum semper habuit, séque talem in observantia mandatorum ejus exhibere studuit, quòd nunquam ab eo derelictus fuit. Tunc etenim rectè in Domini pietatem confidimus, quando mandatis ejus humiliter obedientes, fervorem charitatis nostræ in eum sanctis operibus in omni mentis puritate demonstramus.

Conversatione maturus extitit.

In pauperes misericordissimus.

Quâdam die cùm fratres, quibus administrationem rei familiaris commiserat, magnâ & inevitabili necessitate constricti, quinque argenti libras in communem rei domesticæ utilitatem vertendas à pio Pastore nullum eâ vice obulum habente satis importunè exigerent, non habens unde petitioni eorum satisfaceret, consolari mœrentes cœpit verbis Dominicæ promissionis, dicens: *De misericordia Domini nunquam esse desperandum.* Sed illi nimiâ necessitate compressi verba consolationis non advertunt: surgens ergo de medio illorum Abbas, Dominum pro in-

Orationibus necessitatem relevavit.

stanti

stanti necessitate deprecaturus foras egreditur, cui mox quidam ignotus occurrens, quinque libras argenti ad manus porrigens illico disparuit.

Ejus fama plures convertit.

Denique cùm ejus fama sanctissimæ conversationis per totam Germaniæ se longè latéque diffunderet, multi ad eum successu temporis viri Nobiles ac divites, docti quoque ac magnæ secundùm sæculi æstimationem dignitatis passim ad eum cœperunt confluere, & sub ejus se magisterio pro Christi amore Monasticis legibus humiliter subjugare. Ex his plures plura condonaverunt Monasterio de rebus, quas hæreditario jure in sæculo possederant, quæ in communem fratrum utilitatem conversa sunt, sicut hodie quoque adhuc videtur. Neminem hic sanctus ab ingressu monasticæ religionis repulit, sed omnes Domino servire volentes sine discretione personarum indifferenter admisit, non paupertatem attendit, nec imperitiam vel simplicitatem cujusquam consideravit, sed omnes ad obsequium Creatoris venientes nobiles & ignobiles, divites & pauperes, doctos & indoctos, sine generis vel gentis discrimine libens pariter suscepit. Et quia Domino servire in vera cordis puritate studuit, magnam circa eum gratiam suam Deus Creator omnium ostendit. Nam quòd verus Dei cultor fuerit, miraculorum crebra exhibitio demonstravit. Claudum duobus se baculis sustentantem in ponte circa Monasterium S. Aurelij obvium habuit, quem orationibus ad Deum fusis mox in toto corpore sanavit. Denique in nemore cum fratribus suis non procul à Monasterio quippiam manibus laborans, convenientem hominum non parvam multitudinem ex paucis panibus exemplo Dominico satiavit. Gebhardi Monachi sancti viri, postea in Abbatia successoris, toto corpore miserabiliter contracti doloribus compatiens, dextri sanitatem brachij, quo se in edendo juvare potuisset, à Domino precibus impetravit. Appositum sibi piscem ex furto conquisitum manducare noluit, coquum de furto graviter reprehendit, cùm reatum hunc eorum non ex homine sed per spiritum cognovisset. Vas quoque per negligentiam ministrorum fuso in terram vino penitus vacuum, solo jussu, & ut ita dicam, ipso nesciente præter intentionem optimo rursus vino plenum subitò repertum est, quod totum pauperibus Christi ad bibendum distribui præcepit. Exemplo summi Pastoris Jesu Christi de misericordia Dei securus fratrem totâ die in piscando frustra laborantem, ad Monasteriumque *jam ex* fatigatione reversum, denuo exire, ac rete in capturam sub *Christi* nomine confidenter laxare præcipit, qui Præceptori obediens magnæ quantitatis octo lucios primo tractu cepit. Continuò vir sanctus pauperes invitat ad prandium, cum quibus donum sumeret divinitùs collatum. Cùm quodam tempore famis secundùm consuetudinem suam pauperes largâ manu reficeret, & exhausta jam frumentis promptuaria prorsus apparerent vacua, cæteris officialibus mœrore confectis, servus Christi Wilhelmus pietatis opera nequaquam intermisit, sed egenis ministrare cibum, quamdiu remaneret vel unum granum firmâ intentione constituit. Et ecce illo nocturno tempore in orationibus pro necessitate pauperum deprecante, Dominus benedictionem suam manifestè contulit, & subito inconsuetóque miraculo frumentis promptuaria omnia adimplevit; nam Domus frumentaria, quæ vesperi diligenter revisa per fratres vacua reperta fuerat, manè frumentis plena apparebat. Multa & alia per illum

Multis in vita miraculis claruit.

Pauperes tempore famis nutrivit.

illum omnipotens Deus miracula operari dignatus est, quæ nos isthic brevitatis gratiâ intermittimus: quoniam plura de eo conscripta esse in libro sanctiss. conversationis ejus scimus. Omnium etenim miraculorum ejus maximum credimus, quòd in medio nationis pravæ vir optimus emicuit: & in tam periculoso tempore discordiarum inter Ecclesiam & regnum immaculato calle per justitiæ semitas transivit. In ea námque turbatione, quam Henricus Rex IV. contra Gregorium Papam VII. & universalem suscitavit Ecclesiam, sanctus iste Wilhelmus Dei famulus nunquam induci potuit, ut schismaticis Ecclesiam Domini conturbantibus vel consentiret in modico, vel communicaret. Neque partes Romani Pontificis contra excommunicatum Regem sequi & defensare solùm studuit, sed etiam quoscunque potuit, verbo & exemplo publicè & occultè ad obedientiam sanctæ Sedis revocavit. Et licet propterea multas persecutiones à fautoribus Henrici Regis sustinuerit, firmus tamen, & constans in suo proposito usque ad mortem perduravit. Hic est Wilhelmus Abbas sanctissimus Christi famulus, qui Ordinem D. P. nostri Benedicti suo tempore penè collapsum in Germania & deformatum insolentiâ Monachorum, instaurare & reformare studuit, & plus quàm centum Monasteria tam per se, quàm suos ad pristinam regularis disciplinæ observantiam revocavit. Exceptâ reformatione & Congregatione duntaxat Cluniacensium, quæ numero Monasteriorum excellit, nulla hactenus in Ordine nostro reformatio extitit, quæ numero vel Cœnobiorum vel notabilium personarum Hirsaugiensium instaurationi comparari possit. Sed neque novissima ista nostra, quam à loco sui exordij Bursfeldensem nuncupamus, Hirsaugiensium instaurationi comparari ad numerum poterit; quoniam illa plus quàm centum sub se Monasteria virorum habuit: ista verò necdum octoginta comprehendit. Denique Bursfeldensis novissima reformatio etsi bona sit ac sancta, nullum tamen Cœnobium uspiam novum condidit. Wilhelmus autem Hirsaugiensium ter quaterque sanctissimus Abbas octo nostri Ordinis Monachorum Cœnobia in diversis provincijs, tam per se propria in persona, quàm per suos discipulos fundavit. Quibus & Monachos & Rectores eorundem contulit, quos in observantia regulari perfectos esse novit.

Monaster. plusquam centum reformavit.

Octo Mon. nova construxit.

Primum suæ fundationis insigne Monasterium SS. Petri & Pauli Apostolorum in Hirsaugia extitit, quod ex fundamentis novum construxit; multiplicatis etenim Monachis sub ejus regimine apud S. Aurelium, cùm videret angustiam loci multitudinē Deo servientium non posse capere, de fundatione amplioris Monasterij cœpit cogitare. Locus igitur ab alia parte fluvij Nagalthæ in oppositio S. Aurelij ad propositum satis videbatur idoneus, & pro sui dispositione & situ non solum utilis, sed etiam amænus. Ibi ergo Monasterium ædificare incipiens, statuit, quod ante mortem suam Domino adjuvante feliciter consummavit.

Secundum verò Cœnobium in Richenbach construxit in honorem sanctissimi Papæ Gregorij anno regiminis sui quartodecimo, quemadmodum suo loco inferius Domino largiente clarius dicemus. In eo Monasterio fratres ex Hirsaugia posuit, quibus sub Prioratûs nomine quendam Ernestum hominem religiosissimum præfecit. Et hic prioratus

Richenbach usque in præsentem diem Abbati Hirsaugiensis Monasterij est sine medio subjectus.

Abbatia S. Georgij in Nigr. Silv.

Tertium Monasterium de novo construxit S. Georgij Martyris in Nigra Sylva Constantiensis Diœcesis, in quo fratres de suo conventu optimè institutos posuit. Quibus præfecit Abbatem nomine Henricum, virum probatæ religionis, qui verbo & exemplo subditos suos ad amorem Dei convertit, omniumque mundanorum contemptum eis in conversatione indixit.

Quartum verò Cœnobium sub honore S. Martini Præsulis quondam Turonensium in Bavaria novum à fundamentis condidit, in quo Monachos & Abbatem de conventu S. Aurelij viros certè optimos, & in observãtia regularis disciplinæ longo tempore probatissimos collocavit.

Abbatia S. Petri in Erpfordia.

Quintum fundavit in Thuringia in oppido Erpfurdensi in honorem S. Petri Apostolorum Principis in monte ipsius urbis occidentali magnifico opere, construens Ecclesiã juxta formam & dispositionem majoris Ecclesiæ Hirsaugiensis, Monachos illuc de suo conventu doctos & religiosissimos posuit. Sed Monasterij curam Giselberto ex Monacho Hirsaugiensis Cœnobij tunc Abbati in Reinharzborn, quousque mitteret eis Abbatem idoneum, commendavit. Nec me fugit opinio Monachorum dictum Cœnobium S. Petri Erpfordiense his nostris temporibus inhabitantium, qui magnum Dagobertum Regem Francorum ejus fundatorem ab initio fuisse gloriantur, quod falsum multiplici ratione ostendemus.

Quod Dagobertus non sit fundator ejus.

Prima Ratio manifestat Dagobertum Regem hujus Monasterij fundatorem non fuisse, propterea quòd ejus tempore Thuringi necdum fuerant Christiani. Quis autem in medio paganorum infidelium Cœnobium Monachorum construeret? Quod verò Thuringi illo tempore fuerint gentiles, multiplici historiarum testimonio manifestè probatur.

Secunda Ratio eandem positionem nostram confirmat S. Bonifacius ex Monacho Archiepiscopus Moguntinus, & postea in Frisia Martyr, qui multis annis post Dagobertum Regem venerat, Thuringos converit ad fidem, & primus in ea Provincia Monachos & Moniales instituit, quocirca Monasterium illud ante tempora ejus non extitit.

Tertiam quoq; rationem duabus præscriptis adjungimus: *quoniam* quòd præscriptum Monasterium S. Petri apud Erpfordiam *constructum* sit per fratres de Hirsaugia, ex vita S. Wilhelmi prænominati Abbatis & alijs monumentis plurimis facilè possumus ostendere. Sed ejus fundatorem extitisse Dagobertum contradictores nostri, neque per litteram fundationis ipsius aliquam, neque monumentis authenticis poterunt ullatenus probare. Nisi figmentis interea novis, (ut plerosque fecisse constat, qui ut fundationem Dagoberti securè mentirentur, novis arte compositis, legitimas fundationum suarum litteras ignibus tradiderunt) stulti se pergant loquacitate defendere; quod neminem minus decet, quàm viros claustrales, qui fundatoribus suis non debent esse ingrati.

Abbat. Duplicis Aquæ

Sextum verò Monasterium sanctissimus Abbas Wilhelmus fundavit ad Duplicem aquam in honore beatissimæ Dei genitricis & Virginis Mariæ, in quo Monachos similiter de suo Conventu posuit, quibus Nothgerum valde venerabilem Monachum in Abbatem constituit: qui comitis-

sum

sum sibi gregem verbo & exemplo strenuè omni tempore gubernavit.

Septimum autem Ordinis nostri Monasterium S. Wilhelmus Hirsaugiensium duodecimus Abbas de novo construxit in villa quadam Wielheim dicta, in quo similiter Fratres religiosissimæ conversationis ad serviendum Domino secundum Regulam D. P. N. Benedicti collocavit, quod postea in montem S. Petri Principis Apostolor. translatum fuit.

Octavum quoq; Monasterium in Ducatu Carinthiorum construxit, quod Lauen dicitur, cui & Monachos probatæ religionis contulit, & Abbatem similiter ex suis nomine Wezilonem virum doctum, & pro vitæ meritis venerabilem, ac multis clarum virtutibus præfecit. De quo Monasterio Lavensi & alia plura in eadem provincia post emanârunt.

Alia Monasteria plura instaurantur.

Plura denique in Germania Ordinis nostri Monasteria nimiâ vetustate penè collapsa sanctus iste Wilhelmus in pristinum restituit decorem pulchritudinis: reformans non solum ædificia parietum, sed etiam domos, id est, conscientias Monachorum; nonnulla etiam ab alijs inchoata Monasteria & necdum perfecta per se & fratres suos consummavit. Monachos quoque & Abbates multos de suo Monasterio Hirsaugiensi ad diversa Cœnobia reformata per eum destinavit, de quibus anno ejus decimo quarto, quantum ad memoriâ nostri pervenerunt, latius dicemus.

Erat autem S. Abbas iste Wilhelmus vir multarum virtutum, & magnæ apud omnes bonos Christianos æstimationis: qui cum simplicitate columbina prudentiam serpentis possidebat, ob quod pastorem se fratrum suorum, & in spiritualibus idoneum, & in temporalibus utilem omni tempore noverat exhibere. Lucrifaciendi animas gratiam à Domino singularem accipere promeruit, cujus operatione multos & penè innumerabiles ad Christi obsequium in Monasterium convertit. Nec solum fratres Domino servientes numero plures habuit, sed etiam suis meritis cooperante Domino substantiam rei familiaris temporalem ex oblationibus fidelium brevi tempore in multis valde augmentavit. Centum quinquaginta Monachos in Cœnobio Hirsaugiensi semper habuit, & quoties pro reformatione quoslibet ad alia Monasteria hinc inde rogatus miserat, alios in eorum locum de sæculo noviter conversos statim colligebat. Ita quòd ex eo tempore, quo semel quinquaginta & centum in Cœnobio suo habere Monachos cœperat, numerum eorum quotidie instaurando pauciores non habebat.

Monachi 150 in Hirsaugia fuerunt.

Hi semper erant divinis laudibus dediti, & orationi, meditationi ac lectioni sanctarum scripturarum jugiter intenti. Illi qui ad contemplationem cœlestium minus videbantur idonei, necessarijs deputabantur laboribus manuum, ut nullum tempus inter eos transiret otiosum. Sciens autem S. Pater experientiâ laudabiliter doctus, necessarinm mentis pabulum divinarum esse lectionem scripturarum, duodecim è Monachis suis scriptores optimos instituit, quibus ut divinæ auctoritatis libros, & SS. Patrum tractatus rescriberent, demandavit.

Scriptor. in Monaster.

Erant præter hos & alij scriptores sine certo numero, qui pari diligentiâ scribendis voluminibus operam impendebant. Et his omnibus præerat Monachus unus in omni genere scientiarum doctissimus, qui unicuique rescribendum opus aliquod bonum injungeret, mendaque negligentiùs scribentium emendaret.

Multa fratres per temporis cursum rescripsere volumina, quorum tamen

tamen pars minima in hoc Hirsaugiensi Monasterio remansit. Sanctus etenim pater, qui lucrum & utilitatem animarum cunctis mundi rebus semper præposuit, quoties fratres pro reformatione ad alia Monasteria destinavit, libros & quæcunque eis videbantur necessaria, libens & spontaneâ voluntate dedit. Quia verò numerus Monasteriorum ab eo reformatorum magnus extitit, ex copiosa multitudine librorum, quos rescribi fecerat, pars minor in Hirsaugia remansit. O virum per omnia laudabilem, qui animas Christi sanguine redemptas commodis transeuntis lucri præposuit, & aliorum utilitati consulens, mundi perituras divitias minimè quæsivit! profectò ista virtus paucorum est, ut Abbates proprias Monasteria suis denudent, vel ornatibus, vel codicibus, & inopiæ subveniant aliorum. Supra memoratum numerum centum & quinquaginta Monachorũ habebat & alios fratres barbatos, quàm plurimos extra ordinem Clericorum: quos alio nomine conversos appellamus: qui laboribus manuum insistentes, temporalium curam secundum præcepta seniorum agerent: & Monachis contemplationi deditis, hujus vitæ necessaria providerent. Inter quos fuerunt omnium artium Mechanicarum, quarum usus in Monasterio videbatur necessarius, peritissimi operatores: qui omnes totius Cœnobij structuras suis manibus summâ diligentiâ consummaverunt. Erant enim fabri lignarij & ferrarij, latomi quoque & muratores optimi: qui Monasterium simul & Ecclesiæ (ut in sculptura turrium hodie cernitur) totius ædificium pulchrâ dispositione construxerunt.

Conversi plures.

Vestiarij quoque, coriarij, calcearij, & quidquid artificij ad usum claustralium requiritur: non sæculares, non mercenarij, non servitores conducti, sed conversi vel Monachi barbati fuisse omnes memorantur. Hunc verò conversorum ordinem S. ipse Wilhelmus Abbas in Germania primus instituit: quorum laboribus adjutus tot Monasteria fundavit, & omnes Monachorum necessitates laudabiliter adimplevit. His vir Dei statuta sanctæ Regulæ conformia tradidit, quibus eorum mentes continuâ informatione ad contemptum mundi, & amorem cœlestium inflammavit. Quorum hæc institutionis summa fuit. Ad nocturnas vigilias omnes qui sunt in Monasterio cum summa festinatione ac reverentia in Ecclesia conveniunt: orationes suas devotissimè persolvunt: Silentium omnes strictissimè custodiunt; verùm quia laboribus manuum *diurnis* fatigantur conversi, ne supra vires graventur prolixitate *vigiliarum*, breviter eis matutinæ cantabantur, quibus completis licebat ad stratum redire volentibus, aut si maluissent in Ecclesia remanere, donec in choro nocturni complerentur à Monachis, postea repausarent: manè singulis diebus missam audiebant; quâ finita conveniebant ad capitulũ culparum, ubi si quis se in aliquo deliquisse cognoverat, veniam postulans culpã in medium proclamabat. Dein, qui volebat, confitebatur peccata sua magistro, quò ferventiùs in Dei amore totum peragerent diem. Post hæc quisque ad opus sibi pergebat injunctum: & cùm hora instabat vescendi, omnes ad unum conveniebant refectorium, extra quod nulli penitus licebat sumere cibum.

Constitutiones Conversorum.

In labore manuum quotidiano omnes erant diligentissimi, non secus operantes, quàm si totum enutrire conventum singuli suis laboribus tenerentur. Habebant enim singuli, vel in Monasterio, vel extra pro com-

Manibus laborabãt.

communi Fratrum utilitate certa sibi commissa officia, quæ tam fideliter tamque diligenter & honestè peragebant, ac si ex ore Omnipotentis Dei præcepta eis fuissent. Regulam in omnibus sequebantur magistram, à qua nemo recessit impunè. Festis autem diebus usque ad finem nocturnarum laudum omnes in Choro permanebant. Quibus finitis, orationibus, & confessionibus peccatorum vacabant in privato. Conversis Magister ex Monachis præerat unus, non quilibet, sed optimus aliquis omnium, quem & eruditio scripturarum in prædicando utilem, & vitæ meritum in persuadendo faceret efficacem. Qui quidem Magister barbatorum Dominicis & festis diebus manè semel post Primas, & meridie post prandium, vel Nonas iterum sermonem de vulgari observantia, in præsentia Conversorum facere omni tempore consuevit. Instituit etiam vir Dei Wilhelmus exemplo Cluniacensium consuetudinem oblatorum, quos manere in pristino habitu sacrâ constitutione permisit: quorum ministerio in multis uti rationabiliter consuevit, in his maximè, quæ in medio sæcularium, quò barbatos mittere vel Monachos non licebat, peragenda videbantur. Quorum officium erat pro structuris, & alijs necessarijs ligna in Monasterium simul ac lapides adducere: calcem decoquere, aquam & arenam de fluvio portare: cæmentum pro muratoribus facere, & necessaria quæque construentibus ministrare. Isti etiam in hospitali serviebant pauperibus & infirmis, & quidquid operis necessarij eis fuisset injunctum, hilariter adimplebant. Magistrum similiter ex Monachis habebant proprium, & reficiendi locum à Monachis & Conversis omni tempore separatum, ita ut suo ordine in silentio ad laborandum præcederent, & Monachos non inquietarent.

Vigilias conveniebant.

Oblatorũ consuetudo.

Numerus oblatorum magnus fuit, nec minor quinquaginta virorum, Barbati autem sexaginta, quorum supputatione, dum Monachi, ut diximus, centum & L. connumerati fuerunt, summa Deo in Hirsaugiensium Monasterio servientium ducentorum & sexaginta hominum sub regimine sanctissimi Abbatis Wilhelmi communiter fuisse memoratur. Summâ in Deum charitate fervebant, magnâ vicissitudine fraternæ dilectionis se mutuò prosequebantur; ut acies meritò castrorum ordinata Creatori humanæ salutis grata esset, multumque acceptabilis, adversarijs autem formidanda. Nulla inter eos pernitiosa turbatio fuit, nulla mentis cujusquam displicentia fraternæ pacis & concordiæ tranquillitatem ullo unquam tempore, quàm diu sanctus Wilhelmus fuit in humanis, dissipavit. In communi omnes sine periculo vivebant: abdicationem omnis proprietatis cujuscunque rei parvæ simul & magnæ diligenter ac strictissimè usque adeò servantes, ut nemo inter eos fuerit unquam, qui suum aliquid vel dixerit vel habuerit. Ad obedientiam omnes promptissimi, & ab omni murmurationis cavillatione alieni: quidquid alicui fuisset à seniore quoquam mandatum, statim cum magna cordis alacritate perducebatur ad effectum. Nemo inter eos erat, qui senioribus contradiceret: nemo qui vel tenuiter murmuraret. Inter quos non solum contentiones nullæ fuerunt aut jurgia; sed nec verbum provocans risum, vel otiosum, multò minus scurrile vel turpe in tanta virorum multitudine unquam fuit prolatum; nam quorum conscientiæ mundæ fuerunt & puræ, locutiones nec inutiles poterant esse nec lascivæ. Silentium, quod est

Ducenti & 60. homines in Hirsaugia.

pacis, & monasticæ tranquillitatis comes, omni tempore diligentissimè conservabant: usque adeò, quòd in tanta multitudine hominum præter sonitum instrumentorũ artificum laborantium, nulla vox in toto monasterio extra tempus divinorum ab ingredientibus unquam potuit audiri. Omnes in viam dirigendi præmissâ confessione sacramentali prius corpus Domini communicabant: provolutique genibus in terram se precibus omnium devotissimè commendabant.

Conversi singulis quatuordecim diebus in Dominica, similiter & in omnibus festis majoribus confessi, & contriti ad Communionem Dominici Corporis accedebant. Ad Completorium quotidie omnes unà cum Monachis in Ecclesia conveniebant, quo finito cum silentio, & maturitate singuli ad cellas suas euntes, & præmissis recollectionibus consuetis ad quietem corpora locabant. In omnibus denique exercitijs spiritualibus, quæ hominem claustralem perficiunt, & ad cœlestis patriæ desiderium accendunt, omnes Monachi & Conversi Domino Deo in hoc Hirsaugiensi Cœnobio sub regimine divi Patris Wilhelmi eodem tempore militantes, tam studiosè, tam humiliter & devotè, mores suos & vitam instituebant, ut nullus Christi verus amator spiritum in eis dubitare potuisset habitare divinum, utpote qui tempore quidem posteriores, vitæ autem merito, & observantiæ regularis disciplinæ antiquis Monachis sanctissimis rectè videbantur comparandi. O quàm pulchrum & jucundum fuit illo tempore conversationi tot servorum Dei interesse, qui spiritu quidem unanimes, & voluntatum paritate in divino semper amore concordes, in domo Dei ambulabant cum consensu; qui carne tantùm in terra positi, mente ac desiderio jam conversabantur cum Deo in atrijs cœli: sed jam nunc ad continuationem historiæ aliquantulum revertamur, suis loco & tempore reliqua dicturi per ordinem, quæ de sancto Patre sunt scribenda. *MLXXI.*

Ecclesia S. Aurelij nova consecratur.

Anno Wilhelmi Abbatis 11. Indictione Romanorum IX. pridie nonarum Septembrium, Ecclesia sancti Aurelij per Comitem Adelbertum ante annos decem inchoata, sicut diximus, & cooperatione Monachorum tandem consummata, ad instantiam ipsius Fundatoris, & D. Abbatis in honorem sancti Petri Apostolorum Principis, & Aurelij Præsulis de novo consecrata est per Episcopum Nemetensem, loci Ordinarium, adhibitis solemnitatibus ad hoc debitis & consuetis.

Otto Bavariæ amisit Ducatum.

Eodem anno Heinricus Rex IV. Ottonem Bavariæ ducem propter conspirationis in se notam depositi, quæ res magnum in regno disturbium generavit. Hic etenim Saxo genere, ut supra dictum est, vir amplissimæ nobilitatis, prudentiâ, & in rebus bellicis paucis comparandus, in tanta apud universos Primates excellentia habebatur, ut Rex, qui jam Saxonibus omnino suspectus, & infensus erat, ipsum contra se in regni fastigium elevari posse formidaret. Hinc perversitatis materiam arripiens quidam Egino mediocri loco natus, rebus admodum tenuis, audaciâ tamen & nequitiâ satis diffamatus, patrocinantibus sibi quibusdam Heinrici Regis fidelibus curiam irrepsit, & Ottonem ducem magnum, à quo notus non erat, secum de Regis nece habuisse tractatum commentatus est: se ipsum quoque, ut mos est, potestati regiæ vadem obtulit, quousque Monomachiæ duello cum Duce confligens vera comprobaret, quæ detu-

detulit. Quid multa, placitis, seu colloquijs regalibus altero Moguntiæ, altero Goslariæ condictis Otto cum Eginone, utpote dux cum latrone, Princeps cum ignobili congredi contempsit. Cujus nec innocentia Principes latuit, nec Eginonis malitia diu hominibus incognita permansit, sic ducatum Bavariæ ut Majestatis reus Otto nobilis amisit. Ottone autem de Bavaria pulso, Welfo quidam illustris, acer & bellicosus, natione Suevus ducatum ejus de manu regis Heinrici accepit, qui seminarium discordiæ principalis causa fuit multorum in regno malorum, seditionum, prædarum & incendiorum, subversionum quoque & destructionum villarum, urbium & munitionum.

Welfo fit Dux Bavarorum.

Anno etiam prænotato Meginvvardus Abbas in Hildensheim civitate Saxoniæ Abbatiam insignem S. Marci Augiensem prope Constantiam de manu Regis Heinrici ejus nominis IV. suscepit, patefacto sibi, ut fertur, in eam aditu, largitione multarum pecuniarum. Nam his temporibus, quibus idem Heinricus Rex IV. Romanorum præfuit imperio, simoniacæ hæresis pravitas nimium prævaluit, in tantum, ut Episcopatus, Abbatiæ, præposituræ, prioratus ac reliquæ dignitates Ecclesiasticæ non dignis per electionem, sed indignis & nequaquã idoneis prolargitione pecuniarum ab eo conferrentur; exquibus multa in Germania secuta sunt mala, quoniam pro his & alijs similibus Rex à Romanis Pontificibus sæpè admonitus, posteaquam emendare contempsit, excommunicatus est, ut suo loco dicetur.

Episcopat⁹ & Abbatiæ venduntur.

Eodem anno Romanus Pontifex Alexander Papa secundus Petrum Damiani virum doctissimum, ex Monacho quondam Episcopum Ostiensem, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, tunc verò pro Christi amore, ut supra diximus anno Monasterij vacantis VII. resignatum, & Monachum solitarium, ad Regem Heinricum, & principes legatum misit in Germaniam, qui oppido Franckenfurt quatuor à Moguntia milliaribus distante coram Rege Heinrico, & principibus regni legationis suæ munus implevit. Quo ritè peracto, Romam, ac inde ad Eremitorium suum est reversus, Domino continuè servitutis suæ impendens obsequium.

Petrus Damiani Legatus in Germaniã mittitur.

Anno etiam memorato obijt Adelbero ex Monacho S. Galli in Suevia Episcopus Wormatiensis, frater Friderici de Rheinfelden ducis Suevorum, de quo supra diximus, anno vacantis Monasterij LXIII. propriâ, ut ferunt, crassitudine præfocatus. Huic Adelbertus in Pontificatu dictæ Wormatiensis Ecclesiæ successit, qui contra Heinricum Regem cum Saxonibus consentiens, tandem ab eo de sede sua pulsus est.

Adelbero ex Monac. S. Galli Ep. Wormatiẽ.

MLXXII.

Anno Wilhelmi Abbatis tertio, moritur Joannes Gualbertus patriâ Florentinus, Monachus & institutor ordinis Vallis umbrosæ devotissimus, qui multis & in vita & post mortem miraculis claruit: quem Greg. Papa VII. non diu postea in catalogum Sanctorum Confessorum Domini adscribi & venerari mandavit. Hic miraculosè compunctus, ex milite factus est Monachus Eremita, & in ea Appenini montis parte, Umbrosa vallis dictâ, Eremitorium sibi constituit, in quo Domino Deo solitarius militavit sub regula S. P. N. Benedicti. Ad quem postea cùm plures devotionis gratiâ viri confluerent, Monasterium in eadem valle ejusdem D.P.N. Benedicti inchoavit, à quo postea multa Cœnobia nomen & originem

Ordo Vallis umbrosæ instituitur.

ginem traxerunt. Quæ quidem sancta religio habitum portat grisei coloris, regulam verò sancti profitetur Benedicti, in qua deinceps multi viri sanctissimi claruerunt; de qua etiam plures ad diversarum Ecclesiarum regimen diversis temporibus leguntur assumpti.

Abhinc ordines multiplicatur.

Abhinc Ordines sive religiones claustralium in Ecclesia Latinorum cœperunt multiplicari: cùm antea apud Græcos Basilius, apud Latinos verò Benedictus Monachorum soli principes haberentur & essent; unde quoties antehac nomen Monachi posuimus, de Græcis Basilium, de Latinis verò principem & regulatorem ejusdem intellige Benedictum. Nam ante religionis prænominatæ principium omnes Monachi occidentales, in Italia, Germania, Hispania, Gallia, Anglia, & cæteris provincijs ac insulis & regnis illis adjacentibus Domino sub Benedicti regula militabant.

Anno prænotato Treviris in Ecclesia S. Paulini extra Mœnia civitatis in crypta subterranea inventum est corpus ejusdem S. Pontificis, qui olim à Phrygia, ubi exulaverat ab Hæreticis proscriptus, reportatum, ac per S. Felicem ejus in Archiepiscopatu Trevirorum Successorem, fundatâ prius insigni Ecclesiâ, ibidem fuerat sepultum. Postea verò tempore Nortmannorum Germaniam, & Galliam crudeliter vastantium, in eadem Ecclesia corpus à fidelibus in crypta fuit absconditum, & os speluncæ fortiter obstructum. Civitate Trevirorum per eosdem Nortmannos tandem incensâ & destructâ, manserunt ossa Divi Præsulis Paulini in eodem loco per multos annos, donec anno præscripto fuerunt inventa; fuerunt & alia sanctorum plura corpora in eadem crypta eodem tempore reperta. Nam ad dexteram S. Paulini catenis ferreis in ipsa testudine suspensi corpus jacuit S. Palmatij consulis & Patritij Trevirorum: ad sinistram verò corpus S. Tirsi unius de principibus Thebææ Legionis, qui cum multis Thebæorum in eadem urbe olim à Rictiovaro pro fide Christi Martyrium pertulit. Ad caput verò septem senatores ejusdem civitatis Trevirorum inventi sunt: videlicet Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus ac tres fratres, Leander, Alexander, & Sother, qui similiter cum Thebæis à Rictiovaro martyrizati olim temporibus Maximiniani Cæsaris in eadem urbe fuerunt: ad pedes Hermesda, Papyrius, Constans, & Jovinianus Martyres inventi sunt, & alij plures, quorum nomina ignoramus. Sanctus autem Paulinus Trevirorum Archiepisc. *in Phrygiam* exilio ab Arrianis Hæreticis damnatus ibidem obijt anno Domini CCCLXI.

Corpora Martyrum Treviris.

Anno Wilhelmi Abbatis prænotato Rex Heinricus Ottonem Ducem Bavariæ, quem priori anno deposuerat, usquequaque persecutus, quàm plures ejus munitiones destruxit, prædia vastat, & ut verè reipublicæ hostem eum omnino delere pertractat. E contra ille militibus electissimis, ipse quoque manu fortissimus, & animo insignis efferatus, qui congredi tanti regis exercitui non potuit, nunc prædâ nunc flammis nunc etiam ferro, quáque se fortuna obtulit, suas injurias ulcisci pergit. Ipso etiam mediante Saxones conspirationem contra Regem Heinricum apertè faciunt, eumque in multis horrendis, inauditisque apud Sedem Apostolicam criminibus accusantes, multorum ab eo animos averterunt; socios etenim conspirationis litteris & nuntijs, quoscunq; potuerunt, sibi

Saxones & alii conspirant in Regem.

sibi conciliare non tardantes, paulatim ab eo plures retraxerunt Germaniæ Principes; oppida ab ejus fidelitate avertentes, & multas Imperij Civitates. Nam primo Sigefridum ex Abbate, ut diximus Fuldensis Cœnobij, Archiepiscopum Moguntinum, Adelberonem Episcopum Herbipolensem, Gebhardum Salzburgensem, & Adelbertum Wormatiensem, aliósque plures Episcopos, & per ipsos etiam Romanum Pontificem Alexandrum II. à fidelitate Regis avertentes, sibi fautores efficiunt. Quidam quoque summæ sanctitatis virum D. Annonem Archiepiscopum Coloniensem hujus conspirationis participem insimulârunt. Horum insidijs Rex territus, Saxoniâ relictâ in alias regni partes se contulit, vitia tamen de quibus accusatus fuerat, nullatenus emendavit.

Joan. Monachus Herbipolensis.

Anno etiam præscripto, XVI. die mensis Martij obijt Marquardus Monachus & Scholasticus Cœnobij S. Burghardi prope Herbipolim civitatem Franciæ orientalis; de cujus ingenio & lucubrationibus dictum est anno Monasterij Hirsaugiensis vacantis XLVII. Cui successit in docendi officio Joannes de monte Norico ejusdem Cœnobij Monachus, vir tam in divinis scripturis doctus, quàm in sæcularibus litteris singulariter eruditus, qui inter alia suæ lucubrationis opuscula scripsit de Origine Francorum, libellum brevem quidem sed non inutilem ad Adelberonem Episcopum Herbipolensem. De moribus & institutione veterum Monachorum lib. I. De Antichristo & consummatione sæculi lib. I. De præsenti tunc Schismate lib. I. Cætera quæ scripsit, ad manus nostras non pervenerunt.

Hildebrandus Monachus fit Papa Gregorius VII.

Item anno S. Abbatis Wilhelmi prænotato, Alexander Papa II. moritur, & in Lateranensi Ecclesia sepelitur: post quem Hildebrandus Cluniacensis Monachus & S. R. E. Archidiaconus Cardinalis in Papam communi voto eligitur, & Gregorius VII. nuncupatur, præfuit autem in continuis laboribus, & multis persecutionibus Heinrici Regis IV. annis duodecim, mense uno, diebus 4. Vir certè Deo & cunctis hominibus bonis dilectus, doctus, prudens & sanctus, judex pauperum, & defensor orphanorum: qui multis in vita sua miraculis claruit, qui viam justitiæ & sanctitatis in veritate custodivit, & nunquam à facie impiorum formidavit. Qui Pontificatu adepto mox Heinricũ regem admonuit: ne deinceps largitione corruptus, Episcopatus & Ecclesiastica beneficia per simoniacam pravitatem alicui committeret. Qui Pontificis monita contemnens, multiplices in eum persecutiones subordinat, à quo tandem excommunicatus, iterumque absolutus & reconciliatus, denuo inobediens & contemptor fœderis existens, denuo est excommunicatus. Postremò in excommunicatione pertinax, in odium Gregorij sanctissimi Pontificis Guibertum Ravennæ quondam Archiepiscopum, sed ob simoniacam pravitatem ab ipso Gregorio depositum, in Antipapam & Idolum erexit, cui obedientiam cum suis adhærentibus Episcopis & alijs præstitit, & multiplicata sunt mala in regno.

MLXXIII.

Anno S. Wilhelmi Abbatis IV. Einhardo Neometensis Ecclesiæ Pontifice mortuo, Heinric⁹ Goslarienſis Ecclesiæ Canonicus tantæ dignitati vix per ætatem idoneus successit, non electione cleri & populi, sed concessione potius, ne dicam, intrusione Regis Heinrici ad eam dignitatem

Saxones regem persequuntur.

provectus: cui in puerili fuerat ætate familiari adulatione, ut talibus mos esse consuevit, assentatus.

Eodem anno, Saxones animos in Regem gerentes hostiles, omnes munitiones, quas in Saxonia fecerat, funditus destruxerunt. Inter quas præcipuum illud castrum, quod Hertesburg dicebatur, diruunt, Monasterium & claustrum Canonicorum, quod ibi erat, multi furentes insaniâ solotenus deijciunt: &, quod dictu nefandum, innocentis cujusdam filij regis ibidem sepulti ossa in contumeliam patris de sepulchro extrahunt: & in lutum conculcando dispergunt: multas quoque per Saxoniam munitiones sibi construunt, in quibus se posse tutari contra omnes insultus Regis confidunt.

Hoc ipso quoque anno Rudolphus Dux Suevorum & Burgundionum, Bertoldus de Zäringen Dux Carinthiæ, & Welfo Dux Bavariæ cum plerisque alijs cùm regem sæpius monuissent, ut se Romano Pontifici humiliter submitteret, mores suos incompositos emendaret, pacem & concordiam cum principibus faceret: justitiam singulis quibusque ministraret, à pravitate simoniaca desisteret: Ecclesias defenderet, eorumq; ministris honorem debitum exhiberet: & ille non solum acquiescere optimis eorum consilijs obturatus mente contemneret, sed etiam in monentes irâ & indignatione permotus, vindictam minaretur, necessitate compulsi tandem ab eo deficiunt: & reliquis principibus in illum conspirantibus se conjungunt; nec multum abfuit, quin omnes in eum arma movissent.

Heinr. Rex contemnit amicos.

Hoc etiam anno Sifridus Archiepisc. Moguntinus orationis causâ perrexit ad S. Jacobum in Galitiam, opportunitatem nactus ex perturbatione, quam Rex Heinricus suscitaverat omnibus cum Ecclesia Romana bene & rectè sentientibus. In reversione declinavit in Burgundiam, ut Monachorum Cluniac. sanctissimam cerneret in Domino conversationem; veniens itaque Cluniacum, & videns integritatem monasticæ disciplinæ, cum eis manere perpetuo statuit: & contempto Pontificatu simul, & cunctis mundi negotijs, in Dominica, quæ festum sancti Michaëlis Archangeli anno illo præcessit, denuo vitam professus monasticam, in conspectu totius congregationis obedientiam Regularem in manus Abbatis promisit, & Monachus conversari inter Monachos humillimè cœpit. Sed cùm homines mercenarij & corrupti mente Ecclesiam Moguntinâ pecuniâ comparare tentarent à Rege Heinrico, boni viri Moguntinenses, missâ legatione Cluniacũ, precibus Abbatem pulsaverunt humillimis, quatenus eis legitimum Pontificem suum remitteret: ne per ejus quietem salus multorum traheretur in perditionem. Sed cùm Sigfridus redire ad Moguntiam omnino contemneret, per obedientiam, quâ Abbati Cluniacensis Monasterij præstitit, redire ad suam Ecclesiâ compulsus fuit. Constrictus itaque præcipientis imperio, Cluniacum dolens & flens egressus, ad Moguntiam venit eodem anno, 6. die Decembr. receptóq; Pontificatu suo, adhuc duodecim annis in eo præsedit. Verùm diu in Moguntia manere non potuit propter regis temeritatem, qui cedens ex Saxonia, in Rheni partibus eo tempore habitavit. Declinans igitur faciem Tyranni, secessit in Thuringiam, Saxonibus Regi hostibus conterminam, & ibi in prædio sui Pontificatûs resedit, qui ne reliquum vitæ inutiliter

utiliter consumeret, Monaster. nostri ordinis, quod Hasungen nominatur, construere cœpit: quod etiã suo tempore feliciter consumans prædijs, & possessionibus pro sustentatione servorũ Domini sufficienter dotando providit. Consummato jam penè Cœnobio, Monachos non quoslibet introducere voluit, tales habere cupiens, quales olim in Cluniacensi Monasterio in omni puritate conversantes vidit. Eo autem tempore non erant in tota Germania Monachi Cluniacensibus in observantia regularis disciplinæ per omnia similiores fratribus in Hirsaugiensi Monasterio Deo in veritate famulantibus, sub directione & ferula sanctissimi viri Domini Wilhelmi XII. Abbatis: cujus vita miraculis & virtutibus plena Sifrido venerabili Archiepiscopo nequaquam fuit abscondita. Misit ergo nuntios in Hirsaugiam, & postulavit sibi transmitti Monachos duodecim, simul & Abbatem; sanctissimus ergo Pater Wilhelmus pio Archipræsulis desiderio satisfacere cupiens, misit in Hasungen electissimos fratres duodecim: quibus Giselbertum virum doctum prudentem, & valde religiosum præfecit Abbatem. Qui tredecim cum necessarijs libris, & statutis venientes in Thuringiam, cum magno gaudio & exultatione mentis à Reverendissimo Præsule suscepti sunt: & in realem Monasterij Hasungen possessionem introducti. Erat autem consuetudo S. P. Wilhelmi, ut omnes Abbates de Monasterio Hirsaugiensi missos quocunque, vel assumptos pro conversatione regularis disciplinæ in sua retineret obedientia: nec libertatem, quæ multis solet esse pernicioſa, & monasticæ humilitatis destructio, alicui omnimodam suorum permitteret.

Abbatum subjectio ad Hirsaugiam.

Verùm postquam laudabilis consuetudo ista successu temporis abolevit, sanctissima illa reformatio Hirsaugiensis congregationis, & unionis paulatim deficere cœpit. Duo autem fuisse constat, quæ hanc necessariam humilitati consuetudinem cum tempore destruxerunt: Abbatum videlicet superbia, & authoritas Episcoporum violenta. Nam ut in vita S. Theogeri postea Metensis Episcopi legimus, quando ex conventu Hirsaugiensi in Abbatem novi Monasterij Divi Martyris Georgij in nigra Sylva per Gebhardũ Episc. Constantiensis Ecclesiæ fuerat ordinatus, non eum prius benedicere voluit, quàm Wilhelmus venerabilis Abbas eum à sua obedientia, & subjectione absolvit. Abbas igitur prænominatus Giselbertus cum Monachis ad Hasungen veniens, ab ipso Archi-Episcopo Sifrido salvâ obedientiâ, quam Hirsaugiensi debebat Abbati, ordinatus est: & aliquanto tempore ibidem Domino in tranquillitate mentis & corporis serviens valde auxit numerum Monachorum. Sed postea Heinrico excommunicato Regi adhærere & consentire contra decretum Apostolicæ Sedis contemnens, multas ab hæreticis injurias & persecutiones sustinuit: quibus quotidie crescentibus, tandem ne communione pravorum contaminaretur, ad Hirsaugiam cum tota sua congregatione reversus est. Erant autem Monachi & conversi sub ejus moderamine in Hasungen regulariter professi plures quam 70. numero, qui simul unâ vice cum Abbate Giselberto suo ad Hirsaugiense venientes Cœnobium, à S. Wilhelmo, & Fratribus cunctis gratanter susceptì sunt; & aliquanto cum eis tempore in Hirsaugia permanserunt: & postea S. Pater cellam eis superiùs memoratam Divi Gregorij in Reichenbach, pro mansione, dònec pax fieret, in provincia assignavit. Postremò Gi-

ſelbertus ad Monaſterium Reinhardenborn in Thuringiam quatuor ab Erphordia milliaribus diſtans, Abbas à S. Wilhelmo mittitur; cui ſimul cura novi Cœnobij montis S. Petri in memorato Erphordenſi oppido, ſicut diximus, ab eo commendatur. Et his quidem per neceſſariam anticipationem præmiſſis, cùm ſeriem certam non habeamus annorum, reliqua ſuo loco diſtribuemus. Prænominatus etiam R.mus Archipræſul Sifridus, in civitate Moguntina Eccleſiam Canonicorum ad gradus novam conſtruxit in honorem B. Dei Genitricis V. MARIÆ, quam prædijs, & proventibus, prout potuit, magnificè dotavit

Eccleſia ad gradus Moguntiæ cõſtruitur.

ML XXIV.

Anno S. Wilhelmi Abbatis v. indictione Romanorum XII. Gregorius Papa VII. celebratâ Synodo Simoniacos omnes excommunicans anathematizavit; ſacerdotes concubinarios à divinorum celebratione removit, laicíſque miſſas eorum audire penitus interdixit. Carnes manducare omnibus Monachis ſub pœna carceris vetuit, & multa utiliter alia ſtatuit. In eo tamen, quòd miſſas concubinariorum ſacerdotum laicis audire prohibuit, multis gravioris ſcandali causã dedit; etenim continentiam paucis tenentibus, aliqui eam quæſtûs causâ ſimulabant: alij ne fornicationis crimine notarentur, gravioribus ſe iñodavêre ſceleribus. Unde laici hâc Papæ Gregorij conſtitutione occaſionem ſibi datam gaudentes, ordinem ſacerdotalem cœperunt contemnere, jurisdictionem ſpiritalem deſpicere, ſubjectionis obedientiam Clero penitus ſubtrahere, & de poteſtate ſacerdotali publicè, & privatim nimis temere, ac præſumptuosè diſputare. Denique infantes baptizabant in odium ſacerdotum, ſordido humore aurium pro ſacro oleo, & chriſmate in contemptum Sacramentorum Eccleſiæ utentes. In extremo vitæ articulo viaticum, & cætera Eccleſiæ ſancta myſteria ſuſcipere à Clericis uxoratis contemnebant: decimas Clericis debitas ignibus cremabant, & ut unà cætera perpendas præſumptione peſſimâ facta laicorum, Corpus Domini à ſacerdotibus conjugatis conſecratum ſæpiſſimè pedibus conculcârunt, & Sanguinem Domini voluntariè effuderunt in terram: alia quóque multa contra fas, jus, & æquitatem in Dei Eccleſia præſcriptâ occaſione facta ſunt, quæ nos brevitatis causâ omittimus. Multi etiam Pſeudomagiſtri ſurgentes in Eccleſia Dei profanis novitatibus plebem ab Eccleſiaſtica diſciplina, & neceſſaria obedientia ſubvertêre.

Greg. Papa Concilium celebrat.

Maxima laicorum temeritas.

Eodem ferme tempore Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus ex mandato Gregorij dicti Pontificis VII. Synodũ contra Simoniacos, & Preſbyteros conjugatos, & concubinarios, ſeu fornicarios celebravit in Erphordia, in qua Clericos omnes ſub anathematis vinculo conſtrinxit, ut uxoribus, & concubinis dimiſſis cælibatum continentiæ cuſtodirent. Verùm hâc novitate ſacerdotes & Clerici nimiùm commoti, & in ſeditionem verſi, contra ipſum Archiepiſcopum conſpirantes, ſemel & ſecundò illum interficere tentabant, quæ res cùm ad ejus notitiam certò perveniſſet indicio, ut à malo furioſos revocaret propoſito, vitámque ſuam in tutiore locaret, dixit iterum in ſynodo congregatis, quòd litteris ſuis difficultatem hujus negotij auribus vellet intimare Apoſtolicis, cujus ſe conſideret poſſe mutare ſententiam. Quod cùm feciſſet per litteras, & nuntios, Papa in ſua fixus ſententia perduravit: & Curienſem Epiſcopum ad ſy-

Papa deponit Presbyteros concubinarios.

ad synodum Erphordensem in Thuringiam nuntium, & legatum suum destinavit; per quem prænominato Archiepiscopo seriosiùs præcepit, ut omnes Clericos suæ provinciæ uxores, vel concubinas foventes, ab omni dignitate sacerdotali seponeret: & nullâ ratione cum aliquo dissimulare præsumeret. Cùm ergo Curiensis Episcopus nomine Apostolici Legatus venisset in synodum, & Papæ coram omnibus factum Archiepiscopo intimaret præceptum, tanta in eum mala comminati sunt omnes, ut vix manibus temperarent. Qui fugâ lapsus ad suam Ecclesiam auxilio Sifridi Archiepiscopi redijt, & de hac quæstione se ulteriùs nequaquam intromisit. Hoc tamen ab eo tempore fuit introductum, ut nullus ordinaretur in Presbyterum conjugatus: & ordinandi omnes castitatem promittere compellantur coram ordinante.

His temporibus ad sepulchrum S. Heymeradi Presbyteri in Hasungen Monasterio novo nostri Ordinis, de quo memoriam fecimus, omnipotens Deus multa signa, & miracula fideliter invocantibus ostendit, quorum magnitudine permotus Archiepiscopus sæpe dictus Moguntinæ Ecclesiæ Sifridus, in cujus Diœcesi locus est positus, Ecclesiam super sepulchrum ejus fundavit, & cœnobium servorum Dei constituit, adjutus eleemosynis & oblationibus fidelium; quòd propter S. Confessoris Heymeradi merita, virtutes ac miracula de tota penè Germania quotidie orationis causâ peregrinantes illuc in magna multitudine confluebant.

Heymeradus obijt Anno M. XIX.

Obijt autem S. Presbyter Heymeradus in Hasungen, ut diximus, antequam fieret Monasterium, sepultus anno videlicet Cœnobij S. Aurelij Hirsaugiensis vacantis octavo decimo; cujus vita miraculis plena in memorato Cœnobio Hasungen scripta habetur.

Clara etiam his temporibus, & valde celebris per Germaniam memoria habebatur Divi Sebaldi in oppido Nurenbergensi quiescentis: super cujus sepulchrum Ecclesia postmodum speciosissima constructa fuit, ad cujus Patrocinium omnipotens Deus multas virtutes, & sanitates operari dignatus est in his, qui varijs detinebantur infirmitatibus: unde magnus ad tumbam ejus fidelium multo tempore duravit concursus.

M L XXV.

Heinricus Rex devastat Saxoniam.

Anno S. Wilhelmi Abbatis VI. Heinricus Rex reconciliatis sibi utcunque ducibus supra scriptis Rudolpho, Bertholdo, & Welfone, in manu valida ex Suevis, Francis, Bavaris, Rhenensibus atque Bohemis, Saxones petit, eisque juxta Unstruot fluvium congreditur, & non modicâ strage utrinque peractâ, tandem victor evadens ad sua latus revertebatur; in hac verò concertatione Rudolphus memoratus Dux Suevorum, & Burgundionum pro Rege Heinrico fortiter stetit, & præ cæteris viriliter certavit.

Hermañus Episcopus Bambergensis deponitur.

Eodem anno Hermannus Ecclesiæ Bambergensis in orientali Francia Episcopus auctoritate Gregorij Papæ VII. propter simoniacam pravitatem à Pontificatu, quem annis jam decem malè tenuerat, deponitur; in cujus locum Rupertus promotione Regali Episcopus Bambergensis ordinatur, Hermannus autem à Pontificatu depositus, ad agendam pœnitentiam prudenti usus consilio, Monasterium S. Felicitatis, Svvarzach dictum, quod Megengaudus Comes in orientali Francia olim fundaverat, ingreditur, in quo Monachus factus sub Egberto venerabili Abbate,

usque ad mortem religiosissimè conversatur, ibidémque postea claudens diem extremum, in Capella S. P. N. Benedicti sepelitur. Hoc ipsum Cœnobium sanctæ Felicitatis in Svvarzach Megengaudus Comes Franconi, sicut diximus, orientalium fundavit anno Dom. Nativ. octingentesimo quinto decimo, Indictione Romanorum VIII. temporibus Caroli Imperatoris Magni, & Ludovici Pij filij ejus: quod postea his temporibus, anno videlicet sancti Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis quinto, nimiâ vetustate penè collapsum Adelbero ex Monacho nostri Ord. Episcopus Herbipolensis à novo constructum, & magnificè dotatum consecravit, & Monachos optimæ conversationis ex Gallia de Cœnobio Gorzensi, Metensis Diœcesis in eo collocavit, quibus Egbertum religiosissimum, sanctissimúmque virum in Abbatem ordinavit, qui præfuit annis septem & viginti, tandémque feliciter migravit ad Domnium.

Monaster. in Swarzach renovatur.

Anno quoque prænotato, sanctissimus Præsul Colonienſis Anno moritur, plenus sanctitate, & magnis virtutibus clarus, cujus sacrum corpus in Monasterio nostri Ordinis, quod ipse in monte Segeberg à fundamentis construxerat, in medio Ecclesiæ cum honore sepelitur; ad cujus tumbam penè infinita deinceps omnipotens Deus beneficia mortalibus contulit. Hic beatissimus Præsul Anno, sicut diximus in superioribus, tria Ordinis nostri Monasteria construxit de novo, duo videlicet in sua Diœcesi Colonienſi, hoc est, Segeberg, & Graschapht: tertium verò in finibus Thuringorum fundavit paucis ab Erphordia milliaribus, quod Salveldia nuncupatur, à præterfluente alveolo, qui Sala dicitur: cujus primus Abbas Ezzo fuit, Monachus Cœnobij S. Felicitatis in Svvarzach, discipulus Egberti venerabilis, ac sanctissimi Abbatis, de quo postea dicemus. Fuit autem Ezzo prædictus Abbas vir doctus, non solùm in scripturis divinis sed etiam in litteris sæcularibus, qui inter cætera ingenij sui opuscula scripsit ad ædificationem Fratrum suorum multos utiles, atque pulcherrimos sermones; & quod sermone docuit, opere & exemplo semper demonstravit. Reliqua ejus opuscula manent nobis incognita.

S. Anno Archiepisc. Colonienſ. moritur.

Post mortem sanctissimi Præsulis Annonis, Hildulfus factus est Archiepiscopus Colonienſis, qui à Gregorio Papa VII. Romam citatus, ut se de simoniaca pravitate purgaret, quia Pontificatum de manu Regis Heinrici susceperisset: innocentiam suam, & legitimum ad ovile ingressum multimodâ confirmatione comprobavit. Simile de Anperto Bambergenſi, post Hermanni depositionem, Episcopo examen, & citationis judicium, fuit. Eodem anno, 25. die Novembris obijt Egbertus Abbas Monasterij S. Felicitatis, Herbipolensis Diœcesis, anno regiminis sui 27. jam completo, vir sanctæ conversationis, & beato Wilhelmo Hirsaugiensium Fratrum Reverendissimo Abbati notus, ac singulari amicitiâ pro vitæ merito familiarissimus, sicuti contestantur mutuæ litteræ, atque epistolæ inter eos scriptæ, quæ extant. Hunc Reverendissimum virum beatus Adelbero Herbipolensis Episcopus instaurator memorati Cœnobij, cum sex Monachis anno Nativitatis Domini M.XLVII. precibus impetravit ab Abbate S. Georgij Monasterij Gorzienſis in Gallia. Quem Monachis S. Felicitatis tam in loco repertis, quàm cum eo tunc adventantibus præfecit Abbatem. Qui pastor Monachorum ab eodem Præsule ordinatus, vitam, & mores sibi subditorum ad puritatem Regulæ S. P. N. Benedicti,

non

non minus exemplo, quàm sermone laudabiliter instituit, & multos in timore Domini perfectos discipulos erudivit: per quorum industriam plura Ordinis nostri Monasteria apud Francos orientales, quæ penitus defecerant, ad Regulæ observantiam reducta fuerunt.

Monaster. Thariſſense fundatur.

His etiam temporibus Bozo Comes in Bavaria, germanus Erbonis potentissimi Carinthiæ quondam Principis, qui fuerat olim Palatinus Comes in Bavaria, Monasterium nostri Ordinis construxit in provincia Bavarorum, quod Thariſſense vocamus, in quo Monachos de memorato Cœnobio Svvarzach posuit: quibus Embricum prædicti Egberti Abbatis discipulum, virum eruditione, ac vitæ merito valde venerabilem primũ Abbatem, & pastorem dedit, in quo ipse fundator moriens post annos viginti novem sepultus fuit.

Anno quoque Dominicæ Nativitatis dicto, Comes Adelbertus de Calba restitutor, & novus fundator Monasterij sancti Aurelij Hirsaugiensis ad preces, & instantiam sancti Wilhelmi Abbatis Regem Heinricum sibi multum favorabilem accessit: litteráſque immunitatis, & omnimodæ libertatis Monasterij prænominati ab eo petijt, & obtinuit: quorum tenorem huic inserere compilationi nostræ non inutile fore judicamus; propterea quòd totius libertatis, dotationis & restitutionis ejusdem Monasterij contineant summam. Quarum tenor sequitur, & est talis.

Exemplar litter. Regalium super libertate Monast. Hirsaugiensis.

IN Nomine sanctæ, & individuæ TRINITATIS. Heinricus divinâ favente clementiâ Rex: omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet & futurorum cognoscat industria; quòd in regno nostro regulare quoddam Monasterium situm est in provincia scilicet, quæ dicitur Theutonica Francia, in Episcopatu Nemetensi, in pago Weringavv dicto, in comitatu Ingisheim, in Sylva quæ dicitur nigra, juxta fluvium, qui dicitur Nagaltha, quod Hirsaugia sive S. Aurelij Cella dicitur: ubi & idem S. Corpore requiescit, quod tempore Ludovici Pij regis in hõnore S. Petri Apostoli, & S. Aurelij Episcopi constructum honorificè, & Deo dicatum fuit ab Erlafrido quodam nobili senatore religioso, & à Notungo filio ejus Rev.mo Vercellensi Episcopo, alijsque parentibus Adelberti comitis de Castello Calb; sed deinceps à posteris eorum dissipatum est. Nunc autem idem comes Adelbertus instinctu Dei tactus, nec non conjugis suæ Wiltrudis crebris precibus adhortatus, Monasterium ipsum jam restauravit: & quæ aliquandiu ibi defecit, vitam monasticam reparavit: & prædia, quæ illuc antiquitus à parentibus suis tradita sunt, sed partim jam à posteris eorum invasa, partim & à se ipso quasi jure hæreditario possessa sunt, reddidit: & insuper de proprijs tot ac tantas prædiorum illuc impensas contradidit: quòd servitium Dei nunc à 15. Fratribus sub regula S. Benedicti inibi procurandis gratiâ Dei peragi & stabiliri possit, conjuge ipsius prænominatâ, filijs Brunone, Adelberto, Godfrido, & filiabus Utha & Jrmingarde sibi in hoc ut & in omnibus his institutis consentaneis. Et inprimis ipsum scilicet locum Hirsaugiensem cum omnibus nunc in præsentiarum illuc collatis justitijs legitimis & pertinentijs prædiorum, mancipiorum, censuum, pecuniarum seu quarumcunque rerum ex toto super altare S. Aurelij reddidit, delegavit & contradidit Domino Deo, Sanctæ Mariæ,

S. Pe-

Comes libertatem omnimodam Cœnobio contulit.

S. Petro Apostolo, S. Aurelio Episcopo, & S. Benedicto in potestatem & proprietatem, & prædicti Monasterij Abbati nomine Wilhelmo, ejúsque successoribus, in dispositionem liberam, cellæque necessaria, fratribúsque Deo sub regula Monastica inibi servituris ad utilitatem nota. Ut ne unquam à posteris, similiter & à parentibus suis Dei servitium deinceps illic destrui possit, prorsus prudenter instituit & decrevit eandem cellam cum omnibus pertinentijs suis nunc collatis, dehinc conferendis ab hac die & deinceps omnino non subdi, nec subesse jugo alicujus terrenæ personæ vel potestatis, nisi solius Abbatis dominationi, ordinationi & potestati. Et sic totius libertatis jure & privilegio eam adampliavit, & ob regni cœlestis hæreditatem in Christo omnimodis stabiliter sublimavit. De hinc omni potestate, servitio, jure, & proprietate prædictæ Monasterij, ipse cum conjuge filijs & filiabus supra dictis sese omnino fideliter abdicavit. Sed hoc totum reverà felix negotiator prudenter effecit, primùm ob spem & præmium vitæ æternæ: ob remissionem omnium peccatorum: ob salutem corporum & sempiternã requiem animarum: & ob quotidianam memoriam sui ipsius, conjugis suæ prænominatæ, filiorum, & filiarum suarum: nec non omnium parentum, posterorum, consanguineorum, amicorumque suorum, & omnium ad curam suam pertinentium. Ob memoriam quoque Regum, Episcoporum, Principum, & omnium prædictæ Cellæ statum & honorem diligentium & defendentium, & omnium Christi fidelium: & quod, pro ut possibile fuerit, cunctis Christi pauperibus beneficum semper illic patefiat receptaculum. Adhæc etiam, ut fratres Cœnobij ipsius nunc inibi congregati; adhucque in Christo congregandi tutius ac liberius Domino Deo in sanctæ professionis securitate servire possint, hujuscemodi libertatis munere dotavit. Ut quandocunque patre suo spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundùm Regulam S. Benedicti inter se vel undecunque, si opus fuerit, Abbatem sibi non solùm eligendi, sed etiam constituendi. Quem cùm fratres regulariter elegerint, dehinc, ut fieri solet, ad constituendum eum, in chorum Monasterij conveniant; & unà clero advocato, populóque in sanctuario præsentibus, Decanus vel quicunque prior sit loci ipsius, accipiat virgam regiminis de altari S. Aurelij; & absque omni prorsus contradictione tradat in manum ipsius, quem tota fratrum congregatio sibi elegerat. Hic subinde Canonicè Abbas ordinatus, sine alicujus personæ dominatione & impedimento susceptum ministerium suum pro posse & scire suum impleat: solique Deo secundum ordinem suum liber serviat, liberámque omnium rerum sibi commissarum in Christo disponendarum intus & foris potestatem habeat. Qui si fortè præter necessitatem Monasterij, & communem fratrum utilitatem sacrilegè (quod absit) licentiosè, & seculariter abuti præsumpserit institutio, libertate, familiâ, bonis, rebúsque sanctuarij; & ob id fratrum prædictiones contemnens, ad suam suorúmve privatam cupiditatem, & libitum ea temere dissipaverit: vel si beneficia quibuslibet personis nisi necessarijs Monasterij ipsius servitoribus præstiterit, ut si Regibus, Episcopis, seu quibuscunque personis consentaneus annuerit, si fortè libertatem Monasterij pervertere, sibique locum sanctum subijcere attentaverit; sive aliquod servitij statutum inde sibi fieri exegerit: mox posteri comites

Comitem, quæ causa ad ista permoverit.

De ordinatione & potestate Abbatis.

mitis prædicti cum suffragio fratrum, Advocati, Cleri, totiúsq; familiæ & omnium bonorum hominum ritè à fratribus hunc accusatum, justéque ab eis convictum à dignitate sua abijciant, præficiántque alium juxta dictam libertatem, & S. Benedicti Regulam, quem fratres sibi elegerint, & absque omni contradictione pro illo substituant. Concedit etiam Comes prædictæ cellæ advocatum quendam de posteris suis fieri, si tamen loci ipsius Abbas cum consilio fratrum talem inter eos invenerit, qui sicut ipse Comes nunc non pro terreno comodo, sed pro æterna mercede solicitus, & studiosus bona, & constitutam Monasterij libertatem, & justitiam defendere voluerit. Sint autem aptum, & utilem advocatum, undecunque sibi placuerit, eligant.

Advocatũ Monasterij Abb. & fratres eligãt.

Hic denique Abbate petente à Rege accipiat bannum legitimum, & ter in anno, si opus fuerit, aut in ipsam cellam, aut ubicunque, vel quando Abbati placuerit, invitatus ab illo veniat: & ibi placitum justum pro causis, & necessitatibus Monasterij ritè peragat. Nullum autem servitium aliud, jus, vel beneficium sibi pro hoc concedi recognoscat, nisi tertium bannum, & consuetudinariam justitiam, & legem, quam cæteri advocati in alijs liberis Monasterijs habent super fures, proterviam, & censuales, & cætera talia. Et in illis trium placitorum diebus in unoquoque unum maltrum de frumento, unum Friskingum, & unum Siclum de vino, & cætera ad hoc pertinentia. Præterea item constituit, quod nisi Abbate volente, & advocante bona, & loca Monasterij suis frequentijs temerarijs, & sine causa minimè adeat vel contingat, nec præsumptuosus in eis placitum quodlibet, vel pernoctandi licentiam habeat. Nec subadvocatũ pro se faciat, nec omnino aliquam absque ratione calumniam persuasionem, aut injuriam Monasterio, Abbati vel familiæ faciat; si autem non ut advocatus, sed potius ut calumniator, & pervasor Monasterij fuerit, omnino potestatem habeat Abbas, cum consilio fratrum hunc reprobare, & alium sibi utiliorem undecunque eligere. Constituit etiam & hoc Comes præfatus, & nos ipsius petitione firmiter statuimus, quod si quispiam posterorum suorum, vel quarumcunque personarum unam vineam, unum mansum, unum Molendinum, vel saltem unum mancipium, sive aliquid tale à supra dicta cella temerarius injustè abstulerit, ut nostri, nostrorúmque successorum Regiâ potestate coactus, tria auri talenta ad ærarium Regis persolvat: primitùs reddito Ecclesiæ, quod invaserat; sin autem quilibet illorum (quod absit) curtem, vel aliquam villam violenter abalienaverit, sive manifestus invasor bonorum ipsius cellæ extiterit, vel si hoc testamentum traditionis & libertatis quocunque ingenio, vel argumento legum sæcularium pervertere, vel infringere attentaverit, centum auri libras ad regiam item persolvat cameram: & reddet primitùs Ecclesiæ, & secundùm leges item componat, quod Abbatum fuerat: & sic intentio ipsius omnino irrita fiat. Ministris quóque & familiæ sanctuarij eandem concedit legem, & servitutem, quam cæteræ in regno nostro liberæ Abbatiæ habent, ut tanto fideliores Prælatis suis per omnia serviant. Super hæc omnia Comes sæpe dictus Apostolicum privilegium acquisivit, & constituit, ut unus aureus, quem byzantium dicimus, singulis annis Romam ad altare S. Petri ab Abbate prædicti Monasterij in Paschate persolvatur eo pacto, ut libertatis ipsius, & traditionis statuta tan-

Officiũ Advocati describitur.

Lex Advocati.

Monasterium S. Petri cõmendatur.

tò perennius in convulsa amodò permaneant: & ut prædictum Cœnobium sub Romanæ Ecclesiæ Mundiburdio, & majestate securum semper stabiliatur, & defendatur. Si fortè quispiam Regum, vel posterorum ejus, seu quarumcunque homo personarum (quod absit) testamentum hoc ullo ingenio infirmare vel infringere præsumpserit: si autem id (quod absit) à quolibet illorum instigante diabulo fiet: obsecrat Comes idem, & omnino testificatur Apostolicum Pontificem per Christum, per S. Petrum Apostolum, & per S. Aurelium Episcopum, & per omnes Sanctos Dei, & per tremendum judicij diem, ut illum Dei, & Sanctorum ejus contemptorem, & testamentariæ hujus conscriptionis destructorem (nisi resipuerit) tradat omnino sathanæ: & anathematizet eum: & prophanet à cœtu sortibus, & filijs Ecclesiæ S. Dei, & hæredibus vitæ æternæ, & ut auferat Deus memoriam illius de terra viventium: & deleat nomen eius de libro vitæ: & cum Datan & Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem. Et ut Herodis, Pilati, & Judæ socius factus in æternum discrucietur. Et cum Sodomitis, & Gomorritis ignis & sulphuris imbres hic experiatur: & Heliodori plagas, & verba hic perpetiatur: & Antiochi tormentis, vermibus scilicet scaturiens, & cum fœtore computrescens miserrimè conteratur: & nisi resipiscat Petrum Regni cœlorum Archiclavigerum cum S. Aurelio, & tota cœlesti militia portæ Paradisi obstitorem habeat in æternum.

Imprecatio in eos, qui bona rapiunt.

Prædia autem, seu villæ ad prædictum Monasterium antiquitùs pertinentia, & ab eodem Comite nunc reddita, hæc sunt. In primis ipse locus Hirsaugia, cum tribus villulis: Luzenhart: Altbüren: Nagalhart: Deckenphrum, & ea quæ sunt ad Gilstein. Stamheim cum villulis item tribus. Summenhart, Luzenhart, ad S. Candidum, ad Mettlingen, ad Meuchingen, ad Grezingen, ad Muchlingen, ad Mercklingen Trehubæ Gumperteswiler dimidium. Hæc autem Comes prædictus de suis addidit prædictis, Ottenbrun, & quæ possidebat ad Wile, cum villulis binis Gretzenbach, & Blanda, & ad Biberbach, ad Bottenach, ad Thanbach, ad Walaheim duas hubas, & sex iugera vinearum. Ad Gumprechtzwiler dimidium, & Ecclesiam ad Toffingen, & ad Malscha. Hæc scilicet prædia cum mancipijs ad prædicta loca pertinentibus reddidit, & contradidit ad prædictum Cœnobium cum ecclesiis, fabricis, vinetis, agris pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, piscationibus molédinis, exitibus, & redditibus, cultis, & incultis, cum marchis, & terminis legitimis. Statuta quóque, & jura censoria cum omnigena integritate legitimorum suorum, & utilitate, & servitijs, quæ ullo modo inde provenire, vel excogitari poterunt. Ut autem prædictæ traditionis, & libertatis status, & omnia prædicta statuta, eâ ratione, quâ Deo, & Sanctis eius destinata sunt, ab hac die omni ævo in Christo rata, & inconvulsa permaneant. Hanc chartam testamentariam prædicti Comitis rogatu conscribi, manúque propriâ corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data est 7. Iduum Octobris. Anno Dominicæ Incarnationis M. LXXV. Indictione decimâ tertiâ.

Bona allata, quæ Comes restituit.

Hjusce modi ergo tenoris privilegium Comes Adelbertus impetratum à Rege Heinrico, ejus nominis IV. super fundatione Monasterij

Comes privilegium Abbati contulit.

Divi

Divi Præsulis Aurelij Hirsaugiensis, ut præmittitur, S. Abbati Wilhelmo præsentans exhibuit, ipsúmque locum Hirsaugiam dictum, cum omnibus ad eum pertinentibus liberalitate perpetuâ donavit. Hæc mutatio mentis eis omnino fuit admirabilis, & sine dubio divinæ operatio pietatis. Nam, ut veterum relatione didicimus, cùm S. Pater Wilhelmus in principio adventûs sui ad Hirsaugiam Monasterij omnimodam libertatem à Comite Adelberto postularet, simplicitatem viri sancti pro suo commodo volens decipere, Monasterium in sua, suorúmque successorum cupiebat detinere potestate. Conficiens igitur litteras iniquo convenientes proposito, sæculariaque astutiâ falsas, quæ libertatem Cœnobij mentirentur, non exprimerent, regiam confirmationem obtinuit; quas cùm S. viro sigillo munitas regio nihil falsitatis suspicanti tradidisset, Monasterium in sua gloriabatur habere se potestate. Verùm post annos 5. dolus Wilhelmo revelatione Comitis religiosissimæ Wiltrudis innotuit, quæ Comitis malè gloriantis de fraude sua nimiùm dolens Abbati deceptionem secretissimè revelavit. Sanctus itaque Pater, cùm se, jam certior factus, deceptum ex litteris manifestè cognoscceret, simplicitatem columbinam ad horam postposuit, & serpentinâ usus astutiâ, Comitis propositum, orationibus præmissis ad Deum, in suam sententiam prudenter commutavit. Sancta denique mulier non diebus quievit, non noctibus, donec animum vicit mariti precibus, lacrimísque continuis; ut omnimodæ libertatis Cœnobij litteras munitas regio sigillo, laceratis prioribus, sancto consignaret Abbati: qui Domino miserante tandem in alium virum mutatus omnia revocavit, quæ scandalosè constituerat, & novas omnimodæ, ac meræ libertatis litteras, quarum præmisimus exemplar à Rege impetravit. Sanctus autem Pater Wilhelmus regali privilegio, quod præmisimus, recepto, gratias omnipotenti Domino reddidit, & mutationem animi Comitis sanctæ Wiltrudis meritis, & precibus non immeritò adscripsit. Comes autem Adelbertus, divinâ jam miseratione compunctus, nuntios ad Sedem Apostolicam priùs miserat, & constitutionis suæ confirmationem à Papa Gregorio ejus nomine VII. impetraverat: cujus privilegij tenor sequitur, & est talis.

Comitis fraus detegitur.

Comes Romam misit pro confirmatione.

Exemplar privilegij Papalis.

GRegorius Episcopus Servus Servorum DEI: Dilecto Filio Wilhelmo Abbati Monasterij S. Aurelij, quod dicitur Hirsaugia, in Episopatu Spirensi situm, ejúsque Successoribus in perpetuum. Cùm omnium Ecclesiæ Filiorum saluti, & securitati sancta Sedes Apostolica ex generali pastoralis regiminis providentia cavere & consulere debeat: tum verò alacriùs, & impensiùs piæ intentionis, & religiosæ devotionis vota suscipere, ac salutifero effectui mancipare, necesse est, ut grataner bonorum studiorum petitionibus occurrat, & quæ ad laudem, & gloriam divini Nominis sunt instituta, auctoritatis suæ soliditate firmiter tenenda stabiliat. Unde & Nos dilecti filij nostri Adelberti de Calb laudabili desiderio congaudentes, precibus ejus sanctæ Sedi Apostolicæ humiliter directis acquiescere decrevimus, & religiosè postulata efficaciter concessimus, Qui æternæ retributionis amore succensus in prædio suo, quod dicitur Hirsaugia, Monasterium à progenitoribus suis antiquitus constructum nuper amissa restituens venu-

stè reparavit, & in usus Fratrum inibi Deo servientium pluribus possessionibus, & redditibus adjectis largiùs ampliavit, quam suæ libertatis institutionem, ne in posterum ulla perversorum hominum audacia imminuere, aut violare præsumat, Apostolicæ auctoritatis privilegio muniri & S. Romanæ Ecclesiæ tuitione roborari, datâ annuâ aurei Byzantij pensione postulavit, illud profectò considerans, quia dum à sanctæ Matris Ecclesiæ fidelibus Beatis Apostolis Petro & Paulo honor, metus, & obedientia exhibetur, quod eorum decreto, & nomine solidatum, & roboratum fuerit, nullius eversionis illicitâ præsumptione quatiatur. Quam ob rem ibidem præfatum Monasterium cum omnibus sibi hoc tempore justè pertinentibus, & legaliter collatis, & deinceps quarumcunque personarum authenticâ traditione conferendis sub Apostolicæ Sedis tutela, & protectione generaliter amplectimur, & sub alis Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tibi fili Wilhelme, tuísq; successoribus eliminata, ac prohibita omni infestantium inquietudine liberè, & absolutè possidenda, & regulariter atque utiliter ordinanda præsentis scripturæ testimonio confirmamus: Constitutionis quóque immunitatis, & libertatis modos, quos præfatus Comes illustris Adelbertus scripto suæ traditionis inseruit, & regio sigillo imprimi curavit, ad posteritatis cautelam, & arcendos infestantium impetus diligenter observandos, statuimus hos duntaxat, qui canonicis sanctionibus non obsistunt; ut nec permissis quilibet negligatur, nec de vetitis quodlibet irrogetur. Hæc igitur, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi, quàm cunctis, qui in eo, quo es ordine locóque successerint, in perpetuum servanda decrevimus. Si quis verò Regum, Sacerdotum, Clericorum, Judicum, & sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit: potestatis honorísq; sui dignitate careat, reúnq; se perpetrata iniquitate divino judicio agnoscat. Et nisi ea, quæ ab illo sunt malè ablata restituat, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo Corpore, & Sanguine Domini Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaciat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus, & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ retributionis inveniant. Datum Romæ.

Regale scriptum Papa confirmat.

Præscriptum institutæ libertatis privilegiũ Gregorius Papa VII. ad instantiam Comitis Adelberti B. Patri Wilhelmo tradidit, cujus exemplar manu suâ rescriptum ad memoriam omnimodæ libertatis Monasterij Hirsaugiensis in scrynio S. Petri Apostoli reposuit. Traditione autem Majorum invenimus, divum Patrem Wilhelmum sanctam Apostolicam Sedem pro impetratione dicti privilegij cum nuntijs Adelberti Comitis adusse propria in persona, sumptus pro itinere necessarios præstante religiosissimâ comite Wiltrude. Cujus adventu S. Papa Gregorius piæ devotionis affectu congratulatus, libenter ei concessit omnia, quæ petijt, & plura contulit, quàm rogavit. Non enim latuit S. Pontificem Abbatis devotio, qui prophetiæ spiritu plenus extitisse multorum testimonio comprobatur. Unde illum pro vitæ merito singulari charitatis affectu complectens, plures ei Sanctorum reliquias in signum dilectionis contulit, quas idem vir Dei cum summa veneratione suscipiens, ad Hirsaugiam depor-

S. Wilhelmus Romæ fuit personaliter.

deportavit, & apud S. Aurelium repoſuit. In eadem urbe Romana exiſtens S. pater Wilhelmus graviſſimam ægritudinem, ventris ſcilicet inflationem ex conſueti aëris in inconſuetum, & putridum mutatione incurrit, quæ brevi uſque adeò invaluit, ut à medicis expertiſſimis de vita ejus ſpes vel nulla, vel modica haberetur. Qui tandem ſe portari ad Eccleſiã B. Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ ſuo vicinam hoſpitio præcepit, & coram altari genua flectens, Matris miſericordiæ patrocinium invocavit. Et ecce ſubitò inter verba ſanctæ orationis cœpit convaleſcere, nec ab oratione ceſſavit, donec Domino Deo miſerante in toto convaluit.

S. Wilhelmus Romæ infirmus convaluit.

Expeditis autẽ negotijs, pro quibus venerat, lætus ad Hirſaugiam reverſus eſt, gratias agens largitori omnium bonorum Deo, qui in ſe ſperantes non deſerit.

M L XXVI.

Anno S. Wilhelmi Abbatis VII. Heinricus Spirenſis Epiſcopus moritur: cui Rudegerus, qui vulgò dicebatur Huſmannus ſucceſſit: vir magnificus, prudens, & multâ in agendis Eccleſiæ negotijs induſtriâ præditus, quod ejus geſta teſtantur: quippe qui redditus, & proventus Eccleſiæ Neometenſis, cui præerat, auxit: octo præbendas de novo inſtituit, civitatem ampliavit. Ad cujus inſtantiam Heinricus Rex IV. multa bona præfatæ Eccleſiæ contulit, & jurisdictionem Epiſcopo ſuper Judæos in urbe dedit.

Rudgerus fit Epiſcop. Spirenſis.

Anno prænotato mortuus eſt Joannes Monachus, & Scholaſticus Cœnobij S. Mathiæ Apoſtoli extra mœniã civitatis Trevirorum, qui Arnoldo Monacho ſucceſſerat, de quo dictum eſt anno vacantis Monaſterij Hirſaugienſis 64. Poſt hunc Joannem Erhardus ejuſdem Cœnobij Monachus ſcholarum Magiſterio præficitur: vir undecunque doctiſſimus, ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio, nec minus vitæ merito, quàm eruditione ſcripturarum venerandus, qui ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula, de Monomachia ſpirituali Virtutum, & vitiorum imitatione Prudentij, proſaicè tamen, opus pulcherrimum, quod in libros 7. diſtinxit: de inſtituticne, & perſeverantia Monachorum l. 1. De puritate vitæ regularis l. 1. Additiones quoque in geſta Trevirorum compoſuit. Alia inſuper multa ſcripſiſſe dicitur, quæ in manus noſtras non venerunt.

Erhardus Scholaſtic. Trevirenſ.

Eodem anno in menſe Martio Heinricus concilium XXIV. Epiſcoporum, compluriúmque Abbatum, & Clericorum, atque principum celebrari fecit in Wormatia, in quo Rege ipſo Heinrico præſente penè omnes Epiſcopi Teuthonici præter Saxones, Gregorium non ſanctum Dei Vicarium, ſed Anti-Chriſtum, non Patri ſucceſſorem, ſed invaſorem ſacroſanctæ Sedis nimis temerè blaſphemantes, inter quos multi ex ignorantia ac ſiniſtrè informati ab æmulis juſtitiæ in ejus damnationem conſentientes, vel ſpontè, vel invitè ſubſcripſerunt.

Concil. in Wormatiâ contra Papã Gregorium VII.

Interea ſupervenit quidam è Roma Cardinalis propter ſua ſcelera, & improbos mores per S. Papam Gregorium VII. à Cardinea dignitate per ſententiam dejectus, nomine, & cognomine Hugo Blancus, homo perjurus, iniquus, & minarum, & crudelitate plenus, nihil magis appetens, quàm vindicare ſuã à Cardinalatu dejectionem; deferens ſecum de vita, & inſtitutione Papæ Gregorij ſcenicis figmentis Tragœdiam conſimilem; videlicet unde oriundus, qualiter à juventute converſatus, quibus

dolis, & artibus malis Sedem invaſerit Apoſtolicam; quæ ante Pontifi-
tum, & quæ poſtea commiſerit horrenda, & incredibilia penitus flagitia.
Natum ex fornicatione, necromanticis ab ineunte ætate ſtudijs operam
dediſſe, ac dæmonum patrocinio Sedem obtinuiſſe Petri. Commentator
fabulæ ſanctum virum perversâ delatione mendaciſſimè compoſuit.
Hujus viri Apoſtatæ præſentiam, & auctoritatem omnes qui cum Rege
ſenſerant, quaſi divinitus ſibi Paracletum miſſum, & deſtinatum, cum
magna veneratione ſuſceperunt, cunctis, quæ contra S. Pontificem men-
daciter produxit in medium, indubitatam fidem adhibentes. Quo circa
ſententiam promulgârunt, Hildebrandum Papam eſſe nec poſſe, nec de-
bere, nec ullam poteſtatem ligandi, vel ſolvendi penitus habere, qui
tantis vitam probris & criminibus commaculâſſet. Itaq; depoſitionis ab
omni Pontificatûs ejus officio ſententiam fulminantes, ſcripto comẽdâ-
runt, & quatenus univerſi præſentes in concilio Epiſcopi ſubſcriberent,
decreverunt. Cúmq; omnes ad complacendũ Regi Heinrico damnationi
Adelbero Epiſc. Herbipolenſis. Gregorij Papæ nihil cunctati ſubſcriberent: Adelbero Herbipolenſis E-
piſcopus, & Hermannus Metenſis Epiſcopus aliquamdiu fortiter coram
omnibus reſtiterunt, auctoritatem ſacrorum Canonum allegantes: qui
dicunt Epiſcopum ſine audientia ſynodali non debere, nec poſſe deponi.
Tandem verò poſt longam concertationem Wilhelmus Trajectenſis Epi-
ſcopus, qui Papæ Gregorij nimio laborabat odio, & partes Schiſmatici
Regis ultra condignum tuebatur, ſuis comminationibus duorum rectè
ſentientium conſtantiam vincens, ut cum alijs ſubſcriberent, effecit. No-
mine itaq; totius Concilij præſcriptæ litteræ Romam diriguntur ad Pa-
pam, injurijs, probris, & contumelijs plenæ, in quibus illum denuncianti
ſummo Pontificatu auctoritate totius Concilij depoſitum, in quarum fine
ita concludebant: *Quia ergo introitus tuus tantis perjurijs eſt initiatus, & Ec-
cleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur, &
vitam converſationémque tam multiplici infamiâ d honeſtâſti, obedientiam,
quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos eſſe renunciamus.
Et quia nemo noſtrûm, ut tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit Epiſcopus:
tu quóque nulli noſtrûm eris Apoſtolicus.* Cum has Papa Gregorij litteras ſibi
Romam deſtinatas, recepiſſet, nihil motus, Epiſcoporum, & Cleri ſyno-
dum convocans, eas publicè coram omnibus legi præcepit, mirantibus
cunctis, & nimiùm indignantibus temeritatem Præſulum Teuthonico-
rum, qui S. ſanè, ac innocentem Papam tantis contumelijs temerare præ-
ſumpſiſſent. De omniũ igitur in ſynodo præſentium conſilio, & unani-
Rex iterum excomunicatur à Papa. mi conſenſu S. Papa Regem denuo anathematizatum, & excommunica-
tum denunciat: cujus imperio, & machinamento tantæ rebellionis in-
auditum nefas fuerat ab Epiſcopis Teuthonicis perpetratum. Hugonem
quóq; Blancum falſiſſiſimæ comẽtationis delatorem ſimili anathema-
tis vinculo innodavit (qui non modica pars hujus inauditæ præſumptio-
nis contra ſanctam Sedem Apoſtolicam extitit) Sifridum etiam Archie-
piſcopum Moguntinum, Wilhelmum Epiſcopum Trajectenſem, & Ru-
pertum Bambergenſem Epiſcopum ſimili excommunicationis pœnâ
percuſſit. Porrò Ottonem Ratiſponenſem, Burghardum Luſannenſem,
Benzonem profugum, & depoſitum Albenſem, Ottonem Conſtantien-
Epiſcopos: Udalricum comitem, Eberhardum comitem, & alios non-

nullos

nullos Regis Heinrici consiliarios antea excommunicaverat. Cæteris verò qui dispositioni ejus in præfata synodo Wormatiensi, subscripserant, diem statuit, quâ nisi Romam venirent causam dicturi hujus inauditæ priùs rebellionis, eandem excommunicationis sententiam elapso termino se scirent incursuros: quorum alij gratiam Apostolicæ Sedis postulantes accipiunt, alij verò contemnunt.

Anno quóque prænotato posteaquam excommunicatio Regis per universam Germaniam ubique terrarum innotuit, colloquium generale principum in Oppenheim circa 14. mensis Septembr. factum est; ubi penè totius regni Principes, maximè autem Sueviæ & Saxoniæ subjectioni, & adhæsioni Regis Heinrici unanimiter renunciabant: propterea quòd jam à duob. Rom. Pontificibus Alexandro II. & Greg. VII. vocatus, ad satisfactionem venire contemneret, & excommunicatus pro sua contumacia irrideret, nec à persecutione Ecclesiæ desisteret. Hâc Principum defectione commotus Rex Heinricus, cùm res suas in extremo videret malè dispositas, in Italiam non sperantibus æmulis suis, petiturus veniam proficiscitur: inventóque Papâ in oppido Canusino, ibi per triduum ante portam Palatij depositio omni regio cultu, discalceatus, & lancis ad carnem nudam, pœnitentium more indutus perstitit: nec prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium, & consilium implorare destitit, quàm omnium qui ibi aderant, precibus & lacrimis intercedentibus, laxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum Matris Ecclesiæ receptus est, acceptis ab eo correctionis in futurum vitæ suæ cautelis, & securitatibus multis. His in Italia peractis Rex Heinricus in Germaniam revertitur, & fidem Papæ non diu servavit.

Rex ad Papam profectus absolvitur.

His quóque temporibus Egbertus quidam Comes seu Marchio in partibus Saxoniæ dives & potens, Monasterium Begavienſe nostri Ordinis in honorem S. Jacobi Apostoli construxit: in quo multitudinem Deo servientium Monachorum sub Regula D. P. N. Benedicti, & Abbate collocavit: quibus pro vitæ præsentis sustentatione multos redditus, & proventus legaliter assignavit. Eodem anno cùm Theodericus Virdunensis Episcopus, partium Regis defensor acerrimus, & ob id à Papa Gregorio simili anathematis vinculo innodatus, Regem suum pro absolutionis impetrando beneficio Romam iturus subsequeretur, in itinere ab Adelberto comite de Calba, fundatore Cœnobij S. Aurelij Hirsaugiensis supra nominato capitur, & spoliatus omnibus rebus suis aliquamdiu in custodia honesta detinetur. Tandem pecuniâ redemptionis datâ, quanta exigebatur à comite, ad suâ dimittitur, exhibitis prius cautionibus necessarijs de non repetendis ablatis, omníque plenâ remissione injuriarum. Erat enim comes Adelbertus fidelis Rom. Pontifici, qui priori anno cum alijs principibus in Conventu apud Oppenheimenſe oppidum subjectioni Regis Heinrici dudum excommunicati, renunciavit.

Monaster. Begar. fundatur.

Rupertus etiam Bambergensis Episcopus iturus in Italiam post Regem, cùm venisset in fines Bavarorum, à Welfone Duce simili ratione capitur, ac diutissimè in vinculis detinetur. Omnia quæ secum habuit pro necessitate velut ratione itineris, Dux remisit Bambergensi Ecclesiæ: ipsum verò atri panis comestione, ac poculo simplicis aquę diu macerans, tandem acceptis securitatibus necessarijs dimisit.

Rupertus Bamberg. Episc. capiatur.

Anno

Anno prænotato dum Rex apud Canusium, sicut diximus, per Papam à vinculo excommunicationis fuisset absolutus; pro suis autem criminibus, & dispositione regni ad Principes Germaniæ remissus, iter faciens per Italiam, contemnebatur ab omnibus, nemo illi reverentiam Italorum exhibuit, nemo in occursum, ut moris est, properavit; omnes irâ & indignatione permoti, fremere in eum dentibus cœperunt. Intra civitates, & oppida nusquam fuit receptus, sed remanere in suburbanis compellebatur, civium præsidio semper appositio, ut nihil in cujusquam pernitiem, vel damnum agere præsumeret. Hinc rabie furentium territus, Rex serò pœnituit, quòd se genti credidisset incognitæ, Teuthonicísque finibus relictis hostem mutâsset, non evasisset: initum cum Papa fœdus concordiæ, ac pacis juramentorum oblitus rupit: excommunicatos abillo, nec absolutos in consortium denuò recepit; & capita factionum omnium ad pristinæ familiaritatis gradum admisit: Romano Pontifici publicè, & privatim horrenda crimina imposuit, ipsum esse omnium malorum causam, & originem in conventu & Principum, & aliorum, ut prius exclamaverat. Hortabatur omnes & in Italia, & in Germania Principes, quantùm potuit, ut arma in Papam unanimiter acuerent; & tantas Imperij contumelias, tantáque mala contra Ecclesiam Dei facta in auctore vindicarent. His sermonibus mitigati majores Italorum, in Papá maledicta, & probra jaculabantur. Interea summo nuntiatur Pontifici, Regem animo mutatum, ruptóque fœdere, & juramentis omnino postpositis hostiles in eum meditari incursus. Mox igitur missis opportunè Legatis Regem hortatur, proximæ pacis custodire fœdera, & contra pacta cavere perjurium; ne graviorem indignationis Dei cogatur experiri sententiam. Quos ille callidè cupiens decipere, & fraudem mentis occultare vultûs exhibitione sereni, mansuetè quidem defectionē negando respondit, sed vacuos & sine honore, & munere dimisit. Papa verò Gregorius & ingenio subtilis, & eloquio clarus, nec minus etiam multarum rerum experientiâ perspicuus, mentem Regis facilè depravatam intelligens, alios ad eum direxit legatos, Bernardum videlicet quendam S. R. Sedis Cardinalem, & alium quóque Bernardum Massilienſem Ordinis nostri Abbatem, virum doctrinâ, & morum integritate venerabilem, qui eum nomine sacrosanctæ Sedis propter infidelitatem *suam* redarguerent, & reliqua Principibus Imperij contra eum in *communi* omnium Conventu proponerent.

Heinricus iterum Papam persequitur.

Anno S. Wilhelmi prænotato, cœpit Ordo Grandimontensis per beatum Stephanum de Alverniæ partibus oriundum; virum Deo mente & animo ab eunte ætate semper devotissimum, qui multis & in vita, & post mortem virtutibus & miraculis claruit. Hic 12. annis cum S. Milone Beneventano Pontifice conversatus, rectè vivendi normam ab eo didicit, & cùm annorum jam esset triginta, pro Christi amore ad Eremum convolavit; in qua annis 50. in omni sanctitate Domino servivit. Fratres in idem propositum convenientes adunavit: Ordinem præfatum instituit, & tandem octavâ die Mensis Februarij anno vitæ suæ octogesimo in ordine Diaconatûs ab hac vita ad Dominum migravit.

Ordinis Grandimontensis initium.

ML XXVII.

Anno S. Wilhelmi Abbatis octavo, intelligentes Imperij Principes Regem

Regẽ Heinricum non ſervare, quæ S. Gregorio Papæ VII. promiſerat, jam penitus de ejus emendatione deſperantes, apud Forcheim orientalis Franciæ oppidum conveniunt, & Heinricum à Regno depoſitum, juxta facultatem eis à Papa conceſſam, incorrigibilem, ſchiſmaticum, & rebellem Eccleſiæ recognoſcunt. Fuerunt autem iſti Principes in eodem Conventu præſentes: Sigefridus Archiepiſc. Moguntinus, Adelbero Epiſc. Herbipolenſis, Hermannus Epiſcopus Metenſis intimus Papæ Gregorij amicus, & defenſor, Adelbertus Epiſcop. Wormatienſis, Eberhardus Epiſcopus Salzburgenſis, & omnes penè Saxonum Epiſcopi, & Principes, & primus inter illos Otto quondam Dux Bavariæ, de quo plura jam diximus. Aderant & Welfo Dux Bavarorum poſt Ottonem; Bertholdus de Zäringen Dux Carinthiæ, Rudolfus Dux Sueviæ, & Burgundiæ, ac alij complures, quorum nomina memoriæ non occurrunt. Aderant etiam prænominati Apoſtolicæ Sedis Legati: Diaconus videlicet Cardinalis Bernhardus, & alter ejuſdem nominis Abbas Maſſilienſis.

Heinricus à Principibꝰ deponitur.

In eo Conventu memorati Principes poſt multa tandem concilia, Heinrico Rege adhuc in Italiæ partibus exiſtente abdicato, & reprobato, Rudolfum prædictum Sueviæ Ducem in Regem Romanorum unanimiter elegerunt, qui compulſus non voluntariè nomen regale ſuſcepit, quem Sigfridus Archiepiſcopus Moguntinus in medio quadrageſimæ apud Moguntiam in Regem unxit, & coronavit 12. Cal. Aprilis. Quo coronato, eodem die ſeditione factâ multa civium turba per milites ejus fuit interempta; cæteris autem ad arma convolantibus, Rex & Archiepiſcopus ſe ſe fugâ ſalvantes, in Saxoniam ſunt profecti, congregaturi contra regales exercitum. Quibus Rex Heinricus adhuc in Italia conſtitutus auditis, animo conſternatus eſt, miſsíſque ad Papam Legatis rogat, multa promittens, quatenus Rudolfum, ut invaſorem Regni, excommunicare dignaretur. Papa verò quamvis non præceperit alium Regem quempiam elevari, dejectionem tamen hoſtis non potuit non æquanimiter audire. Remandavit igitur Heinrico, ſe Rudolfum niſi priùs audiretur, aut accuſaretur canonicè, nullatenus poſſe damnare. Miſit nihilominus Papa Gregorius Rudolfo Regi coronam, hunc verſiculum continentem:

Rudolfus Dux Sueuorum in Regẽ ſublimatur.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.

Deníq; idẽ Papa omnes Henrico Regi quolibet juramento conſtrictos in genere, & in ſpecie ab omni ejus fidelitate abſolvit, & litteras deſuper cõfectas in omni terra publicari præcœpit. Rudolfus poſt coronationẽ ſuam cum Sifrido Archiepiſcopo de Moguntia, ſicut diximus, in Saxoniam profectus eſt, exercitum congregaturus: cum quo civitatem Herbipolenſem Heinrico fidelem obſidione vallavit: Cives etenim jam antea expulerunt Adelberonem, Epiſcopum ſuum, Regi ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis contrarium atque rebellem. Quapropter Rudolfus videns & ſe, & Epiſcopum à civibus Wirzburgenſibus deſpici, & contemni, urbem cum valido Saxonum, & Suevorum exercitu vallavit, machinas varias in circuitu murorum applicuit, capere civitatem in odium Heinrici Regis ſummo conatu elaboravit. Interea cum hæc agerentur circa Herbipolim, Heinrici Regis circa principium menſis Julij de Italia nunciatur adventus, quo territus (quoniam propè jam erat) Rudolfus obſidione ſolutâ digreditur. Heinricus autem Rex Sueviam cum exercitu petit, & Hugonem

Rudolf. obſedit Herbipolim.

Heinricus liberat Herbipolim.

quendam armis, & divitijs pollentem, cum alijs pluribus sibi ex parte Rudolfi obsistentes ad deditionem violenter compulit, totámque regionem illam miserabiliter devastando circumquáque desolavit.

Bertholdus autem de Zâringen Dux quondam Carinthiæ in quodam suo Lyntberus naturaliter munito positus, dum videret, ex arbitrio Regis Heinrici cuncta impunè vastari, dolore tactus, & indignatione permotus, morbum corporis gravissimum incidit, quo nimiùm invalescente, brevi temporis intervallo mortuus fuit. In ea expeditione Otto Trevirorum Archiepiscopus vitam morte commutavit. Item Anno prænotato Bernhardus Massilienſis Abbas, Apostolicæ Sedis à Gregorio Papa VII. in Germaniam destinatus fuit (ut supra est dictum) Legatus, vir magnarum virtutum, audiens bonam famam, & summæ Religionis opinionem S. Wilhelmi Abbatis, venit ad S. Aurelium Hirsaugiam, & mansit cum eo mensibus decem propter itineris difficultatem, & retardationem, in medio fratrum cum summa humilitate conversatus, non sine profectu & ædificatione plurimorum. Hujus viri consilio S. P. Wilhelmus pro pleniore Monachorum institutione perdiscenda duos ex Monachis suis Cluniacum direxit, quos per unius anni spatium, ut mores, & consuetudines eorum omnes perdiscerent, ibidem commorari præcepit. Quibus tandem ad Hirsaugiam reversis, iterum duos misit alios; & tertiò alios duos: quos omnes S. Hugo Cluniacensium Abbas gratanter suscipiens, omnes loci consuetudines ostendit, & declaravit. Misit etiam idem S. Hugo Abbati Wilhelmo codicem consuetudinum Monasterij Cluniacensis, quas vigilantissimus pater mutatis quibusdam juxta dispositionem loci, aeris, & regionis Provinciæ hujus rationabiliter mutandis, in duob' libris comportavit, & Monachos suos secundùm eas vivere verbo, & exemplo instituit.

Bernhardo Abb. Massilienſis venit Hirsaugiam.

MLXXVIII.

Anno S. Wilhelmi Abbatis nono, Heinricus Rex properanti contra se cum magno exercitu Rudolfo juxta Strovvi occurrit; initóque prælio, non pauci ex utráque parte ceciderunt: fitque incerta victoria, utrinque certatim ad tutiora fugientibus. In ea expeditione Wezilo Archiep. Magdeburgens. à vulgaribus hominibus Regis fugiens occiditur, sive ut quidam scribunt, suspenditur. Magnus Dux Saxonum omni suppellectili suâ spoliatus, vix fugâ salutem consequitur: Hermannus comes ejusdem Magni Patruus, & Adelbertus Wormatiensis Episcopus, ac *plurimi* de militibus Saxonicis turpiter sunt interempti. Ex parte verò Regis Heinrici Poppo vir miræ fortitudinis ibidem occubuit.

Bellum inter Heinric. & Rudolf.

Anno prænotato Hermannus Metensis Episcopus Gregorio Papæ ad animam confœderatus, ac per hoc Regi Heinrico inimicissimus, à civibus suis, qui partes regis sequebantur, expulsus, non solùm de civitate Metensi, sed etiam de regno, non habens ubi securus posset quiescere, necessitate compulsus in Italiam proficiscitur, & à Papa lætè suscipitur. His etiam temporibus Rupertus Monachus quondam S. Michaelis Archangeli montis Monachorum prope Bambergam ordinis nostri, qui Augiensem Abbatiam ab Heinrico Rege, pecuniâ interveniente susceperat, tertiò Romam citatus à Papa Gregorio, ut se de Simoniaca pravitate, aliisque purgaret criminibus objectis, metu justitiæ proficiscí contempsit. Unde Papa per sententiam auctoritate Apostolicâ, ut Simoniacum, rebellem,

Rupertus Abb. Aug. à Papa deponitur.

pertina-

pertinacem in errore, ab omni eum officio clericali, & Abbatiali deponit, mandatum depositionis ei perferente S. Hugone Cluniacensis Monasterij Abbate. Omnis ei executio Ecclesiastici Ordinis, præter psalmodiam, penitus interdicta est, ac spes recuperationis perpetuò denegata. Qui Rom. Pontificis contemptâ sententiâ, regimen Monasterij in Gengenbach, Argentinensis diœcesis, à Rege Heinrico postea susscepit, & contemptum sceleribus addens, vitam brevi miserabiliter finivit. Cum etenim die quâdâ pro consuetudine sua lucris temporalibus immoderatiùs navaret operâ, subortâ contentione inter eum pro censu retardato, & rusticos, in villa quadâ ab ejsdem hominibus Monasterij interemptus est unàcum Monacho, de cujus indole spes fuerat boni non modica, qui illum de Bambergensi Cœnobio sequebatur.

MLXXIX.

Anno S. Wilhelmi decimo, Indictione Romanorum 2. vigesimâ quintâ die mensis Aprilis Burghardus comes de Rotenburg, cœpit oppidum suum Camberg in diœcesi Herbipolensi destruere, & in eodem loco Monasterium nostri ordinis ædificare, cui omnipotens Deus fidelem misit cooperatorem multas habentem divitias, Wignandum nomine civem Moguntinensem, qui consensu Adelheidis conjugis suæ memorato comiti fideliter cooperatus, notabilem pecuniarum summam in constructione ejusdem Monasterij hilari vultu pro Christi honore exposuit. Hujus Wignandi consilio comes Burghardus Monasterium Cambergense S. Martino obtulit, & Moguntino Archiepiscopo defensionis jure in perpetuum subjecit, in cujus subjectionis manifestum indicium Abbas memorati Cœnobij singulis annis in festo S. Martini mitram unam Pontificalem, & duo Corporalia offerre super majus altare Moguntinæ Ecclesiæ teneretur. Octo annis in constructione hujusmodi Monasterij laboratum est, & nono anno cœpit â Monachis Hirsaugiensibus inhabitari, sicut inferiùs dicemus anno S. Wilhelmi Abbatis. XIX.

Monasterium Camberg fundatur.

Anno prænotato Hildulfus Archiepiscopus Colonienſis obijt: cui Sigevvinus in Pontificatu succeſſit, qui ambo propter malitiam temporum positi in obscuritate tenebrarum, nihil memoriâ dignum patrârunt. Eodem anno iterum fuit Bellum inter Heinricum, & Rudolfum, in loco qui dicitur Fladecheim, hyeme nimis asperâ, ubi in primo congressu Saxones Rudolfū sequētes terga vetterunt. Ibi Dux Bohœmiæ Uratislaus Regalem lanceam Rudolfi adeptus est; quæ exinde, permissione Regis Heinrici semper quemvis illius gentis Ducatu insignem in omni festiva processione solemniter antelata per multa tempora præcessit. Heinricus autem proprijs castris redditus, de armigeris suis, quos ibi reliquerat, pene nullum invenit: nam una ex legionibus Saxonum in primo congressu pugnam deserens, quoniam aër erat obscurus, furtim castra regis invasit, multósque pueros comprehendens, strangulavit eos, & spoliatis castris ante finem inchoati certaminis aufugit. Rex verò dimisso exercitu cum paucis in Franciam orientalem divertit. Anno etiam præmemorato mortuus est Bernhardus Monachus, & Scholasticus Cœnobij Corbejensis in Saxonia: de cujus ingenio & lucubrationibus dictum est anno Monasterij S. Aurelij vacantis quinquagesimo. Post quem Hermannus ejusdem Cœnobij Monachus scholis præficitur, homo tam in divinis scripturis, quàm in

Bellum inter Heinricum & Rudolfum.

Hermannus scholasticus Corbejens.

sæcularibus litteris egregiè doctus, qui plures egregios discipulos habuit, & non spernendæ lectionis multa, & varia opuscula lucubravit.

MLXXX.

Conventus Episcoporum contra Papam.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XI. Cùm apud Brixinam civitatem Noricorum triginta Episcoporum conventus, nec non & Optimatum exercitus, non solùm Germaniæ, sed & Italiæ jussu regis Heinrici congregaretur; factus est omnium consensus adversus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium VII. quem Pseudomonachum, totiúsq; vesaniæ pestiferum principem, & præcipuè S. Rom. Sedis invasorem affirmantes ab Apostolica Sede deponendũ, quamvis absentem, dijudicabant; & Wigbertum Ravennatensem Archiepiscopum ipsi subrogandum in Papam nominantes, eligebant; hujus conventûs decreti exemplar contra Gregorium tale scripserunt. *Quia*, inquiunt, *illum constat non à Deo electum, sed à se ipso in fraude, & pecunia imprudentissimè objectum: qui Ecclesiasticum subvertit ordinem: qui Christiani Imperij perturbavit regnum: qui regi Catholico, ac pacifico corporis & animæ intentat mortem: qui perjurum defendit regem: qui inter concordes discordiam seminat: inter pacificos lites: inter fratres scandala: inter conjuges divortia, & quicquid quietis inter piè viventes stare videbatur, concutit. Nos auctore Deo congregati in unum, Legatis ac litteris freti, decem & novem Episcoporum die sancto præteriti Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia & incendia prædicantem, perjuria, & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem, de Corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, Heretici Berengarij antiquum discipulum, divinationum, ac somniorum cultorem, Manifestum Necromanticum, pythonis spiritu laborantem; ideirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum, & expellendum, & nisi ab ipsa sede his auditis descenderit, in perpetuum damnandum.* Facta sunt hæc VII. Kal. Julij feriâ. V. indictione III.

Quanta contra Papam mendacia.

Anno prænotato Gregorius Papa quasi divinitùs sibi revelatũ prædixit hoc anno falsum Regem moriturum; & verum quidem dixit, sed fefellit eum de falso rege conjecturæ opinio; quia Heinricum falsum Regem existimabat, & ob id eodem anno fore moriturum, qui Rudolfum judicabat verum Regem, in interpretatione erravit. Nam eodem anno factum est iterum bellum juxta Elleſtram fluvium inter Henricum Regem & Rudolfum, & cecidit ipse Rudolfus graviter vulneratus; qui à suis ad Mersburg urbem portatus, quæ est civitas Saxoniæ, ibidem moritur, & regio more honorificè sepelitur. De cujus sepultura quidam postea dixisse fertur ad Regem Hēinricum: *Cur eum, qui rex non fuisset, regio monumento patereris jacere sepultum?* Cui Respondit: *Utinam omnes inimici mei tam honorificè jacerent sepulti.* De Rudolfo plerique scribunt Auctores, quòd cùm jam in extremis positus videretur, protractam manum dexteram intuitus dixerit ad principes, & Episcopos, qui tunc erant præsentes: *Ecce manus mea hæc est, quâ Domino meo Henrico fidem Sacramento firmavi, quam vobis mentibus non servavi, & nunc vitam cum regno deserere compellor: videte qui me contra Dominum meum Regni solium ascendere fecistis, ut rectâ viâ me monuit vestra sequentem duxeritis.* Et his dictis cum lacrymis paulò post obiit.

Heinricus devastat Sueviam.

Henricus autem Rex tantam consecutus victoriam, Saxones magnâ quidem strage mox afflixit, quamvis eos ad deditionem sui compellere non

re non potuit. Postea Sueviam cum magno suorum exercitu ingrediens, quæ Ducatus Rudolfi fuerat occisi, cuncta devastans, munitiones, castella, & urbes etiam fortissimas potenter cœpit, & omnes illic sibi resistentes ad deditionẽ coëgit: oppidum verò Palatini comitis Chunonis, unde nomen, & titulum sui principatus habebat, vid: Tübingen longâ obsidione tentans, post multa oppidanis illata damna, & incommoda tandem obtinuit.

ML XXXI.

Heinricus Rex Italiã ingreditur.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XII. posteaquam ad notitiam Gregorij Papæ VII. pervenerunt ea, quæ triginta Episcopi apud Brixinam Noricorum civitatem contra eum decrevissent, convocato & ipse suorum consilio Romæ Henricum Regem, ut hæreticum, & perjurum cum omnibus fautoribus suis denuo excommunicans, horribili anathemate maledixit; Wigbertum Ravennæ Archiepiscopum, ut invasorem Apostolicæ Sedis, cum Episcopis, & cæteris omnibus, qui Brixinensi præscripto interfuêre consilio, simul excommunicavit.

Bellũ fuit in Bavaria superiore.

Anno igitur præsignato Heinricus Rex cum magno exercitu perrexit in Italiam, habens secum Wigbertum Antipapam suum, & plures Episcopos, Principes, & Comites contra Gregorium Papam. Qui Romam veniens in vigilia Pentecostes resistente sibi Pontifice cum Romanis, ante Castellum S. Petri castra posuit: ubi per biennium crebris Urbanorum in cursibus molestatus, parvâ manu multa viriliter peregit.

Eodem Anno civitas Moguntina ex maxima parte incendio conflagravit, principali & alijs tribus Ecclesijs sive Monasterijs consumptis. Item hoc ipso anno in vigilia Paschæ Bambergensis Ecclesia major cum domicilijs in vicino positis circumquaque non paucis incendio crematur.

Anno quóque prænotato, Rege Heinrico in Italia existente, Saxones, & Suevi ad commune colloquium in orientali Francia apud Forcheim conveniunt, adversùs Regem denuo conspirantes. Soluto tandem colloquio, non sine magna clade Francorum ad sua redierunt, sed prædas incendia, & rapinas in villis, ac locis non munitis exercentes, cùm in Regem non possent, in ejus fautores Francos hostili animo sævierunt.

Anno etiam præscripto bellum in orientali Bavaria inter Conradum Ducis Bohœmiæ fratrẽ, & Lupoldum Marchionem Austriæ tertio nonarum Augusti circa Danubium commissum est, in quo plures cecidêrunt. Item aliud bellum inter Suevos, & Bavaros eodem anno factum est juxta Danubium apud Hohenstein: in quo Chuno filius Chunonis Palatini comitis fuit occisus & multi cum eo ex utráque parte similiter.

Claruit his temporibus Wenericus Clericus Ecclesiæ Trevirorum, postea Episcopus Vercellensis, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, qui inter cætera ingenij sui opuscula, scripsit ex persona Theoderici Virdunensis Episcopi ad Gregorium Papam VII. divinis scripturis instructum volumen, quod de Sacerdotij, & Imperij discordiâ prænotavit; in quo illum non increpat, sed humiliter obsecrat ut patrem, & seniorem suũ, suggerens ei dolentis affectu, omnia quæ contra jus, & fas æquitatis eum vel dixisse vel fecisse loquax fama divulgaverat. Alia etiã noñulla edidit, quæ ad notitiã nostræ lectionis adhuc non venerunt. Anselmus etiam Lucensis Episcopus Gregorij Papæ VII. cooperator omni tempore fidelis, & infatigabilis, hæc tempora nimiùm tenebrosa, & nubilosa, turbationis

Anselmus Lucensis Episcopus.

bationis vento horribilia, cum eruditione scripturarum, tum vitæ merito reddidit clariora: scripsit non spernendæ lectionis opuscula, quibus memoriam sui posteris commendavit: è quibus reperi subjecta: in Jerem. Proph. lib. 1. In Psalterium quóque lib. 1. Contra Gvvibertum Antipapam libb. 2. Epist. quóque ad diversos lib. 1. Sctipsit Epist. ad Gvvibertum prædictum Antipapam, in qua eum prævaricatorem, & superbum cognominat, inter alia subinferens ista: *Ut ergo de Beato Gregorio Patre nostro dicam, quod de Concilio scribit D. Cyprianus. Factus est Episcopus a Deo, & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium, & ut verius dicam* omnium omnino testimonio: *de plebis, quæ tunc aderat, suffragio: De Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset: cùm Alexandri locus, ideſt Petri locus, & gradus sacerdotalis cathedræ vacaret. Quo occupato, & de DEi voluntate, atque omnium nostrùm consensu ordinato, quisquis jã Episcopus voluerit fieri, foras fiat, necesse est; nec habet Ecclesiasticã ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet multum de se jactitans, sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est, & cum post primum secundus esse non posſit, quisquis post primum, qui solus esse debet, factus est, jam non secundus ille, sed nullus est.* Denique ut verba confirmentur factis, fertur Anselmus iste, tam in vita, quàm post mortem multis claruisse miraculis: quod nulli contigit illorum, qui contra Gregorium senserunt.

MLXXXII.

Hermañus fit Rex cõtra Heinric.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XIII. Rege Heinrico adhuc in Italiã constituto Saxones cum Suevorum consilio contra illum in Regem constituerunt quendam Hermannum nomine, virum divitem, nobilem átque potentem, cui, suis in partibus, hoc est, in Lotharingia, vel Germania, cùm nemo bellicis in rebus átque divitijs posset æquiparari, sumpto Regis nomine, brevi tam suis, quàm alienis cœpit haberi despectus; & qui Dux erat gloriosus, Rex fuit sine gloria. Eodem anno Heinricus postea Rex v. in Italia regi nascitur.

Majus Monasterium Hirsaugiẽ se fundatur.

Anno prænotato, cùm numerus Monachorum sub Magisterio D. P. Wilhelmi apud Hirsaugjam quotidie Domino largiente crescerent in tantũ, ut angustia loci apud S. Aurelium capere omnes jam non posset, cœpit sanctissimus Abbas de novo Cœnobio construendo ultra pontem Magalthæ cum Fratribus necessarium habere consilium. Erant enim plusquam CL. Monachi præter Fratres Barbatos, & Donatos, quorum ingens etiam fuit numerus. Cúmque pro tam sancto, & necessario negotio lapides, & ligna, cæteráque necessaria præparare cœpisset, Domino Deo providente, cœperunt nobiles, & divites multa pro Christi honore ad novi operis fabricam contribuere, & sanctum ædificium propter laudabilem conversationem Monachorum, & famam S. Abbatis singulari devotionis studio promovere.

March. Badensis fit pastor porcorũ apud Cluniacũ.

Fuit eo tempore quidam Marchio Hermannus nomine, dives, & potens, qui divino spiritu compunctus, mundum cum suis vanitatibus pro Christi amore contemnens, principatum suum, cum omnibus divitijs, & honoribus deseruit, & fugiens occultè de patria sua, nemine sciente penitus recessit. Veniens itaq; in habitu pauperis peregrini ad Monasterium Cluniacense in Burgundiam, custos porcorum ejusdem Cœnobij pro amore Christi factus est, assumptóque sanctæ conversasionis habitu,

sub

sub regimine Beati Hugonis Abbatis in ordine usque ad mortem incognitus, & pastor (sicut diximus) porcorum humillimus, & devotissimus permansit. Hujus sanctissimi principis uxor post ejus discessum, vitam in mœrore ducens vidualem, eleemosynis, & bonis operibus intenta Dominum JESUM, quantùm potuit, de sua substantia honoravit. Postquam igitur S. P. Wilhelmus novum construere Monasterium cœpit, ut se faceret tanti operis participem, impensas, & sumptus ad illud contulit copiosos. Quæ tandē pro quadam causa offensa, muliebri levitate utens, animum mutavit: nec aliquid deinceps ad consummationem operis inchoati conferre voluit. Ex his tamen quæ antea contulerat, tantum adhuc superfuit impensarum, ut reliquum pene totum, quod restabat, perficeretur.

Anno itaque XIII. S. P. Wilhelmus novum Monasterium construere cœpit; quod in novem annis complevit, ita ut decimo anno Ecclesia fuerit consecrata, sicuti suo loco dicemus. Hujus autem structuræ artifices, quemadmodum supra diximus, pro magna parte Monachi fuerunt, Barbati, sive Conversi, & Oblati, quos hodie Donatos appellamus, quorum tunc apud Hirsaugiam numerus erat copiosus; inter quos erant Latomi, Fabri, Lignarij, Ferrarijque, & magistri procul, dubio in omni scientia Arhitecturæ peritissimi, qui totum opus consilio, & manibus pulchro tabulatu lapideo perfecerunt, sicut in ipsius Ecclesiæ fabrica usque in præsens cernitur.

Anno etiam prænotato S. P. Wilhelmus circiter idus Maij misit ex conventu suo Monachos tres, & laicos Donatos quinque ad locum, qui dicitur Reichenbach pro construendo ibidem Monasterio: qui venientes ad locum, haud paucis diebus pro tugurio fruebantur nudâ abjete, & in magna paupertate patientiam habuerunt.

MLXXXIII.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XIV. Indictione Romanorum VI. positum est fundamentum Ecclesiæ Prioratûs in Richenbach per ipsum S. Patrem; & laborantibus fideliter fratribus, ac suffragia eleemosynarū ministrantibus devotè Christi fidelibus, totum opus Oratorij triennio consumatum est, cujus fundationis seriem D. P. ipse tali modo descripsit. In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Wilhelmus nullis meis meritis, sed solâ Dei misericordiâ Hirsaugiensis Cœnobij Abbas, notum esse desidero omnibus, tam futuris, quàm præsentibus, quòd quidam ingenuus senior, Bern nomine prædiolum suum in Nigra Sylva situm, qui locus ibidem à rivo, qui Murgam influit, Richenbach vocatur, S. Aurelio Hirsaugiæ in præsentia idoneorum testium in æternam hæreditatem tradidit: id unicè postulans, ut ibidem Monasterium construi satagerem. Accepto igitur communi, concordique seniorum nostrorum consilio, misimus fratres nostros Monachos tres, & laicales quinque in idem prædiolum nemore densissimo hispidum, quatenus sylvâ erutâ, locóque purgato construerent Monasterium B. Gregorio. Anno itaque Incarnationis Dominicæ MLXXXII. Indictione quintâ circiter idus Maij, cùm venissent ijdem fratres in prædictum locum haud paucis diebus pro tugurio fruebantur nudâ abjete. Horum autem unus vocabatur Ernestus vir probus, & Curialis, qui jam pridem se suáque omnia nostræ

Ecclesia in Richenbach fundatur.

Exemplar litterarum S. Wilhelmi super Richenbach.

ſtræ dederat obedientiæ, quem cum ſuis omnibus eidem loco in adjutorium conceſſimus. Extitit ergo idem Erneſtus loco, & Fratribus Provisor, & quaſi Pater ſecundus, qui ad extirpandam ſylvam, ad purgandum locum, ad ædificandum Monaſterium, ad conſtruendas officinas, maximè ſuas ipſe impenſas dedit, & undequáque competenter acquisivit. Ejus ergo, parentúmque ipſius, ſicut & meam meorúmque memoriam ibidem celebrem haberi dignum judicavi, litteríſque firmavi. Acta ſunt hæc anno præſcripto. Et notandum, quòd Prioratus dicti Monaſterij S. Gregorij in Richenbach à prima fundationis die uſque in præſentem Abbati Cœnobij Hirſaugienſis eſt ſine medio ſubjectus, ad ipſúmque pertinet pleno jure ac dominio, libertas inſtituendi, ac deſtituendi Priorem ipſius loci totiens, quotiens judicaverit vel utile, vel opportunum. Similem quoque juriſdictionem habet, ac dominium ſuper Prioratu Monaſterij Schonrein in Francia orientali juxta Maganum flumen in Diœceſi Herbipolenſi, non procul ab oppido comitis de Reneck Laer dicto conſtructi, cujus inſtituendi deſtituendique Priorem auctoritas átque poteſtas neminem reſpicit alium quàm Hirſaugienſis Cœnobij exiſtentem pro tempore Abbatem. Hujus quoque Majoritatis dominium habet in uſu, & quieta poſſeſſione à tempore primæ fundationis Monaſterij memorati Schonrein uſque in diem hodiernum.

Præpoſitura etiam Monaſterij in Rothe Auguſtenſis Diœceſis immediatè ad juriſdictionem Hirſaugienſis Abbatis pertinet, cujus Præpoſitus, & Monachi de Congregatione Hirſaugienſium cenſentur. Nam ad jus Abbatis pertinet Rothenſem confirmare Præpoſitum, ſuper cujus deſtitutione plenum etiam tenet Dominium.

Loca plura fuerunt ſub Hirſaug.

Sanctus autem Wilhelmus adhuc plures ordinis noſtri Prioratus, quos fundaverat, ſub juriſdictione ſua habuit, quorum alij cum tempore in Abbatias commutati ſunt, alij verò ex alijs cauſis ab obedientia Hirſaugienſium paulatim defecerunt. Prioratus autem in Wilheim, ſicut dictum eſt ſupra ipſius S. Wilhelmi Abbatis primo anno, in montem S. Petri commutatus, & translatus eſt.

Anno etiam præſcripto, Hermannus, quem Saxones, & Sueui anno priore ſibi Regem conſtituerant, Franciam orientalem, quæ partes ſequebatur Regis Heinrici, cum paucis ingreditur, & hoſtili animo in pauperes Villanos deſæviens, prædâ peractâ inglorius revertitur. In eiſdem Franciæ locis, in quibus Hermanus nitebatur devaſtare populos, viſus eſt quaſi magnus equitum diſcurrens exercitus, quorum tamen veſtigia nullo modo in terra poterant vel videri, vel agnoſci.

Roma ab Heinrico rege capitur.

Anno quóque prænotato Heinricus Rex Paſchate celebrato apud S. Ruffinum, ad urbis Romæ obſidionem regreditur, & poſtis caſtris ubi & prius ad occidentalem partem Caſtelli S. Petri capta eſt urbs 4. nonarum Junij, quæ fuit VI. feria poſt feſtum Pentecoſtes. Interea Papa Gregorius in Caſtello Creſcentij, quod vulgò domus Theodorici appellabatur incluſus, rei exſpectabat eventum. Rex verò in Palatino monte munitionem inſtituens, non paucos, quos in præſidio poſuerat, ingraveſcente ſuper eos inſueto æſtatis fervore, amiſit: ſed & alios de exercitu multos eadem intemperies æſtivi caloris conſumpſit.

Eodé tempore Legati Græcorum ad Regé Heinricum Romam venerunt;

runt: munera multa, & magna in auro, & argento, vasisq; pretiosissimis, & in vestibus sericis ab Imperat. eorũ afferentes. Romam igitur datis Regi 20. obsidibus ex nobilioribus petierunt diem cõstitui, in qua Papa, & omnes senatores in præsentiam ejus venirent, qui diem statuens Calendas Novembris ipse ad montana conscendit intrante Julio, ibíque commorans ad statutum tempus Romam redijt. Verùm Papa in præsentiam ejus venire contempsit, sed occultè fugiens ad civitatem Salernitanam auxilio Nortmannorum, qui habitabant in Apulia, secedens, usque ad obitum suum ibidem permansit. Eodem quóque anno Welfo Bavarorum antea Dux, Augustam civitatem summo mane intravit, Sigefrido Episcopo vix evadente, Wigoldum quendam ejusdem Ecclesiæ Canonicum in ejus locum constituens Episcopũ: Augustenses etenim cives cum Heinrico Rege contra Gregorium Papam senserant, in cujus odium Dux Welfo civitatem statuit occupare.

M L XXXIV.

Anno S. Wilhelmi Abbatis xv. Heinricus Rex Natalem Domini Romæ celebravit, deinde circa principium mensis Februarij in Campaniam ducens exercitum, ipsam, & magnam Apuliæ partem cœpit. Interea Romani Gregorij Papæ discessum molestè ferentes, pro eo maximè, quòd comparere die statuto in Regis præsentia contempsisset, missis ad Regem Legatis in Campaniam, petierunt, quatenus Romam pacificus redire dignaretur. Qui precibus annuens postulantium, cum suis ad urbem redijt, & positis castris ad portam Lateranensem omnes dedititios accepit; & vicesimâ secundâ die mensis Martij, quæ fuit sexta feria ante Palmas, multis stipatus cum magna gloria intravit, ducens secum prædictum Wigbertum Episcopum. Qui Dominicâ sequenti, hoc est in Palmis per multos Pontifices coronatus Papa in cathedra S. Petri principis Apostolorum ponitur; & Clemens III. nominatur. A quo Rex ipse Heinricus cum Regina sua Bertha in S. Dominica Paschatis imperiali coronâ est sublimatus, ac deinceps imperialem titulum sibi usq; ad mortem usurpavit. Compositis in Italia rebus ex vetere rege jam novus Imperator in Germaniam cum exercitu redijt, & in primis Augustam à Suevis, & Saxonibus anno priore captam, sicut supra diximus, per Guelfonem Bavariæ quondam Ducem obsidione vallavit, & statim obtinuit.

VVigbert9 in Papam erigitur.

Heinricus Rex, fit Imperator.

Imperator in Germaniã venit.

Anno prænotato moritur Sifridus ex Abbate Monasterij Fuldens. Archiepisc. Moguntinus, vir doctrinâ, & vitæ merito præcipuus, & in Monasterio Hasungen nostri ordinis, quod ipse in Thuringia fundaverat, honorificè deportatus sepelitur. Cui mox in Archiepiscopatu successit Wezil quidã nomine, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris doctissimus, ingenio subtilis, eloquio dulcis, & facundissimus, declamator quoq; sermonũ ad populum nulli suo tempore comparandus.

Claruit his temporibus S. Anselmus ex Abbate Bectensis Monasterij nostri ordinis in Normannia Cantuarien. in Anglia post Lanfrancum Archiepisc. Pontifex Magnus, & celeberrimæ opinionis, qui fuit in omni disciplinarum genere doctissimus, & non minus vitæ merito, quàm eruditione scripturarum in universa Ecclesia sanctorum nominatissimus; cujus multa in divinis lectionibus extant opuscula, de quibus

S. Anselm. Archiepisc. Cantuariẽsis.

nos invenimus ſubjecta. Contra gentiles: cur Deus homo, libb. 2. Contra Judæos, de Incarnatione Verbi, lib. 1. De Conceptu Virginal. lib. 1. Proſologion, lib. 1. Monologion. lib. 1. De Spiritu ſancto contra Græcos, lib. 1. De caſu diaboli, lib. 1. De diverſitate Sacramentorum, lib. 1. De fermento, & Azymo, lib. 1. De voluntate Dei, lib. 1. De S. Trinitate, lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. De pace, & concordia, lib. 1. De libero arbitrio, libb. 4. De gratia, & lib. arb. lib. 1. Dialogum de veritate, lib. 1. De ſimilitudinibus, lib. 1. De menſuratione crucis, lib. 1. Meditationum, lib. 1. De paſſione Domini meditationes, lib. 1. De beata vita, lib. 1. De beata ſufficientia, lib. 1. De occupatione, lib. 1. De laudibus S. Mariæ, lib. 1. De ſtimulo amoris Jesu Chriſti, lib. 1. Pro inſipiente, lib. 1. Contra inſipientem, lib. 1. De Antichriſto, lib. 1. Dialogum Chriſtiani, & Gentilis, lib. 1. De Sacramentis & officijs divinis, libb. 2. De octo Beatitudinibus, lib. 1. De membris Deo attributis, lib. 1. Proverb. lib. 1. De domo conſcientiæ, lib. 1. In Hexameron, lib. 1. Ad Lanfrancum Archiepiſcopum, cùm ipſe eſſet adhuc in Monaſterio Bectenſi Abbas, ſcripſit, lib. 1. De Grammatico, lib. 1. De S. Joan. Baptiſta, lib. 1. De originali peccato, lib. 1. Homil. quoq; multas, & ſermones valde pulchros compoſuit plures. Epiſtolarũ ad diverſos lib. 1. Orationes etiam ſupplicatorias plures compoſuit ad inſtantiam cujuſdam Comitiſſæ, & alia plura ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. *Sanctus iſte* Præſul pro devotione, quam habebat in ſanctos Chriſti *Apoſtolos Petrum*, & Paulum, ac pro quibuſdam Eccleſiæ ſuæ negotijs apud ſummum Pontificem expediendis Romam profectus eſt. Qui audiens famam ſanctitatis beati *Wilhelmi* Abbatis, eorúmque Monachorum ſanctiſſimam converſationem, qui cum ipſo in Hirſaugienſi Cœnobio Domino ſervierunt, viſendi eos mox deſiderio inflammatus eſt. In reditu igitur à Roma iter faciens per Sueviam, ab itineris ſui recto tramite pauliſper declinans, venit ad Hirſaugiam, & manſit illic diebus quatuordecim. ſanctus cum ſanctiſſimo, Monachus cum Monachis, ſed Archiepiſcop. humilis, cum humilibus. Magno mentis tripudio Primas Angliæ à ſancto Wilhelmo ſuſceptus eſt, gaudente ſe illum videre præſentem quem totiens virum Deo plenum abſentem audierat prædicari. In medio Fratrum Archiepiſcopus humiliter, quaſi unus ex Monachis reſidebat, loquens eis in multa benignitate de ſcripturis ſanctis: de obſervantia monaſticæ converſationis: de animarum ſalute: & de *ſpirituali* amore in Deum ferventiſſimæ charitatis. Qui videns unanimem fratrum pacem, & concordiam, & continuum proficiendi in Dei timore deſiderium, ſuas palàm ærumnas deplanxit, & curas: utpote qui tractus de Monaſterio ad cathedram, mundo invitus famulari cogeretur. Illos autem felices, & ter beatos, quatérque beatiſſimos eſſe dicebat, quibus in quiete monaſticæ ſolitudinis Domino famulari cum fervore ſpiritûs divini omni tempore conceditur. Diebus tandem quatuordecim elapſis vir ſanctus commendans ſe orationibus B. Paſtoris, & fratrum, datáque benedictione de Monaſterio Hirſaugienſi egreſſus, ad Angliam, unde venerat, regreditur, & magna inter eos deinceps familiaritas confirmatur. Nam inter FF. Cantuar. Eccleſiæ, qui à prima fundatione ſui, uſq; in præſentem diẽ Monachi FF. D. P. N. Benedicti, & Hirſaugienſes ex illo tem-

S. Anſelmo venit in Hirſaugiã.

Fratres verbo & exemplo ædificabat.

Inter ſanctos Anſelmũ & Wilhelmum amicitia.

tempore ſpiritalis amicitiæ fraternitas conſtituta eſt, quæ multis poſtea annis duraviſſe perhibetur. Denique multas inter ſe hinc inde ſanctiſſimi Dei famuli Anſelmus Archiepiſc., & Wilhelmus Abbas ſcripſerunt epiſtolas, quarum major numerus per incuriam hominum perpetuâ oblivione ſepultus eſt. Ex quibus unam Anſelmi epiſt. reſcribemus, quam, reſpondens ad quædam dubia S. Abbati Wilhelmo, pro informatione, reſcripſit. Nam poſt aliquot annos, cùm Bruno comes de Calba filius Adelberti fundatoris Eccleſiæ S. Aurelij propter adhæſionem, familiaritatem, quam habuit cum Heinrico Rege anathematizato pro ſua rebellione, & ipſe à Papa excommunicatus, ultrò ſe contumaciter divinis ſe ingereret officijs, & per hoc FF. Hirſaugienſes cum Rom. Eccleſia ſemper fideliter ſentientes, non mediocriter perturbaret, S. P. Wilhelmus, pro remedio hujus facti, ad notum ſibi recurrit amicum; quem in omni ſcientia ſcripturarum ſciebat longâ exercitatione peritum. Miſit ergo duos fratres in Angliam, per quos B. Anſelmo plenam eruditionis direxit epiſtolam, in qua dubiorum ſuorum ab eo poſtulavit tutam, & neceſſariam ſolutionem. Cui ſanctiſſimus Præſul hunc in modum ex Anglia reſcripſit.

Epiſtola S. Anſelmi Archiepiſc. ad Beatum VVilhelm.

Domino & Patri Reverendo Abbati Hirſaugienſium fratrum Wilhelmo Anſelmus Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter indignus, in hac vita diuturnam proſperitatem, & in futura æternam felicitatem. Ex eo, quo mihi probitas veſtra ſui dignata eſt præbere notitiam, tantam ejus concepi dilectionem, ut veſtri ſemper mihi dulcis memoria ſit. Quod ſum expertus non immeritò fieri: quoniam & vitam veſtram amore, & reverentiâ dignam novi exiſtere: & veſtram paternitatem non ſine affectu dulcedinis erga meam parvitatem eſſe: ſæpe namque venientes fratres à vobis me non ſolùm ſanctitatis veſtræ relatione ædificaverunt, ſed & dignationis veſtræ ſalutatione honoraverunt. Quâ in re licet quidquid eſt in me toto, minimè poſſit tantis meritis reſpondere, meum tamen eſt quantum amoris, & reverentiæ poſſum exhibere. Sed Deo hæc in nobis ſervanda, & augenda committens ad ea, de quibus meam parvitatem conſulere dignata eſt prudentia veſtra, non præſumendo, ſed obediendo potiùs reſpondebo, fortè non quod materiæ ſufficiat, ſed quod mihi videtur. Comes quidam veſter excommunicatus, qui vobis divina celebrantibus ſe immiſcet: mihi videtur humiliter admonendus, ne contemnendo ſententiam eorum, à quibus, & in quibus Deus ſe confirmat audiri, cùm audiuntur, & ſperni, cùm ſpernuntur, ſéque ligare cùm ligant, & ſolvere cùm ſolvunt, aggravet ſuper ſe Dei judicium, à quo fugere homo nuſquam poteſt. Quare illi melius eſſe, ut per ſalubrem humilitatem abſtineat ab his, â quibus eum ſententia Apoſtolica ſegregat, quam per præſumptionis contemptum ſe ingerat, in illa quæ nunquam niſi per humilitatem quæſita proſunt, at ſemper inordinatè præſumpta obſunt: nec debere cum nullo ſuo commodo, & graviſſimo veſtro malo cogere vos, ut cum eum offendere nolitis; Deum, & Apoſtolici auctoritatem graviter irritetis: ad quos pacandos illum habere adjutorem non poſſitis: faciliùs quóque, ac benigniùs Apoſtolicum ejus rationes ſuſcepturum, ſi ſuam illum ſententiam cognoverit fuiſſe reveritum. Quòd ſi comes idem hanc admonitionem reſpuerit, ſcitis quia

Deus plus est timendus, quàm homo. Quaproter aut secundùm jam prolatam sententiam erga illum agendum; aut ipsum Domnum Apostolicum, seu aliquem ejus vices gerentem de hoc ipso consulendum fore, existimo.

De Presbyteris publicè concubinarijs consilium.

De Presbyteris verò qui se apertè reprobato libidinis commercio Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum est, quod Apostolica providentia Ecclesiastico justóque rigore constituit. Nempe nullatenus convenit, ut ibi reverenter astetur, ubi pertinaciter apertà, & impudenti libidine fœtentes Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt, imò non deserviunt, sed quantum ad ipsos perinet, turpiter commaculant: non quòd quis ea, quæ tractare contemnenda, sed ipsos potius tractantes execrandos existimet; ut qui Dei, & Angelorum præsentiam non reverentur, vel hominum detestatione repulsi sacra contaminare desistant. Nec ullatenus oportet, ut sint illi consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exsortes altari deservientium. De Lapsis autem sacros ordines habentibus, & spontaneâ humilitate secretè, quibus debent confitentibus, nequaquam asserendum est, quòd eisdem ordinibus amplius uti nullatenus possint: si per sacrificium spiritûs contribulati, cordísque contriti, & humiliati Deum placantes ad virtutem proficere studiosè contenderint. Nam nec apud DEum reprobatur officium alicujus propter culpam, quam ipse ignoscit: nec apud homines decoloratur sacri ordinis dignitas, propter personam, cujus ipsi peccatum non cognoscunt: quibus duabus causis carnalis lapsus prohibet ad sacros ordines accessum, aut reditum: sed quoniam semper fermè occultum est, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta peccata: quorum verò minimè, tutius est semper sibi conscium criminis ab his, quæ placitam personam exposcunt, per laudabilem humilitatem abstinere, quàm per culpabilem securitatem præsumere. Illud enim semper potest, Deo non improbante, hoc verò non debet, nisi DEo approbante. Qui autem huic sententiæ, quæ ad sacri ordinis officium reditum post lapsum concedit; nequaquam aliquâ ratione, nisi auctoritate fulciatur scripturarum vult attribuere consensum: legat Epistolam B. Calixti Papæ directam universis Episcopis per Galliam constitutis, & B. Gregorij ad Secundinum inclusum, ubi ipsi hanc sententiam sic firmis, & penè eisdem rationibus, & auctoritatibus confirmant, ut nullatenus aliorum probatione indigeat. Sed quoniam idem B. Gregorius ad ipsum in alijs suis quibusdam epistolis studiosè prohibet, ne sibi ipsi contrarius sit: de apertis quidem prohibuisse, de occultis verò post condignam pœnitentiam concessisse intelligitur. Nam crimen, quod nec à Deo imputatur, nec ab hominibus esse putatur, non reprobat, nec decolorat, ut jam dixi; cùm tamen in tali re cuique tutius sit coram Deo plus timere, quàm confidere. Prohiberi autem invitum debere, qui occultum crimen humili confessione sponte, & occultè detegit, minimè existimo: ne multis obstruatur virtus salubris confessionis: qui potiùs eligerent penitus usque in in mortem occultari, quàm hâc occasione in certitudinem, vel in suspicionem alicujus criminis adduci. Ut enim confiteantur illi peccatum suum, statuitur, sed confitentem absque ejus consensu à sui ordinis officio cessare

De occultè lapsis, & secretè confitentibus consilium.

sare nemo cogit, sed potius magni criminis reus esse videtur, qui cogit, quia sic, & confitentem pœnitere confessionis, & plures nondum confessos horrere, & fugere confessionem compellit. Nam satis patet, quàm minus malum sit cujlibet peccatori ad altare cum amore confessionis peractæ, & spe misericordiæ humili mente accedere, quàm se cum odio confessionis, & desperatione veniæ indurato corde desiderio, vel etiam actu præsumptuosè ingerere. Ille itaque, cui confessio fit, nequaquam particeps judicandus est minoris culpæ, in qua alium permittit non consentiendo, sed majorem prudenter præcavendo. Particeps verò majoris criminis auctórque esse videtur, ad quod multos impellit, etsi non volendo, tamen inordinatè plus quod minus est, quàm quod majus erat timendo; sed manifestum est, quia illi, qui humili contritione superbam verecundiam conculcando semetipsos judicantes indicenti cessationem sponte consentiunt, multò tutiùs ministrant permissi, seu etiã jussi, quàm illi, qui cum verecundia humana inter Deum, & se justè judicare refugiunt; licet is, cui confitetur validè, periculosius prohibeat istos invitos, ut supra dictum est, quàm illos spontaneos. Et cum utrisque necessarium sit, vel ad tempus abstinere, puta illi qui non libenter cessant, ad quod non benè properant, sunt tantum relaxandi; hi verò qui spontè abstinent, ad id quod non præsumunt, etiam revocandi. Nam in istis, si revocentur, obedientiæ tegmine præsumptio palliatur, in illis verò humilitas obedientiæ robore adjuvatur. Quæ revocatio non indifferenter, sed magnâ Prælati confessionem suscipientis discretione facienda est; sæpe námque contingit, ut aliquis non per immissum criminis perpetrati horrorem, neque per vim humilitatis humanam verecundiam superet, sed stultitiæ tenebras, & impudentiæ duritiam fœditatem sceleris, & pudorem non sentiat, & per negligentiam officium suum non appetat. Qui autem hujusmodi est, nunquam ad sacrum officium aut vocandus, aut revocandus est; sed cum pro ipso pœnitente supplicat humilitas, suggerit contritio, intercedit vitæ mutatio, tunc nimirum si Prælatus non tam de meritis aliquibus, quàm de magna misericordia, & multitudine miserationum Dei illum confortans, ad sui usum officij remittat, aut invitet, non tam temerè, quàm prudenter egisse videtur. Est enim sæpe in hujusmodi prævenienda pusillanimitas, excludenda suspicio contemptûs, ostendenda benevolentia, exhibenda compassio. Hoc enim modo, qui tales sunt, quantò benigniùs, tantò efficaciùs ad perfectionem provocantur: & tantò strictiùs in bono proposito ligantur. Potui plurima de scriptis Patrum his interserere; sed quia epistolaris brevitas, quæ nimis se jam extendi reclamat, non consentit, simpliciter quid de interrogatis sentirem Paternitati vestræ jussus exposui. Omnipotens Deus vos, & in his, & in omnibus quæ vobis agenda sunt, sic in rectitudine veritatis dirigat, ut pro eis seipsum mercedem retribuat. Si præsens essem coram vobis, & sancta Congregatione vestra, de qua multa bona vidi, & à multis concorditer majora quotidie audio, supplici mente totum corpus prosternerem, & ut me bonorum, quæ Deus operatur in vestro sancto Monasterio in perpetuum participem in fraterna charitate denuo peramplius concederetis, postularem. Sed quoniam ego nimiùm distans hoc non possum, præsumo

non de meis meritis, sed de vestra sanctitate rogare, ut vos hoc ipsum pro me non humiliato corpore, sed benignâ mente ab eisdem filijs vestris mihi petatis, & cum illis misericorditer concedatis. In Christo valete.

His B. Anselmi litteris, & consilijs D. P. Wilhelmus in Domino confortatus, simul ac divini amoris igne jam dudum incensus, cunctis Abbatiæ suæ diebus, quibus miserabile illud schisma inter Sacerdotium, & Imperium contra Ecclesiam Rom. sub Heinrico Rege IV. duravit, semper veritatem prætulit mendacio, Ecclesiam Christianam, catholicam & Apostolicam terreno Imperio, qui nec blandimento sedaci, nec terrore principum unquam potuit impelli, ut à fidelitate Romanæ Sedis recederet, ac Imperatori schismatico consentiret. Et quamvis pro fide sua quam Christi vicario Papæ Gregorio VII. & ejus legitimis successoribus Victori, & Urbano constantissimâ perseverantiâ usque ad mortem servavit, multas schismaticorum sustinuerit contumelias, & persecutiones, animum tamen à recto itinere veritatis, non solùm nunquam deflexit, sed multos etiam suo exemplo, & salubri consilio ad Apostolicæ Sedis obedientiam revocavit. Et quia puro simplicius oculo tam sancto, tamque necessario insistebat negotio, quidquid egit, quidquid dixit, quidquid consuluit, divinâ miseratione largiente, Religiosis, & bonis viris omnibus placuit, quia Dominus *illum* custodivit, & direxit. Nam ut supra dictum est, semper *in* eo cum simplicitate columbina, serpentina astutia viguit; quippe qui non suam sed Dei gloriam *in omnibus studiosissimè* quæsivit, per quem erat vir in cunctis prosperè agens.

Claruit his temporibus in Anglia Giselbertus Abbas Monasterij West ordinis nostri, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, nec minus vitæ merito præclarus, & ob id S. Anselmo Cantuariorum Archiepiscopo singulari amicitiæ familiaritate conjunctus; qui scripsit ad ipsum B. Anselmum non parvæ utilitatis opusculum contra Judeos lib. 1. In Jsaiam quóque Proph. lib. 1. Cætera quæ composuit, ad notitiam nostræ lectionis minimè pervenerunt.

His etiam temporibus claruit S. Diemo Cœnobij Salzburgensis nostri ordinis in Bavaria Abbas: Vir Apostolicæ vitæ, & sanctissimæ conversationis, qui propter excommunicationem Heinrici Regis IV. de suo Monasterio exul factus, ad S. Wilhelmum venit in Hirsaugiam, & deposito nomine Abbatis, promissâque, ut moris est, obedientiâ regulari S. Patri, denuo Monachus factus apud S. Aurelium, in maxima humilitate cordis, & mentis puritate in medio fratrum conversabatur, gratias agens omnipotenti Deo, quòd locum, & opportunitatem illi serviendi in tranquillitate summa mentis, & corporis cum tot Dei famulis meruerit invenire. Verùm sicut Dominus in sancto Evangelio dicit *Non potest abscondi civitas supra montem posita*: ejus integritas Salzburgensibus dudum antea nota, non permisit illum juxta desiderium suum sub modio claustralis angustiæ latere, sed invitum protraxit in publicum, posuítque, ut multis luceret in vitam æternam super candelabrum. Nam post annos paucos, quibus Monachus apud Hirsaugiam vixerat, in Archiepiscopum Salzburgensis Ecclesiæ sublimatus est, & qui Abbatiam,

S. Diemo ex Monacho fit Archiepiscop. Salzburgē-sis.

tiam, ne contaminaretur communione ſchiſmaticorum, pro Chriſti honore non dubitavit dimittere, Archiepiſcopatum Deo ſic providente meruit obtinere. In pontificatu quàm vigilanter, & ſanctè vixerit, liber actorum ejus pulchrè compoſitus clarè oſtendit. Tandem deſiderio ſanctorum locorum captus, Jeroſolymam cum alijs multis pro Chriſti amore proficiſci ſtatuit; pro cujus itineris opportunitate, quidquid videbatur neceſſarium, ordinavit. Qui captus in itinere à Paganis, & multis tormentis crudeliter affectus, propter fidem Jeſu Chriſti martyrio coronatus, ad cœleſtem Jeruſalem ubi nullus eſt perſecutor, lætantibus Angelis tranſivit. Fit Martyr.

Claruit his quóque temporibus S. Yvo ex Præpoſito Eccleſiæ S. Quintini Beluacenſis Epiſcopus Carnotenſis ord: Canon: Regulæ S. Auguſtini: vir in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, & non minus vitæ merito, quàm eruditione omnimodâ glorioſus. Qui ſcripſit poſt Burghardum Wormatienſem Epiſcopum, de quo ſupra dictum eſt, anno Monaſterij vacantis quinto, ex canonibns, & ſcriptis P P. opus compendioſum Decretorum, quod in decem libros dividens *Pannormiam* prænotavit. Epiſtolarum quoque ad diverſos, lib. 1. Alia inſuper nonnulla compoſuit, quæ necdum vidi. Yvo Epiſ. Carnotenſ. doctiſſimus.

MLXXXV.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XVI. Indict. Rom. VIII. Synodus Moguntiæ habetur Epiſcoporum, & Abbatum plurimorum in Monaſterio S. Albani, cui Heinricus Imperator cum Legatis Romanorum, & Antipapæ Wigberti ſive Clementis interfuit, qui omnes Gregorium abjurare compulit, & in Wigbertum conſentire. Hoc enim primò fuit ſynodaliter ſtatutum, quòd omnes Epiſcopi, & Abbates Imperatori eatenus rebelles deponerentur abſque contradictione, & alij fideles, & obedientes, in locum eorum conſtituerentur. Ad hanc ſynodum B. P. Wilhelmus vocatus ire contempſit, cauſas opponens abſentiæ, quibus videbatur indubitanter poſſe rationabiliter excuſari. Multi his temporibus Abbates propter Imperat. Heinrici tyrannidem, qui partes Gregor. P. VII. ſequebantur, de ſuis Monaſterijs aut violenter fuerunt expulſi, aut communionem habere cum excommunicatis recuſantes ſpontaneâ voluntate propter ſerenitatem conſcientiarū receſſerunt. Omnipotentis autem miſeratio ſingulari gratiâ S. protexit Wilhelmum, & cum eſſet in parte Gregorij conſtantiſſimus, nemo tamen adverſariorum auſus fuit unquam illum contingere. Synodus contra Gregoriū Papam.

Anno prænotato Heinricus Imperat. auctoritate pronominatæ Synodi, & Antipapæ Clementis animoſior factus per Imperium traduxit exercitum, Epiſcopos deponens ubique locorum ſibi contrarios, & alios in cathedras expulſorum pro ſua voluntate ſubſtituens. In locum itaque Adelberonis Epiſcopi Herbipolenſis, quem cives dictæ urbis propter ejus contra Regem ſententiam dudum expulerant, Meginhardum converſatione probabilem, litteris quoque ingenio, & facundiâ nulli pene ſecundum Pontificem conſtituit: virum bonum, & dignum, qui alio tempore fuiſſet Epiſcopus, qui præfuit annis tribus.

Anno etiam prænotato Saxonum pars aliqua ſe Heinrico Imper. ſubmiſit. Marchio autem Egbertus Imperatoris etiam conſanguineus,

armis

armis strenuus, & animosus atque ditissimus iterum contra eum in Saxonia rebellionem suscitavit, quâ cognitâ Imperator in Franciam redijt orientalem, bellum in aliud tempus differens. Eodem quoque anno condicto tam ab inimicis quàm amicis Imperatoris colloquio in Thoringia loco Berchach, conveniebant ex utraque parte quicúmque sapientissimi de optimatibus, judicabantur canonum auctoritate probaturi cui parti justitia faveret, Imperatore tamen absente, sic enim ipse consensit. Electis igitur satis doctis, & eloquentibus viris, hinc Wezilone Moguntino: illinc Gebhardo Salzburgensi Archiepiscopis, disputatio cœpta est. Affirmat Gebhardus proponente hoc prius Wezilone Imperatorem non injusto judicio tam regno, quàm communione, Apostolici sententiâ privatum. Econtra Wezil Dominum suum præjudicium non minus à Papa, quàm à principibus passum contendit: dum ipso apud Canusium in satisfactione posito, imò jam à Papa in comunionem recepto, alterum super se regem elevarent. Adjecit etiam idem Moguntinus, quòd Imperator diu jam à Saxonia depulsus, & regnandi copia etiam ab illa dissensione, quæ ante Rudolfum facta præscribitur, spoliatus, nec vocari, nec judicari, nec damnari canonicè debuisset. Hoc Gebhardus improbare nitens; asserit neminem per hoc divinis absolutum legibus, si fortè suâ quâlibet re familiari fuerit spoliatus, quantò minùs Rex, qui Saxonia quæ non suum duntaxat prædium, sed *Domini sic* regnum, qui Daniele, vel ipso Nabuchodonosor teste cuicunq; voluerit dat illud, cum etiam ante amissam Saxoniam, prius ab Alexandro, dehinc à Gregor. vocatus satisfacere contempsisset. Et sic utrinque parte sui favente, simul & acclamante, principum conventus dissolvitur. Hanc Wezilonis Archiepiscopi Moguntini sententiam Adversarij Regis Heinrici tanto insequebantur zelo, ut habito postmodum in Quintilingoburg concilio, ubi Otto Episcopus Hostiensis, postea Papa, Legatus Gregorij Papæ VII. præsens interfuit: ipsam nimium ventilantes hæresim Wezilonis, ipsúmq; Hæresiarcham appellarent, contra fidem scilicet illum dogmatisâsse culpantes in eo, quòd dixerat, neminem divinis subjacere legibus, quamdiu rebus suis fuerit spoliatus.

In Conventu Principum Gebhardus Papã. Wezil defendit Imperatorem.

Anno prænotato Gregorius Papa VII. apud Salernam moritur, & ibidem in Ecclesia sepelitur: homo certè dignissimus, qui in hac mortali peregrinatione constitutus Domino Deo propter meritum *sanctissimæ* conversationis placuisse creditur, quod multa per eum *miraculosè* dicta & facta clariùs confirmâsse non dubitatur: multorum etenim probatissimorum virorum testimonio scriptum legimus, & confirmatum, non dubitamus prophetiæ spiritu illum divinitus fuisse illustratum, cujus virtute multa mirabiliter gessit. Post quem Nortmannorum, ac Mechtildis illius potentissimæ per Italiam fœminæ, cunctorúmque partes Gregorianas imò Apostolicas sectantium assensu, Desiderius Abbas Monasterij Cassinensis, & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Ordinis Divi Patris Nostri Benedicti verus Christi famulus, licet multum corde, & corpore simul renitens in summum Pontificem ordinatus est, Victor ejus nominis III. appellatus; præfuítque anno I. & Mensibus IV. Qui mox pontificatu adepto Gregorij prædecessoris sui partes fortissimè defensare cœpit, & ob id Heinricum Regem semper adversarium

Gregorius Papa moritur.

Victor Papa tertius Ex Abbate Monasterij Cassinensis.

sarium habuit: cujus subordinatione tandem, ut fertur, veneno in calicem misso interijt. Alij dicunt, illum precibus obtinuisse à Domino, ut quoniam dies mali erant, citiùs ab hac vita tolleretur ad cœlum. His etiam temporibus vir quidam nobilis dives, & in Christiana Religione multùm devotus, nomine Hezilo, consulente, & pro viribus adjuvante quodam Hessone viro similiter claro, & insigni volens Dominum Jesum bonorum suorum habere hæredem prædium suum quoddam in nigra sylva Constantiens. Diœcesis pro construendo Monasterio S. Abbati Wilhelmo contulit, & liberales impensas pro consummatione operis promisit. Cujus votum, & sanctum desiderium vir Dei libenter suscipiens, locum personaliter accessit, formam & modum construendi Monasterij præscripsit, ac de suis Monachis aliquos memoratis viris, qui videbantur idonei in adjutores deputavit. Consumato tandem Monasterio, & in honorem S. Georgij Mart. consecrato, fratres de suo Conventu Hirsaugiensi illò misit, quibus Heinricum Abbatem præfecit; sed eum de sua obedientia regulari minimè absolvit. His etiam temporibus S. P. Wilhelmus Monasterium ad duplices aquas in Suevia, quod vulgò Zvvifalten nuncupatur, convulsum destructum, & penitus desolatum de novo instauravit, construxit, & fundavit ad preces Bertoldi Ducis Suevorũ, in quod Monachos de suo Conventu Hirsaug. posuit, quibus Nothgerũ valde venerabilẽ Monachum in Abb. præposuit, qui verbo, & exemplo gregem sibi cõmissum in vera innocentia pavit. Comes etiam quidam de Calba nomine Adelbertus, qui vulgò dicebatur Azenbart, consentiente, ac suffragium præstante uxore suâ Wilicâ Ducis Polonorũ filiâ circa hæc tempora Monasterium ordinis nostri construxit in Gundelfingen, in quo Monachos posuit, quibus Abbatem secundùm regulam ordinari fecit. Verùm post annos aliquot Monachi omnes de eodem Cœnobio ad Hirsaugiam translati sunt, & in locum eorum Canonici introducti. Hic libet opinionem referre quorundam, qui asserunt primos Monachos illos, quos cum Friderico Abbate XI. in secunda fundatione Adelberti comitis de Monasterio Schaffhusen ad Hirsaugiam venisse diximus, de Gundelfingen translatos ad S. Aurelium: & Clericos post mortem Conradi Abbatis X. & exilia Monachorum apud Hirsaugiam positos, ut supra diximus, ad Gundelfingen per Adelbertum comitem transpositos. Quorum petitionem nec probare sufficienter possumus, nec temerè tamen improbamus. Fuerunt item alij, qui Fridericum Abbatem cum Monachis suis ad S. Aurelium venisse in Hirsaugiam dicerent ex Cœnobio Solitariensi, vulgò Eremitarum. Nonnulli autem eos de Augiensi Monasterio fuisse transmissos scripserunt. Nos verò his opinionum diversitatibus prætermissis juxta magis evidens testimonium nobis hoc tempore oblatum aliter invenire non potuimus, quàm quod supra diximus: unde cùm aliorum sequamur vestigia, nolumus esse contentiosi, sed libenter accipimus, imò humiliter petimus, ut sicubi erravisse vel multùm, vel parùm fuerimus inventi, quisquis melius novit falsitatem, deleat, & sibi cognitam licenter inserat veritatem. Offertur nobis isthic jam satis opportunè desiderata occasio, ut quoniam præcisa tempora scire, & annos singulorum ex Monasterio Hirsaugiensi vel Abbatum, vel Episcoporum ad diversa loca datorum sub S. Wilhelmo, &

Cœnob. S. Georgij in nigra sylva fundatur.

Monaster. Zvvifaltẽ construitur.

deinceps perfectè non possumus, saltem eorum nomina secundùm ordinem, & Ecclesias, quemadmodum ex monimentis veterum accepimus, breviter annotemus. Et primò quidem de Episcopis, posteà verò de Abbatibus historiam dicamus. Sanctus Diemo ex Abbate Salzburgensi, ut jam supra diximus, anno S. Wilhelmi XV. hujus Cœnobij Hirsaugiensis Monachus factus est, dimissâ Abbatiâ suâ propter periculum excommunicati Heinrici Regis quarti. Qui tandem in Archiepiscopum Salisburgensis Ecclesiæ de Monasterio Hirsaugiensi fuit electus, sed consentire noluit, donec per obedientiam S. Abbatis coactus fuit. In senectute sua cum multis ad terram sanctam ire statuit, & in itinere detentus ab infidelibus martyrizatus fuit. Gebhardus frater Bertholdi de Zäringen Ducis Suevorum sub regimine sancti Wilhelmi Abbatis Monachus in Hirsaugia factus, in magna sanctitate innocenter vivere secundùm normam S. P. N. Benedicti summo semper studio consuevit. Qui propter vitæ meritum Episcopus Constantiens. Ecclesiæ ordinatus, pristinus regularis vitæ fervorem minimè intermisit, sed ministrum se Christi utilem, & idoneũ verbo, & exemplo semper exhibuit. Hic venerabilis Præsul novũ Monasterium Hirsaugiense à S. Wilhelmo constructum auctoritate, & præcepto Domini Papæ Urbani 2. simul & cellam S. Gregorij, quæ dicitur Richenbach, consecravit. Qui tandem plenus bonorum operum, atque dierum in Domino quievit XXVII. die *mensis Augusti*. Gebhardus alter ex Canonico Argentinensis Ecclesiæ Monachus in Hirsaugia factus sub Divo P. Wilhelmo Prior ejus claustralis multo tempore fuit. *Mortuo autem S. P. Wilhelmo Gebhardus iste omnium fratrum consensu in ejus locum Abbas constituitur, & post annos XIV. in Abbatia laudabiliter exactos, Neometensis Ecclesiæ Pontifex post Joannẽ, qui* Rudigero successerat, ordinatur. De cujus vita, & gestis opportuno tempore suo loco infra dicemus. Theogerus, alij nonnulli Dietgerum appellare maluerunt, ex orientali Francia oriundus, primò ex Canonico S. Cyriaci Mart. in nova domo propè Wormatiam Monachus Hirsaugiensis sub S. Wilhelmo factus est, deinde Abbas Monasterij S. Georgij Mart. in nigra sylva, & postremò Episcop. Metensis in Lotharingia, vir magni apud Deum meriti; utpote qui multis, & in vita, & post mortem signis, & miraculis coruscavit, de quo inferiùs anno S. Wilhelmi *Abbatis* XVIII. latiùs dicetur. Hi sunt Episcopi 4. ex Monasterio *Hirsaugiensi* diversis quidem temporibus assumpti, sed omnes ad Monachatũ à S. Abbate Wilhelmo instituti. Nunc de Abbatibus loquamur. Inter quos tempore primus fuit Sigefridus Monachus à D. P. Wilhelmo sanctissimè institutus, quem propter doctrinã in omni genere scripturarum exuberanté, & vitæ meritum ad Schaffhusen Monasterium Constantiens. Diœcesi Abbatem postulantibus Monachis destinavit. De cujus Monasterij fundatione jam supra diximus anno LVIII. Hirsaugiensi Monasterio apud S. Aurelium vacante, ut supra patet. Sigefrido autem mortuo Dietpoldus Monachus ex Hirsaugia ad idem Cœnobiũ Schaffhusen mittitur, & in Abbatẽ sublimatur; digna planè, & pulchra cõmutatio. Quoniã Hirsaugia quæ unũ ex Schaffhusen Abbatẽ Fridericũ, & paucos Monachos habere meruit, matrem fœcunditate jam longè superans illi duos, & ad alia Monasteria plurimos successu temporis destinavit. Heinricus quoq; Mona-

Diemo Hirsaugiensis Monach fit Archiepisc. Salisburg.

Gebhardus ex Monac. Hirsaug. Episc. Constantiensis.

Gebhardus ex Abbate Hirsau. Ep. Spirensis.

S. Theogerus ex Mõ. & Abb. Ep. Metensis.

Monachus D.P. Wilhelmi, de quo supra diximus, ad Monasteriũ S. Georgij Mart. in nigra sylva primus Abbas cum Monachis mittitur, cum quibus secundùm regulam B. P. N. Benedicti laudabili unanimitate conversatur. Quo mortuo quendam alium ex Hirsaugia Monachum, cujus nomen non occurrit, in locum ejus Pater sanctus Abbatem instituit; quem Gebhardus Constant. Episcop. sicut & primum ex more benedixit. Qui homo cum esset simplex, & quietus, sibíq; soli utilis, nec regimini aliorum satis idoneus, à S.P. deponitur, & ad Hirsaugiam in locum suum pristinum revocatur. Quod factum Gebhardo Constantiens. Reverend. Præsuli non mediocriter displicuit, propterea quòd sine conscientia ejus præsumptum fuit. Unde Successorem depositi priùs ordinare noluit, quàm illum S. Pater ab omni subjectionis obedientia absolvit.

S. Theogerus de quo supra diximus, post depositionem jam dicti Patris in locũ ejus per S. Wilhelmum tertius Abbas Monasterij prænominati S. Georgij Mart. in nigra sylva constitutus, per Gebhardum Constantiensem Episcop. ordinatur, non prius tamen, quàm liberum, & absolutum ab obedientia dimisit.

Hic Theogerus vir sanctissimæ conversationis postea factus est Episcopus. Theodericus Monachus hujus Cœnobij Hirsaugiensis sub D. P. Wilhelmo in omni puritate observantiæ regularis optimè institutus Abbas ab eo instituitur, cum quo, & Monachi de Conventu Hirsaugiensi ad novum Cœnobium Petri Domûs in Constantia mittuntur. Erat enim Theodericus iste vir magnæ prudentiæ, & in observantia monasticæ disciplinæ singulari devotione studiosus, qui multos verbo, & exemplo ad melioris vitæ semitas per se, & suos revocavit, & ideo merito vitæ, ac multiplici eruditione scripturarum celebris exstitit, & nomen ejus per totam Sueviam apud omnes glorioſum fuit. Monasterium autem prædictum Petri Domus, sive Perterhausen, in Constantia novum à fundamentis construxit, & fundavit supra nominatus Gebhardus Episcopus, vir per omnia laudabilis, nec minùs vitæ merito, quàm sanguine clarus. Fuit enim sicut diximus frater Bertholdi de Zäringen Ducis magni, qui primò factus est Monachus, sub S. Wilhelmo Abbate in Hirsaugia, deinde Matricularius, post, ut quidam scribunt, Abbas Monasterij S. Georgij M. in nigra sylva; quo ad Pontificatum Constant. ut diximus, assumpto, sanctum ei Theogerum in Abbatia referunt successisse, non illi depositio, cujus nomen ignoramus, qui Gebhardo successerat. Quorum positio superiori est contraria, sed apparet nobis veritati satis esse conformis, ut Heinricus in Abbatia S. Georgij fuerit primus, & ille, quem S. P. Wilhelmus deposuit secundus, Gebhardus tertius, & S. Theogerus in ordine quartus. Qui veritatem hujus differentiæ intelligit nostrum pius emendet errorem. Item Giselbertus, de quo supra diximus, anno S. Wilhelmi Abbatis IV. ad novum Monasterium S. Heymeradi in Hasungẽ, quod Sifridus Archiepisc. Moguntinus in Thuringia construxit, cum Monachis de Hirsaugia mittitur, & ab eodem Archiep. Abbas ordinatur. Qui tandem cum toto grege suo, Monachis ferè quinquaginta, propter improbitatem excomunicati Regis Heinrici IV. ad Hirsaugiam revertitur, quoniam manere in Hasungen non poterant, propterea quòd comunicare cum excommunicatis recusabant. Postea

Monaster. Petri Domus fundatur.

verò idem Giselbertus Abbas factus est in Monasterio fontis Reinhardi in Thuringia, quod vulgari vocabulo Rheinardisbronna nuncupamus, & est satis insigne Monasterium in nemore constitutum. Misere etiam S. P. Wilhelmus cum eo ad eundem locum Monachos de Conventu suo Hirsaugiensi optimæ institutionis, qui regularem disciplinam ibidem plantantes, quam à bono præceptore didicerant, numerum Deo servientium personarum quotidie augmentabant. Iisdem quoque temporibus Monasterium S. Petri Apostoli construebatur in Erphordia, cujus dispositionem, & regimen D.P. Wilhelmus, ut anno ejus quarto diximus, eidem, donec perfecto præficeret Abbatem proprium, comisit.

Ad novum quoque Monasterium ad duplicem aquam Constantiensis Diœcesis, quod linguâ teutonicâ Zvvifalten nuncupamus de Conventu suo Hirsaugiensi Congregationem Monachorum instituit, quibus Notgerum valdè venerabilem virum, & Monasticæ disciplinæ ferventissimum zelatorem in Abbatem dedit. Ad eundem locum postea ductus est Abbas Gotfridus hujus Cœnobij Hirsaugiensis Monachus, & D.P. Wilhelmi quondam auditor, atque discipulus nō oblivioſus; quippe qui vitam, & mores amantissimi præceptoris sui totis semper viribus studuit imitari. Nocturnis temporibus in oratione vigilantissimus extitit; diurnis verò curam rei domasticæ, ac fratrum necessitatib⁹ impendit. Tandem non sine opinione sanctitatis decessit.

Ad Monasterium S. Nicolai præsulis in Camberg Herbipolensis Diœcesis, quod comes de Rotenburgo Christianissimus Burchardus ijsdē constructum temporibus; S.P. Wilhelmus anno regiminis sui XIX. Guntherum primum destinavit Abbatem, virum per omnia probatum, & Monachos cum eo 12. moribus, & disciplinâ speciali studio insignes. Venerunt autem ad Camberg anno Dominicæ Nativit. MLXXXVIII. qui fuit S. Wilhelmi Abbatis, ut dictum est, 19. quo videlicet anno Ecclesia ibidem fuit dedicata, quem admodum suo dicemus loco.

Ad Cellam S. Petri, quam de villa Wilheim translatam in montem supra diximus, Monachos de suo Conventu posuit, quibus Adelberonem virum regularis observantiæ studiosissimum præfecit. Sed hæc Abbatia in Prioratum postea commutata est, & nunc est parochialis residentia in Gilheim, Monasterio Hirsaugiensi penitus incorporata, & Abbati subjecta.

Ad Monasterium verò in Altorff Argentinens. Diœcesis B.P. Wilhelmus Monachos similiter misit de suo Conventu Hirsaugiensi, quibus Abbatem præfecit Welichonem virum optimum, qui verbo sanctæ prædicationis, sed & exemplo bonæ, ac religiosissimæ conversationis non solùm commissos sibi Monachos, & Conversos ad contemptum mundi fortiores instituit, sed etiam sæculares ad amorem Dei incitavit.

Ad Monasterium quod Büren appellatur in Diœcesi Augustensi B.P. Wilhelmus pari charitate de suo Monasterio Conventum misit, cui Azelinum Monachum valdè bonum, Religiosum, & circa regularem disciplinam studiosissimum præfecit: claro si quidem genere natus, parentelam suam sanctis virtutibus ornare studuit, & mundum pro Christi amore fideliter contempsit.

Ad eundem locum postea missus est Abbas de Conventu hujus Mona-

Monasterij Hirsaugiensis Monachus nomine Otto ad regimen animarum satis idoneus, vitâ, & conversatione præcipuus, & divinarum scripturarum non ignarus. Consilio promptus, & cautus, in spiritualiũ conversatione solicitus, & in administratione temporalium rerum singulari providentiâ circumspectus. Deniq; pro sua prudentia tanti habitus est, ut non solùm Abbas unius Monasterij esset jam memorati in Büren, sed etiam Administrator fieret alterius Cœnobij, quod Rynavve dicitur in Diœcesi Constantiensi. Qui venerab. P. utrumque Monasterium, in utróque videlicèt statu providè, & utiliter satis disponendo gubernavit.

Ad Monasterium S. Joannis Magdenburgensis in Saxonia datus est Abbas ad petitionem tam fratrũibidem existentium, quàm Archiepiscopi vir multùm venerabilis, & valde religiosus nomine Hildeboldus, qui disciplinam Monasticam juxta exemplar, & constitutiones Divi præceptoris sui VVilhelmi per totam Saxoniam dilatavit.

Post mortem verò Rev. P. prædicti Hildeboldi fratres memorati Cœnobij ad plenum jam in consuetudinibus Hirsaugiensium Monachorum instituti, ne sanctum reformationis negotium aliquod ex novitate cogeretur subire periculum, pro novi pastoris electione ad Hirsaugiam denuo fontem Monasticæ Religionis statuerunt recurrendum. Quibus postulantibus, Hugo quidam nomine datus est Abbas, vir magnæ prudentiæ, & singularis in Dominum devotionis, qui reformationem inchoatam optimè conservavit. Memoratum verò S. Joannis Bapt. Monasterium fundavit Otto primus Imper. sicuti anno Diethmari Abbatis xv. longè supra diximus, anno videlicèt Dominicæ Nativ. DCCCCXI.

Ad Monasterium Ysne Constant. Diœcesis D. P. Wilhelmus Abbatẽ de Conventu suo Erchinboldum virum eruditione scripturarũ insignem, & vitæ sanctimoniâ haud Præceptori suo dissimilem, qui verbo, & exemplo multorum corda convertit ad Dominum, & tandem post multa bonæ actionis studia non sine opinione sanctitatis in Domino feliciter quievit. Ad eundem quoque locum postea missus est de Conventu Hirsaugiensi Bruno genere, & moribus insignis Cœnobita, qui post Erchinboldum ordinatus Abbas, in semitis Prædecessoris sui sine offensione ambulans, monasticæ observantiæ tramitem studiosâ semper diligentiâ custodivit: nam regularis disciplinæ integritatem, quam Erchenboldus in Ysnensi Monasterio primus in vera puritate plantavit, Bruno iste tam studiosè rigavit, ut annis postea multis in eodem loco maxima religio perduraverit.

Ad novum verò Cœnobium in Ducatu Carenthinorum constructum, quod Laven appellatur, de quo supra diximus, beatissimus P. Wilhelmus de suo Conventu Hirsaug. Monachos XII. optimos misit, quibus quondam valdè præclarum Monachũ nomine Wezilonem, genere Francum orientalem, Patrem, & Abbatẽ dedit. Hic VVezilo venerab. Abbas multa ordinis nostri Monasteria nimiâ vetustate penè collapsa in illis provincijs instaurando reformavit. Sigevvinus Monachus cum Domino VVezilone prænominato Abbate missus fuerat de Conventu Hirsaugiensi per S. VVilhelmum ad Monasterium Lavense in Carinthiam, qui cùm esset vir magnæ prudentiæ in Abbatem cujusdam Monasterij

prope Aquilejam in Sclavonia, quod Rosaz nuncupatur, postea fuit ordinatus. Verùm quia hoc sine consensu Abbatis Hirsaug. factum præsumpsit, de collegio fratrũ sancto nomẽ ejus fuit abrasum, qui pœnitentia ductus ad Hirsaugiam rediit, & Abbatem Rosazi in manus Gebhardi Abbatis, qui S. VVilhelmo successerat, resignans, veniam de præsumptione humiliter postulavit. Quem Abbas Gebhardus ad comprobandam humilitatem pœnitudinis ejus, in ultimo Congregationis loco sedere fecit. Quod cùm illum humiliter, & patienter sustinere cerneret pœnitentiam ei non solùm misericorditer relaxavit, sed etiam ad Abbatiam Rosazi quantocius remisit. Gaudentius verò Monachus quidam cum prædictis VVezilone, & Sigevvino missus ad Lauen in Carinthiam similiter Abbatiam quandam in regione illa sine permissione Abbatis Gebhardi obtinuit, qui tamen néq; pro satisfactione rediit agenda, néque veniam postulavit: unde cõmuni fratrum Hirsaugiensium decreto nomen ejus de catalogo sanctæ Congregationis proscribitur, ne inter Abbates ex Hirsaugia datos computetur, cujus nos in hoc loco propterea mentionem fecimus, ut historiam facti memorabilis posteritati commendaremus.

Ad Monasterium S. Nicolai Pontific. in Bruvviler Colonienſ. Diœcesis, quod Ezelinus comes Palatinus frater S. Kunigundis olim fundaverat, quemadmodum anno Monasterij S. Aurelij vacantis XIII. diximus Eberhardus Monachus de Conventu Hirsaugiensi missus in Abbatem ordinatus est, sed quo tempore certum non habemus, quod tamen factum esse post mortem S. P. VVilhelmi certis, & manifestis edocti rationibus non dubitamus.

Ad Monasterium in Odenhaim Spirensis Diœcesis, quod Bruno Archiepiscop. Trevirorum de novo construxit, fratre suo Poppone comite consentiente, & auxilia præbente, sicut inferiùs dicemus anno VVolmari Abbatis III. missus est ex Conventu Hirsaugiensi Eberhardus Abbas primus cum XIII. Monachis ad preces prænominati Popponis comitis de Bretheim, & Brunonis fratris sui Archiepiscopi Trevirensis.

Ad Monasterium quod Cellæ Paulinæ dicitur in finibus Turingorum Moguntinæ Diœcesis, à quadam sancta fæmina nomine Paulina, missus est Gerungus ejusdem loci primus Abbas cum Monachis suis per Brunonem Abbatem hujus Monasterij Hirsaugiens. XIV. De fundatione autem prænominati Monasterij, & meritis Gerungi primi Abbatis suo loco inferiùs mentionem faciemus, Deo largiente, necessariam anno Brunonis Abbatis secundo.

Ad eundem quóque locum postea missus est de Conventu Hirsaugiensi Monachus quidam venerabilis nomine Udalricus, qui Abbas fratrum ordinatus ibidem, regularis observantiam disciplinæ, quam ab optimis præceptoribus isthic ad plenum didicit, & in se custodiens diligentissimè, & in alijs studiosè fovens, non minuit, sed ampliavit.

Ad novum Monasterium in Gozavve Spirens. Diœcesis in Comitatu VVorcheim in Albegavio, quod Bertholdus comes de Hennenberg uxore suâ, filijs consentientibus fundaverat, temporibus Heinrici Regis V. Bruno hujus Monasterij Hirsaug. Rev. Abbas anno regiminis sui V. ad preces memorati comitis Bertholdi, Monachos misit in observantia regu-

regularis disciplinæ optimè imbutos, quibus Volpotonem venerabilé Monachum præfecit Abbatem, sicut anno Brunonis præscripto latiùs dicetur.

Ad eundem quóque locum postea ex Conventu Hirsaugiensi missi sunt Abbates, & alij tres, per intervalla temporum sibi succedentes, quorum primus post Volpotonem vocabatur Burchardus natione Francus orientalis: secundus Rupertus patriâ Suevus, & tertius patriâ similiter Suevus nomine Rudolfus, quorum memoria Domino vivit.

Ad Monasterium S. Michaëlis in monte Monachorum prope Bambergam, quod S. Heinricus Imperator olim fundaverat, sicuti supra diximus anno Monasterij S. Aurelij vacante VI. missus est Abbas ex Hirsaugiensi Cœnobio VVolframus, vir in omni genere scripturarum doctissimus, morúmque integritate venerandus, qui fertur de Musica non spernendæ auctoritatis opusculum, & plenos eruditionis commentarios in cantica canticorum edidisse.

Ad novum quóque Cœnobium in Bruveningen non procul à civitate Ratisponensi, quod S. Otto Babenbergensis, Episcop. à fundamentis construxerat, sicuti suo loco inferiùs dicemus, S. Ermenoldus Abbas primus cum primitivis Monachis de Hirsaugiensi Conventu missus est, vir doctus, & integerrimæ conversationis, qui multis in vita simul, & post mortem coruscavit miraculis.

Ad omnia Monasteria, quibus mittebantur Abbates ex Conventu Hirsaugiensi, semper conjungebantur & Monachi aliqui probatæ Religionis, qui consilio, & auxilio pro conservatione regularis disciplinæ, pastoribus assisterent. Memoratus autem S. Ermenoldus temporibus S. VVilhelmi ad conversionem veniens, optimè ab eo fuit institutus, postea ad Lorissam, quæ tribus fermè à VVormatia milliaribus distat à Lancrone, quondam Rheni comite fundatam, Abbas cum certis fratribus mittitur, non minùs electione fratrum ipsius Lorissensis Cœnobij, quàm promotione Heinrici Regis V. verùm scrupulo conscientiæ postea motus (propter fratrem suum, qui gratias Regi pro ejus gratuita promotione, oblatione parvorum munerum egerat) Abbatiam Lorissensem deseruit, & cum fratribus non minus 40. quos Domino in unius anni spatio acquisierat, quo Lorissæ præfuit, ad Hirsaugiam redijt, & demum sub anno Dom. Nativ. M.CXIV. Abbas primus in Bruveningen factus est, ut suo loco dicemus.

Ad Monasterium S. Petri in Erphordia primus Abbas de Conventu Hirsaugiensium fratrum missus est Burchardus cum XII. Monachis optimæ conversationis anno Gebhardi Abb. XI. videlicèt, indict. Rom. X. die verò mensis Februarij VIII. qui statim in ipso anno fundare cœpit novam Ecclesiam ibidem in monte S. Petri, quæ præter turres hodie necdum completas Hirsaugiensi Ecclesiæ non parùm est similis. Quam Ecclesiam S. P. VVilhelmus antea in parte construere cœpit, & curam Monasterij Giselberto Abbati fontis Rheinardi, quemadmodum supra diximus, anno ejus 4. commiserat.

Ad eundem quóque locum postea anno VVolmari Abbatis VII. qui fuit Dom. Nativit. MCXXVIII. VVernherus Monachus fratrum unanimi electione de gremio hujus Conventûs mittitur, in Abbatémque post

Ruper-

Rupertum, ut quidam volunt, sed ut nobis videtur, post ipsum Burchardum, immediatus ordinatur, vir multæ prudentiæ, & Religionis, qui per suam industriam, nec paucis impensis aquæ ductum ad Monasterium cunctis mirantibus introduxit, & Capellã retro Monasterium in Braidenavvo, quod Wernherus comes magnificus in finibus Hassiorum à fundamentis construxit, Dominus Bruno Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis XIV. de consilio fratrũ suorũ Monachos XII. misit anno regiminis sui XIII. quibus Drutvvinum virum multæ Religionis primum Abbatem dedit. Venit autem ad Monasterium prædictum anno Dominicæ Natiuitatis MCXIX. die mensis Novembris XVII. & præfuit annis XIII. Mortuo Drutvvino Monasterij prænotati Braidenaugiensis primo videlicet Abbate, anno Wolmari Abbatis XI. Heinricus Monachus hujus Cœnobij Hirsaugiensis in Abbatia successit, vir tam in divinis scripturis, quàm in secularibus litteris egregiè doctus, metro exercitatus, & prosâ, vitæ quóque merito primus, qui varijs legitur miraculis coruscâsse: de cujus sanctitate, & lucubrationibus plenius dicemus anno Wolmari Abb. præscripto.

Ad Monasterium Posavienſe in partibus Saxoniæ, quod Theodericus Episcopus Nüenburgensis construxit in monte non procul à Gicensi civitate, quemadmodũ suo loco inferiùs dicemus, anno Wolmari Abb. V. missus est Abbas de isto Conventu nomine Egbertus cum XII. Monachis primus, qui regularis disciplinæ observantiam secundùm laudabiles Hirsaugiensium consuetudines in eodem loco ad multorum salutem hominum sanctissimè plantaverunt.

Ad eundem locum postea missus est iterum alius Abbas, de gremio Hirsaugiensium fratrum, nomine Wolpoldus, qui & Hugonis nomen in principio conversionis suæ accepit. Hic erat vir magnæ prudentiæ, qui non solùm spiritualium curam, sed etiam temporalium rerum necessariam solicitudinem habuit, sine quarum adminiculo regularis observantiæ continuatio non subsistit.

Ad Monasterium in Elckingen circa Danubium in Suevia haud procul ab oppido Ulma in Diœcesi Augustensi, missus est Abbas de Conventu Hirsaugiens. nomine Adelbertus, vir moribus & scientia insignis, regularisque disciplinæ cultor studiosissimus, qui Monasterio sibi commisso tam in temporalibus quàm in spiritualibus utiliter præfuit, & plures conversationis bonæ exemplo ad mundi contemptum induxit.

Ad Monaster. Navv missus est Abb. pariformiter de Conventu hujus Cœnobij Hirsaugiens. nomine Reginboldus, natione Francus Orientalis, cum X. Monachis optimè in omni observantia Monasticæ disciplinæ regulariter institutis, qui longâ experientiâ in palæstra spiritualis certaminis exercitati didicerunt mundum contemnere, diabolum vincere, & carnis vitiosas concupiscentias divinâ adjuvante gratiâ fortiter resistendo cum humilitate superare. Post mortem Reginboldi rursus de Conventu isto Hirsaug. alius in Abbatem electus mittitur, qui Adalbertus vocabatur. Hic multo tempore sub jugo Regularis militiæ probatus, humilem semper obedientiam majoribus exhibere didicit, & ob id, cui aliquando etiam obedirent cæteri, Christo sic præordinante, dignus, & idoneus erasit: enim verò nunquam subditis recto ordine utiliter obedientiam præcipit, qui suis eam superioribus antea exhibere humiliter contempsit.

Ad Mo-

Ad Monasterium in oppido Amorbach, quod veteres Amenbach nuncupaverunt, Herbipolens. Diœcesis, cujus fundatorem etiam ipsi Monachi non noverunt, ex Monasterio datus est Abbas, nomine Adelhelmus. Hic primus ex Monasterio Hirsaug. Prior fuit in Schonrein, ac deinde ad præfatum Cœnobium Amorbach, sicut diximus, electus à Monachis ejus loci propter vitæ meritum in Abbatem ordinatur. Qui collapsam Regularis disciplinæ observantiam, auxilio fratrum, quos secum de Monasterio Hirsaug. adduxerat, in pristinum fervorem spiritûs revocavit; congregans in brevi tempore magnam multitudinem Deo servientium Monachorum.

Ad Monasterium Mediolacense, quod S. Lutvvinus ex Duce illius Provinciæ, quæ Lotharingia postmodum fuit dicta, primò Abbas, deinde Archiepiscopus Trevirorum, in eadem Diœcesi juxta fluvium Saram olim circa annum Dominicæ Nativit. DCCC. à fundamentis construxit, datus est Abbas Monachus Conventûs Hirsaugiens. nomine similiter Adelhelmus, qui Monasticam disciplinam ibidem magnificè reformavit. Et notandum, quòd hic alius fuit ab illo, quem ejusdem nominis Abbatem ad Amorbach jam priùs diximus destinatum.

Ad Monasterium S. Felicitatis in Schvvarzbach Herbipolens. Diœcesis, quod Megengaudus comes quidam circa annum Nativ. Dominicæ DCCCXV. fundavit, Abbas missus est ex Conventu Hirsaugiensi anno Wolmari Abbatis XV. Wolfframus, vir pius mitis, & humilis, qui non minus exemplo, quàm sancto prædicationis verbo gregem sibi commissum strenuè gubernare cœpit. Sed morte immaturâ præventus regiminis sui anno 2. primâ die mensis Octobr. ab hac mortali, miserabilique peregrinatione ad Dominum migravit. Post cujus mortem postulante Conventu ejusdem loci Dominus Wolmarus Abbas prænominatus Hirsaugiens. de consilio fratrum suorum, anno regiminis sui XVI. qui fuit Dom. Nativit. MCXXXVII. Indict. Roman. XV. iterum misit alium Abbatem nomine Theodericum, virum religiosissimum, & magnæ prudentiæ, qui posteaquam præfuit annis V. plenus operibus bonis ad Dominum migravit 23. die mensis Martij, successorem relinquens ex suis Monachis unum nomine Gumpertum.

Ad Monasterium verò aliud Schvvarzach in Diœcesi Argentinensi, quod S. Pirminius Episcopus Meldensis, S. Mauri quondam discipulus, sicut in ejus vita legimus scriptum, primus favente Domino construxit, missus est de Conventu suo Hirsaugiens. Abbas multùm religiosus, prudens, pius, & devotus nomine Conradus, qui Monasticam in eodem loco disciplinam ad regulæ puritatem magnificè restauravit.

Ad eundem quoque locum postea destinatus est iterum de Conventu ipso Hirsaugiensi nomine Hildebertus cùm eruditione litterarum, tum vitæ merito illustris, atque famosus, qui reformationem dicti Monasterij à prædecessore suo introductam non solùm fideliter manutenuit, sed etiam numero personarum, ac plenitudine meritorum suo tempore multipliciter ampliavit.

Ad Monasterium quoque in Weingarten Constantiensis Diœcesis Abbas datus est ex Conventu Hirsaugiensi tempore Mannegoldi Abbatis circa annum Dominicæ Nativit. MCLX. Burchardus natione

Francus, genere nobilis, vitæ merito clarus, scientiâ, & eruditione scripturarum valde notabilis, qui secum assumptis fratribus optimis de Hirsaugia, locum vetustate labente in utroque statu ad pristinum decorem reformavit.

Ad idem quoque Monasterium in Weingarten post mortem Domini Burchardi alius de Conventu Hirsaugiensi datus est Abbas, nomine Diethmarus, vir genere clarus, patriâ Suevus, morum integritate perspicuus, eruditione divinarum scripturarum haud mediocriter exercitatus. Qui cùm esset in observantia regularis disciplinæ longo temporis intercursu peritissimus, introductam noviter ab antecessore suo reformationem fideliter in omnibus custodivit. Item ad eundem locum iterum postea de Hirsaugia missus est Abbas tertius, nomine Megingos, vir in Monasticis institutionibus non mediocriter exercitatus, qui pijs, & sanctis prædecessorum cupiens inhærere vestigijs, se non solùm verbo subditis utilem, sed etiam boni operis exemplo cunctis studuit exhibere fructuosum.

Ad Monasterium Thariſſa juxta Moganum in Diœcesi Herbipolensi, quod 5. fermè à civitate Babenbergensi in descensu fluminis milliaribus distat, de cujus fundatione longè supra diximus, anno videlicet Harderardi Abbatis S. Aurelij, qui fuit Dom. Nativit. DCCCV. de Conventu Hirsaugiens. datus est Abbas Rutgerus cum quibusdam Monachis optimè institutis, qui locum ædificijs ruinosum construendo restituit, & ad puritatem regulæ in utroque statu reformavit.

Ad Monasterium verò in Besselbron Augustensis Diœcesis Lupoldus Abbas cum sex Monachis de isto Cœnobio Hirsaugiensi missus est, vir tam in eruditione scripturarum illustris, quàm experientiâ rerum commendabilis, moribus nihilominùs, & vitæ merito valde reverendus, qui Monasterium sibi commissum in spiritualibus ad observantiam regulæ sum̃a cum diligentia restituit, & in temporalium provisione notabiliter satis ampliavit.

Ad Monasterium Constantiensis Diœcesis, quod Brigantinum, vulgariter autem Bregenz nuncupamus, Gotfridus Abbas cum certis Monachis bonæ conversationis, & probatæ institutionis ex Hirsaugiensium congregatione missus est, qui eundem locum in utroque statu corrigens, ac reformans consuetudines regularis observantiæ, quas ibidem didicit, ibidem laudabiliter plantavit.

Ad Monasterium S. Nazarij Mart. in Lorissa Moguntinæ Diœcesis, quod comes quidam Rheni, nomine Canker quondam temporibus Caroli Magni fundavit, in quo S. Ermenoldus, ut supra diximus, ad unius anni spatium Abbatiam tenuit, Abbas mittitur cum XX. Monachis de congregatione fratrũ Hirsaug. vir multùm venerabilis nomine Sigeluardus, qui recedentibus ejusdem loci Monachis, & vitæ Hirsaugiensium qui venerant, rigorem ferre contemnentibus, ruinosa ædificia restituit & magnam brevi multitudinem Monachorum congregavit, multasmen injurias recedentium Monachorum priorum sustinuit, quibus regularis observantia gravis, & nimis odiosa fuit. Vidimus epistolas, & carmina plura per eos ad Heinricum V. in depravationem hujus sanctæ reformationis Hirsaug. missa, in quibus cùm ratione deficiant, mendacijs famam denigrare bonorum conantur.

Ad

Ad Monasterium S. Ferrutij Mart. in Blidenstat Moguntinæ Diœcesis, quod à Carolo Magno dicunt esse fundatum, Abbas de Hirsaugia cum XII. Monachis missus est, vocabulo Heinricus, vir magnæ prudentiæ, & summæ religionis, qui locum in utroque statu quàm optimè reformavit, & multas Domino animas hominum acquisivit: nam sicuti ex veterum scriptis, & monimentis in eodem loco, dum ibidem aliquoties visitatoris fungeremur officio repertis probatum accepimus, à tempore memorati Abbatis Heinrici, tanta in illo Cœnobio regularis observantiæ districtio per multos viguit annos, ut Blidenstat carcer passim à cunctis diceretur Monachorum. Nam qui alibi videbantur incorrigibiles, ibi ad humilitatem compellebantur.

Ad Kornbach Cœnobium antiquissimum Metensis Diœcesis in Westrasia constructum à S. Pirminio Meldensi Episcopo, ac B. Mauri Abbatis quondam discipulo, temporibus Theoderici Regis Francorum missus est ex Hirsaugia Conradus Abbas cum XII. Monachis, qui locum illum penè vetustate collapsum, in utroque statu plenè reformavit, plantans inibi sanctam regularis disciplinæ observantiam, quam à præceptoribus suis reverendissimis in Hirsaugia vidit, & audivit.

Ad Monasterium S. Protomart. Stephani in civitate Herbipolensi, quod Adelbero S. quondam Episcopus erexerat, quemadmodum supra diximus, anno Monasterio S. Aurelij vacante LVI. datus est ex Monasterio Hirsaugiens. Berengerus Abbas, vir magnæ prudentiæ, & religionis, anno scilicet Domini Wolmari Abbatis XVII. Fuit autem Berengerus iste in ordine Abbatum S. Stephani tertius, & præfuit in omni religione, & modestia annis VIII. introducens observantiam monasticæ disciplinæ secundùm laudabiles consuetudines Patrum suorum Hirsaugiensium.

Ad eundem locum postea missus est anno Wolmari Abbatis XXXV. Reffoldus Abbas, & fuit quintus in ordine Abbatũ illius loci: nam inter ipsum, & Berengerum, Abbas fuerat quartus nomine Rupoldus, qui non erat de Congregatione hujus Monasterij Hirsaugiens. Erat autem Reffoldus iste vir sanctus, & religiosissimus, patriâ Francus orientalis, eruditione scripturarum illustris, ac vitæ merito valde admirabilis, de quo suo tempore latiùs dicemus.

Ad Monasterium novæ civitatis vulgariter Nevvestat Herbipolensis Diœcesis, quod S. Burchardus primus Herbipolensium Episcopus olim temporibus Pipini Regis Francorum construxerat, datus est Abbas cum X. Monachis de Conventu Hirsaugiensi nomine Adelgerus, vir moribus, & disciplinâ spectabilis, divinarum scripturarum interpres, qui locum sibi commissum ad meliorem statum restituit, & Monachos ad puritatem regularis observantiæ reformavit.

Ad Monasterium B. Mariæ semper Virginis ad Eremitas Constantiensis Diœcesis, de cujus fundatione longè superiùs anno Sigeri Abbatis IV. qui fuit Dominicæ Nativitatis DCCCC. LV. mentionem fecimus, ex Congregatione Hirsaugiensi datus est Abbas, nomine Henricus cum nonnullis Monachis ad puritatem regulæ optimè institutis, qui locum in utroque statu magnificè reformavit, tempore videlicet Brunonis hujus Monasterij Abbatis XV.

Ad Monasterium, quod vulgari vocabulo nuncupatur Monchaurach

chaurach in Francia orientali Herbipolenſis Diœceſis, quod 3. à Norenberga diſtat milliaribus, ex Hirſaugienſi Congregatione datus eſt Abbas nomine Waltherus, vir prudens, religioſus, & modeſtus, qui aſſumptis ſecum de iſta Congregatione nonnullis bonæ converſationis fratribus, Monaſticæ diſciplinæ obſervantiam nullo tempore duraturam, inibi plantavit.

Ad Monaſterium Campidonenſe Conſtant. Diœceſ. Manegoldus Monachus hujus Conventûs Hirſaugienſis tempore Brunonis Abbatis non per obedientiam miſſus, ſed precibus amicorum ſuorum, & inſtantiâ per Henricum regem 5. in Abbatem permotus eſt. Cujus ordinatio, tam fratribus, quàm Abbati hujus loci non parùm diſplicuit, quoniam Monaſticæ puritati penitus contraria fuit. Communicato igitur conſilio nomen ejus de Congregationis ſanctæ catalogo in vindictam tantæ præſumptionis ſtatuerunt perpetuò delendum.

Ad Monaſterium in Gengenbach Argentinenſis Diœceſis, quod S. Pirminius Meldenſis Epiſcopus, & B. Mauri Abbatis quondam Monachus, auditor, atque diſcipulus fundavit temporibus Theoderici regis Francorum, ſicut manifeſtè legimus in vita ejus latinè ſcripta, quam habemus, Marquardus Abbas cum 12. Monachis ex Hirſaugia miſſus eſt à Gebhardo venerabili Patre, qui S. Wilhelmo ſicut dicemus, in Abbatia Hirſaugienſ. ſucceſſit. Hic Reverendiſſimus Abbas *Marquardus* Cœnobium Gengenbach ſibi traditum *in* utroque ſtatu reformans, & temporalia ſapienter recuperavit amiſſa, & in brevi numerũ valdè auxit Monachorum. *Poſt quem & alius ad eundem locum* miſſus eſt, cujus nomen non occurrit.

Ad Monaſterium S. Albani prope Moguntiam, quod S. Bonifacius Archiepiſcopus, & Mart. olim fundavit, iuſſu & impenſis Pipini regis Francorum, de Congregatione hujus Cœnobij miſſus eſt Adelbertus Abbas cum Monachis 8. qui ſuâ prudentiâ, & induſtriâ locum ad priſtinum decorem reſtituit, & Monachos ibidem repertos ad regularis obſervantiæ tramitem reduxit.

Ad Monaſterium, quod Sels dicitur, in Diœceſi Argentinenſi (cujus Monachi noſtris temporibus ab Ordine recedentes, facti ſunt Canonici ſæculares, ſicut & alij plerique, quibus memoriæ locum opportuno dabimus tempore) miſſus eſt de Congregatione hujus Monaſterij *Abbas, nomine* Rupertus, qui conſilio, & auxilio Fratrum ſuorum, *quos* ſecum adduxerat, Cœnobium illud in brevi tempore, & ſtructuris venuſtum, & plenum Deo ſervientium reddidit Monachorum.

Ad Monaſterium S. Jacobi prope Moguntiam (quod Lupoldus Archiepiſcopus Moguntinus olim in monte ſpecioſo fundavit anno Monaſterij S. Aurelij vacantis L. ut ibi diximus) miſſus eſt de iſto Cœnobio Hirſaugienſi Erchenbertus Abbas, vir in omni genere ſcientiarum doctus, qui locum in utroque ſtatu promovit, & Monachos ad puritatem regularis obſervantiæ reduxit. Hic quoque homo cùm eſſet in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimus, multa per fratres ſcribi volumina inſtituit, & bibliothecam adhuc tenuem valde ampliavit.

Ad Monaſterium Nuvvilar Argent. Diœceſis (quod S. Piriminius Meldenſis Epiſcopus de quo diximus, temporibus Theoderici Regis Fran-

Francorũ primus fundavit, quemadmodum in libro gestorum ejus clarè invenitur scriptum, cujus Monachi nostris diebus perditâ similiter præsumptione sæculares facti ab ordine recesserunt) de Congregatione hujus Monasterij Hirsaug. Heinricus Abbas cum quibusdam Monachis destinatus est tempore Wolmari Abbatis, vir scripturarum eruditione spectabilis, & morum integritate reverendus, qui locum sibi commendatum in spiritualibus, & temporalibus plenè reformavit.

Ad Monasteriũ similiter Argentinens. Diœces. Moresmünster nuncupatum (quod prænominatus Præsul sanctissimus Piriminius B. Mauri quondam discipulus fundavit temporibus Theoderici Regis Francorum sicuti in vita ejusdem sæpiùs memorati Pontif. continetur) ex Hirsaugiensi missus est Abbas nomine Ruthardus, vir in omni conversatione regularis disciplinæ optimè instructus, anno Domini Wolmari Abbatis 14. qui Cœnobium sibi commissum, & bene rexit, & in utroque statu ad reformationis ordinem revocavit.

Ad Monasterium quoque Altha (quod sæpe nominatus beatissimus Præsul Pirminius, ut in ejus vita legimus, olim à fundamentis in partibus Bavariæ novum primus constructit, in quo, & sanctus Godehardus Hildeshemensis postea, ut dictum est supra Dominicæ Nativit. anno MXXI. Episcopus Monasticæ conversationis indumenta suscepit) missus est de Hirsaugiensi Congregatione Rupertus Abb. qui auxilio suorum regularem inibi observantiam plantavit, ipsumque locum pro viribus ad pristinum decorem reduxit.

Ad Monasterium Klingenmünster Spirensis Diœces. (quod ferunt à Dagoberto Rege Francorum quondam constructum, cujus Monachi nostris etiam temporibus ab ordine recesserunt Canonici facti sine regula viventes) ex Hirsaugia missus est anno Brunonis quarto Sigefridus Abbas, cum quibusdam fratribus in observantia regularis vitæ optimè institutis, qui locum in utroque statu reformaverunt.

Ad Monasterium S. Burchardi juxta Herbipolim (cujus Monachi simili præsumptione, & furiâ agitati, propriæ salutis immemores anno Domin. Nativit. MCCCCLIV. mensis Maij die 15. habitum professionis suæ monasticum abijcientes, ab ordine, quem voverant, recesserunt) missus est de Congregatione Hirsaug. fratrum Sigehardus Abbas, vir prudens, doctus, & venerandæ conversationis, qui suis laboribus, & industriâ Monasterium, cui præerat, optimè reformavit.

Ad Monasterium Hugshoffen in Diœcesi Argentinens. (cujus fundatorem ignoramus) de Congregatione Hirsaug. fratrum, missus est Conradus Abbas cum fratribus x. optimè institutis, qui locum ædificijs, & structuris necessarijs ampliavit, libros, & ornamenta Ecclesiastica pro viribus disposuit, proventus, & redditus auxit, & multiplicans numerum personarum Deo famulantium, regularis disciplinæ plantavit observantiam, quæ multo tempore duravit.

Ad Monasterium in Deckingen Augustensis Diœcesis missus est ex isto Cœnobio Hirsaug. sanctissimæ Congregationis Marquardus venerabilis Abbas vir multarum virtutum, humilitatis tamen, & charitatis præcipuè, ac divinarum studiosus amator scripturarum, qui verbo, & exemplo commissis sibi fratribus utiliter præfuit, & Monasticæ conversationis observantiã inibi plantavit.

Ad Monasterium S. Laurentij Mart. in Vraugia Herbipolensis Diœcesis (quod beatus Otto Bambergensis Episcopus fundavit, ut inferiùs suo loco dicemus) missus est Eckardus Abbas cum octo Monachis; qui erat vir non solùm in divinis scripturis, sed etiam in sæcularibus litteris egregiè doctus, de cujus ingenio, lucubrationibus, & sanctissima conversatione suo loco inferiùs temporibus suis dicemus latiùs. Est autem Monasterium illud Vraugiense de fundatione S. Ottonis Episcopi Bambergensis in Francia orientali situm, rebus quidē temporalibus non multùm abundans, sed contemplationi satis conveniens, quod ferme sex ab Herbipoli distat milliaribus, in quo venerabilis Eckardus Abbas primus institutus, regularis observantiæ fundamenta firmissima locavit.

Ad Monasterium imperiale SS. Petri, & Pauli Apostolorum in oppido Wisenburg Spirensis Diœcesis, quod ipsi fundatum à Dagoberto Rege Francorum asserunt, de Hirsaugia missus est Ludovicus Abbas cum quibusdam fratribus temporibus Gebhardi Abbatis, qui eundem locum in utroque statu magnificè reformavit. Iste Ludovicus filius fuit comitis Adelberti de Engesheim qui Monachus factus in prædicto Cœnobio Wisenburgensi, cujus Monachi jam à tramite regularis disciplinæ non parum declinaverunt. Audiens igitur bonam famam S. Wilhelmi divino spiritu compunctus venit ad Hirsaugiam, & delectatus fratrum conversatione sanctorum, denuò Monachus fieri cœpit, factáq; professione regulari beatissimo Patri, ut moris erat, vitam in omni sanctitate puram, & innocentem agere didicit. Unde crescentibus vitæ meritis tandem prioris Monasterij sui Abbas factus est in salutem animarum multarum.

Ad Monasterium in Alberspach Constantiens. Diœcesis de Congregatione fratrum Hirsaugiensium Abbas destinatus est Conradus, vir multarum virtutum in Christo, in scripturis divinis revolvendis quasi continuus, & nihilominus in rebus domesticis procurandis multùm laboriosus, qui Monasticam disciplinam, sicuti à suis præceptoribus eam plenè didicerat, in eodem Monasterio, quod in honorem sanctissimi Legilatoris Nostri Benedicti consecratum est, summo, & laudabili studio plantavit.

Ad eundem quoque locum postea missus est iterum alius valdè venerandæ memoriæ Bertholdus, qui Prior fuerat aliquanto tempore apud S. Gregoriū in Richenbach, vir prudens, modestus, & religiosus, qui verbo, simul & exemplo pastorem se Christi servorum semper utilem exhibere studuit, & tam in Prioratu positus, quàm in Abbatia ordinatus, in utroque rerum statu spirituali, & temporali providus extitit.

Ad Monasterium in Ottenbüren, Augustensis Diœcesis Abbas datus est de isto venerabili Cœnobio Hirsaug. vir multùm venerabilis, nomine Wilhelmus, qui Præpositus fuerat Rotensis, in spirituali conversatione non mediocriter exercitatus, & in disponendis rebus temporalibus longâ consuetudine probatus, & expertus. Hic suâ prudentiâ, & industriâ multa bona fecit Monasterio sibi commisso, auxit proventus, & redditus, plures fecit Monachos, observantiam confirmavit.

Ad Monasterium Beinvviler in finibus Alsatiæ, sub Bisuntinensi Provincia constitutum, missi sunt de Conventu Hirsaugiensium Monachorum

nachorum fratres octo, quibus S. Wilhelmus Abbatem præfecit nomine Essonem valde venerabilem virum, qui multis annis apud S. Aurelium Cellerarij majoris gessit officium, ita ministrum cum Martha vitæ curans activæ, ut contemplativæ dulcedinem minimè intermitteret. Abbas autem factus in memorato Beinvvilarensi Monasterio, prioris vitæ sanctitatem non solùm non minuit, sed etiam auctam usque ad mortem conservavit. Obijt vi. cal. Januarij miraculis coruscans. Maxima quotidie multidudo hominum ad S. Abbatem Wilhelmũ in Hirsaugiam confluxit, ad serviendum Deo viventi, ut præ copia eorum Hirsaugia urbs quædam populosa magis videretur esse, quàm Cœnobium. Nam propter periculum excommunicationis Henrici regis quarti, Ecclesiam Romanam, & omnes cum ea sentientes graviter persequentis multi viri boni Deum timentes, Comites, Barones, milites, nobiles, & ignobiles, clerici, & laici, divites, & mediocres, qui animas suas à communione schismaticorum immaculatas custodire volebant, relictis castellis, domibus, & Ecclesijs suis, ad Monasterium hoc Hirsaugiense, quasi ad civitatem quandam refugij à facie persequentium schismaticorum declinantes, confugientésque venerant, quorum plures mutato habitu Monachi facti sunt, & plures in habitu pristino Deo, & Monachis sanctæ Congregationis usque ad mortem servierunt. Ex quorum eleemosynis Hirsaugia non parvum suæ præmotions incrementũ accepit.

Ad Monasterium quoque Ameneburg Adelmus Monachus hujus Cœnobij Hirsaug. Abbas cum octo fratribus missus est, vir in observantia regularis disciplinæ vigilantissimus, & tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris omnifariam doctissimus, qui nonnulla fertur scripsisse opuscula, quibus nomen suum immortalitati consecravit, inter quæ præstat opus in Apocalypsin celeberrimus, quod multâ subtilitate lucubratum in sex libros plenè distinxit. Scripsit varios sermones, & cantus in honorem Sanctorum, & Monasterium in utroque statu bene gubernavit.

Ad Murrhardt Cœnobium Herbipolens. Diœcesis à Ludovico Rege pio fundatum anno Dominic. Nativit. 816. Indict. Romanorum 9. sub honore sanctorum Martyrum Januarij, Simplicij, Faustini, ac Beatricis in vasta soltitudine juxta fluviolum Murrha dictum, cujus primus Abbas fuit beatus Waldericus, qui priùs vitam ibidem duxerat eremiticam miraculis clarus, Wolmarus hujus Cœnobij Abb. pro reformatione misit, & instituit Fridericum Abbatem, cum certis Monachis sanctæ Congregationis suæ. Quo mortuo destinatus fuit & alius de Hirsaugia Abbas, cujus nomen ignoramus. De S. autem Walderico memorato Abbate Cœnobij Murrhardt primo ex veterum monumentis comperimus, quod breviter, ne pereat à memoria hominum, enarramus. Hic in eo loco, ubi nunc extra oppidum Murrhardt in colle parochialis situatur Ecclesia, ubi & sepultus jacet, vitam solitariam duxit, postea signis, & miraculis proditus, plures confluxerunt ad eum discipuli Deo in paupertate servientes. Quibus recognitis Ludovicus rex anno præscripto DCCCXVI. Murrhardt ei constructit Cœnobium, Waldericus pro confirmatione Romam mittitur, impetratísque, pro quibus venerat, Abbas ipse primus instituitur, & Presbyter ordinatur, de quo plura miracula narrantur.

Ad

Ad Monasterium sanctæ Crucis in Lympurg Spirensis Diœcesis (quod Conradus olim Imperator secundus fundavit, sicut diximus anno Monasterio S. Aurelij vacante 32.) datus est ex Hirsaug. Conventu Abbas nomine Erchenbertus tempore Gebhardi Abb. qui S. Wilhelmo immediatè successerat. Iste Erchenbertus Abbas ad Monachatũ susscepit Rupertum virum doctum, & postea Lympurgensem Abbatem, de quo inferiùs loco suo dicemus.

Ad Monasterium S. Michaelis Archangeli in Syncheim Spirensis Diœcesis ex Hirsaugia datus est Abbas Godebaldus, vir prudens, & religiosus, qui Monasticam disciplinam ibidem laudábiliter instituit tempore Wolmari Abbatis. Et notandum, quòd olim Dagobertus Rex Francorum Ordinis nostri Abbatiam fundavit insignem apud S. Germanum extra muros civitatis Spirensis. Joannes autem Episcopus Spirensis, cui Abbas Gebhardus postea in pontificatu successit, Monachos transtulit in Syncheim, & Canonicos, quos progenitores sui Comites in Syncheim locaverant, in locum Monachorum S. Germani transposuit, quemadmodum inferiùs suo loco dicemus.

Ad Monasterium S. Walpurgis in Diœcesi Argentinensi non procul ab oppido Hagenavv (quod comes quidam dives, & potens de Montpelgard fundavit) missus est de Congregatione Hirsaug. fratrum Wolframus Abbas cum XII. Monachis sub Abbate Brunone, qui cùm esset vir moribus maturus, & religiosissimus, nec minùs in divinarum scripturarum studio exercitatus, verbo, & exemplo multos ad Deum convertit, & vitam in eodem loco Monasticam secundùm consuetudines Patrum suorum laudabiliter instituit.

Ad Monasterium, quod Lorch nuncupatur in Diœcesi Augustensi, cujus fundator, & dotator magnificus extitit Fridericus Dux Suevorum, pater Friderici postea Imperatoris primi, missi sunt ex Hirsaug. Cœnobio Monachi XII. cum Abbate Herberto, qui regularis disciplinæ observantiam, quam à S. Patribus didicerant, introducentes loco firmiter & primi plantaverunt: (nomen hujus Abbatis invenire nequivimus.)

Ad Monasterium B. Mariæ semper Virginis in Schuttern Argent. Diœcesi. (quod S Pirminius Meldensis Episcopus, & D. Mauri Abb. quondam discipulus, tempore Theoderici Regis Francorum circa Dom. Nativitatis sexcentesimum annum primus fundavit, & constructum, sicut in ejus vita continetur, quod etiam Otto Regis Anglorum filius postea Monachus ibidem factus ampliando instauravit, quemadmodum supra diximus, anno, Monasterio S. Aurelij vacante, sexto, Christi verò anno septimo, & millesimo) missus est de hoc Monasterio Hirsaugiensi Joannes cognomento Widel cum certis Monachis, qui locum reformârunt & ad observantiam regularis disciplinæ laudabiliter reduxerunt. Joannes iste primùm fuit Prior in Monasterio Hirsaug. claustralis, deinò factus est Prior localis in Richenbach, postremò sub Blasio Abbate felicis memoriæ circa annum Dom. Nativit. MCCCCLXXXII. Abbas ad præfatum Cœnobium mittitur, vir consilio prudens, & activus in omnibus, simul & honestæ conversationis.

Deniq; sicut ex monumentis veterũ invenimus, fuerunt & alij complures viri excellentissimi tam eruditione scripturarum, quàm sanctimonia

monia vitæ ſpectabiles ad diverſa ordinis noſtri Cœnobia per intervalla temporum deſtinati Abbates, Priores, Inſtitutores, Reformatores ex hoc præclaro Monaſterio Hirſaugienſi, quorum recenſere memoriam ſingulatim non poſſumus, qui nomina, ſimul & tempora non ſatis clarè tenemus. Mutant enim tempora mores, nec ineſt cura omnibus bene geſta virorum ſcriptis ad notitiam deducere poſteritatis, ſed præmiſſis per longam neceſſariò digreſſionem his, quos diximus, nunc ad hiſtoriam revertamur.

MLXXXVI.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XVII. Heinricus Imperat. magno ſuorum collecto exercitu Saxoniam ingreditur, & patriam undíque devaſtat, ſpoliat, incendit, & depopulatur, nec tamen illâ vice Saxones ad deditionem ſui potuit compellere, ſed prædâ ſubductâ, & Provinciâ crudeliter vaſtatâ in ſua revertitur. Eodem anno civitas Francorum Herbipolis in odium Imperatoris Heinrici à Suevis, & Saxonibus durâ ſatis obſidione circumvallata eſt. Quo audito Imperator Heinricus ad liberandam civitatem copioſum tam peditum, quàm equitum congregavit exercitum, pugnâque juxta villam Bleichfeld atrociſſimè commiſsâ, Hermannus, quem Sueviæ Saxones Regem conſtituerant, campum obtinuit, & Regem Heinricum inde fugavit. Mox iterum ad obſidionem urbis reverſi tandem poſt multos, & varios inſultus capta eſt civitas, Adelbero Epiſcopus, qui diutiùs exulerat, introducitur fugato Meginhardo, quem Heinricus ſubordinari fecerat, ut ſupra diximus: relicto cum Adelberone præſidio, unuſquiſque ad ſua revertitur. Sed poſt dies paucos, hoſtibus ad ſua reverſis, Imperator cum magno ſuorum exercitu ad obſidionem urbis revertitur, captâque civitate Herbipolenſi, Epiſcopus Adelbero cum ſuis repellitur, & Meginhardus iterum in pontificali urbis cathedra potenter locatur.

Herbipolis obſidetur à Suevis.

Adelbero Epiſcopus Herbipoli captâ expellitur.

Anno prænotato Marianus Scotus noſtri Ordinis Monachus, & pro Chriſti amore apud Moguntiam incluſus, de ejus vita, moribus, ingenio, & lucubrationibus anno Monaſterij S. Aurelij vacantis 62. moritur anno ætatis ſuæ 58. Moguntiæin majori Eccleſia S. Martini ſepultus, non ſine opinione ſanctitatis, qui ſpiritum habuit prophetiæ. His temporibus claruit Bruno de Colonia, vir doctus, & ſanctus, qui Magiſter ſcholarum Pariſijs extitit, & plures in divinis ſcripturis diſcipulos doctos, & inſignes ſuâ inſtitutione publicâ erudivit. Hic ordinem Monachorum primus inſtituit, qui Carthuſienſis, à loco principij, vocabulum accepit. Canonicus erat Eccleſiæ Remenſis in Gallia, & Rector ſicut dictum eſt, ſcholæ Pariſienſis, qui divino ſpiritu miraculosè compunctus eremum Carthuſiæ in Diœceſi Gratianopolitana cum alijs quatuor Clericis, & duobus laicis remotam ab hominibus petijt, & omnia, quæ labentis ſunt mundi, pro Chriſti nomine contempſit. Hujus S. Ordinis promotor ſtudioſiſſimus, & cooperator ſingularis S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus extitit, qui habitum ejuſdem fraternitatis de manu Brunonis memorati humiliter poſtea accepit.

Ord. Carthuſienſis initium.

MLXXXVII.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XVIII. Victor Papa tertius ex Abbate Monaſterij Caſſinenſis ordinis noſtri, vir ſanctiſſimæ converſationis, & magni

Victor ex Abbate fit Papa.

gni apud Deum meriti, dissenteriâ solutus moritur, cujus anima in cœli cum Angelis sine fine beata lætatur. Sunt, qui scribunt illum insidiis Wigberti Ravennatis Antipapæ, vel suorum interijsse, hausto in sacro calice nescienter veneno, quod minister pecuniâ corruptus imposuit. Huic in summo Pontificatu immediatè successit Odo Cluniacensis Abbas, sed tunc Episcopus Hostiensis nostri ordinis, & dictus est Urbanus secundus, præfuitque annis tredecim, & mensibus quatuor. Alij scribunt & verius, quòd non fuerit Abbas, sed primò Clericus Remensis, postea Monachus Cluniacensis, deinde Prior Claustralis, postea Episcop. & postremò Papa. Vir quidem doctrinâ, & sanctitate præcipuus, qui verbo, & opere, simul ac scriptis contra insultus hæreticorum fortiter defensavit Ecclesiam, multáque scripsit, atque statuit ad utilitatem communem.

Urbanus ex Monacho fit Papa II.

Anno etiam prænotato Hermannus, quem Suevi, & Saxones contra Heinricum in Regem constituerant, videns se prævalere non posse, falso Regis nomine depositoꝰ gratiam ejus postulans obtinuit, atque permissus redire ad propria, non post multos dies, in cujusdam obsidione oppiduli, dum nimis incautè aditum exploraret murorum, interiit. Eodem quoque anno Bertha Imperatrix mater Conradi Regis moritur, & Moguntiæ sepelitur. Cujus corpus tamen postmodùm jubente Imper. Heinrico exhumatum ad civitatem Spirensem deportatum est, & in majore Ecclesia B. MARIÆ in Capella Regum reconditum.

Hermannus Regis nomen depositum fuit.

Anno etiam prænotato S. Theogerus Monachus *hujus Cœnobij* Hirsaugiensis (postea Metensis Episcopus) imperante B. Wilhelmo factus est tertius in ordine Abbas Monasterij S. Georgij in nigra sylva, de cujus *fundatione paulò ante fecimus mentionem*, præfuitque in regimine Abbatialis dignitatis strenuè annis ferme XXVIII. vir sanctus, & magnæ in scripturis sanctis doctrinæ, & eruditionis. Oriundus fuit ex Francia orientali, quam alio nomine Teutonicam vocaverunt antiqui, parentibus humili propagine satis, qui cùm puer esset ingenio docilis, & animum cum Salomone sortitus bonam, more suorum ad litteras ponitur, & sub magisterio cujusdam Manegoldi præfecti scholarum in Alsatiæ Provincia, viri non solùm doctissimi, sed etiam morum sinceritate integerrimi (qui Christianus rectè dicebatur, & erat Philosophus) optimè institutus, in brevi doctus in omni genere scientiarum evasit. In omnibus namque artium liberalium disciplinis egregiè fuit peritus, *& in musica* singulari exercitatione consummatus. Nam factus postea *in Hirsaugia* Monachus, librum scripsit de musica non solùm utilem, sed etiam valde instructum, & elegantem. In Psalterium etiam breves quidem, sed utiles, & pulchros commentarios edidit, quibus ingenij sui vires manifestiùs ostendit. Epistolas etiam plures, & ornatas scripsit ad diversos, & sermones varios, sive homilias ad Monachos. Postea verò quàm diutiùs cum prænominato præceptore suo fuisset obversatus, & in omni varietate scripturarum, simul & morum venustate optimè instructus, abeundi licentiam ad suos obtinuit, quos non mediocriter sua eruditione lætificavit. Qui Canonicus factus in Ecclesia S. Martyris Cyriaci novæ domûs juxta Moguntiam omni tempore justum, prudentem, ac moderatum se in cunctis exhibuit, & exemplar totius modestiæ, & honestatis fuit. Et quia, sicut diximus, in omni genere scientiarum doctissimus

ctissimus extitit, docendi munus ei à Præposito Ecclesiæ memoratæ commissum fuit. Ad cujus magisterium quotidie plures docendi convenerunt, quos ille summâ diligentiâ non solùm in divinis scripturis, sed etiam in sæcularibus litteris ad plenum instruebat. Deinde post annos aliquot negotium habens familiare ad S. Abbatem Wilhelmum pro consilio venit in Hirsaugiam, nihil minus, quàm Monachus fieri cogitans. Verùm ad sermones sanctissimi Patris tandem compunctus, & divinâ miseratione præventus inter audiendam Missam viro Dei celebrante, pro ipsóque orante, cùm jam esset abiturus, subitò mutavit consilium, & votum assumpsit Monachorum. Contemptis itaque mundi honoribus, & vanitatibus cunctis pro Christi amore Monachus factus est, & futuræ sanctitatis probatum mox dedit indicium, maximâ solicitudine vigilans in timore Domini, nihil plus appetijt nisi quomodo illi placeret, cui se probavit. Unde brevi tempore in omni genere virtutum perfectus emicuit, & quidquid Monasticæ conversationis mandat institutio, diligenter custodivit. Abbati suo tantâ se humilitate prostravit, ut nullum illius quantumlibet leve, vel arduum, etiam in minimo præteriret imperium. Quod ubi S.P. Wilhelmus diutinâ, diligentíq; examinatione probavit, eum, ut par erat, pro vitæ merito amare præ cæteris familiariùs cœpit, ac suis illum, seniorúmque crebriùs adhibere consilijs, & alloquijs. Considerans autem beatissimus Abbas Wilhelmus Theogerum in omni varietate scripturarũ esse peritum, ipsi, & cuidam alteri Monacho æquè doctissimo, qui Haymo fuerat nominatus de quo postea dicemus, id injunxit officij, ut in omnibus divinæ historiæ libris, ac in toto novi, veterisque Testamenti corpore, quicquid vitio scriptorum invenirẽtur vel corruptum, vel depravatum corrigerent, & ad veritatis regulam per distinctiones, & subdivisiones, punctuando emendarent. Quod viri Abbatis imperium humiliter exequentes, totam utriusque Testamenti paginam emendârunt, cujus necessariæ, & ingeniosæ correctionis exemplaria in Bibliotheca Hirsaugiensis Cœnobij usque hodie servatur. Post hæc de die proficiens in diem, & semper in timore Domini succrescens, omnibus exemplar cœpit esse virtutum, & qui ad conversationem cum novissimis venerat, inter proficientes primus stabat. Quem divus Pater Wilhelmus adhuc Diaconum Priorem cellæ sancti Georgij in Reichenbach constituit, & ejus prudentiæ utriusque statûs regimen commisit, qui verbo, simul & exemplo bonorum se operum sectatorem in omnibus semper exhibuit, & à tramite regularis observantiæ, quam à S. præceptore acceperat, in nullo unquam declinavit. Qui dum aliquanto tempore injuncto sibi fungeretur officio, volens illud S. Abbas arctiùs ministerio vincire divino, Presbyterum fecit ordinari, quem dignis etiam multis credidit jure digniorem. Factus deinde Abbas in prænominato Monasterio S. Georgij Martyris in nigra sylva, Constantiensis Diœcesis, quod necdum sufficienter ad omnes necessarias Monachis officinas, & structuras videbatur consummatum, magno egit studio, ut optatum reciperet complementum. Et primò quidem regularis disciplinæ observantiam ibidem instituit; deinde ad consummationem Ecclesiæ, & totius Monasterij non minus studij, quàm laboris impendit. Et quamvis de externis ob inopiam loci multum cogeretur esse solicitus,

Theogerus fit Prior in Reichenbach.

Theogerus fit Abbas S. Georgij.

nunquam tamen ab interiorum contemplatione fuit otiosus, sed suæ fraternæ charitati providentiæ curam exhibuit, ita nihil, quod ad Deum pertinet, neglexit. Et sicut internorum curam exteriorũ occupatione non minuit, sic externorum providentiã internorũ solicitudine non reliquit. Successu dein temporis posteaquam Cœnobium S. Georgij sibi cõmissum in utroque statu, Dño largiente, prudenter instituit, & confirmavit, ut multis prodesse posset, animũ in timore Dñi fundatum ad majora quotidie extendit studia pietatis: nam plura Monasteria tam Monialium, quàm Monachorum, nova instituit, & vetustate collapsa restauravit. Impromis namque D. Patris Wilhelmi exemplo animarum zelum habens indefessum, Monasterium virorum in Castello Luckesheim à fundamentis novum condidit, quod suo, & Successorum suorum imperio perpetuo subjecit. Hoc videlicet castrum Luckesheim, Wolmarus Gallicæ gentis comes, de magnis periculis inimicorum suorum precibus S. Theogeri liberatus, pro gratiarum actione Monasterio divi Martyris Georgij spontaneâ voluntate contulit, & ut in Cœnobium Dei commutaretur servorum instantissimè rogavit. Monasterio itaque consummato in eodem loco, ubi prius steterat castrum, salutis animarum studiosissimus inquisitor Theogerus, Monachos de suo Cœnobio imposuit, quibus Priorem sanctum, & religiosum dedit. Comes autem Wolmarus, qui castrum illud omnipotenti contulit, triduo ante mortem vocato S. Patre, monasticum ab eo habitum suscepit, munitisque ex more fidelium Sacramentis Ecclesiasticis, in Domino quievit. Qui Monachus cum Monahis in eodem Monasterio sepultus, futurum resurrectionis diem expectat.

Theogerus Monaster. virorum construxit.

Aliud S. Theogerus Cœnobium construxit Monialium in latere montis, qui milliaribus ferme quinque à Monasterio S. Georgij distat, in quo centum circiter sanctimoniales sub regula Ss. P. N. Benedicti Domino famulantes congregavit. Quæ contemptu sæculi fuêre sublimes, justitiæ meritis glorioſæ, in candore niveæ castitatis præclaræ, & in Dei amore venerabiles: horis canonicis ad persolvendum divinæ laudis officiũ pariter in Ecclesia confluebant, & Dei operi nihil præponebant, nullam esse licebat in Monasterio, quæ non de Psalmis, aut alijs scripturis quotidie aliquid disceret. Inde omnes pene latini sermonis habebant notitiam, & quidquid legebatur, intelligebant, quod non parùm ad internæ compunctionis gratiam videtur conducere. Diebus festis orationi vacabant omnes, aut lectioni, nec quicquam operis perituri emolumenti tractare consueverunt. Alijs verò diebus manuum instabant operi distributo. Unus omnium habitus, unus cibus, & potus, unus juxta regulam vivendi modus, victu, & amictu exceptis, nulli quicquam habere licuit, earum à viris tanta separatio fuit, ut Monasterium quæ semel fuisset ingressa, nullatenus unquam exiret. Quibus venerabilis Pater viros sanctos, & boni testimonij Magistros præposuit, de quorum maturitate, & constantia securus fuit. Ipse namque, ut sollicitus pastor, eis aliquoties in anno visitare consuevit, annuntians eis verbum sanctæ prædicationis, singularúmque conscientias sollicitâ inquisitione discutiens.

Centum Moniales sine proprio viventes.

In prænominato Cœnobio monialis una fuit cum primis ad ordinem à sancto P. Theogero suscepta, nomine Beatrix, multis virtutibus clara, in cujus transitu voces cantantium auditæ sunt Angelorum, melodiâ suavissimâ

Beatrix virgo clara virtutibus.

vissimâ hanc de virginibus Antiphonam: Veni electa mea, & ponam in in te thronum meum, quia concupivit rex speciem tuam. Exhumata post septennium adhuc integrum corpus ejus, & sine corruptione apparuit, odorem spargens supra modum humanæ conditionis, vel consuetudinis suavissimum.

Cœnobiũ Marci restauratur.

Aliud Cœnobium erat Sanctimonialium in honore D. Marci Evangelistæ ab antea constructum, sed inops, exiguum, & imperfectum, quod S. Theogerus ita muris, ædificijs, & possessionibus ampliavit, ut brevi non minus, quàm centum similiter in eo Sanctimoniales congregaverit fœminas, Domino nostro Jesu Christo in vera pietate mentis, & corporis sine intermissione jugiter famulantes, nec solùm populares, sed & procerum utriusq; sexûs multi splendidis opibus pro Christi amore contemptis, Theogeri se Magisterio humilimè subjecerunt, plures nobilium è numero filios ei suos, & filias in timore Domini tradidêre nutriendos, ad serviendum sub Regula S. P. Benedicti omni tempore Deo viventi in sæcula sæculorum.

S. Theogerus DCC. Monachos, & Moniales sub sua cura habuit.

Tanta multitudo ad S. Theogerum Abbatem Deo cupiens sub ejus Magisterio famulari confluxit, ut in spatio decem annorum, vel duodecim, Monachorum, & Monialium animas non minus septingentas susceperit procurandas, de quorum vita, & institutione miranda narrantur. Ex his multi tam in vita, quàm post mortem infinitis coruscaverunt miraculis. Alij revelationibus edocti divinis futura prædixêre mortalibus, nonnulli per spiritum, & diem prænunciaverunt obitûs sui, & horam. Gaude felix Hirsaugia, fons Religionis antiquæ, quoniam ex te non quatuor modò, sed centum ferme manârunt flumina, quæ Germaniam pene totam suis imbribus, & cœlestibus doctrinis impleverunt.

Rupertum dedit in Otenbüren Abbatem.

Ad Ottenbüren Monasterium Augustensis Diœcesis beatus Abbas Theogerus, (post mortem Abbatis Wilhelmi, quem D. P. Hirsaugiensis Princeps S. Wilhelmus cum Monachis ad reformationem loci quondam illuc posuerat) venerabilem virum nomine Rupertum sanctitate, & gratiâ plenum Monachis desolatis præfecit Abbatem, qui verbo, & exemplo viam Domini in veritate subditis ostendit.

Ad Monasterium Hugshofen Argentinensis Diœcesis post Conradum à S. Wilhelmo de Hirsaugia missum, sicut diximus, cum decem Monachis, beatus Theogerus Abbatem valde religiosum, & sanctum de suis discipulis unum constituit, cujus nomen scriptor vitæ ejusdem sancti, si rectè memini, non expressit. Tanta fuit inter Patrem, & filium pacis concordia, ut quod ille felici auspicio inchoâsset, iste consumare, & perficere pro honore Jesu Christi non dubitaret.

Abbatem quoque Cœnobij S. Udalrici Præsulis in civitate Augustensi, qui arctioris vitæ desiderio deserens Abbatiam suam beati se Theogeri magisterio humiliter subjecit, petente urbis Episcopo, & omni Clero, adjunctis illi nonnullis Monachis in timore Domini fundatis, honorificè ad Augustam remisit, per quem regularis vitæ observantiam in eodem Cœnobio diu collapsam ad pristinum statum revocavit.

Alius est magnæ doctrinæ vir nec infimæ sanctitatis curam pastoralem, cui præerat, postponens, ad Monasterium S. Georgij se contulit, & D. Patris Theogeri magisterio humiliter subjecit, qui posteaquam sub

regulari disciplina in timore Domini optimè convaluit, Abbas insigni Monasterij Admontensis in partibus Austriæ Præceptoris imperio constitutus fuit, & observantiam, quam sub magistro Religionis didicit, non verbis tantùm, sed & operibus demonstravit. Denique & alia nonnulla ordinis nostri Monasteria negligentiâ Prælatorum, aut malitiâ temporum, aut nimiâ vetustate penè collapsa per suos labores, industriam, & continuum studium restituit, & in utroque statu funditùs reformavit. Fuit enim vir multarum in Christo virtutum, per quem Deus omnipotens plura mortalibus ostendit miracula, quorum aliqua in opusculo, quod in duobus libris de vita ejus quidam Monachus ad imperiũ Erbonis Pruvoningensis Cœnobij Abbatis comprehendit, luculenter inserta habentur. Per annos enim xxx. quibus Cœnobio S. Georgij Abbas præfuit, multa pro Dei honore bona, & monastici ordinis perfectione fecit.

Tandem sub Heinrico Rege quinto anno Domin. Nativit. MCXVI. cùm Ecclesia Catholica excommunicati Regis persecutione gravissimè conturbaretur, & multi largitione munerum ad Episcopatus, & Abbatias sibi apud Regem pararent ingressum, Albero quidam sanguine clarus, sed moribus, & conversatione turpis, & nimiùm incompositus, Metensis Ecclesiæ Pontificatum, quem à seniore Heinrico simoniacè comparaverat, per annos xiv. miserabiliter occupabat. Qui cum oves Christi non tam pascere contemneret, quàm opprimeret, Rom. Pontificis auctoritate deponitur, & B. Theogerus dicti Monasterij S. Georgij M. in nigra sylva Abbas, ab his qui Romanam sequebantur Ecclesiam in præsulem Ecclesiæ Metensis unanimi consensu, licet procul absens eligitur. Qui posteaquam diu reluctans, & multis excusationibus se defendens electioni nollet præbere consensum, tandem auctoritate Cuonis Prænestini Episcopi Cardinalis, & Rom. Pont. Legati sub pœna excommunicationis ad consentiendum per obedientiam compellitur, & in Cœnobio Corbejensi Saxoniæ in die, quem octava beatorum Apostolorum Petri, & Pauli fecit solemnem deducentibus eum duobus Archiepiscopis Magdeburgensi videlicet, ac Salzburgensi, ab eodem Legato Sedis Apostolicæ ordinatur. Episcopali benedictione, sive consecratione susceptâ, beatissimus Præsul Christi Theogerus post multa periculis plena hinc & inde viarum itinera jussu Legati ad civitatem Metensem tandem proficiscitur, sed à civibus cum injurijs refutatur, quorum major pars Regem sequebatur excommunicatum, & ob id Rom. Pontificis contempsit imperium. Repulsus igitur vir sanctus à Metensibus, ad Monasterium revertitur, sed iterum post iv. menses à Legato in Galliâ ad consilium evocatur, sed nec tunc quidem à civibus admittitur, qui partes Alberonis impij sequebantur.

S. Theoger. Corbeiæ Saxoniæ ordinatur Episcopus.

Interea Calixtus Papa II. qui Gelasio successerat, venit in Galliam, habens in comitatu suo memoratum Prænestinum Episcopum, & alios Cardinales multos, qui convocatis Galliæ Episcopis in civitate Rhemorum celebravit consilium, in quo S. Præsulis Theogeri electionem, & ordinationem cunctis assistentibus denuò confirmavit, ipsum Dei virum, quia consilio præsens interfuit, ut se murum pro Domo Dei opponere non cessaret, multimodâ consolatione roboravit. Consilio Rhemensi tandem soluto Rom. Pontific. Calixtus, secum ducens beatum

tum Theogerum Episcopum Antisiodorensem petijt, & ibi Nativitatem Domini cum suis Cardinalibus celebravit. Ab Antisiodoro Papa Calixtus ad Cluniacense divertit Cœnobium, secum ducens Theogerum venerabilem Episcopum, quem Pontinus Abbas summæ cum exultationis gaudio susçipiens, omne, quod potuit, humanitatis officium per se, & suos, ut vero Dei famulo, exhibuit. Calixto Papa cum suis à Cluniaco discedente, S. Præsul Theogerus in eodem loco pauper, & exul, Pontio Abbate petente remansit quatuor mensibus, tempus omne in contemplatione divinorum, & oratione consumens. Quarto jam mense ibidem exacto S. Senem febris mortalis invasit, quâ nimiùm invalescente, homo Dei lætus mortem exspectans, præmunitúsque dominicis Sacramentis juxta sanctæ consuetudinem Ecclesiæ tertio Kalendarum Maij, hoc est penultimâ die Mensis Aprilis ad Dominum Jesum Christum, quem toto corde amaverat, transivit, anno Pontificatûs sui tertio non completo, anno videlicet Dominicæ Nativitatis. MCXIX. Indict. Rom. XII. Sepultus est in Ecclesiâ S. Petri Cluniacensis Monasterij ad plagam septendrionalem juxta parietem templi, ad cujus sepulchrum multa deinceps sunt cælitùs visa miracula, de quibus scribere isthîc nihil propositum.

S. Theoger. Episcopus moritur.

In Abbatia Monasterij S. Georgij Martyris B. Theogero ad Apicem Pontificatûs sublimato Wernerus Monachus, & discipulus ejus successit, vir & ipse cùm eruditione scripturarum, tum morum integritate religiosissimus, qui regularis vitæ observantiam, quam à Præceptore sanctissimo didicit, & in se, & in subditis, omni tempore studiosissimè custodivit, unde post multa pietatis studia, non sine opinione sanctitatis ad Dominum migravit.

Werner. Abb. S. Georgij.

MLXXXVIII.

Anno S. Wilhelmi S. Abbatis XIX. Indict. Rom. XI. in die S. Thomæ Apostoli, hoc est 21. die mensis Decembris consecrata est Ecclesia Monasterij Cambergensis ordinis nostri cum capellis, & altaribus quatuordecim ab Adelberone Herbipolensis Ecclesiæ Reverendissimo Episcopo in honore S. Nicolai Myreorum quondam Pontificis. Quod Monasterium Burghardus comes de Rotenburg à novo construere cœpit anno Wilhelmi Abbatis X. & in novem annis Domino cooperante perfecit, multísque possessiionibus locupletavit. Ad quod fundatore postulante beatissimus P. Wilhelmus de Conventu suo isto Hirsaugiensi, ut supra diximus, Monachos optimæ institutionis duodecim misit, quibus Guntherum valde religiosum, & sanctum virum Abbatem præposuit, qui commissum sibi pastoralis curæ officium diligentissimè prosequens, magnam multitudinem Deo servientium Monachorum brevi tempore in eodem loco congregavit. Hujus Cœnobij Monachi tandem novissimis diebus nostris præsuadentem intus diabolum secuti, ab ordine sancto, quem professi fuerunt, recesserunt, sine regula cupientes vivere, facti sunt nomine, & conversatione Canonici sæculares.

Monachi primi ad Camberg de Hirsaugiâ missi.

Heinricus autem comes frater memorati comitis Burghardi partem hæreditatis suæ cum esset junior sibi vendicans, duxit uxorem nomine Getam, & multis annis fuit Ecclesiarum Herbipolensis, Cambergensis, & in Orengevv fidelis, & strenuus Advocatus; postea factus est Dux, cum liberos non haberet, posuit & suæ cooperationis lapidem fundamentum

mentum domûs Domini, & conſtruxit Eccleſiam S. Ægidij in minore Camberg, quatuor in ea conſtituens altaria. Dedit nihilominus S. Nicolao, & Monaſterio præfato Cambergenſi ſubſcripta oppida, & villas, videlicet: Rotenburg, Küenburg, Villam Gebſedel, Viſchbach, Soldorff, Otterbach, Thulheim, & Markartershoffen.

Buggo Halberſtadenſ. Epiſcopus occiditur.

Anno prænotato Buggo Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus, apud Goſlariam in tumultu occiditur non ſine ſuſpicione inſidiarum Heinrici. Eodem quoque anno Wezil Archiepiſcopus Moguntinus moritur: vir in omni genere ſcripturarum doctiſſimus, & ſingulari eloquentiâ facundus anno Pontificatûs ſui quinto incompleto; cui Ruthardus in Archiepiſcopatu ſuccedens, præfuit annis xxi. non ſine multis perſecutionibus Heinrici Regis iv. nam anno Pontificatûs ſui octavo, per ipſum Regem excommunicatum, de civitate Moguntinâ, & partibus Rheni expellitur, & novem annis in Thuringia commoratur, & poſtea per Heinricum v. ſedi propriæ reſtituitur. Eodem anno Meginhardus contra Adelberonem Herbipolenſis ſubordinatus Epiſcopus moritur, in cujus locum ipſo Adelberone adhuc vivente, & apud ſuos, ut ita dicamus, exulante, Einhardus promotione Regis Heinrici ordinatus eſt, & occupavit Herbipolenſem Eccleſiam annis quindecim, menſibus octo, diebus tribus. Hoc ipſo anno civitas Auguſtenſis Suevorum inſidijs, & machinatione, cooperantibus ad hoc Saxonibus in Cœna *Domini noſtri* Jeſu Chriſti denuo capitur; & feriâ 2. poſt Paſcha ab eiſdem deſtruitur quam ſe retinere diu contra potentiam Imperatoris deſperabant. Sigefridus Epiſcopus ejuſdem urbis captivus abducitur, & in cuſtodia detinetur. Vingoldus autem invaſor ejuſdem Eccleſiæ in brevi moritur.

Ruthardus fit Archiep. Moguntin.

Meginhar. Epiſcopus moritur.

Auguſta capitur, & deſtruitur.

Anno etiam prænotato Heinricus Imperator exercitum validum duxit in Italiam, & omnes Antipapæ ſuo Wigberto contrarios, quanto potuit ſævitiâ, & crudelitate perſecutus eſt. Florentinus Urbani Papæ mandata ſequentes, durâ ſatis obſidione vallavit; ſed imperare non potuit. O tempora! O mores! Romæ in cathedra S. Petri Wigbertus ſedebat idolum, & verus Chriſti Vicarius nullum manendi locum poterat invenire tutum, eò quòd peſtilentes totum occupaverat mundum. His temporibus claruerunt in hoc Monaſterio Hirſaugienſi ſub magiſterio beatiſſimi P. Wilhelmi plures Monachi præclari, & inſignes, quorum aliqui fuerunt in omni genere ſcripturarum doctiſſimi, quidam ſanctitatis merito glorioſi, nonnulli ſcientiâ ſcripturarum, ſimul ac vitæ merito coram Deo, & hominibus conſummati: inter quos primus nobis cum laude memorandus occurrit Monachus ille venerandus, nomine Adelbertus, qui per annos aliquot ſub D. Abbate Wilhelmo Prioris ſtrenuè geſſit officium. Erat ſanè vir omnium virtutũ ornatu decorus, vitæ ſanctimoniâ paternæ traditionis auditor, cuſtos, & æmulator ſtudioſiſſimus; qui etſi debilis corpore, mente tamen, & fervore ſpiritûs multis fortior fortiſſimis inceſſit. Nam ejus converſatio ſanctitatis, & modeſtiæ plena cunctis monaſticæ puritatis, & integritatis præbebat exemplum, in cujus mente ſemper Chriſti flagrabat dilectio, in ore laudis oratio, in moribus ſumma religio. Unde quicunque illius visâ converſatione ſanctior non evaſit, procul dubio ſanctus numquam fuit. Tandem peregrinationis ſuæ ſtadio conſummato feliciter migravit ad Dominum, factus

Adelbertus Prior Hirſaugiæ ſanctus.

factus concivis Angelorum. Post cujus felicem transitum S. P. Wilhelmus Priorem in ejus locum constituit Monachum quendam venerabilem nomine Theodoricum, virum sapientiâ, & eruditione scripturarum illustrem, nec minus vitæ merito sanctum, quàm scientiæ studio eruditum. Hunc P. Sanctus postea misit Abbatem, sicut antehac supra diximus, ad Monasterium Petri domus in Constantia, ubi gregem Domini curæ suæ commissum in innocentia cordis sui omni tempore laudabiliter gubernavit. In cujus locum vir Domini Wilhelmus Priorem ordinavit Monachum quemdam nomine Ottonem, virum ætate provectum, moribus, & conversatione maturum, & cunctis fratribus summo dilectionis affectu reverendum, qui per paucos quidem menses Prior, per plures verò annos major Monasterij Cellerarius fuit. Erat in disponendis, ordinandisque rebus domesticis, ac temporalibus vir magnæ providentiæ, & peritiæ singularis, quo externa prudenter disponente, S. P. animarum profectui liberiùs omni tempore poterat esse intentus: qui etsi ratione officij curæ domesticæ cum sancta Christi hospite solicitus esse cogeretur erga plurima, spirituale tamen Mariæ contemplantis otium non contempsit; quin ita potiùs curabat transitoria, ut nunquam à contemplationis internæ dulcedine recederet. Post hunc S. P. Wilhelmus Priorem constituit Gebhardū, virum genere nobilem, moribus, & conversatione religiosum, in rebus non minùs experientiâ agendis, quàm naturâ providum, & valde memorabilem. Hic deinceps mansit Prior usque ad obitū S. P. Wilhelmi, quo mortuo illi mox in Abbatia successit, & postremò in Episcopum Spirensis Ecclesiæ sublimatus fuit, de quo post hæc suo loco plenius dicemus.

Otto Prior, & Cellerarius Hirsaugiensis.

Gebhardus Monachus fit Prior.

MLXXXIX.

Anno S. Wilhelmi Abbatis xx. Segevvinus Archiepiscop. Colonienſis moritur, cui Hermannus ejus nominis tertius, qui & cognomento Dives, successit, vir magnus, & inclytus. Eodem quoque anno mortuus est Otto Episcopus Ratisponensis, pro quo Gebhardus adolescens promotione Heinrici Imperatoris constituitur. Post mortem Diethmari Wormatiensis Episcopi, obijt anno S. Wilhelmi Abbatis xvi. successerat ei in Pontificatu ejusdem Eppo quidam, de quo mira narrantur, & multis annis præfuit.

Hermannus fit Archiepiscopus Colonienſ.

Anno etiam prænotato Heinricus Imperator secundas nuptias celebravit apud Coloniam, quandam Udonis Marchionis Viduam nomine Praxedem, Roschorum Regis filiam, ducens in uxorem, de qua genuit filium nomine suo appellatum Heinricum v. postea Regem, & filiam vocabulo Agnetem, de quibus suo loco dicetur.

A Colonia profectus ad Aquas Grani cum principibus suis, Conradum filium suum ex priore natum uxore, in Regem coronari fecit, quem tamen postea repudiavit, juniorem filium ex Praxede secunda uxore natum pro eo, sicut dicemus, tempore suo Regem constituens. Eodem mox anno Heinricus Imperator congregato non parvo suorum exercitu, oppidum quoddam Marchionis Egberti fortissimum in Thoringiâ positum, Gliche dictum, obsedit. In Vigilia autem Natalis Domini, quò scilicet die Dominicâ, cum magna pars primatum ob diem festum jam abjerat, Eggebertus suis consulens audacter Imperatorē invadit, & fortiter

Conradus fit Rex.

primò resistentem, tamen cedere tandem compellit. In eo conflictu Burghardus Lossanensis Episcopus, qui eâ die sacram Imperatoris lanceam ferebat, occisus est.

Pestis dicta ignis sacer.

His temporibus pestilentia magna fuit in occidentali Lotharingia, ubi plures morbo, qui sacer ignis appellatur, interiora consumente, putrescentes horribiliter homines membris exesis instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriebantur, aut manibus, aut pedibus putrefactis truncati, miserabiliori vitæ servabantur: multi etiam nervorum contractione distorti, miserabili tormentorum genere cruciati, longum moriendi protraxerunt agonem. Magni quoque terræ motus in plerisque Europæ locis hoc anno fuerunt.

MXC.

Imperator proficiscitur in Italiam.

Anno S. Wilhelmi Abbatis XXI. Imperator Heinricus Italiam denuò cum exercitu suorum ingreditur, & fermè per septennium ibidem commoratur, Urbanum verum Christi Vicarium odio inveterato persequitur, & suum idolum Antichristi Vicarium Ravennatensem Episcopum, quem fecerat Papam, totis viribus exaltare defendens, & persuadere hominibus conatur. Quoscunque suo Clementi adversarios, & inobedientes reperit, si non mandavit occidi, bonis ad minùs fecit omnibus spoliari. Eodem anno Egkebertus Marchio, de quo jam præcedenti anno diximus, in quodam molendino, in quod pausandi gratiâ declinaverat, inventus à quibusdam Imperatoris fidelibus, turpiter occiditur.

Egkebertus Marchio interficitur.

Adelbero Episc. Herbipol. moritur.

Anno etiam prænotato sextâ die mensis octobris mortuus est Adelbero Reverendissimus Herbipolensis Ecclesiæ Præsul magnificus, in Bavaria exul, qui *multa bona fecit pro Christi honore*, & majora procul dubio fecisset, nisi discordia inter Ecclesiam, & imperium, quæ suo tempore fuit maxima, insuperabile interposuisset obstaculum. Sepultus est in Monasterio Lambach in Bavaria ord. nostri, quod pater suus à fundamentis novum construxerat, & dotaverat, in quo, & ipse Monachus ante Pontificatum, & Abbas extitit. Annis 45. Episcopus fuit, sed per Heinricum Regem quartum de Herbipoli expulsus, multo tempore in Bavaria exulabat, suppositis ei per Regem interea duobus pseudo-Episcopis sibi mutuò succedentibus, Meginrado, & Einhardo, ut supra diximus.

Anno, item præscripto Mechtildis liberæ conditionis matrona construxit Capellam S. Martini Zum Stein vulgariter, quam *multis prædijs*, servis, & juribus dotatam Abbati, & Monasterio S. Nicolai *in Camberg* pleno jure subjecit. Sed & alia multa bona eidem *Cœnobio* contulit, sanctissimâ conversatione fratrum Hirsaugiensium provocata, quos sanctus Wilhelmus destinavit.

Hoc ipso anno undecimâ die Mensis Decembris moritur Joannes Monachus, & Scholasticus Cœnobij sancti Burghardi prope Herbipolim, vir undecunque doctissimus, nec minus vitæ merito sempiternâ memoriâ dignus, de cujus ingenio, eruditione, & lucubrationibus ante sancti Wilhelmi tertio diximus.

Monaster. Lacense fundatur.

His temporibus Heinricus quidam comes Palatinus Rheni dominus in Lacu, de cujus parentela supra diximus anno Dominicæ Nativitatis MLX. Monasterium Lacense Trevirensis Diœcesis, uno ab Andernach, & tribus à confluentia milliaribus, pro salute parentum suorum,

Adel-

Adelheide consentiente uxore, ad honorem Dei construere cœpit, sed morte præventus ad plenum consummare non potuit. Qui moriturus anno videlicet Gebhardi Abbatis quarto Sifridum comitem Brabantiæ uxoris suæ ex priore marito filium hæredem omnium bonorum instituit, & ut Monasterium, quod apud Lacum ædificare incœperat, quantociùs perficeret, seriosè rogando demandavit. Promisit morienti vitrico se facturum omnia privignus, quoniam, ut quidam ait:

Sifridus Comes Palatinus perfecit.

Pollicitis dives quilibet esse potest.

Promissum comes juvenis seniore jam mortuo implere aliquantulum distulit, donec tandem periclitatus in mari, & voto liberatus perficere inchoatum opus compulsus fuit. Reversus autem de terra sancta Hierusalem capta, & Gotfrido de Bulgon à Christianis Rege creato, sicuti suo dicemus loco, Monasterium, quod vitricus incœperat, perficere statuit. Monachos primos, & Abbatem nomine Giselbertum de Haffliginensi Cœnobio, quod pater suus in Brabantia fundaverat, ut dictum est anno Christianorum MLXV. adduci mandavit, & Monasterium istud Lacense nihilominus Abbati in Hafflingen voluit esse subjectum, quod postea tamen annis quibusdam elapsis ab eo fuit separatum, ita ut proprium Lacensibus liceret habere Abbatem, qui multo tempore cum Priore sub Haffligensis obedientia fuerunt Abbatis. Giselbertus enim primus Abbas de quo diximus, non venit cum primis de Haffliginio Monachis ad Lacum, sed post annos plures. Comes denique Sifridus paci volens consulere Monachorum castrum suum non procul à Monasterio in declivo montis circa stagnum Lacus nuncupatum funditus evertit, cujus fragmenta murorum nonnulla usque in præsentem diem in eodem remansisse loco videntur.

Lacus à principio fuit Prioratus.

Claruit his quoque temporibus Franco memorati Cœnobij Hafflingensis secundus Abbas sub quo Monasterium Lacense fuerat consummatum, vir in divinis scripturis eruditus, & sæcularis litteraturæ non ignarus, ingenio valens, & clarus eloquio, qui metro, & prosâ plura scripsit opuscula, quibus memoriam sui posteris commendavit. Cum adhuc Monachus esset, jubente Fulgentio Abbate suo, Hafflingensis videlicet Monasterij primo, scribere cœpit insigne opus de Gratia Dei prænotatum, quod Abbas postea factus complevit. Scripsit etiam metricum opus de statu futuræ gloriæ librum I. Epistolas quoque plures ad diversos, & varios sermones, atque tractatus. Est autem Hafflingen Fornacensis Diœcesis in Brabantia tribus à Bruxellis milliaribus.

Franco II. Abbas in Hafflingen.

MXCI.

Anno sancti Wilhelmi Abbatis XXII. Indictione Romanorum XIV. Monasterium Hirsaugiense majus, quod sanctissimus Pater Wilhelmus anno regiminis sui tertio decimo, sicut dictum est supra, cœpit construere, ac per novem continuos annos construxit; impensas contribuente Marchionissâ fratrum suorum manibus tandem perfectum, & consummatum est, cum insigni Ecclesia quæ usque in præsentem sana, pulchra, integra cernitur diem. Marchionissa verò memorata, impensas contribuit plurimas, sed non omnes, quoniam, ut supra dictum est, manus in principio largas adhibuit, quas tamen offensa ante perfectionem operis retraxit. Completâ igitur Ecclesiâ, cum cæteris Mo-

Monaster. majus perfectum est.

ris Monachorum neceſſarijs manſionibus, B. Pater, ipſum templum per gyrum implevit pauperibus Chriſti, à ſuperiore videlicet parte altaris uſque ad valvas versùs occidentem, plagas extremas, & clauſis januis per ſemetipſum, cunctis cibum, & potum abundantiſſimè miniſtravit ad menſam: atque deinceps uſque ad diem obitûs ſui plus ſolito pauperibus ſtipendia præbuit, pedes lavit, conſolationes impendit. Eodem itaque anno xx. die Aprilis, quæ fuit Octava Dom. Reſurrectionis feſtiva, Eccleſia nova præfati Cœnobij majoris ad inſtantiam Beatiſs. Abb. Wilhelmi cum ſolemnitate debita conſecrata fuit per Joannem Epiſc. Spirenſem, ſub honorem D. N. Jesu Chriſti, ac Beatiſs. Apoſt. ejus Petri, & Pauli. Poſterâ idem Pontifex die Capellam retro Capitolium ſimili devotione in honorem Beatiſs. Dei Genitricis Mariæ conſecravit. Dedicatione completâ D. Pater magno æſtuabat deſiderio cupiens aliquas de S. Petro Apoſtolorum Principe habere reliquias in cujus memoriam templum tam grande, & ſumptuoſum conſtruxerat. Hugo mittit reliquias Wilhelmo. Comunicato igitur Seniorũ conſilio Gebhardum Priorem ſuum miſit in Burgundiam cum litteris ad S. Hugonem Cluniacenſis Monaſterij Abb. inſtantiſſimè poſtulans aliquas ſibi de Apoſtolorum Principe reliquias veras, & certas condonari. Nam prius inter eos amicitia contracta fuit. Unde venerabilis Hugo petitionibus chariſſimi cupiens reſpondere amici, miſit illi per manus Gebhardi Prioris de capillis S. Petri *Apoſtoli* certas, veras, & pretioſiſſimas reliquias, ſcribens ſimul & ſuaviſſimas litteras eruditione, & devotione plenas. Verùm priuſquam à Cluniaco ad Hirſaugiam rediret Gebhardus, B. P. Wilhelmus ab hac luce tranſivit. Nam poſt exitum de Hirſaugia Prioris Gebhardi præfati, qui contigit ultimâ die menſis Aprilis, B. P. Wilhelmus novem duntaxat ſupervixit hebdomadibus, ut calculanti patet. Unde nec vivente ipſo Congregatio de Cœnobio D. Aurelij ad majus venire Monaſterium potuit, nec miſſus à Cluniaco venit.

Multitudo locuſtarũ. Anno prænotato Wilhelmi ſanctiſs. Abb. ultimo viſi ſunt per mitas regiones vermiculi eatenùs in his terris ignoti, non longè à terra volantes, ſed ita, quòd vel manu, vel baculo contingi potuiſſent, groſſitudine quidem muſcis æquales, ſed longitudine ſatis productiores. Quorum tam infinitus fuit exercitus, ut unum penè milliarium in latitudine, duo, vel tria in longitudine viderentur occupare, denſitate verò ſuâ ipſam ſolis lucem terris interpoſiti negabant. Per quam prodigioſam viſionem, illam quæ poſt quadriennium facta eſt, Hieroſolymam tendentium profectionem ſub comite de Bullyon quidam interpretabantur figurari. Eodem anno in menſe Junio paulatim infirmari, & debilitari cœpit Ss. Abb. Wilhelmus, quem proximæ mortis ſuæ fuiſſe præſcium non dubitamus: quamvis enim debilis eſſet, ne quotidie magis, ac magis deſtitueretur viribus, vigilijs tamen devotiſſimè interfuit nocturnis, tanto exhauſtum fortitudine corpus Divini amoris fervore miſerabiliter macerans, ut illum tunc primùm incipere putares, in quo perfectus erat, ſcopon Monachorum. In Feſtivitate Apoſtolorum Petri, & Pauli jam debilis nimium ſuſtentatus à duobus fratribus Miſſam in privato ad principale altare majoris Monaſterij celebravit, cum lacrimis, & ſummâ devotione, quaſi jam profecturus ad Dominicum Jesum, cui fideliter ſervi-

servivit, operísque boni recepturus mercedem, Introitum, quâ potuit sonoritate vocis inchoans dixit: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est, depositum meum servare in illum diem iustus Iudex.* Et hæc Missa illi ultima fuit. Quarto dehinc die in capitulum se portari fecit, convocatísque in unum suis filijs omnibus hortabatur eos semper in melius proficere, & usque ad mortem in observantia regulari, quam didicerant permanere. Monuit eos imprimis Dominum Deum super omnia diligere, ejúsque mandatis, ac regularibus institutis humiliter obedire, se invicem Christiano amore diligere, orationibus devotissimè insistere, mundum cum suis vanitatibus contemnere, ad cœlestia sine intermissione ferventissimo desiderio jugiter suspirare. Officialibus præcepit hospitalitatis habere solicitudinem, & pauperum omni tempore inopiam relevare. Et quasi Moyses alter in Deuteronomio replicavit omnia, quæcunque illos à principio sui ad Hirsaugiam introitus docuisset, rogans eos, & contestans per districtum judicium Dei, quatenus in eis permaneant, & à semitis Monasticæ rectitudinis non recedant. *Considerate* inquit, *vos brevi morituros, & itineris longi incerti, & periculosi necessarios sumptus in tempore cum potestis disponite, mundum esse à vitijs, & sanctis ornari virtutibus, viaticum est mortis.* Tertiâ die mensis Julij in Oratorium B. MARIÆ, quod ipse ad meridionalem majoris Ecclesiæ plagam post locum capitularem, sicut diximus, construxit, se denuo portari fecit, celebratâque per unum è fratribus Missâ coram eo Corpus, & Sanguinem D. N. JESU Christi de manu ipsius sacerdotis celebrantis summa cum devotione accepit, deinde sacro inunctus oleo, juxta consuetudinem S. Matris Ecclesiæ ad cellam suam reportatus est. Alerâ die, quæ fuit IV. mensis Julij, & transitu S. Præsuli Udalrici solemnitate votiva Beatiss. P. Wilhelmus ab hac miseria transivit ad Christum, anno Dom. Nativitatis præscripto MXCI. Indictione Romanorum XIV. Heinrici Regis quarti XXXIV. Abbatiæ suæ XXII. completo; ætatis verò LXV. Cujus sacrum corpus in medio Ecclesiæ majoris Monasterij SS. Petri, & Pauli Apostolorum, quam ipse construxit, honorificè sepelitur cum certitudine sanctitatis apud DEUM. Ad ejus funeralia convenerunt Episcopi duo, Joannes videlicet Spirensis, qui morabatur in Bruchsal: & Gebhardus Constantiensis quondam Monachus in Hirsaugia, ipsius B. viri Auditor, atque Discipulus. Abbates aderant quinque: S. videlicet Theogerus Monasterij D. Martyris Georgij in nigra silva: Notkerus in Zvvifalten cum alijs tribus, quorum nomina, & Monasteria non habemus in memoria. Aderant & Clerici plures, simul & populi multitudo non minima, qui omnes S. Wilhelmi merita plurium attestatione miraculorum collaudantes in cælum attollebant. Per continuos dies quinque solennes viri Dei celebrantur exequiæ, & sexto dehinc die cum honore maximo sepelitur. Cujus vitam Haymo Prior post Gebhardum scribendo composuit.

Exhortatio S. P. Wilhelmi ultima.

Conscientia bona thesaurus optimus.

S. Wilhelmus moritur.

Exequiæ diebus 5. celebratæ.

Post mortem B. P. Wilhelmi de Prioris absentia apud Cluniacum mœror fratres non parvus affecit, cùm sine illius assistentia Abbatem præficere non ducerent proficuum, & diu manere sine pastore videretur nimis periculosum. Eis autem cum mœrore aliquot diebus expe-

ctantibus tandem Prior desideratus advenit secum afferens pretiosas, quibus missus fuerat, B. Petri reliquias: audiens verò B. Patrem migrâsse ad Dñm, ne sine honore congruo intulisse videretur Monasterio sanctum thesaurum, cùm omnia sciret mœstitiâ, & inordinationibus plena, prudenti usus consilio sacras Apostoli reliquias non statim intulit Cœnobio, sed commisit eas fideli cuidam presbytero in vicino moranti, donec opportuno tempore illas cum honore debito introducere ad Ecclesiam potuisset optatam. Ad proximum igitur diem festum ejusdem Apostoli, quem ad vincula Petri nuncupamus, Prior convocatis Abbatibus quibusdam vicinis, aliisque viris Religiosis non paucis sacros Apostoli Pilos cum summa devotione fratrum portavit ad Ecclesiam. Et primò quidem eos super sepulchrum Domini Wilhelmi Abb. cui fuerant à Cluniaco destinati, reposuit, ut qui vivus illos petijt, primus etiam mortuus eorum honoraretur præsentia. Deinde singuli per ordinem sacrum osculum imprimendo capillis, Dominum Deum in donis suis, quâ poterant devotione adorabant. Postremò ad capsulam recluſi ibi paratam. D. Apostoli Petri reliquiæ cum alijs sanctorum pignoribus repositæ sunt ad munimẽ insignis Monasterij Hirsaugiensis, & futuræ memoriam posteritatis. Et hic quidem Beatiss. P. & Domino Abb. Wilhelmo finis vivendi fuit in hac peregrinatione mortali, qui multis & in vita, & post mortem miraculis claruit, qui monasticæ vitæ integritatem perfectè tenuit, qui per se, & suos discipulos plus quàm centum Monasteria ad ordinis observantiam instituendo reformavit: cujus vitam qui plenius scire desiderat, volumen gestorũ ejus, quod Haymo Prior postea Hirsaugiensis composuit, legat. Nomina autem Monasteriorum ordinis nostri Hirsaugia per ipsum B. Wilhelmum Abb. & suos discipulos post eum vel de novo institutorum, vel ex desolatione reformatorum seriatim exprimere decrevimus, ut plura extitisse, quàm centum ostendamus. Primum igitur omnium caput, & principale Monasterium est Hirsaugiense istud majus, quod novum à fundamentis construxit:

Capilli S. Petri Apostoli inferuntur Cœnobio.

Monasteria nova.

Zvvifalta.
S. Georgij Mart. in Hercynia Silva.
S. Petri in Erfordia.
S. Martini in Carinthia.
In Bruvveningen.
Prioratûs in Wielhaim.
Prioratûs in Reichenbach.
Præposituræ in Rothe.
In Camberg.
Prioratûs in Schonrain.
In Braitenavve.
In Gozavve.
Odenhaim.
Hasungen.
Cellæ Paulinæ.
Petershausen.
Laven in Carinthia.
In Posavia.
Hugeshofen.
S. Walburgis.
Nüvvilen.
Vraugiense.
In Lorch.

Monasteria reformata.

In Schaffhausen.
Loriſſense.
In Reinharzbronn.
In Altdorff.
S. Albani Moguntiæ.
In Bildenstat.
S. Jacobi Moguntiæ.
Bruvvilen. prope Coloniam.
Mediolacense in Lotharingia.
S. Disibodi Episc. in Comitatu Spanheim. quod Cistercienſ. nunc inhabitant.

In Lym-

In Lympurg.	Heremitarum.
In Hornbach.	Campidonenſe.
In Tholegia.	In Altha.
In Sels.	In Deckingen.
Maurimünſter, quod Môrſmünſter appellant.	Ottenbüren.
	In Alberſpach.
In Gengenbach.	Benedictbüren.
In Schuttera.	In Glaubüren.
Ettenhaim.	In Necashaim.
Schvvarzach prope Argentinam.	Schluchtera.
Schvvarzach in Francia orientali.	In Oxenhauſen.
S. Stephani Herbipoli.	S. Blaſij.
In Amorbach.	Muchart.
Nüvveſtat prope Choganum.	Mure.
Theris juxta Moganum.	Navvenſe.
Montis Monachorum Bambergenſ.	Thariſienſe.
In Monchourach.	Salzburgenſe.
Steinach.	In Heidenheim.
Salveldenſe.	SS. Petri & Pauli in nigra Silva.
Magdenburgenſe in Saxonia.	In Wiblingen.
Rhinavve.	S. Trutperti.
Admontenſe in Auſtria.	In Trube.
S. Udalrici in Auguſta.	In Elvvangen.
In Yſne.	In Thierhaupten.
Roſaz prope Aquilejam.	S. Joannis in Thurthal.
In Elchingen.	Faburgenſe.
Augiæ Majoris.	In Andex.
In Weingarten.	In Fiſchingen.
In Beſſelbron.	In Blanckenſtetten.
In Bregniz.	

Hæc nomina Monaſteriorum ordinis noſtri conſcripta invenimus, quæ vel à principio fundationis ſuæ Monachi Hirſaugienſis Cœnobij primi inhabitantes regularem plantavêre diſciplinam, vel antiquitus fundata, & nimiâ vetuſtate, ſive neglectâ inſtitutione deformata, ad regularis obſervantiæ tramitem reformârunt. Ferunt, & alia quædam in exteris reſtare regionibus Cœnobia ex Hirſaugienſi reformata Monaſterio, quorum nomina ſicut ſcire veraciter non poſſumus, ita ſilentio pertranſimus. Porrò ſi vel tempus pateretur, vel opportuna nobis daretur, occaſio, quales de fonte religionis rivulos profluxiſſe deſcripſimus, ſimiles in multa Cœnobia per totam Germaniam de rivulis emanâſſe fontes diceremus. Sed quia nec ratio ſuadet, nec urget neceſſitas, ut iſta latiùs hâc vice proſequamur, ne videamur prolixiores in narratione, etiam cognita multa ſcienter reſecamus. Scimus ex Monaſterio S. Albani Monguntienſi de Congregatione Hirſaugienſium Fratrum, ut ſupra diximus, penè eodem tempore Monachis noviter fuiſſe inſtitutum Monaſterium, cui aliquando permittente Deo præfui, S. Martini Præſulis in Spanheim, & Monaſterium S. Joannis Baptiſtæ in Rinckaugia cum pleriſque alijs. Denique ex Monaſterijs quibuſdam alijs, quæ de iſto

Cœno-

Cœnobio Hirsaugiensi, vel primæ institutionis, vel reformationis sumpserunt initia, plura recensere possemus, quæ consultò omittimus.

S. Wolfhelm. Abb. Brüwil. III. moritur.

Eodem anno, quo sanctiss. Abb. Wilhelmus IV. die mensis Julij migravit ad Dominum, mortuus est etiam S. Christi Confessor Wolfhelmus Monasterij Bruvvilarensis, non procul à Colonia, tertius Abb. qui multis & in vita, & post mortem coruscavit miraculis. Hic natione Mosellanus, primò fuit Monachus D. Præsulis Maximini juxta mœnia Trevirorum, inde translatus mansit aliquamdiu in Cœnobio S. Pantaleonis in Colonia; postea Abbas constituitur in Gladebach, & postremò ad præfatum Monasterium in Bruvvilen Abbas ordinatus est. Qui non verbis tantùm scriptis, sed etiam merito sanctitatis admirabilis fuit, pluréisque suæ conversationis exemplo ad meliora provocavit. Scripsit nonnulla eruditionis suæ præclara opuscula, de quibus legimus subjecta. Ad Meginherum Abb. S. Pantaleonis edidit de Sacramento Altaris, parvum quidem sed instructum volumen contra Berengarium Turonensem. Sermones, & homilias plures ad Monachos. Carmina denique in laudem sanctorum plura composuit, & varias epistolas ad diversos. Obiit autem anno Domini prænotato, XXII. die mensis Aprilis; cujus vitam, & miracula Conradus Bruvvilerensis Cœnobij Monachus luculenter conscripsit. Verùm priusquàm de S. Wilhelmo Hirsaugiensium Abb. hactenus continuatum claudamus sermonem, libet eorum Monasteriorum recensere nomina, quorum Prælati, & fratres cum ipso Beatiss. P. successoribúsque suis fraternam contraxerunt unitatem. Multi etenim Claustralium Rectores cum subditis sibi commissis cum S. Wilhelmo, successoribúsque suis, & Monachis hujus Cœnobij Hirsaugiensis contraxerunt fraternitatem, statuentes, quid pro cujuslibet loci defunctis post mortem debeat impendi suffragij specialis: pari decreto firmantes, quid in quolibet fieri conventu oportet pro Hirsaugiensibus. Et ne semel providè dicta videamur inutiliter replicâsse, notum volumus esse Rectori, quid omnia Monasteria superius nominata, quæ de Hirsaugiensium fratrum Congregatione fuerunt, vel de novo instituta, vel ex antiqua fundatione noviter reformata, charitativam, & perpetuam cum eisdem fraternitatem habuerunt, & multis sese pietatis suffragijs adjuvabant. Aliorum verò, vel Monasteriorum, vel Ecclesiarum nomina, fraternitatem cum S. Wilhelmo habentium ex ordine prosequemur.

Confraternitatem cum Hirsaug. contrahentes.

Omnia Cœnob. suprà scripta habuerunt confrater-

Nomina Monasteriorũ confraternit. habentium

In primis fuit Ecclesia Cantuariensis ordinis nostri Metropolitana, quæ fraternitatem cum Hirsaugiensibus contraxit, postulante S. Anselmo ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, & B. Wilhelmo præstante. Major etiam Ecclesia Spirensis cum Hirsaugia fraternitatem accepit. Monasterium quoque illud Cluniacense famosissimum, mediantibus SS. Abbatibus Hugone, & Wilhelmo confraternitatem habuit, simul & alia, quorum nomina sequuntur. Monasterium Divionense, Monasterium majus Thuronense id est Ecclesia major, Monasterium Corbeiense in Saxonia, Monasterium, quod Kremesmünster appellant, Monasterium Fratrum de Citenbuoch, Monasterium quoque Fratrum regularium de Marpach, Monasterium Fratrum regularium in Franchenthal, Monasterium Castellense Diœcesis Eichstatensis, Monasterium S. Maximi apud Treviros, Monasterium S. Eucharij apud Treviros, quod nunc S. Matthiæ

Matthiæ

Apoſtoli nuncupatur, Monaſterium S. Pantaleonis in Colonia, Monaſterium Cellæ S. MARIÆ, Monaſterium Bœgenack, Monaſterium quod appellatur Nuvvemünſter, Monaſterium in Kladerub, Monaſterium Kodevvicenſe, Monaſterium Maſſilienſe, Monaſterium S. Leonhardi, Monaſterium S. Annonis Sigebergenſe, Monaſterium S. Ottiliæ Homburgenſe, Monaſterium S. Hemerami Martyris Ratiſponenſe, Monaſterium S. Udalrici prope Conſtantiam, Monaſterium quoque S. Crucis in Werden juxta Danubium in Diœceſi Auguſtenſi, & Monaſterium in Lambach.

Hirſaug. Congreg. laus maxima.

Sed & alia pleraque Monaſteria tam Ordinis noſtri, quàm Regularium Canonicorum, (cùm illo tempore alij apud latinos nulli eſſent clauſtrales) ſub mutuæ confœderationis titulo ad confraternitatem Hirſaugianæ Congregationis, memoratam per S. Wilhelmum fuerunt unita, quorum nomina cum ipſo charitatis fervore in oblivionem tranſierunt. Canonici etiam multi tam Cathedralium, quàm aliarum Eccleſiarum in diverſis mundi Provincijs conſtituti. Pontifices quoque, Duces, & Nobiles non pauci numero, famam ſanctitatis D. Patris Wilhelmi Abb. & fratrum Hirſaugienſium audientes, eorum orationibus ſe commendârunt, & inſcribi ad confraternitatem humiliter petierunt.

In tanto námque honore, reverentia, & æſtimatione apud omnes homines Congregatio Monachorum Hirſaugienſium habebatur tempore ſanctiſs. Abb. Wilhelmi, ut beatos ſe fore indubitanter crederent, quibus in eorum confraternitatem contigiſſet admitti. Vnde varijs vel languoribus, vel incomodis afflicti homines pro ſua ſalute certatim ad Hirſaugiam concurrebant, è quibus incolumes multi, conſolati omnes fratrum meritis ad ſua redierunt; plures etiã curatos à graviſſimis infirmitatibus orationibus, & meritis hujus ſanctiſſimæ Congregationis Hirſaugianæ conſtat, quorum nos vel nomina exprimere ſeriatim, vel cauſas dicere ſuperfluum judicamus, præſertim cum D. P. Wilhelmi virtutes, ſigna, & poſt mortem miracula habeantur in ſcriptis.

Magna utilitas fraternitatis iſtic

De Confraternitate verò, quam cum Hirſaugienſibus habuiſſe diximus plures, volentes conſumare ſermonem, eam defunctis non parvum credimus emolumentum præbuiſſe ſuffragiorum. Hoc enim & compactata ſonabant, & videtur congruum rationi, ut quotiens defunctus aliquis ſub confraternitatis unione decedens in congregatione Hirſaugiana denuntiatus fuiſſet, conſtitutæ pro eo mox fierent orationes, vigiliæ, miſſæ, diſciplinæ, & eleemoſynæ, quales & unuſquiſque fieri pro ſua ſalute poſt mortem expectabat. Hæc autem non erat omnibus una ſuffragiorum menſura ſed juxta confœderationis decretũ ſingulis promiſſa impendebantur. Adhæc quotiens ad Hirſaugiam aliquis ex confratribus declinâſſet, cum tanta venerationis charitate ſuſcipiebatur, ut non alienus, non advena, non peregrinus, ſed domeſticus, & incola ejuſdem Monaſterij non immeritò putaretur. Similis exhibitio charitatis in omni loco hujus ſanctæ confraternitatis Monachis Hirſaugienſibus à cunctis hilariter conſuevit impendi. Annis non paucis duravit hæc ſancta fraternitas: verùm ſicut nihil ſtabile in humanis, ſic & ipſa cum tempore defecit in multis. Ad hiſtoriam nunc deinceps nobis fuerit redeundum, ne proli-

xitate nimiâ lectorem faciamus adtædiatum. Igitur sanctissimo Patre Wilhelmo viam universæ carnis, uti diximus, ingresso, Abbatia hujus Monasterij diebus septem, & viginti continuis vacavit, propter absentiam Gebhardi Prioris, quem vir Dei parùm ante mortem suam ad Cluniacum miserat in causa, quam ostendimus. Quamvis autem Beatus Abb. Wilhelmus per annos novem continuos maximis impensis curis, & laboribus Monasterium Hirsaugiense majus, & novum construendo ante mortem consummaverit, Ecclesiámque, ut dictum est, consecrandam cerit, eo tamen vivente congregatio de antiquo S. Aurelij Cœnobio non exivit.

De Domino Gebhardo Monasterij Hirsaugiensis XIII. Abbat. qui præfuit annis 14. mensibus 3. & Gestis illius temporis.

ANno igitur Dom. Nativit. præscripto MXCI. Indictione Romanorum XIV. Anno Heinrici Regis quarto, mundi verò sexies millesimo ducentesimo, ac nonagesimo, in die S. Petri ad Vincula, quæ est prima mensis Augusti, reliquijs ipsius Apostoli ad Ecclesiam novam Hirsaugiensem ejus Nomini consecratam cum magna reverentia, sicut dictum est, importatis, missarúmque officio solemniter celebrato; convenerunt in unum fratres S. Congregationis, pastoris solatio destituti, & præmissis orationibus, cæterísque præmitti consuetis, unâ voluntate, uno animo, uno consensu Gebhardum sæpè dictum Priorem suum elegerunt in Abbatẽ hujus Monasterij Hirsaugiensis virum doctum, sapientem, & ad regimen animarum cunctorum judicio satis idoneum. Qui licèt multùm renitens, tandem precibus fratrum devictus humeros curæ pastorali submisit, præfuítque annis XIV. & mensibus tribus, postea in Episcopum Spirensis Ecclesiæ sublimatus. Nam ne fuit Teutonicus, patriâ Suevus, nobili prosapiâ comitum de Urach ortus; staturâ corporis nec brevis nimiùm, nec longâ proceritate deformis, sed mediocritate congruâ temperatus, ita quòd in neutro notanda sit excessus. Nigro fuit capillo in circumferentia capitis ornatus, corpore crassus, & pulchrâ moderatione ad omnia temperatus. Puer ad discendum litteras Magistris à parentibus traditus fuit, qui cùm ingenio subtili polleret, simul ac tenaci memoriâ, morem gerere præceptoribus, quantum illa patiebatur ætas, diligentissimè semper studuit, & satis in disciplinis scripturarum, integritate quoque morum, homo docilis cum tempore profecit. Nam brevi evasit in omni scientiarum doctissimus, & morum pulchritudine decenter institutus. Omnes artes, quas liberales vocant ad plenum hauriens, didicit, & non minùs divinarum scripturarum scientiam sufficientem adhuc juvenis consecutus fuit. In Rhetorica arte, quam rectè dicendi apellant, præcipuâ illustratione peritus exstitit, & non solùm in latina, sed etiam in patria lingua promptus, & disertus fuit; quod in eo vel maximè patuit, quoniam totiens coram Henrico V. & multis Principibus disertissimè peroravit.

Gebhardus Suevus ex Comitibus de Vrach fit Abbas post Wilhelmum.

Annis autem puerilibus in studio litterarum sæcularium exactis in sacræ-

in Ecclesia Argentinensi Canonicus factus est; ubi cùm divitijs, & honoribus auctus quotidiè apud se intumescens crescceret secundùm sæculum, in tantum conversionem horruit, ut hostis Monachorum, & diceretur, & esset. Nam rarò consuevit divitibus, & præcipuè Clericis adesse compunctio, qui tantò minùs de salutis suæ necessaria inquisitione videntur soliciti, quantò vel prosperis sunt elati, vel mundi curis perampliùs immersi. Ita & Gebhardus iste per abruptum iter gradiens vitiorum, cùm divitijs, & honoribus semetipsum metiretur in altum, pauperes Christi despiciens, & præsertim Monachos, non solùm illis nihil boni contulit, sed etiam collata ab alijs retraxit. Quodam tempore vinum, quod sancto Wilhelmo, & Hirsaugiensi sanctiss. Congregationi donatione fidelium creverat in Alsatia, Gebhardus prætensam componens causam violenter detinuit, & in usus proprios convertit. Quod præsumere eò faciliùs potuit, quò illos cum S. Ecclesia sentientes nullum à Rege habituros locum defensionis certissimè agnovit. Verùm admonitus tandem super temeritate sua per bonos viros, & DEUM timentes satisfacere læsis pro damno statuit, & ob id Hirsaugiam venit. Compositurus itaque cum S. Wilhelmo pro illatis damnis Monasterium turgidus ingreditur, & curiositate potiùs, quàm devotione ductus mores fratrum, & omnia interiora loci diligentissimè perscrutatur. Nihil enim minùs in omni vita se cogitâsse postea retulit, quàm Monachum profiteri, & vivere; sed omnipotens DEUS, in cujus potestate sunt corda mortalium, qui ex persecutore fecit Apostolum, quando, & quomodo, voluit ad se convertit etiam Gebhardum. Mores etenim, sicut diximus, fratrum primùm curiosâ, postea sagaci consideratione tacitus explorare cœpit, disputantémq; de mundi contemptu S. Patrem audivit, in cujus sermone captus, agente intus DEI Spiritu, qui ubi vult spirat, confestim mutavit propositum, & collegio sociari humiliter petijt Monachorum. Itaque provolutus ad pedes Reverendiss. Abb. Wilhelmi veniam commissorum petijt, quâ facilè impetratâ semetipsum, & universa, quæ habuit, viro DEI, & Hirsaugiensi Monasterio pro satisfactione dedit. Hæc mutatio dexteræ fuit excelsi mirabilis, hæc JESU Christi vocatio suavis, in qua & gratia Spiritûs S. mirabiliter operata manifestè cognoscitur, & Abbat. Wilhelmi sanctitatis merita declarantur. Rebus itaque suis Argentinæ dispositis, Gebhardus nulli quidquam revelans suorum assumpti propositi, ad Hirsaugiam festinus revertitur, depositisque mundi tegumentis, & curis Monachis sociatur, & quorum prius audire nomen æquanimiter non poterat, eorum se factum in numero gaudebat. Monachus ergo factus res suas omnes Monasterio contulit, & in medio fratrum juxta consuetudinem institutionis Monasticæ innocenter, & sine querela religiosissimè conversatus fuit. Qui cùm sanus aliquandiu viveret inter illos, & incolumis, ut patientia ejus probaretur, coram omnibus languorem repentè gravissimum incidit, qui ultra unius anni spatium duravit. Motu námque membrorum usque adeò fuit destitutus, ut nec manum valeret ad os porrigere, nec se de uno latere in aliud movere. Nam præter solam linguam nullum membrorum suo fungebatur officio, aliorum manibus de latere uno movebatur in aliud, cibum potúmque sumebat. Ad quem vir Domini Wilhelmus quâdam die in infir-

Gebhardus Canon. Argentin.

Gebhardi conversio.

Longo morbo coquitur.

mitorio jacentem ingressus, cùm videret illum, ut truncum penitus immobilem, ejus infirmitati paterno affectu compatitur, & quâ potuit dulci consolatione ad humilem tollerantiam hortatur: Dixitque Abbas pientissimus ad ægrotum: *Placetne fili, ut Domini misericordiam invocemus, quatenus dexteri tibi usum brachij indulgeat?* cui ille respondit. *Absit hoc à me pientissime P. ut flagellum Dei meis votis utile, & fructuosum abijciam; sed magis corporis mei salutem parui pendere, quatenus bene detoctâ scoriâ ad DEUM puram merear pertransire: Scio enim, quòd dixit, quoniã virtus in infirmitate perficitur.* Sed pientissimus P. misericordiâ motus, eò magis discipulo infirmanti compassus est, quò minùs illum curare salutem audierat corporalem. Labores nihilominus misertus fratrum ægroto ministrantium, manum ejus dexteram apprehendit, benedicit, orat, & osculatur, quæ mox Domino largiente pristinæ fuit sanitati restituta.

S. Wilhelmo brachium ejus curat.

Post dies paucos uxor fratris Domini Gebhardi cum multo comitatu suorum venit ad Hirsaugiam, & quoniam nullâ ratione intra muros Cœnobij mulieribus patebat ingressus, ad eam Gebhardus in sella gestatoria extra portam à ministris effertur de sanctissimi permissione Abb. Cùm ecce, ut fieri solet inter colloquendũ, brachium miraculosè ad tactum Abb. sanatũ sermonem incidit: quod audientes in admirationem non modicam convertit. At mulier fæmineâ devotione ducta manum comprehendens sanatam osculabatur; quæ mox in rigorem pristinum reversa est, & omnibus repentè viribus destituta. Gebhardus autem dissimulato, quod acciderat, cognatámque salutans ad cellam suam reportari se mandavit.

Ad tactum fœminæ brachium obrigescit.

Interea sanctiss. P. Wilhelmus orationi, suo more intentus, flectum ante portam cum brachio discipuli ad tactum fœminæ rigente, ut spiritu didicit, móxque veniens ad cellam infirmati, dixit: *Hæc ob pœna temeritatis tuæ frater, justo judicio inflicta, qui manum DEO consecratam & ejus miseratione sanatam, fœminæ (gloriâ tactus inani) osculandam præbuisti: à Domino flagellaris, qui plus vanitati, quàm humilitati monasticæ hac vice detulisti. Jam deinceps admonitus esto, ne quid simile præsumseris unquam.* His per increpationem dictis, iterum apprehensam Fratris manum benedixit, & sanavit, nec multò post meritis sancti in toto convaluit. Ex eadem tamen infirmitate, quamdiu vixit, ut memoriam non amitteret, quorum fuerat gratiâ flagellatus, uno pede claudicavit. Enimverò cùm esset vir tam generis nobilitate, quàm acrimoniâ ingenij, sapientiâ quóque, & animi constantiâ sublimis, & singulari prærogativâ eloquentiæ præclarus, magnæ simul apud omnes reputationis, & gloriæ, piâ Domini castigatione flagellatus est, ne quâ mens in tanta rerum omnium prosperitate gloriâ tangeretur. Restitutus autem pristinæ sanitati, cùm in omnibus ad puritatem regulæ monasticæ probè, & religiosè conversaretur, in Priorem S. Congregationis Hirsaugianæ per D. P. Wilhelmum consilio Fratrum constitutus est: in quo quidem officio magnam circa observantiam disciplinæ monasticæ diligentiam semper exhibuit, & omne bonum, quod sermone docuit, prior ipse in suis actionibus demonstravit.

S. Wilhelmus correptum discipulũ sanat.

Cùm verò Beatissimus P. Wilhelmus in constructione majoris Cœnobij multùm, & continuè esset occupatus, tandémque cerneret opera-

tum

tum ædificij appropinquare finem, magno cœpit æstuare desiderio, quatenus aliquas de S. Apostolo Petro posset habere veras, indubitatásque reliquias, in cujus honorem novam Ecclesiam statuit consecrandã. Consilio igitur accepto Gebhardum Priorem suum misit ad Urbanum Papam ejus nominis II. cum supplicatorijs litteris, postulans sibi vel parùm aliquid reliquiarum memorati Apostoli per eundem destinari. Veniens itaque ad Papam Urbanum Prior Gebhardus benignè quidem ab eo susceptus est; postulans tamen reliquias nihil potuit obtinere. Nam Wigbertus Antipapa Henrici Regis auxilio fretus occupaverat Romam, ita, quòd Urbano vero Pontifici nullus ad reliquias S. Petri patebat accessus, utpote qui vagus hinc inde stabiles non habuit mansiones. Retulit tamen Papa Gebhardo, de capillis S. Petri veras in Monasterio Cluniacensi, ubi ipse quondam fuerat Monachus, haberi reliquias, pro quibus illò consuluit properandum. Venerabilis autem Gebhardus, qui filius obedientiæ veraciter esse jam didicit, ad Cluniacum declinare sine Abbatis sui licentia non præsumpsit. Summus tamen Pontifex Urbanus, ne vacuum à se dimitteret Gebhardum, quorundam aliorum sanctorum, quas habuit reliquias illi tradidit, & ut sancto eas deferret Wilhelmo favorabiliter commisit. His factis ad Hirsavv missus regreditur. Reversus autem ad Monasterium Prior Gebhardus consilium Romani Pontificis Urbani S. Abbati retulit, & particulas reliquiarum sibi ab eo traditas summa cum reverentia præsentavit. Audito, quòd reliquiæ S. Petri memoratæ haberentur apud Cluniacum, B. Wilhelmus non parùm gavisus est, confidens sibi nihil denegandum à S. Hugone dicti Monasterij Abbate, quem dudum fidelem fuerat expertus amicum. Igitur post menses paucos Gebhardum Priorem cum litteris supplicatorijs misit ad Cluniacum, cui abeunti hoc Patris ultimum prædixit vaticinium. *Vade amantissime Fili, & quàm poteris celerrimè maturato ad nos reditum tuum, quoniam nisi præveneris Petrum, & Paulum Apostolos, non nobis, sed tibi longi fructum itineris cumulásti.* Pergebat ille armis S. Obedientiæ præmunitus, S. Abbatis nequaquam intelligens verbum.

Gebhardus Prior ad Urbanum PP. mittitur.

Gebhardus Cluniacũ mittitur pro Reliquijs S. Petri.

Ad Cluniacum verò cùm venisset, litteras B. Wilhelmi Abb. S. Hugoni exhibuit, postulatásque D. Petri reliquias impetravit. Interea Beatiss. P. Wilhelmus de hac vita migravit ad Dominum: at ipse Prior Gebhardus postquàm redijt ad Hirsaugiam, omnium consensu Fratrum, ut diximus, Abbas in ejus locum constituitur. Electus autem anno prænotato, primo die mensis Augusti ordinationem sui, quam benedictionem vocant, usque in XXI. diem mensis Aprilis, (vel Martij hoc est Natalem Sanctiss. P. N. Benedicti) anni sequentis distulit. Super qua re interrogatus à Fratribus respondit: *Sine consueta benedictione hactenus esse fratres idcirco volui, ut & ego mores vestros, & affectiones erga me plenius intelligam, & pari me vobis dilatione manifestius ostendam. In vestra nunc igitur voluntate relinquo de me statuendi, quidquid volueritis, vestrique adhuc sit arbitrij me vobis Abbatem vel continuare, vel alium eligere.* Cúmque fratres unanimi se voto optimè personæ illius responderẽnt contentos, nec alium se velle dicerent habere pastorem, gratias eorum in se benevolentiæ retulit, & illis nimiùm urgentibus tandem ordinari consensit. Profectus ergo ad Constantiam, munus benedictionis à Gebhardo Pontifice

Gebhardus fit Abbas.

ejusdem Urbis, qui Monachus ante fuit in Hirsaugia, & bene sensit cum Papa Urbano, in multorum præsentia suscepit, anno Institutionis primo nondum completo, hoc est, mense nono, in die sicut diximus, sanctiss. Legislatoris nostri Benedicti. Qui ordinatus ad Monasterium suum cum honore lætus revertitur, & cum solemni processione à fratribus suis reverenter susceptus est.

Heymo Prior Hirsaugiens.

Anno etiam prænotato Dom. Nativitatis XCI. supra millesimum Gebhardus Abb. de consilio Seniorum, Heymonem venerabilem Monachum Priorem Conventus sui Hirsaugiensis instituit, quem ad tale officium utilem esse, & idoneum fore non dubitavit. Fuit enim tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, & non minùs in carmine, quàm in oratione soluta exercitatus. In moribus quóque compositus, maturus, & religiosissimus extitit, qui fratres in omni puritate regularis Observantiæ præcessit. Scripsit inter cætera in-

Heymonis lucrubrationes.

genij sui opuscula vitam, conversationem, & miracula sanctiss. Abb. Wilhelmi bino volumine, quod postea frater quidam abbreviavit. Scripsit & de Musica parvum, & non inutilem libellum: Homilias quoque ad fratres nonnullas edidit, quæ alteri cuidam Heymoni Halberstatensi Episcopo, de quo longè supra diximus, ex errore multoties adscriptæ inveniuntur. Nam ita confusè plerúmque tam istius scripta, quàm illius commixta videntur, quòd nisi lectoris provida sagacitas ea noverit discernere, non facilè cui debeant attribui, phrasis differentiam haud intelligens, valeat judicare. Compilavit & alia quædam synthemata, quorum notitiam habere non potuimus. Denique Haymo iste

Auget Bibliothecã.

noster, quem nonnulli Heymonem, quintam cupientes litteram Saxonum usu pro prima, nuncupârunt, cùm esset in omni genere doctrinæ studiosissimus, maximam colligendis, rescribendísque voluminibus divorum Patrum diligentiam adhibuit, & fratres ad scribendum hilariter verbo, & exemplo sedulè provocavit. Unde per continuam in sollicitando scriptores diligentiam, brevi tempore non parvum, nec vilem librorum suppellectilem comportavit. Abbas autem mox ut Pater S. Congregationis institutus est, Claustrum, & reliquas officinas Monachorum omnes, (quas Beatiss. Archimandrita VVilhelmus, vel nondum incœperat, vel incœptas non perfecerat) quâ potuit diligentiâ consumare studebat, sumptus ad hoc præbente copiosos cive quodam Moguntino locupletissimo nomine VVigando, qui magno fratrum amore plura contulit huic loco in ministerium pietatis.

Gebhardus Monaster. perficit.

Fuit autem Gebhardus Abbas vir perspicacis ingenij, & talis, qui natus ad principatum, & majoris dignitatis videretur, in gubernatione rei familiaris multùm idoneus, & in cunctis agendis plusquam credebatur astutus; utpote qui in consideratione utilitatis prudenter quandóque noverat occultare consilium, nec passim revelare, sicut plures faciunt, mentis consuevit arcanum. Sciebat enim serpentis astutiam rectori animarum penitus fore necessariam, sed propterea minimè simplicitatem postposuit columbinam. Hinc factum est, quòd eum decepere, cùm esset prudens, & astutus, nemo faciliter potuit, nec ipse, quenquam simplex, & rectus coram DEO, & hominibus in aliquo circumvenit. Magna in ipso tam spiritualis, quàm humana relucebat sa-

Encomiũ Gebhardi.

pientia

pientia, quâ cælestia simul noverat, & rector utilis animarum, & prudenter dispensabat res familiares, ut pastor, & medicus corporum. Auditu mirum in modum præcellebat, quod capitis bene purgati, & stomachi sani fuit indicium, quippe qui remotiùs aliquantulùm, & submissiùs dicta, quasi propiùs adstans clarissimè capiebat. Ejus nomen brevi tempore in omni terra famosum cum laude, & honore cunctis innotuit, & in ore universorum religio, & sapientia Hirsaugiensis Abbatis collaudata admirabilis fuit. Ad publica Regum, & Principum consilia sæpiùs vocabatur, quoniam prudentiâ, & eloquentiâ fuit illustris, & morum integritate religiosissimus. Sub cujus regimine substantia Monasterij temporalis miro modo fuit augmentata, & multæ fidelium oblationes ad sustentationem servorum Domini provenerunt. Numerus etiam Fratrum quotidie Domino vocante auctus est, & plura Cœnobia nostri ordinis ex Hirsaugiano Conventu sub eo instaurata memorantur.

MXCII.

Turcæ vastant Græciam.

Anno Gebhardi Abb. hujus Monasterij Hirsaugiensis primo currente Rex Teucrorum nomine Belzeth Græciam mari transmisso cum maximo suorum exercitu ingressus omnia devastavit, urbes nonnullas cœpit, incendit, & solotenus evertit. Imperatorem Constantinopolitanum abduxit captivum, ejus personâ, tanquam mancipio vilissimo usus est, quamdiu vixit.

Eodem anno Gebhardus Abb. sicut diximus XXI. die mensis Martij, quam sanctiss. P. nostri Benedicti Natale fecit solemne, munus benedictionis in Monasterio Petridomus in civitate Constantiensi à Gebhardo Episcopo nostri ordinis susceptit, mense ab ejus electione octavo, die autem XXI.

Monach. ex Monasterio S. Aurelij in novū translati.

Anno quóque prænotato Congregatio fratrum jussu Gebhardi Abb. feriâ secundâ post octavas Dominicæ Resurrectionis de Cœnobio S. Aurelij ad majus Monasterium SS. Petri, & Pauli trans pontem cum ingenti lætitia transmigravit, cunctis omnipotentem Dominum collaudantibus, quòd hunc diem diutiùs optatum videre meruissent, in quo voti compotes effecti, Beatiss. P. Wilhelmi præsentiâ munirentur. Reverendus tamen Abb. Gebhardus de mandato sanctiss. prædecessoris sui quondam Abb. Wilhelmi duodecim fratres, & Priorem apud S. Aurelium dimisit; ne videlicet primæ institutionis Hirsaugianæ locus congruis, privaretur officijs, & Ecclesia sine laudibus esset vacua, & otiosa divinis. Et illi quidem XIII. fratres diebus, ac noctibus cultum, prout regula distinguit, celebrabant divinum, quibus necessariæ vitæ præsentis providentiâ Pastoris Gebhardi ministrabantur.

Ingens fames, & pestis.

Anno prænotato fames in omni terra ingens fuit, quam secuta est pestilentia magna, quæ multa hominum millia brevi tempore absumpsit, nec homines solùm è medio plures horrenda mortalitas abstulit, sed etiam pecudum infinita millia prostravit. Erant pavoribus omnia plena, ita ut dies novissima instare putaretur.

Conradi Bruvvilen. lucubrationes.

Claruit his temporibus Conradus Monachus Cœnobij S. Nicolai in Bruvviler Colonienſis Diœcesis B. Wilhelmi Abb. quondam auditor, atque discipulus. Vir in omni genere scripturarum eruditus, & morum integritate clarus. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula vitam prænomi-

nominati sanctiss. Abb. Wolffhelmi ad Gebhardum Bruvvilerensem, & Hermannum S. Pantaleonis Abbates libro uno. De miraculis ejusdem sancti alium composuit libellum. Homilias, & sermones etiam plures, & alia lucubrâsse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis non venerunt.

MXCIII.

Mors Ducis Bohemiæ.

Anno Gebhardi Abb. secundo, Fratislaus Bohemiæ Dux in venatu repentè cadens de equo morte subitaneâ interijt. Eodem anno visus est in aëre splendor, tanquam ardens facula in nocte volans ab oriente in occidentem, & ibi statim evanuit.

Eodem anno Gebhardus Monasterium Prioratûs in Schonrein, quod Antecessor ejus Beatiss. P. Wilhelmus construere cœpit, eleemosynis adjutus fidelium perficere cupiens diligentiam suam adhibuit, & magnam Ecclesiæ partem per intervalla temporum erexit. Est autem locus ipse Schonrein, ut supra diximus, in Diœcesi Herbipolensi juxta Moganum fluvium in monte situ amœnus, aëre salubris, & solitudine suâ ad Monasticam institutionem valdè idoneus, quem olim Ludovicus comes, & frater ejus Berengerus de Thuringia S. Abb. Wilhelmo ad construendum Cœnobium pro remedio animarum suarum tradiderunt.

Stephani Ilsenburg. Epist. contra Henric. IV. Imp.

Claruit his quoque temporibus Stephanus, qui & Herrandus ex Abb. Ilsenburgensis Cœnobij nostri ordinis Episcopus Halberstatensis in Saxonia; Vir tam in divinis scripturis, quàm sæcularibus litteris eruditissimus, morúmque integritate reverendus, & Apostolicæ Ecclesiæ defensor acerrimus. Scripsit ex persona Comitis Ludovici fidelis Ecclesiæ Romanæ ad Walramum Cicensem, sive Noviburgensem Episcopũ, Henrici Regis IV. partes plus æquo sequentem, epistolã non minus elegantem, quàm prolixam: in qua scelera, & errores ipsius Henrici Regis constanter, & apertè redarguit, ipsúmque defensorem illius reum cunctorũ scelerum describit. Qui in eadem epistola inter cætera Walramum his verbis alloquitur. *Audi igitur, vera non fucata, audi fortia, non faceta. Omnis, qui dignitates vendit spirituales, Hæreticus est. Dñs autem Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus, & Abbatias vendit. Etenim Constantiensem, Babenbergensem, Moguntinensẽ, & plures alias, pro pecunia; Ratisbonensem, Augustensem, & Strasburgensem pro gladio: Abbatiam fuldensem pro adulterio, Monasteriensem verò Episcopatũ (quod dicere & audire nefas est) pro sodomitica immunditia vendidit. Quæ si impudenter negare volueris, teste cœlo, teste terrâ, omnes & à furno redeuntes scioli concludent hoc: Dñs Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, qui sumus Catholici, poterit exercere.* Hæc viri Constantia divini timoris manifestum fuit indicium, & fidem in scriptore sanctam, integram, & rectam plurimùm sine dubio commendavit. Scripsit memoratus præsul Stephanus, & alias in causis fidei, & Ecclesiæ Catholicæ plures epistolas, quibus memoriam sui nominis cum honore transmisit ad posteros. Ex quibus duæ sunt ad Gregorium Papam VII. quatuor ad Urbanum II. & aliæ ad alios, quarum incertus est numerus.

Henric. IV. persequitur Hirsaugienses.

Ex præscriptis Henrici Regis IV. sceleribus occasio nobis dentur videtur, ut quanto furore S. Hirsaugiensis Cœnobij Congregationem omni tempore, quoad vixit Ecclesiæ rebellis persecutus fuerit, in medium proferamus. Audiens namque multorum relatione suorum quan-

tãs-

tâ fidelitate, & constantiâ Monachi Hirsaugienses cum Romana sentirent Ecclesia, in furorem conversus, cùm hostis, & destructor esset Ecclesiæ, in publico suorum Principum consessu præcepit militibus suis, ut Monasterium Hirsaugiense funditùs everterent, & sibi omnia bona illius in beneficium usurparent. Ad quod facinus perpetrandum quendam Wernherum Episcopum Argentinensem Simoniacum, & sceleratissimum virum S. Romanæ Ecclesiæ publicum hostem Capitaneum, & factionis Principem constituit, quem voluntarium, promptum, & idoneum ad omnia nefanda, & scelera committenda præscivit. Qui homo perversus, & nequissimus negotium contra Dei, & Ecclesiæ Christi honorem libenter susciplens milites hortatur suos in opus hoc Regi honorificum se quantociùs præcingere, unde & emolumentum magnum, & honorem apud Regem favorabilem essent habituri. Cúmque milites tam nefandum scelus detestarentur in Dei servos committere, Wernherus solo nomine Episcopus, dixit: *Ego vos milites in hoc Regis nostri clementissimi negotio contra inobedientes, & rebelles Monachos præcedam, ego primus ero, qui magnifici Imperatoris nostri contumelias vindicabo, ego prior manus in sacrilegos, & pediculosos cucullatos extendam, & Monasterium eorum, in quo Domini nostri Regis adversarios hospitio toties receperunt, evertam: quicúnque me vestrûm secutus non fuerit, læsæ Majestatis reus punietur.* His dictis loricam induit, & armatus equum, (cædis, & minarum plenus in Monachos sæviturus inermes) furens ascendit. Omnipotentis justitiâ tactus, spumans, & clamans horribiliter de equo cecidit, & morte præoccupatus subitaneâ miser coram omnibus exspiravit. Cujus repentino interitu perterriti milites, valde timuerunt, nullúsque eorum ausus fuit contra Monachos Hirsaugienses quidquam siniștri præsumere. Furor tamen insanientis schismatici Regis, quem contra Monachos Hirsaugianos semel diabolo instigante, & persuadente conceperat, nequaquam propterea cessavit: nam etsi nemo in Dei servos manus suas præsumeret extendere, constat tamen illum suis etiam posteà excidium loci pluries demandâsse. Neq; enim solos Monachos persequebatur Hirsaugienses, sed omnes, qui cum Romana Ecclesia rectè sentientes, ab ejus se communione subtrahebant, perdere omnino, & eorũ delere nomina laborabat.

Wernher. Episc. Argentinens. morte subitaneâ punitur.

Heinric. IV. Hirsaugiẽses odit.

Wezilonem Archiepiscopum Moguntinum, de quo supra diximus, primò sibi consentientem, sed posteà ob nimietatem scelerum ejus adversantem multis contumelijs, injurijs, & persecutionibus affecit. Ejus quóque successorem Ruthardum venerabilem valde virum de sede Moguntina expulit, & per novem annos continuos exulare in Thuringia coegit. Giselbertum Abb. B. Wilhelmi discipulum de Hasungen cum tota Congregatione sua Monachorum simili ferocitate fugavit, & possessiones eorum miserabiliter distraxit. Adelberonem Herbipolensis Ecclesiæ sanctum Pontificem, & plures alios de suis Ecclesijs propter obedientiam Romanæ Sedis, quam sequebantur, violenter fecit expelli, & alios in eorum locum ordinari. Plura denique Monasteria propter ejus sævitiam, & crudelitatem, aut destructa fuerunt penitus, aut bonis suis miserabiliter spoliata, & multiplicata sunt mala super terram. De Monachis autem Hirsaugiensibns, quorum laus erat in Ecclesia, sæpiùs coram amicis suis publicam fecit querelam, & quasi malorum in eum partem sus-

Heinricus plures Episcopos expellit.

Imper. Hirsaugiensib. iratus.

citâſſent non modicam, ſupremum illorum Cœnobio iteratis vicibus comminabatur excidium. Nec latuerunt minæ ſchiſmatici Regis innocentem, ſanctiſſimámque Hirſaugiani cœtus Congregationem, quæ orationibus pugnavit contra ferrum, & ſpem ſuam habens in adjutorio Altiſſimi, hominis inflati comminationes forti animo contempſit. DEO námque protegente famulos ſuos, nemo illos audebat contingere.

Conradus patri rebellat.

Anno prænotato Conradus Regis Heinrici ex Bertha uxore prima filius, à patre deficiens, imperium ad ſe trahere conabatur, litteris Vrbani Papæ, ac multorum Principum conſilio inductus. Sed operæ pretium fuerit cauſas hujus rebellionis filij contra patrem nefandas, vel paucis facere notiores, ne temerè factum putetur.

Cauſa rebellionis.

Heinricus Rex pater Conradi uxorem ſuam ſecundam nomine Praxedem, quam ante ſeptennium ferme Coloniæ ſibi fecerat copulari, ut ſupra dictum eſt, nimiùm cœpit odire propterea, quòd nefarijs reluctaretur ejus ſtudijs, in tantum, quòd majus fuit odium, quàm dilectio illa maxima, quâ illam priùs amaverat. Rancore nimiùm prævalente poſuit illam in cuſtodiam, & pleriſque ex ſervitoribus ſuis præcepit, quatenus illi vim inferrent, eo aſtante, & videnté, imò ſicut dicebatur, auxilium violatoribus præſtante. Ad tantam quóque averſionem, & deteſtationem innocentis mulieris, homo reprobus circa fidem devenit, ut, quod dictu nefas eſt, etiam filium ſuum Conradũ publicè ad ejus concubitũ invitaret. Quo horrore percuſſo, & patris contaminare torum conſtanter recuſante, rex eum ad uxoris illicitos concubitus provocare cupiens inter cætera dixit: *Quid ignave cum fœmina coire metuis, quæ nullâ tibi eſt affinitate conjuncta? Non enim filius es, quemadmodùm tu errore deceptus exiſtimas, ſed cujuſdam de Suevia peregrini Principis, cujus & faciem manifeſtè repræſentas impreſſam. Accede igitur confidenter, & cum hac muliere facito, ſicut ille fecit cum Matre tua meretrice.* His ſermonibus ultra modum eſt indignatus Conradus in patrem, ſed iram prudenter diſſimulans, poſt dies paucos rebus ſuis diſpoſitis, cum quibuſdam ſibi conſentientibus de patris palatio diſceſſit, & ad Papam Vrbanum in Italiam pervenit, à quo honorificè ſuſceptus aliquamdiu quievit, & non poſt menſes plures in Regem ab eo ſublimatus, Machtildem potentiſſimam Lombardiæ Principem, promovente Papâ, uxorem accepit, & in Italia favore omnium contra patrem regnare cœpit. Erat autem vir optimus, omníque bonitate, & probitate conſpicuus, humilis, modeſtus, & plenus charitate, ſummâque in Clerum, & Monachos clementiâ utens, ac pietate, & cujus præſentiâ mundus videbatur indignus, ideóque in brevi conſummavit tempora multa, & quia placuit anima ejus DEO, raptus eſt, ne malitia hujus mundi mutaret intellectum ejus. Nam paucis ſupervixit annis, ut poſteà dicemus.

Conradus regnat in Italia.

Machtildis de cuſtodia evaſit.

Regina verò Praxedis poſt multas injurias, & contumelias, inauditáque mala ſibi per impium tyrannum innocenter irrogata, DEO miſerante tandem de cuſtodia evaſit, & ad Machtildem prænominatam Longobardorum Dominam potentiſſimam venit, quam illa cum magno honore ſuſcipiens, poſt dies paucos ad Vrbanum Papam II. perduxit. Ad cujus pedes miſerabilis Imperatrix provoluta, omnem infelicitatis ſuæ hiſtoriam Pontifici, lacrimis profluentibus, per ordinem manifeſtans aperuit.

Papa

Papa Reginæ compatiens, post verba necessariæ consolationis, quàm primùm fieri potuit, Synodum Cardinalium, & Episcoporum congregat, quibus in unum adunatis inaudita Regis Heinrici scelera manifestat, & quid ipsi de illo sentiant, per singulos interrogat. Quorum omnium hæc una fuit sententia: Heinricum ut hæreticum pertinacem, átque rebellem ab omni potestate imperij jure censeri depositum, & ab omni communione Sanctorum remotum. Vrbanus itaque Romanæ Sedis Pontifex, de consilio omnium, qui residebant in Synodo, Heinricum Regem Simoniacum, Hæreticum, Nicolaitarum hæreseos Principem, S. Ecclesiæ Catholicæ inobedientem, atque rebellem denuncians, denuo subscribentibus cunctis excommunicavit, anathematizavit, & maledixit propter inaudita, & nefanda scelera, quæ propriam commisit in uxorem, ipsúmque maledictum, schismaticum, Ecclesiæ Catholicæ hostem, Dei, & SS. ejus adversarium proclamat.

Rex Henricus denuò excommunicatur.

Praxedis Imperatrix non diu commorata in Italia, post menses paucos ad Patriam suam, Regnum scilicèt Ruscorum reversa, Cœnobium sanctimonialium, omnipotenti Deo sub regula monastica humiliter militantium devota ingreditur, in quo Domino servisse usque ad mortem devotissimè perhibetur. Quæ sanctitatis crescentibus meritis tandem Mater sororum suarum, & Abbatissa electa est, in quo dignitatis officio se bonorum exemplar omnium præbuit, & tandem ad Christum, quem dilexit, migravit.

Imperatrix fit Monialis.

Anno etiam præsignato, XXIII. die mensis Septembris solis defectio facta est, quam ecclipsin Græci vocant, manè horâ diei tertiâ. Draco etiam volans per aërem apparuit, cujus spectaculum plures in admirationem, & pavorem convertit; iterúmque pestilentia magna subsecuta est, quæ & hominum infinita millia passim abstulit, & pecudum majorem partem consumpsit.

Defectio solis.

Pestilentia magna.

MXCIV.

Anno Gebhardi Abb. tertio, Vrbanus Papa in multis Galliæ locis habito Præsulum concilio plura statuit, & tam per se, quàm per alios Crucem, contra Saracenos Mahumetis spurcissimos cultores pro recuperatione Terræ sanctæ, regni Hierosolymorum, in omni Christianorum orbe prædicari mandavit. Quod quidem opus sanctissimum, & feliciter inchoatum est, & tandem feliciùs consumatum, per continuum fermè triennium monendo prædicatum extitit, priusquàm profectio sancta peregrinorum incepta fuit.

Passagium ad terrā S. prædicatur

Claruit his temporibns in Affrica Rasis Philosophus, & Medicus suo tempore doctissimus, quem alij Bachilonem, alij verò Mahumetum proprio nuncupatum nomine voluerunt. Hic in Arabica lingua peritus multa ex veterum lectione medicorum volumina composuit, quibus memoriam sui posteris commendavit. De correctione videlicèt medicinarum scripsit librum unum. Antidotarium quóque librum unum. Ad Regem Almansorem de cura morborum volumen insigne composuit, in quo totius ratio medicinæ continetur. Item de morbis puerorum librum unum. De divisionibus librum unum. Aphorismorum librum unum. In Astronomiâ, & Alchymia plura scripsit, quæ ad manus nostras necdum pervenerunt. Alia similiter in medicinis, quæ non vi-

Rasis Medicus in Affrica claret.

Hildeberti Epiſc. Cenomenſis opera.

dimus, edidit. Claruit & hâc ipsâ tempeſtate Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, & poſteà Turonenſis Archiepiſ. 1. vir ſuo tempore, nulli ſecundus, ingenio profundus, & multùm diſertus eloquio, Berengarij Turonenſis quondam auditor, átque diſcipulus, ſed errorum ejus contemptor, & hoſtis, qui pro Eccleſiaſtica libertate multas injurias, & perſecutiones ſuſtinuit uſque ad exilium, & carceres. Scripſit utróque ſtyli officio, metro ſcilicet, ac prosâ plura ingenij ſui præclara opuſcula, & non minùs vitæ merito, quàm eruditione ſcripturarum clarus effulſit. De cujus lucubrationibus iſta invenimus. Opus metro compoſitum ſuper totius miſſæ officium librum unum. De ſuis ærumnis, calamitatibus, & exilio librum unum. De miſeria hujus vitæ librum unum. De Sacramento Altaris librum unum. Epiſtolarum ad diverſos librum unum. Carminum, Hymnorum, & Epigrammatum librum unum. Berengarij quóque præceptoris ſui ab errore converſi, & maximè pœnitentis poſtea mortui epitaphium in verſibus 50. compoſuit, alia nonnulla edidit, quæ in manus noſtras minimè venerunt.

MXCV.

Prodigia multa.

Anno Gebhardi IV. magna in pleriſq; regionibus prodigia factaſu tu. Aves námque domeſticæ omnis generis, anſeres, pavones, gallinæ, & cætera id genus, quæ inter homines fuêre nutritæ, ſubitò conſortia hominum contempſerunt fugientes ad nemora, & montes, & ſilveſtrium feritatem aſſumentes, non ampliùs redierunt ad homines. Terræ motus crebri fuerunt, imbrium, & aquarum inundationes multæ, peſtilentiæ, mortes, & cunctarum inopia rerum mortales miſerabiliter afflixerunt. Acies in cælo pugnantium crebrò viſæ ſunt, & multos terruerunt. Viceſimâ quartâ die menſis Februarij anno præſcripto, ſtella in oriente viſa eſt, quæ locum ſuum longo interſtitio crebris ſaltibus in alium mutavit, & diu in una ſtatione ſtabilis non permanſit. Circa nonas quóque menſis Octobris cometes ad meridionalem plagam apparuit, qui ſplendorem ſuum in obliquum, quaſi in formam gladij protendit. Nubes etiam ſanguineas tam ab oriente, quàm occidente ſurgentes, & in medio cælo ſibi concurrentes, rurſúmque medijs ferè noctibus à ſeptentrione igneos conſurgere ſplendores, plerúmque & faculas ardentes volitare per aëra multi ſcriptores illius temporis ſe vidiſſe teſtati ſunt.

Cometes enſiformis

Equites in aëre.

In Diœceſi Colonienſi Presbyter quidã probatæ fidei nomine Svvikerus, horâ cujuſdam diei ferme nonâ, duos equites vidit in aëre concurrentes, quorum alter Crucem in manibus habebat non modicam, quâ alterum percutiens ſuperabat. Alius quidam Presbyter nomine Gerlacus quodam die circa horam meridianam cum duobus itineris ſui comitibus in nemore quodam ambulans, gladium miræ longitudinis quaſi raptum à vento in aërem deferri manifeſtiſſimè vidit, qui ſine miniſterio cujuſdam ferebatur in altum, & quouſque viſus poterat ſubſequi, gladius in cælum videbatur elevari. Audiebatur & fragor, quaſi aëris motus velocitate percuſſi, qui ſicut & viſus paulatim minuebatur, quantò ſublimius ferebatur enſis. Referebant complures civitatem ſe nocturnis temporibus in aëre vidiſſe ſuſpenſam, & quaſi hominum turmas illam obſediſſe in gyro, machináſque applicuiſſe varias, & ad capiendam urbem præparatas, omniáque illic apparuiſſe fieri ſecundùm ordinem, quæ facere

Gladius in aëre.

Civitas in aëre viſa.

mora-

mortales in obsidione urbium isthic consueverunt. Multi etiam Crucis signaculum sibimet non manu hominis, non ingenio, non arte, sed divinitus in fronte, indumento, vel qualibet alia parte corporis ostendebant impressum, cui simile quóque nostris diebus circa Spanheim, & in Leodiensium Diœcesi simul, ac Moguntina circa Rhenum nos ipsi vidimus factum, quemadmodum suo inferiùs loco manifestiùs exprimemus. Hæc autem S. Crucis miraculosa impressio, multis fuit causa incitamenti, ut pro recuperatione Dominici sepulchri ad iter se Hierosolymitanum, de quo sequente anno dicemus, præcingerent.

Crux in hominibus apparet.

Mulier quædã biennio prægnans continuè, cùm ad partum putaret se urgeri, tandem post duos imprægnationis suæ annos, rupto utero puerũ effudit loquentem. Alia quædam infantẽ per omnia peperit bimembrem. Natus est etiam puer biceps, reliquo tamen corpore unus. Et agnelli plures binis capitibus exorti sunt, & multa mirabilia visa sunt super terram. Globus námque ignis in modum fulguris coruscantis subitò ad longitudinem lanceæ se dilatans, sed latior clarissimâ die, & in ipso fervore solis discurrens, intuentium oculos improviso terrore concussit, sed neminem læsit. Quâdam verò die sole jam declinante ad occasum, nullâq; in aere nubeculâ penitus apparente, ecce globi ignei in diversis cæli partibus multi, quasi per totum aërem discurrentes visi sunt, tandémque altiùs elevati sese receperunt in cælum. Multi autem, qui eos viderant, non ignem, sed angelicas fuisse Potestates in præsagium futurorum divinâ providentiâ missas ad consolationem mortalium opinabantur.

Monstra Puer loquens nascitur.

Globi ignei in aëre.

In Saxonia bos humana protulisse verba notatus est, trinâque vice dixisse, ad pastorem: Vade, Hierusalem capietur à Christianis. Multa, & alia miranda his temporibus in orbe Christianorum visa sunt, quæ causâ brevitatis omittimus: quorum consideratione permoti fideles, multa millia hominũ fecerunt se Cruce signari, & sequente anno Hierosolymã profecti sunt.

Bos loquẽs

MXCVI.

Anno Gebhardi Abbatis v. Indictione Romanorum iv. Welfo Dux quondam Bavariæ Heinrico Regi diu rebellis, & contrarius, & Ducatum prædictum compulsus dimittere, posteaquàm multas instabiles peragraverat mansiones, ad gratiam ejus redijt, & amissum Ducatũ recepit.

Welfo Dux Bavariæ redit in gratiam cum Heinrico.

Anno igitur Dominicæ Nativit. prænotato, visis tot prodigijs, & mirandis, quæ divina providentia mortalibus jam plusquàm per triennium ostendit; communis, & magna expeditio Christianorum, quam Passagium pleríque vocant, pro recuperatione Hierosolymitanæ civitatis, & Dominici sepulchri ultra mare facta est contra Saracenos, qui Terram sanctã per annos plures occupaverant. Ad militiam ex Hispania, Gallia, Aquitania, Burgundia, Flandria, Brabantia, Anglia, & ex omnibus regnis, & Provincijs Occidentalibus, tam Regum, Principum, Nobilium, quàm vulgi utriúsque sexûs, innumerabiles turmæ armatâ manu, crucéque signati surgentes Hierosolymam tendere cœperunt Duces diversos secuti. Primi námque Petrum quendam Presbyterum Eremitam natione Gallum ex Amiens oppido natum, virum quidem staturâ pusillum, sed corde, & animo magnum, qui totius peregrinationis prima causa fuit, sequentes ad quindecim millia æstimati, per Germaniam, Bavariam, & Hungariam non sine magna difficultate transeun-

Petrus Eremita.

tes, Conſtantinopolim, & inde ad regiones Terræ ſanctæ proximas pervenerunt. Ex quotidiano concurſu peregrinorum aucti ſicut arena maris, ut eorum jam penè infinitus eſſet numerus. Alij quendam Presbyterum nomine Folemarum ſequentes Ducem, per Saxoniam, Bohemiam, & Auſtriam pedeſtri itinere profecti ſunt, quorum numerus ultra duodecim millia fuit æſtimatus, quemadmodùm ab his, qui interfuerant, litteris invenimus commendatum. Plures etiam per Danubium navigio deſcenderunt, quorum non parvus fuit numerus, qui ſingulis fermè diebus maximè augebatur. Nonnulli Ciſrhenani, Moſſellani, Colonienſes, Cynovoti, Weſtraſij, Wetterauſij, & Franci orientales Goteſchalcum Presbyterum quendam Moguntinum ſequebantur Ducem, quorum multitudo fuit maxima. Porrò Galli, Hiſpani, & Angli per mare mediterraneum ad Paleſtinam navigio ſimiliter pervenerunt, quorum innumerabilis multitudo navibus mare latiſſimum cooperuiſſe videbatur. Mirabilis, & perpetuò memorandus tot Chriſtianorum in unam expeditionem concurſus, quorum ſumma pluſquàm quater centum millia hominum fuit æſtimata; quanquàm fuerint nonnulli authores, qui numerum peregrinorum in unum convenientium apud Antiochiam ſexcentorum millium ſummam dixerint exceſſiſſe, quorum non pauca millia ab infidelibus interempta ſunt.

Folmarus Dux peregrinus.

Goteſchalcus alius Dux peregrinorum.

Numerus militiæ Chriſtianæ

Huic expeditioni tam ſanctæ, támq; neceſſariæ *Monachi*, & Moniales, ſenes & juvenes, virgines, & maritatæ mulieres cum parvulis, & infantibus ſine certo numero plures interfuerunt, & multæ multis fuerunt in ſcandalum, & ruinam. *Quoniam verò totius Paſſagij hujus hiſtoria in duodecim libris digeſta plenius habetur*; hîc diutiùs in ejus narratione conſumere tempus ſuperfluum judicavimus. Præmiſſis igitur paucis de Gotfrido comite de Bullion, quem nomine Ducatus Lotharingiæ Principes hujus ſanctæ peregrinationis honorarunt, Ducem propter fortia geſta illum, cùm non eſſet, pro reverentia nuncupantes; & exterminio Judæorum, quod peregrini minùs conſultè feciſſe notati ſunt, reliqua omittemus. Godfridus igitur comes de Bullion in Provincia Lotharingiæ vir magnanimus, fortis, & in fide Chriſtiana devotiſſimus, audiens terram Palæſtinam, id eſt, Judæam, quam Dominus, ac Redemptor noſter Jesus Chriſtus Dei filius proprio ſanguine conſecravit: ipsúmque templum Dominici ſepulchri tam indignè fœdari à Saracenis, & Chriſtianos ab ijſdem tam miſerabiliter oppreſſos, cùm, *Vrbano Papa* II. jubente, Crux in omni terra prædicaretur, animo compunctus eſt, & amore cæleſtis regni pro defenſione fidelium arduam hanc peregrinationem humili devotione ſubivit, ac tandem non ſine maximis periculis laboribus feliciter complevit. Qui ut militiam Chriſti ſine præſumptione ſpei revertendi profiteretur expeditus, comitatum ſuum de Bullion cum omnib⁹ ad eum pertinentibus Leodienſi Eccleſiæ in jus proprietatis perpetuum vendens tradidit pro mille trecentis marcis argenti puriſſimi; & quidquid habuit aliud in poſſeſſionibus, cenſibus, & annuis provẽtibus ſupellectili, quod ſecum ducere non potuit, fratre ſuo Balduino conſentiente vendidit, & omnib⁹ in pecuniã redactis, cum eodem fratre, & tota ni familia ſua in auxilium Chriſtianorũ cum cęteris peregrinis ad regnum Hieroſolymitanum profectus eſt, & ampliùs in Europam, multò minùs

Gotfridus comes de Bullió Dux exercitus.

in

in Lotharingiam reversus non fuit, sed mansit in militia Jesu Christi stabilis, & usque ad mortem perseveravit. Quem Christiani Principes Rebugem, Jerusalem urbe tandem captâ, fecerunt, sed coronam portare auream in ea civitate noluit, in qua Rex cœlorum spinis coronatus fuit. Ejus verò Ducatum de Bullion Leodiensis Ecclesia sicuti totum pecuniâ liberum emerat, ita possidet quietè usque in præsentem diem. Unde propter reverentiam à Principibus Gotfrido comiti collatam, ut non comes de Bullion, sed Dux de Lotharingia diceretur: Episcopus Leodiensis Ducem se pariformiter scribere consuevit. Eodem anno, quo Petrus, & Gotscalcus Presbyteri de Bullion præcesserunt, ex diversis regnis, & Provincijs, Galliæ scilicet, Angliæ, Flandriæ, Lotharingiæ, gens copiosa, & innumerabilis in multa supellectili, ac substantia Hierosolymã proficiscens, comessationibus, & luxuriæ dedita, spiritu crudelitatis adversus Judæorum insurrexit populum, per quascunque urbes iter faciebant, crudelissimam in eos exercentes necem, asserentes sic obsequium se præstare Deo in suæ expeditionis principio contra hostes fidei Christianæ. Idque factum est præcipuè in Regno Lothariensium.

Peregrinorum luxus perdidit eos.

Hæc autem strages Judæorum primò in civitate Colonienſi à civibus facta dicitur: qui subitò in eos irruentes, domus, & Synagogas eorum subverterunt, omnia illorum bona inter se dividentes. Quo viso circiter ducenti ex Judæis navigio per Rhenum ad oppidum Nyssiense fugere cœperunt: quos peregrini, & cruce signati persequentes trucidârunt omnes, nec unum relinquentes vivum.

Colonienſ. interfecerũt Judęos.

Hinc Moguntiam pervenientes comitem quemdam Emichonem nomine virum nobilem, & potentem illius regionis invenerunt, qui & peregrinorum præstolabatur adventum: Judæi vero, qui in Moguntia habitabant sibi timentes, Episcopo Ruthardo spe salutis infinitos thesauros committunt; qui pecuniâ cautè repositâ, illos in suæ domûs solio à facie comitis in loco clausit tutissimo, verùm comes Emicho, & cruce signati fractis seris, & januis septingentos utriúsque sexûs Judæos in ore gladij peremerunt, reliqui viso furore sævientium Christianorum mutuis se vulneribus confoderunt; Matres lactentibus guttura ferro secabant, alios transforabant, ne in manus horrendas inciderent Christianorum, quos incircumcisos, id est Gohim nuncupabant; sic & ipsi omnes crudeliter sunt interfecti.

Moguntiæ peregrini interfecerũt Judęos.

Anno Dominicæ Nativitatis præscripto Monasterium ordinis nostri in Reinhausen Moguntinensis Diœcesis in Saxoniæ partibus fundatur, paucis ab oppido distans milliaribus: in quo multi deinceps Monachi religiosissimi claruerunt.

Monasterium Reinhausen fundatur.

Primus dicti Monasterij Abbas nomine Reinhardus, vir divinis scripturis studiosissimus, & multùm eruditus, metrico genere scribendi non minùs exercitatus, quàm oratione solutâ, ingenij sui non pauca lucubravit opuscula, de quibus tandem vidimus subjecta. Comentarius in Isajam Prophetam, librum 1. In Ezechielem quóque Prophetam librum 1. In omnes Epistolas S. Pauli. libros XIV. In librum B. Job opus metricum non spernendæ authoritatis. Cætera, quæ scripsit, in manus nostras non devenerunt.

S. Reinhardus 1. Abb. in Reinhausen &c.

Vir iste doctissimus Reinhardus non solùm in omni genere scientiarum

tiarum eruditus extitit, sed etiam vitæ merito religiosus, atque sanctissimus fuit; utpote qui multis in vita, simul & post mortem signis, & miraculis coruscavit. Unde & usque in præsentem diem ad sepulchrum ejus, quod est in Ecclesia memorati Monasterij, morbo epilepsiæ, quem caducum appellant, gravati homines misericordiam Dei implorantes, sanari perhibentur.

Imperator venit de Italia.

MXCVII.

Anno Gebhardi Abbatis VI. Heinricus Imperator ab Italia rediens in Bavariam secessit, & in civitate Ratisbona super Danubium aliquamdiu moratus: Judæis qui priori anno per comitem Emichonem, & peregrinos Baptismum coacti susceperunt, redire ad Judaismum concessit.

Eodem anno Imperator Heinricus magnum cum Principibus colloquium de pace, & reformatione Imperij habuit, in capite videlicet mensis Septembris. Et licet, sicut quidam dicebat, pax est interdum, pacis fiducia nunquam; multa ibidem pro pace sapienter constituta fuerint; nullus tamen, aut parvus inde sequebatur effectus: propterea quòd Rex manifestus Ecclesiæ hostis pacem dare non potuit, quam contra Deum, & Ecclesiam multo jam tempore violavit. Natale Domini Argentinæ cum sibi adhærentibus Principibus eodem anno Rex celebravit. Eo quóque anno æstas fuit multùm fertilis, hiems lenis, & pestilens.

Anno quóque prænotato Gebhardus memorabilis Abbas fratrum labori compassus, qui aquam de flumine ad usus necessarios hauriebant, habito cum expertis in ea facultate magistris consilio, per occultos sub terra meatus aquæ ductum de monte in Monasterium fecit, & aquam ad omnes officinas necessariam non sine magnis impensis introduxit.

MXCVIII.

Ruthardus Archiepisc. recessit ab Imperat.

Anno Gebhardi Abbatis septimo, inquisitione factâ Moguntiæ ab Imperatore de facultatibus Judæorum anno Gebhardi quinto, sicut diximus, interfectorum, inter cæteros, qui eas rapuisse delati sunt, quadam ex consanguineis Ruthardi Arciepiscopi coram Imperatore fuerunt accusati, quos cùm Imperator perquireret, nec in præsentiarum venirent, Archiepiscopus causam eorum defendere tentans, sed minùs valens indignatione permotus ex urbe discessit, & in Thuringiam cum eis se contulit quasi suis in hoc meliùs prospecturus, & ex vicinitate Saxonum Imperatori rebellium, quemdam terrorem ei illaturus, sicque commotionis suæ vindictam exacturus. Fuerunt autem, qui dicerent etiam ipsum Episcopum de pecunijs Judæorum sustulisse, quod ex eo confirmare videntur, quoniam omnem, sicut diximus, eorum substantiam in depositum acceperat, quod neminem scire præter ipsum, & paucos familiares ejus verisimile constat.

Ordinis Cistercienſis initium.

His quóque temporibus Ordo Cistercienſis militans sub regula Beatissimi Patris nostri Benedicti sumpsit initium in partibus Gallicanis cujus fundator primus fuit Rupertus Abbas Molismensis in Diœcesi Lingonensi Ordinis nostri: quo tandem mandato sumi Pontificis Urbani ad Molismum reverso, Albericus in Abbatia nova Cistertiensi successit. Monasterium perfecit, & in brevi tempore multitudinem Monachorum in unum Sanctitatis propositum adunavit. In magna paupertate hisce do cœpit, & in paucis annis mirabiliter succrescens, & dilatatus reliquis omnibus locupletior evasit.

Anno

Anno Gebhardi Abbatis prænotato in Diœcesi Wormacensi non procul ab Oppido, quòd Neolinigen ab incolis terræ nuncupatur, mirandum multis diebus apparuit spectaculum. Certis in hebdomada noctibus, & maximè in festis Sanctorum multitudo quædam armatorum maxima de monte quodam eggressa in campi planiciem vicinam quasi ad prælium processura videbatur à multis. Erant inter eos pedites, equites, sine certo numero multi, qui nunc huc, nunc verò illuc quasi per turmas discurrentes sese mutuò percutere visi sunt, ita quòd fragor ex collisione armorum eminùs audiebatur. Consumato tandem, ut putabatur, conflictu circa horam nonam noctis, in montem unde processerant, se cum gemitu, & ejulatu quasi violenter impulsi festinantissimè receperunt. Hæc visio nimis horrenda per continuũ fermè triennium apparuit: non singulis quidem noctibus, sed sacratioribus, & interpolatis; & tam crebrò, ut notum factum fuerit in omni circaregione cunctis habitantibus miserabile spectaculum. Erant autem turmæ, quæ videbantur, non hominum, sed animarum, sicut rei postea demonstravit eventus, quibus omnipotentis Dei miseratio indulsit, ut suas in purgatorio pœnas assumpto schemate visibili, significarent mortalibus, quorum suffragio charitatis intuitu liberari potuissent. Ex vicinia per hoc triennium, quo mortuorum apparuêre spiritus, multi homines docti, & indocti, sæculares, & clerici, propè locum, ubi solebant videri convenerunt, visionem hanc grandem videre cupientes: quorum tamen nullus ad illos ausus fuit accedere. Fuit eo tempore in Cœnobio Limpurgensi non multùm à loco huiusce modi apparitionis distante, Monachus quidam doctus, & religiosus, nomine Rupertus, qui postea fuit Abbas ejusdem Cœnobij, ut suo loco dicemus. Qui cùm esset homo prudens, & in Deum magnæ devotionis nocte quâdam suo permittente Abbate cum quibusdam alijs Monachis Deo mente, & corpore dicatis ad montem, unde spiritus illi consueverunt exire, propius accessit, præmisísque orationibus sancto se crucis signaculo munivit, & donec egrederentur, expectavit. Et ecce circa sextam noctis horam spiritus illi de monte more suo turmatim procedentes in campum veniunt, & sicuti consueverant, in modum concertantium, huc, illúcque discurrunt. Interea Rupertus diligenter considerato montis loco, unde videbantur exisse, constanter propius accessit, & se in orationem cum fratribus dedit. Cúmque turma jam post conflictum redire videretur ad montem, Rupertus eam per nomen Jesu Christi adjurans præcepit, ut sicuti apparebat, immobilis persisteret, & sine falsitate ad interrogata responderet. Mox imõbilis stare omnis illa videbatur spirituum turma, & quasi compos voti effecta libenter jubentis audire imperium. E quibus unus Ruperto, qui essent interroganti respondit. Non sumus phantasma, nec sumus vel hominum vel dæmonum turma, animæ sumus hominum vitâ Defunctorum, qui ante paucos annos in hoc loco campestri pro justitia Principis bellantes fuimus in concertatione occisi. Arma, habitus, & equi, quæ nobis, dum viveremus, instrumenta fuêre peccati, etiamnum post mortem in nobis videntur, vobis manifesta sunt quædam signa ejus in quo sumus tormenti. Omne autem, quòd circa nos apparere cernitis, nihil aliud in nobis est, quàm intollerabilis ignis, quam-

Animarũ Defunctor. exercitus triennio apparuit.

Rupertus Monachus Limpurg.

Rupertus adjuravit animas.

quam vos hoc minimè videatis. Et benedictus omniũ creator Deus, qui & nobis contulit poſſe apparere viſibiles, & tibi donavit, ut nos ad loquendum in Chriſti nomine adiurares. Magnum enim chaos eſt inter nos, & vos, ut ſicuti vos ſtatum noſtrum nullâ ratione poteſtis, quamdiu in carne mortali vivitis, ita nos vobis aut loqui, aut apparere viſibiles nequaquam poſſumus, niſi cùm id nobis divina pietas ſingulari privilegio donaverit. Cui Rupertus Monachus dixit, potéſtne fieri, ut orationibus viventium ab his pœnis liberet vos Dominus? Spiritus reſpondit. Jejunijs, orationibus, eleemoſyníſque, & maximè celebratione miſſarum juvari, & poſſumus, & oramus. Cui Monachus. Et quomodo, inquit, ſcire poterimus vos liberatos à pœnis, ſi vobis impenderimus poſtulata ſuffragia? reſpondit Spiritus. Cùm feceritis pro nobis ſtatuta ſuffragia, & amplius iſthìc viſi non fuerimus, manifeſtum erit vobis ſignum, quia liberati ſumus. His dictis mox omnis illa Spirituum turba, quaſi uno ex ore clamabat dicens tertiò: orate pro nobis, orate pro nobis. Et confeſtim omnes in ignem reſoluti videbantur clamantes. Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum, qui reddis unicuíque quod meruit. Mons etiam ipſe totus apparuit igneus, tantúſque fragor audiebatur, & ſtrepitus arborum, ut cælum, & terram in unum concuti putarent. Rupertus cum ſuis nimiùm territi ad Monaſterium Limpurgenſe reverſi ſunt, & fieri pro defunctis poſtulata ſuffragia quantociùs ordinaverunt. Nam præter jejunia, eleemoſynas, diſciplinas, & orationes in Monaſterijs, & Eccleſijs diverſis factas, per triginta continuas dies Miſſæ pro illis legebantur quotidie triginta: quibus expletis ad montem Rupertus revertitur, & noctem ducens priori loco inſomnem, ſi revertatur Spirituum turba, præſtolatur. Sed ubi advenit hora viſionis conſueta, vocem audivit in aëre cantantium Spirituum melodiâ concordi, ac ſuaviſſima dicentium. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur &c. Spirituum verò turma nec tunc, nec deinceps amplius apparuit, quam liberatam non dubitamus.

Animæ adjuratæ petunt ſuffragia.

Orationes fiunt, & DCCCC. Miſſæ, ut liberentur.

His etiam temporibus Hermannus comes de Northeim in Saxonia vir dives, potens, & Chriſtianæ fidei cultor devotiſſimus, Gertrude ſuæ legitimâ uxore conſentiente, & cooperante Monaſterium Ordinis noſtri fundavit, quod à Villa tunc proxima, nunc autem funditus deſolata, & everſa Bursfeldia nuncupatur in honore ſanctorum Thomæ Apoſtoli, & Nicolai Myreorũ quondã Epiſcopi; in quo Monachos, & Abbatẽ ſecundùm Regulam D. P. N. Benedicti converſantes inſtituit, quibus præſentis vitæ neceſſaria procuravit. Ab hoc loco noviſſima Ord. N. reformatio in Germania vocabulũ accepit. *MXCIX.*

Monaſterium Bursfeld. fundatur novum.

Anno Gebhardi Abbatis VIII. Conradus Epiſcop. Trajectenſis 24. die menſis Aprilis poſt Miſſarum celebrationem in domo ſua procumbens ad orationem, à quodã Friſio interfectus eſt, cujus interfectionis hæc fuit occaſio. Cùm idem Præſul in parte civitatis paludinoſa Eccleſiam Canonicorum ædificare diſponeret, & propter lutoſam, fluxilémque ſolum locare fundamentum ſtabile non poſſet, affuit inter cæteros quidam ex Friſia natus homo, non parùm in Architectura peritus nomine Pleberus, qui ſub pœna capitis ſui pollicebatur ſe fundamentum ſolidum, & perpetuò ſtabile quâdam arte poſſe locare, ſuper quo conſtructa

Eccleſia

Ecclesia nunquam esset ruitura, sed cum pro suo consilio dando nimis multam postularet pecuniam, Episcopus dissimulato proposito filium ipsius Pleberi æquè latomum conveniens largis donavit muneribus, & arcanum propositæ artis consilium ab eo revelatum lætus accepit, Plebero negotium Episcopi cum filio penitus ignorante. Episcopus itaque jam sufficienter à juvene informatus, secundùm artem, quam didicerat, stabile fundamentum in aquis posuit, & desuper Ecclesiam ædificari fecit. Quamobrem Frisius nimio furore incensus contra Episcopum, à quo suo defraudatus lucro videbatur, totus in ejus necem conspirabat, & opportunitatem observans die præscriptâ domum ejus, ut notus ingreditur iram complens, ut diximus. Cui in Pontificatu Ecclesiæ Trajectensis successit Burghardus, vir nobilis, prudens, pius, & mansuetus, qui non minus vitæ meritò, quàm sanctæ prædicationis verbo gregem cõmissum optimè custodivit.

Conradus etiam Eichstatensis in Bavaria eodem anno prænotato moritur, pro quo alius ejusdem nominis Pontifex ordinatur. Eodem quoque anno mortuus est Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, cui Fridericus successit, & annis xxxii. præfuit. Vir prudentissimus, amator Dei, & Ecclesiæ strenuus advocatus, ad quem multi eruditissimi viri suas lucubrationes tanquam unicum Doctorem mœcenatem inscriptas mittere consuêrunt; inter quos Rupertus Abbas Monasterij Tuitiensis prærogativâ familiaritatis obtinuit principatum, de cujus ingenio, & opusculis locuti sumus.

Hermañ. Colonienſ. Archiepiſc. obijt, Fridericus ſucceſſit.

Iste Fridericus Reverendiss. Archiepiscopus Monasterium Virginum Ordinis nostri à fudamentis novum construxit in quadam Insula Rheni, quæ Insula Rolandi nuncupatur, quinque ferme à Brunna Oppido in accessu fluminis distans milliaribus, in quod multitudinem Monialium posuit secundùm Regulam sanctissimi P. N. Benedicti, omnipotenti Deo in vera mentis, & corporis castitate famulantes, quibus & necessarios proventus, & redditus pro sustentatione ordinavit. Idem quoq; Religiosissimus Præsul Fridericus aliud nostri Ordinis Cœnobium juxta Rhenum construxit, in colle montis prope sylvam, quæ dicitur Rhinmagen, in ascensu memorati fluminis non procul à prædicta Insula Rolandi: quod perfectum, & consumatum Abbati Monasterij S. Michaëlis in Segeberg perpetuò voluit esse subjectum, Ecclesiam consecrans in honorem sancti Apollinaris Martyris, & proventibus ad usum Monasteriorum, & Propositi Deo famulantibus sufficienter dotavit.

Cœnobiũ Monial. Inſulæ Rolandi fundatur.

Oppidum etiam Andernach, quod juxta Rhenum in decessu ipsius fluminis à confluentia tribus distat milliaribus, ampliavit, murisque ac turribus in circuitu munivit: arcem in superiori parte construxit, & fossatum in gyro totius oppidi, ut hodie cernitur, fieri mandavit.

Andernach oppidum inſtauratur

Duo insuper castra in fundo Colonienſis Ecclesiæ, cui præsidebat, nova construxit: quorum Rolandi alterum Art, vulgariter verò Rolandisek nuncupatur, situm in monte non procul à supradicto Cœnobio Monialium Insulæ Rolandi: alterum verò propter altitudinem montis, in quo constructum est, Wolckenberg nominatur, parùm distans à Drackenfels, seu Petra draconis, quod se videndũ à remotissimis præstat locis.

Rolandiſek Wolckenberg.

Anno quoque prænotato Heinricus Imperator Natalem Domini

Coloniæ celebravit: in Epiphania verò Aquisgrani filium suum junio-rem Heinricum v. Regem fecit, reprobato majore filio Conrado, quem prius coronari fecerat. Conradus autem rebellionis suæ causam, quam supra diximus, paucis tantùm, sibique familiarissimis revelavit, juxta illud: turpitudinem Patris tui ne denudaveris: sed cum alio sui nominis Conrado forti admodùm, & prudentissimo viro ad Urbanum Papam II. profectus est, & Rex Italiæ, sicut dictum est supra, constitutus.

Erat enim vir per omnia Catholicus, & Apostolicæ Sedi subjectissimus, plus Religioni, quàm armis, aut fascibus deditus: fortitudine animi, & audaciâ satis, & superinstructus: lectionibus, quàm lusibus vacare malebat, miseris omnimodis, & præcipuè militibus inopiâ strictis compassione, & misericordiæ fructu proximus fiebat. Neminem contempsit, nemini vim intulit: nemini præjudicium intendit, sed omni personæ, omni conditioni pius, mansuetus affabilis fuit, indéque non immeritò, & ipse Deo, & hominibus gratus, & amabilis extitit.

Urbanus Papa 2. mo. ritur.

Anno etiam prænotato v. Calend. Augusti Urbanus Papa II. vir sanctus, & Deo dilectus, post multos labores, & varias persecutiones, quas ab impijs pro justitia sustinuit, ad Dominum migravit. Romæ sepultus est in Ecclesia S. Petri Principis Apostolorum. Iste Beatiss. Papa Urbanus anno Pontificatûs sui VII. ad instantiam venerabilis Gebhardi Abbatis privilegium Gregorij Papæ VII. Beato Wilhelmo Abbati, & Monasterio Hirsaugiensi gratiosè indultum cum pleniori gratia prærogativa confirmavit: desuper novam tradens Bullam plumbo sigillatam, cujus tenor *sequitur, & est talis.*

Exemplar privilegij Urbani.

URBANUS Episcopus Servus Servorum DEI Dilecto filio Gebhardo Monasterij Hirsaugiensis Abbati, ejusq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cum universis sanctæ Ecclesiæ filijs pro Apostolicæ Sedis auctoritate, ac benevolentia debitores existamus: illis tamen locis, ac personis, quæ specialiùs, & familiariùs Romanæ adhærent Ecclesiæ; quæque ampliori Religionis gratiâ eminent: propensiori nos convenit charitatis studio imminere. Unde nos b. m. prædecessoris nostri Gregorij formam sequentes eadem tibi, tuisque legitimis concedimus successoribus, quæ ipse prædecessori tuo Wilhelmo, & ejusdem Monasterio precibus Adelberti comitis concessit, & confirmavit: qui æternæ retributionis amore succensus in prædio suo, quod dicitur Hirsaugia Monasterium à progenitoribus suis antiquis constructum, nuper amissa restituens venustè reparavit, & in usus fratrum inibi Deo servientium pluribus possessionibus, & redditibus ampliavit. Quam suæ liberalitatis institutionem ne ulla in posterum perversorum hominum audacia minuere, aut violare præsumat, Apostolicæ auctoritatis privilegio muniri, & S.ᵉ R.ᵉ E.ᵉ tuitione roborari postulavit, quamobrem præfatum Monasterium sub Apostolicæ Sedis protectione, ac tutela specialiter amplectentes præsentis privilegij paginam statuimus, ut quæ hodie idem Cœnobium justè possidet, sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium justè, & canonicè poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc nominatim definenda

gnanda duximus. Cellulas S. Gregorij, quæ dicitur Richenbach, & sancti Martini, quæ dicitur Vischbachajo, & prædium quod dicitur Gilstein, quod datum est pro Cella S. Petri, constituentes ne vel tu fili charissime Gebharde, vel quilibet tuorum successorum, præfatas Cellulas destruere, vel ea, quæ illis jam concessa sunt, seu concedentur, temerè præsumatis imminuere. Præterea decernimus, ut nulli omnino hominum liceat idem Cœnobium temerè perturbare, vel ejus possessiones auferre, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione concessa sunt, usibus omnimodo profutura, constitutionis quoque immunitatis, & libertatis modos, quos præfatus comes illustri Adelbertus scripto suæ traditionis inseruit, & regio sigillo imprimi curavit, ac posteritatis cautelam, & arcendos infestantium impetus diligenter statuimus, uti nec de promissis quidlibet negligatur, ne de vetitis quidlibet præsumatur. Obeunte verò te nunc ejus loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ, vel violentiâ præponatur, nisi quem fratres cõmuni consensu, vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Deum, & Beati Benedicti Regulam elegerint. Consecrationes Altarium, sive Basilicarum, Ordinationes quoque Clericorum, Oleum sanctum, & cætera ad Episcopale officium pertinentia ab Episcopo Spirensi, in cujus estis Diœcesi, accipietis; si tamen Catholicus fuerit, & cõmunionem Apostolicæ Sedis habuerit: & si ea gratis sine Simoniaca pravitate impendere voluerit. Aliàs verò liceat Catholicum, quem volueritis, Episcopum adire, & ab eo consecrationum Sacramenta accipere, qui Apostolicâ fultus auctoritate, quam postulatis, indulgeat. Advocatum præterea, sive protectorem vobis Gotfridum præfati comitis Adelberti filium instituimus, si hujusmodi Deo præstante fuerit, ut Ecclesiæ, & servis Dei honorem debitum exhibeat, & prædicti Monasterij utilis, & studiosus defensor fuerit. Sin autem in vestra sit potestate eligere vestræ Ecclesiæ idoneũ protectorem, qui sine lucri sæcularis exactione id divinæ servitutis obsequium strenuè ac reverenter exhibeat. Vos igitur fili in Christo charissimi oportet regularis disciplinæ institutionibus solicitiùs, & devotiùs insudare, & quantò estis à sæcularibus tumultibus liberi, tantò studiosius placere Deo totius mentis, & animæ virtutibus anheletis: præcipuè studentes Romanæ Ecclesiæ decreta veneranda servare, cujus Patrocinio ab omni jugo viventium estis annuente Domino præmuniti. Ad indicium autem perceptæ hujus à Romana libertatis per annos singulos Bizantium aureum Lateranensi Palatio persolvetis. Sanè siquis in crastinum Episcopus, & Archiepiscopus, Imperator, aut Rex, comes, aut Vicecomes, judex, aut persona quælibet magna, vel parva hujus privilegij nostri paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, & eorum, quæ concessa sunt, vel statuta, quicquã irritum fecerit: secundò, tertióve cõmonitus si non satisfactione congruâ emendaverit, æterno se innodatum anathemate, & à Corpore Christi, & Ecclesia, & auctoritate potestatis Apostolicæ segregatum cognoscat. Conservantibus autem hæc pax à Deo, & misericordia præsentibus, & futuris sæculis conservetur Amen. Datum Placentiæ per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, 8. Idus Martij, indictione tertiâ. Anno Dom. Incarnat. MXCV. Pontificatûs autẽ Domini Domini Urbani Papæ II. anno VII.

Bona Monasterij cõfirmantur à Papa.

Abbat. electio est Monachorum.

Exhortatio Papæ ad observantiam.

Excomunicantur hujus paginæ violatores.

Hucusque Bulla Pontificis.

Acta sunt hæc anno Gebhardi Abbatis quarto, qui facilè quod voluit impetrare à Papa potuit, cujus sanctitati antea & notus, & charus fuit. Nam ut supra diximus, cùm adhuc Prior esset, à Beato Wilhelmo ad illum pro sanctorum Reliquijs missus, & singularis amicitiæ benevolentiâ donatus. Dedit autem memoratus Pontifex Urbanus, & aliud privilegium huic Monasterio, cujus tenor jam sequitur.

Bulla Urbani Papæ alia nobil.

URBANUS Episcopus servus servouum DEI omnibus Teutonicæ regionis fidelibus. Hanc chartam, & hoc privilegium in Christi nomine donaturi; non est absre, si primò innotescimus, quæ sit causa, vel quæ necessitas ejusdem privilegij. Monasteria, & Servorum Christi habitacula, quæ piâ voluntate, & optimo studio ædificantur: si non minus à posteris, quàm majoribus, & eorum fundatoribus amarentur, profectò eorum status non adeò est infirmus. Item qui appellantur Episcopi, si omnes de officio suo dignè curarent, & tam prodesse, quàm præesse operam darent, hoc quoq; non parùm faceret ad stabilitatem Monasteriorum. Nunc autem quod sæpius sumus experti; quod majores construunt, hoc si eorum posteri non destruunt, omittunt magis pro humana verecundia, quàm pro Deo. De ipsa tamen Parentum eleemosyna tantum servitij sæcularis exigunt, ut nulla digna sit sollicitudo de illo servitio, quod Deo debetur. Hoc quoque visum est non semel contigisse, quòd qui Christi videbatur Antistes per honestam occasionem, quâ Abbas benedicendus erat ab eo, Congregationi fratrum Abbatis electionem ex toto præriperet, nec alium ordinaret, quàm quem ipse præcipuè voluit, voluntate fratrum animo propositâ. Ordinato autē de cætero, & ipse imperavit, quasi tributario suo, & quasi cum hoc solùm constituto, ut sæculariter viveret. Nam & illa pestis maligniſſima scilicet hæresis simoniaca cum auctore suo diabolo ita cinxit terram, & perambulat eam, ut nulla sit Ecclesia, quæ securaesse queat de ejus violentia, & invasione, propter quæ singula cùm Dominus dispensatio de mediocritate nostra ita ordinaverit, ut servi servorum esse debeamus, non est dignum nos omittere, vel siquid sit latij aut sustinendij contra tot hostiles incursus misericordia Christi dederit, ut eisdem Dominis nostris conferre valeamus. Est quoddam Monasterium *in pago* Spirensi, & in sylva, quæ vocatur nigra, ipsiusque Monasterij vocabulū est in lingua Teutonica Hirsauvve: quod cum devenisset jure hæreditario in potestatem, & possessionem nobilissimi comitis Adelberti, & conjugis ejusdem Wiltrudis; non eis videbatur constare satis ad salutem animarum eorum, si ita in ipsorum manu retinerent, ut eis relictum erat à parentibus suis. Fuit ergo primitivus bonæ voluntatis eorum labor, & fructus, quod pro canonicis prius ibi degentibus introducta est, & ordinata vita Monachorum. Quo præmisso, noluerunt quoque ut de reliquo alius esset hæres ejusdem Monasterij, quàm Beatus Petrus, & Ecclesia Romana, quod etiam B. Petro oblatum est, & delegatum, & in proprium confirmatum eorum devotione, & oblatione, filijs quoque suis annuentibus, & laudantibus, & ita ut annuatim unum aureum ad Sedem Apostolicam tribuat pro censu: nullique alij mortalium cujuscunque rei terrenæ obnoxium. Et nunc quoque supereſt, ut à nobis addatur, & finiatur, ma-

Notatur culpa malorum Episcoporum.

Hirsaugiēſ. 1. fundatio.

ximè de-

ximè de constituendo Abbate, & de Advocato, vel defensore loci. Quotiescunque igitur contigerit, ut Abbas sit ordinandus, ad ejusdem electionem nolumus, & omnino interdicimus ullam personam interesse, præter Monachos, & eos solos, qui ad titulum Monasterij obedientiam sunt professi. Quem ipsi elegerint, accipiat virgam pastoralem ab aliquo de Prioribus fratrum: nec ulla potestas ad hoc Ecclesiastica, vel sæcularis expetatur. Postquam habuerit investituram officij, mittatur ex parte congregationis ad quemcumque potissimum videatur Episcopum, ut pro charitate veniat, &, ut moris est, Abbatem benedicat. De cæteris fratribus ordinandis ad quemlibet ordinem hujus generis, ut est Presbyterium, vel Diaconatus, fiat, quod magis fuerit opportunum, ut vel in ipso Monasterio ordinentur, vel ad Episcopum absentem, vel ordines alibi facientem dirigantur. Propter quod confratres nostros, & Coëpiscopos, maximè quotquot sunt in Germania, omnes pariter appellamus, & enixiùs omnes obsecramus, ut huic nostro decreto favere, & annuere non dedignentur. Et sicut eis non erat indignum in ipso textu ordinationis suæ Apostolicæ Sedi, & Ecclesiæ Romanæ obedientiam profiteri, ita monemus, rogamus, aut si hoc magis volent, ex auctoritate Sedis Apostolicæ præcipimus: ut quidquid statuimus, ad hoc quantum in ipsis est, aliquo modo inobedientes esse non præsumant. Si quis eorum rogatus fuerit, ut ad benedictionem Abbatis veniat, venire non omittat, si præ valetudine possit, vel aliâ quâlibet hujusmodi necessitate non impediente. Item si quis rogatus fuerit pro alijs Ecclesiasticis ordinibus faciendis, in hoc quoq; pro voto fratrum morem gerere non omittat. Non curet, si quis ausus fuerit præceptum nostrum calumniari, & contradicere, quasi novum sit, & illicitum, quenquam locorum ita esse absolutum ab Episcopali subjectione. Nam id ipsum de quantis locis factum est ab antecessoribus nostris, & in promptu est, si expediret, & non longum esset pleráque hujusmodi nominare. Recolat, quid responderit ille Pater inclytus sanctus Epiphanius Cyprorum Episcopus Constantinopolitano Episcopo Joanni, qui cùm eum calumniatus esset, quòd in Parochia sua absque sua licentia Ordines fecisset; fatebatur, se non in Parochia, sed in Monasterio fecisse. Quo verbo innuerat, aliud jus esse Parochiarum, & aliud Monasteriorum, aliúdque jus eorum, qui nubent, & nubentur, & aliud eorum, qui seipsos propter Regnum Cœlorum castraverunt. De quibus adhuc manifestiùs testatur Apostolus, nequaquã esse sub lege eos, qui spiritu ducuntur. Quæ sententia, si de omnibus est universalis, quantò magis illis, quibus speciali quâdam devotionis prærogativâ Deo servire convenit? (Nam quos in præfato loco specialis gratia contraxit, ut mereantur veri filij esse promissionis, & ad promissionis terram verè pertingere, liberos esse edocet.) Decreverant etiam in eodem loco fratres tali modo pro antiqua Patrum disciplina Christo militare, ita ut nullum patiantur habere commilitonem ætatis inferioris, quàm ut olim, & ipse quidem, qui est verbum Dei, cum Patribus loquebatur, vicesimo anno, & supra. Si qui sunt juniores, hi nimirum, ut in collegio suo videbantur admixti, pro nulla personarum acceptione, pro nulla æris æstimatione acquiescunt. Et hoc quantum faciat, quantúmque valeat ad integritatem, & stabilitatem Religionis, animatvertere possumus, & ex contrario maximè colligere,

De ordinatione Abb. Hirsaw.

Vocatus Episcopo tenetur venire.

Monachos decet esse liberos.

Cõmendatur inſtitutio donatorum Cœnobio.

ligere, cùm manifeſta ſit hujuſcemodi habitudo illorum Monaſteriorum, in quibus non alij Deo ſerviunt, quàm ſoli à pueris Deo nutriti. Eſt adhuc & alia gratia, quæ locum jam ſæpè dictum commendat, quòd illuc nonnulli pro amore Chriſti convenerunt hujus fervoris, hujuſque humilitatis, ut eis non tam libeat haberi pro Monachis, quàm pro ſervis Monachorum, & ultra ſe obtulerunt ad miniſterium coquinæ, piſtrini, & aliarum humanarum neceſſitatum. Quod planè tantò majoris eſt meriti, quantò expreſſiùs illum imitantur, qui cum ſit cœleſtium virtutum Imperator, tamen homo eſt factus, in hunc mundum venit, non tam miniſtrari quàm miniſtrare. Hæc ſingula conſiderantes non indignum duximus, ut qui quandam vitæ novitatem pro Chriſti dilectione ſunt adorſi eis etiam pro ipſius honore plus aliquantulum, quàm alijs Eccleſijs deferatur. Ergo primùm conſtituimus, ut per omnia tempora ſuccedentium nullus ſit mortalium, qui mutare audeat illud bonum ſtudium, & exemplum bonum militaris diſciplinæ, ut ſicut in præſentiarum, de cætero quóque virorum Chriſti cuneus tam ætate infirmiore, quàm infirmiore ſexu nunquam interrumpatur, nec in militiam ſpiritualem ante præſcriptum terminum, ideſt ante viginti annos quiſquam recenſeatur. Eóque modo æterno Regi militantes, ut nullus Epiſcoporum ullâ hujus generis quæſtione aliquo modo inquietet, ex parte Dei omnipotentis, & ex parte Dei Genitricis, & intemeratæ Virginis Mariæ, & parte Apoſtolorum Principis S. Petri, & ex noſtra interdicimus, contradicimus, & anathematizamus. Quibus etiam, ſi tale quid contigerit, quia pro tanta viarum intercapedine non eſt facilè, ut ad præſentiam noſtram, & audientiam recurrant, Moguntinæ Archiepiſcopo Eccleſiæ, cui deceſſores noſtri vicem ſuam in partibus Germaniæ commendaverunt, nos etiam noſtrum ſuper locum iſtum, & habitatores ejus cõmendamus, ut de omni querela quæ eis acciderit, ad eum ſe reclamare poſſint. Et quia ut Apoſtolus ait plures fiunt Sacerdotes, eò quòd morte prohibentur permanere; quotes Archiepiſcopus poſt deceſſum Prioris eſt ordinandus, ad ordinationem ſuademus Patri Monaſterij, ut non ſuperſedeat intereſſe, oſtendat ei exemplar Decreti noſtri, ut probet, qualem fiduciam de ejus ſuffragio in poſterum poſſit habere. Et quia Archiepiſcopus ad Sedem Apoſtolicam maximè pro pallio eſt miſſurus, ſi rogaverit Abbatem, ut ſit pro hujuſcemodi Legatarius ejus, & dederit omnia quæ ad viam ſunt neceſſaria, rogamus, ut ire non recuſet. Ad rem námque facit, ſi hoc officio in ejus amicitiam familiarius fœderatur: cùm & à nobis, nõ injuria, magis obtineat filius, & domeſticus, quàm alius, qui non fuerit ita privilegiat⁹. Item quotiens ordinandus eſt Spirenſis Epiſcopus, expedit, ſi & ibi non neglexerit ad eſſe; & priuſquàm ordinetur cõmoneat Archiepiſcopum, ut ejus quóque huic decreto noſtro quærat aſſenſum. Aut ſi aliud quid voluerit, videat Archiepiſcopus, quid faciat, pro cõmendatis ſuis; & ſi opus fuerit ad notitiam noſtram, vel Succeſſoris noſtri res uſque perveniat. Aut ſi Deus eidem Epiſcopo hunc ſpiritum donaverit, ut non invitus faveat humilibus Chriſti, tunc & illum, ne hîc diſſimulâſſe ſine honore videamur, præcipimus, ut in Conventu fratrum quolibet die privato dicatur pro eo Pſalmus decimus nonus in omni vita ſua. Poſt vitam verò, & pro ejus, & pro ſuis ab hac die, & deinceps, anteceſſoribus, quotquot præſentem præcepto

Ne quis ante annos 20. ſuſcipiatur in Hirſaug.

Archiepiſc. Moguntin. Comiſſarius Hirſaugiẽſ.

Abbas pro pallio Archiepiſcopi Romã ire ſuadetur.

cepto non sunt adversati, agatur in omni secunda feria privata Missa Defunctorum, quod scire potest, ad compendium animæ suæ magis expedire, quàm si posset in Monasterio per omnia pro voto suo dominari.

Advocatum autem Imperatorem Romanorum, qui etiam noster Advocatus est, præficimus. Propter multiplices tamen ejus curas, & dispositiones Regni, liceat Abbati, & fratribus de familia Comitum de Caluua eligere, si idoneus inventus fuerit, qui non lucri causâ, vel pro necessitate sua, sed pro remedio animæ suæ, & parentum suorum locum sæpè dictum velit defendere. Sin autem, aliàs undecúnque libeat, liceat eis alium eligere, qui etiam vocatus in præsentiam Abbatis, & fratrum juret in Sacramento cum familiaribus suis, quòd contra privilegia Ecclesiæ non veniat. Sícque adductus in præsentiam Domini Imperatoris simili modo confirmet. Non solùm autem super Cellam majorem licet Abbati Subadvocatum constituere, sed per singula prædia, & cellulas suas, ubi etiam nihil sibi juris à prioribus illic constituti in beneficijs providendis, vel etiam in Ecclesijs vestiendis subtrahatur.

Imperator est advocatus Monasterij hujus

Advocato autem sic constituto non liceat contra voluntatem Abbatis Subadvocatum, vel Causidicum per prædia Monasterij disponere, sed omnia illibatè secundùm privilegia custodire. Si autem non ut defensor, sed potiùs ut calumniator, & pervasor rerum sibi commissarum extiterit, nostro banno excommunicatum omninò habeat Abbas potestatem hunc reprobandi, & alium sibi utiliorem, undecúnque placuerit, auxilio etiam Impetatoris, si necesse fuerit, eidem Monasterio providere. Datum per manus Joan. Diac.

Subadvocatus non potest alium constituere.

Præscriptum privilegium Gebhardus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis tertius decimus ab Urbano Papa II. impetravit, quod & Ruthardus Moguntinus Archiepiscopus cum legisset, libenter accepit, & in his quæ suam personam, & Successores concernunt, libenter consensit, multóque tempore sic extitit practicatum. Quod verò in principio hujus rescripti continetur pro Canonicis prius apud S. Aurelium Hirsaugiæ degentibus vitam introductam esse Monachorum, nonnulli malè intelligentes, historiæque veritatis ignari putant Monachos ante instaurationem comitis Adelberti apud S. Aurelium non fuisse; sed à prima fundatione sub comite Erlafrido Canonicos institutos, & permansisse usque ad Monachos, quos Adelbertus introduxit. Nam quòd Monachi à prima fundatione comitis Erlafridi, ut in præcedentibus sufficienter ostendimus, apud S. Aurelium fuerint instituti, multísque annis ibidem permanserint; sicut Meinfrido Monacho Fuldensi historiographo fidem dedimus; ita contradicentibus, ut ignaris rerum, necessariò denegam⁹. Henricus etiam Rex IV. in confirmatione fundationis secundæ sub Adelberto comite, sicut dictum est supra, ita loquitur manifestè. Nunc autem idem comes Adelbertus instinctu Dei tactus nec non conjugis suæ Wiltrudis crebris precibus adhortatus Monasterium ipsum jam restauravit, & quæ aliquamdiu inibi defecit, vitam monasticã reparavit. Concedimus Monachis post obitũ x. Abbatis Conradi de Cœnobio S. Aurelij vel expulsis, vel mortuis, introductos sive Canonicos, sive Presbyteros, qui sub nulla professi Regula more, ac consuetudine sibi similiũ conversabantur. Monachos autem de Gundelfingen translatos in Hirsaugiam tempore S. Wil-

Ruthardus Archiepis. consensit.

Monachi ante Canonicos in Hirsaugia.

helmi Abbatis, cum essent numero pauciſſimi, non abnuimus. Sed utrum

Monachi translati de Gundelfingen.

Clerici apud S. Aurelium tempore Adelberti comitis inventi postèa in Gundelfingen fuerint pro Monachis repositi, cum multis ignoramus. Illud quóque decretum cujus Papa meminit, quòd videlicet nullus ante vicesimum ætatis annum ad Monachatum suscipiatur, Sanctiſs. Abbas Wilhelmus instituit cum suorum consilio fratrum, sciens profectò regularis disciplinæ observantiam non pueris, sed fortibus viris esse portabilem. Nam sicut videmus ad oculum, ubicúnque ad Religionem infantes suscipiuntur, & pueri, rara est integritas observantiæ regularis in omnibus perfecta. Metuentes ergo prudentiſſimi viri hujus Cœnobij fratres, & Monachi, ne hoc statutum à S. Wilhelmo introductum quâlibet occasione temporis periret, Apostolicam confirmationem judicârunt utilè requirendam, unde & usque in præsentem diem hæc laudabilis consuetudo non solùm in hoc Monasterio Hirsaugiensi ubi primitùs fuit instituta, sed per omnia Ordinis nostri Cœnobia in quibus viget regularis disciplinæ observantia, diligentiſſimè custoditur, ne videlicet pueri ad Ordinem suscipiantur. Maturo enim consilio Hirsaugiensium Monachorum illo in tempore statutum apud omnes bonos viros habebatur, sicut divinum Oraculum. Erant siquidem In hoc ipso Monasterio temporibus Gebhardi Abbatis & numero, & merito viri præstantes, & magni, qui Ordinem Monasticum sicut cœlum astra decorantia illustrabant. *Ex his nonnulli* ante introitum Religionis magni & nominis, & amplæ dignitatis in sæculo exiterunt. Erant hìc Monachi alto de sanguine nati: erant & humili propagine rusticorum, ac pauperum sati. Summa tamen inter eos fraternæ charitatis dilectio semper extitit, unus vivendi modus omnibus fuit, non præponebatur ingenuus ex servitio converso; nec sanguis potens sibi locum usurpare honoris in medio Monachorũ, sed virtus. Nam sola Regula nos docet Monachorum; sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, & sub uno Domino æqualem servitutis militiam subimus; quia non est apud Deum personarum acceptio: solumodò in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores ab alijs in operibus bonis, & sanctis virtutibus, humiléſque inveniamur. Ad hujus integritatem Regulæ Monachi Hirsaugienſes vixerunt omnes, tantáque in hoc loco regularis disciplinæ observantia coram Deo, & hominibus florebat, ut omnium sententia bonorum hominum confirmaret, majorem institutionis monasticæ puritatem in tota Germania prius nec visam usquam fuisse, nec auditam. Unde non immeritò nomen Hirsaugiensium Monachorum in omni Europa celebre fuit, & in ore omnium eorum fama laudabatur. Inter quos multi fuerunt in omni genere scientiarum doctiſſimi, & non minus vitæ merito, quàm eruditione scripturarum venerandi; & multi quidem in sæculo magni, & glorioſi Ducum, Comitum, Nobiliúmque filij seu cathedralium, aliarúmque Canonici, vel Prælati Ecclesiarum, ac viri docti, sive Magnifici, odore sanctitatis Monachorum Hirsaugiensium citati omnia contemnentes, quæ possèderant, ad consortium pauperum Christi venerunt, & pro Dei omnipotentis amore monasticæ conversationis habitum suscipientes tantâ se in pauperum Christi humilitate submiserunt, ac si cunctis vitæ diebus idiotæ indoctiſſimi, aut mendicorum filij extitiſſent.

Nobiliũ & ignobiliũ una institutio fuit.

Hirsaugiana observantia præcellit alias omnes.

Ex qui-

Ex quibus nonnulli, posteaquàm & multo tempore, & continuo labore regularis disciplinæ institutа servare ad unguem didicerunt, & in agone spirituali bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi procedentes, anachoretarum vivendi modum subjêrunt, átque de Abbatis indultu ad vicini nemoris solitudinem secedentes, veterúmque sanctorum Patrum innovantes propositum, omnia istius mundi solatia pro Dei honore regni cœlestis intuitu contempserunt. Hoc tamen arduum in solitudine vivendi propositum non passim quibuslibet subire licebat, sed illis duntaxat, quos conversationis transactæ per multos annos in medio fratrum consummata perfectio jam fecit securos solâ manu, vel brachio sine consolatione alterius contra omnia vitia mentis, & corporis Deo auxiliante hostem posse triumphare malignum. Deniq; plures inter Monachos Hirsaugienses tantæ sanctitatis fuisse legimus, quod multis tam in vita, quàm post mortem miraculis claruerunt. Multi etiam visione Angelicâ digni futuræ felicitatis dulcedinem etiam in hac mortalitate prægustare meruerunt. Nullus eo tempore inter Monachos Hirsaugianos subsistere potuit, nisi quem fervor divini amoris illustrans ab omni carnis spurcitia penitus segregavit. Qui corrigerent vitia, plures aderant, & ob id pauciſſimi necessariò delinquentes in tanta multitudine Monachorum occurrebant. Omnibus enim desiderium hoc fuit, & summum, & maximum Deum in veritate quærere; & illum cunctis transitorijs consolationibus, & rebus contemptis super omnia amare.

Monachi Hirsaugiani claruêrd miraculis.

Anno Gebhardi Abbatis supra scripto, sicut diximus, Urbano Papa II. qui hoc privilegiavit Cœnobium, mortuo; Reinherus nostri Ordinis Monachus natione Italus ex Flaminea Provincia oriundus Patre Crescentio natus in Summum Pontificem electus nolens, & invitus consensit. Ordinatus autem Paschalis secundus vocatus est, & præfuit annis VIII. mensibus quinque, diebus septem.

Eodem anno Jerusalem à Christianis capta est. Godefridus comes de Bullion qui alio nomine dignitatis Lotharingiæ Dux fuerat appellatus, uno omnium Christianorum Principum consensu, etiam à militibus omnibus humeris præ gaudio in Regiam delatus, ipsius urbis Jerusalem Rex declaratus regnavit anno uno. Qui nomen regium rogatus humiliter suscepit; coronam tamen auream rejecit dicens: indignum esse hominem Christianum in ea civitate coronam gestare auream, in qua Rex regum, & Dominus dominantium pro salute humani generis coronam de spinis asperrimam portavit.

Jerusalem à Christianis capitur

Godfridus fit Rex in Jerusalem.

MC.

Anno Gebhardi Abbatis IX. Wigbertus Ravennensis Archiepiscopus, quem Heinricus Rex quartus contra Gregorium VII. ut suo loco diximus, in Antipapam, & idolum sub nomine Clementis erexerat, moritur, vir utíque ingenio, facundiâ, nobilitate, personæque reverentiâ, satis clarus, nec Româ tunc, nec Ravennâ bene usus; qui fertur in extremis potuisse, quod fecit, & fecisse, quod potuit pœnitendo. Ad cujus sepulchrum fautores suæ partis divina micuisse luminaria in populo prædicabant, qua propter Paschalis Papa Dei zelo tactus corpus illius exhumatum in Tyberim jactare mandavit, exemplum fidelibus constituens, ne schismaticos in numerum sanctorum existiment conferendos, aut illos

credant posse miracula facere per justitiam publicam, qui non custodiunt, sed confundunt Ecclesiæ unitatem.

Godefridus Rex Jerusalem moritur.

Anno prænotato die mensis Julij 18. Godefridus ex comite de Bollion Rex in Jerusalem obijt, & ante montem Calvariæ in vestibulo Golgothanæ Ecclesiæ sepultus fuit, vir perpetuâ memoriâ dignus, Christianæ Religionis cultor, & defensor præcipuus, & cunctis virtutibus plenus qui tantâ se mansuetudine conjunxerat tam cum indigenis, quàm peregrinis, ut vix adverteretur, an à Francis plus plangeretur jam mortuus quàm Syris, Græcis, omnibúsque Christianis. Post cujus obitum Baldeuinus frater ejus vir strenuus, fortis, & in Christiana militia constantissimus electione omnium, & consensu tam militum, quàm principum in Regem Jerusalem sublimatus est, & annis 18. regnavit in quibus Ægyptios ter prœlio superans, Calypham eorum Regem tandem interemit. Electus autem non multo post inclinans caput suum supra Dominici sepulchri tumbam ipsius servituti deinceps perpetuò se subjugavit. Post hæc, quò major Paganis timor Christianorum incuteretur, anno sequenti die Pentecostes per Hademarum Bodiensem Episcopum, Sedísque Apostolicæ sanctiss. sapientissimũq; Legatum acceptâ regali benedictione coronatur.

Baldeuinus fit Rex in Jerusalem.

Anno etiam prænotato civitates Insulæ Siciliæ plures horribili terræmotu concussæ, aliæ in parte, aliæ in toto penitus corruerunt, major Ecclesia Syracusana simili terræmotu concussa cecidit, & multitudinem hominum, quæ ad orationem convenerant, oppressit.

Claruit his temporibus Guntherus Monachus nostri Ordinis Cœnobij S. Amandi Elvonensis, quod à civitate Fornacensi quatuor ferme distat milliaribus, vir in divinis scripturis longâ exercitatione peritus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, qui scripsit eleganti carmine vitam, & passionem S. Cypriani Martyris, alia quóque multa compilâsse dicitur, quæ in notitiam nostræ lectionis non venerunt. Theodoricus etiam Abbas Monasterij S. Trudonis in Diœcesi Leodiensi Ord. S. P. Benedicti, vir in omni varietate scripturarum doctissimus hæc tempora scribendo, & religiosissimè conversando non mediocriter illustravit. Qui cùm non minus in carmine, quàm in oratione soluta longo scribendi usu haberetur exercitatus, metro non ineleganti multa conscripsit: è quibus pauca, quæ subjecimus, ad notitiam nostræ lectionis pervenerunt. Vitam S. Trudonis lib. 1. Vitam quóque S. Bavonis lib. 1. Vitam S. Remoldi librum similiter unum. Sermones insuper non paucos ad Monachos, & varias epistolas ad diversos elucubravit.

Theodoric. Abb Trudonis.

MCI.

Anno Gebhardi Abbatis x. Conradus Rex filius Heinrici Regis IV. nono, postquam à Patris discessit palatio, anno, immaturo occasu plenus fide, atque operibus bonis in confessione Dñi nostri Jesu Christi à regno mortalium ad consortium transijt Angelorum. Fuerunt, qui dicerent illum interijsse veneno insidiatorum. Sepultus est cum honore, & reverentia tanto Principi convenientibus in Florentia, ubi & obijt, in cujus exequijs miracula ostensa narrantur.

Concilium Florentiæ celebratur.

Eodem Anno Paschalis Papa secundus concilium Episcoporum complurium in civitate Florentia celebravit, cujus urbis Episcopus spiritu vanitatis, seuelationis incitatus publicè prædicare solebat, verum Antichristum

christum jam tunc in mundo fuisse natum, & brevi manifestè regnaturum. Cujus vanitas cùm S. Paschali Papæ innotuisset, vocatum ad se corripuit, asserens in Episcopo talem levitatem esse valde reprehensibilem, ut verbis Christi neglectis officium sibi desumat garrulorum. Dixit enim ad Discipulos Dñs, non est vestrũ nôsse tempora, & momenta, quæ Pater reposuit in sua potestate. Quod ergo latere voluit sanctissimos Apostolos suos Christus, quis revelabit miseris, & immundis peccatoribus intendere animum, ut se Prophetam exhibeat de occultis, & incertis rebus more vetularũ. Non est hominis mortalis consilium Dei penetrare posse, quod ipse voluit esse occultum: stulti sunt, & fatui omnes quicúnq; tempus Antichristi determinare præsumunt, & semper in sua fatuitate mendaces apparuerunt. Quemadmodum & nostris temporibus cuidam Theodorico Monacho Carthusiẽsi apud Ruremundã in Gelria contigit, qui circa Dominicæ Nativitatis annum MCCCCLXXX. vaticinare incipiens, úsque ad carcerem vanitates suas defendens, plura in brevi futura prædixit, quorum tempus transijt, sed nil vaticiniorum apparuit: constantissimè ne dicam pertinacissimè asserebat Antichristum ultimum anno MDIII. manifestò venturum, & cum potentia regnaturum in universo mundo. In tantam denique prolapsus est temeritatem, ut adijceret, quoniam si præscripto non comparuerit anno, nunquam in æternum esse venturum. Anilia sunt ista, & quæ nec virum deceant gravem, nec verum nominis Christiani Professorem.

Vanitas Episcopi Florentini de Antichristo.

Anno Gebhardi Abbatis prænotato audientes in Europa fideles Regnum Jerosolimitanum à Christianis de manibus Saracenorum esse recuperatum, multi Spiritu divino compuncti, ex Teutonicis, Longobardis, Aquitanicis, & alijs nationibus cruce signati ad terram S. in auxilium Christianorum pro Dei honore profecti sunt. Erat autem exercitus eorum non minus quinquaginta millium pugnatorum, inter quos fuerunt plures viri nobiles, & potentes, qui patriam, amicos, & omnia pro Christo, & ejus sancta militia contempserunt. Aderant cum his Archiepiscopi plures. Abbates multi, simul & Monachi, quorum mens omnium una, hostes fidei conterere, & gloriam Crucifixi Jesu Christi ubíq; terrarum pro viribus dilatare. Cúmq; pervenissent in terram desiderabilem, quam Creator universorum corporali præsentia sanctificavit: gesserunt bella Domini, & sanguine fuso pro fide Christiana Martyrio coronati transierunt ad cœlum. Erat in eodem exercitu peregrinorum Christi S. Diemo Archiepiscopus Salisburgensis in Bavaria, de quo diximus anno Divi Abbatis Wilhelmi XV. ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis Archipræsul factus, vitæ merito cùm esset sanctissimus, pro Christi amore ad ejus se militiam præcinxit. Bellum igitur Christianis adversùm Saracenos continuè gerentibus, sæpéque vincentibus, tandem cùm venisset hora remunerandi laboris, ab infidelibus victi sunt, & plusquàm 40000. hominum de præscripto Christianorum exercitu ceciderunt. Sanctus autem Diemo prædictus Archiepiscopus quantâ potuit alacritate nostros verbis, & nutibus confortare non destitit; donec ab infidelibus tandem captus fuit. Qui ductus ad principem urbis Ægyptiorum quæ Memphis olim dicta est, multis, & exquisitis tormentis diutiùs afflictus mortem demum turpissimam propter fidem, & confessionem Domini Jesu Christi sustinuit.

Peregrinatio multorum ad Jerusalem.

S. Diemo ab infidelibus occiditur.

MCII.

Anno Gebhardi Abbatis XI. Rex Heinricus, habito cum Principibus colloquio, Romam se profecturum, ac generale Concilium ad principium mensis Februarij convocaturum promisit, quatenus tam suâ quàm Romani Pontificis causâ canonicè ventilatâ, Catholica inter Sacerdotium, & regnum confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen nec ipsum juxta propositum personaliter iviſſe Romam, nec alium quemquam misisse, qui obedientiam ejus nomine, Summo Pontifici juxta concluſa præstitisset, imò si potuisset, libenter Antipapam Paschali Summo Pontifici subordinâsset, quamvis conatus suos, Deo prohibente, non potuit perficere.

Consil. Episcoporum Romæ celebratur.

Transactâ post hæc mediâ quadragesimâ, convenientibus universis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Thusciæ, totiúsque simul Italiæ præsulibus, Citramontanorum autem complurium Legatis Synodus magna Romæ est habita, ubi præantiqua Patrum instituta more solito reverenter confirmata, & jam sæpe dictum illius temporis schisma inter præcipuas hæreses computatur, ac perpetuò cum suis auctoribus, átque sequacibus anathemate, hujusmodi subscriptâ professione damnatur. *Anathematizo omnem hæresim, & præcipuè eam, quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet, & adstruit anathema contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem Apostolicæ Sedis obedientiam Pontifici Domino Paschali, ejúsque successoribus sub testimonio Christi, & Ecclesiæ, affirmans, quæ affirmat, & damnans, quæ damnat sancta ac universalis Ecclesia Sanctorum.* In eadem quóque Synodo Paschalis Papa judicio, & consensu omnium Episcoporum sententiam excommunicationis in Heinricum Regem quartum promulgavit dicens: *Quia tunicam Christi scindere, id est, Ecclesiam rapinis, & incendijs devastare, luxurijs, perjurijs, átque homicidijs commaculare Heinricus, quem sui Regem appellant, non cessavit, primò à Beatæ memoriæ Gregorio Papa, deinde à sanctissimo viro Urbano Prædecessore meo propter suam inobedientiam excommunicatus est, átque damnatus: nos quoq; in proxima Synodo nostro judicio totius Ecclesiæ perpetuo eum anathemati tradidimus, idq; omnibus notum esse volumus, & maximè ultramontanis, quatenus ab ipsius se contineant iniquitate.* Hæc Papa dixit in Cœna Domini publicè in Consistorio, Consilio præscripto jam soluto.

Hæresis Heinriciana damnatur.

Anno prænotato moritur Hartvvinus Ecclesiæ Magdenburgensis in Saxonia Primas, & Archiepiscopus, vir per multa laudabilis, maximè tamen popularis, & utilitatibus Ecclesiæ, cui præfuit, multùm insudans, qui se mediatorem inter Sacerdotium, & regnum sæpiùs posuit, & pro communi pace, & concordia, quamvis sine effectu laboravit.

S. Otto fit Episcopus Bamberg.

Eodem quóque anno Rupertus Episcopus Bambergensis mortuus est, cui S. Otto Cancellarius Heinrici Regis quarti successit, & præfuit annis fermè octo & triginta, in quibus multa bona fecit ad honorem omnipotentis Dei, & multorum hominum salutem: nam Pomeranos gentem Saxonibus confinem ad Aquilonem juxta mare germanicum positam, eatenus idolorum cultui deditam suâ prædicatione salutari Christi convertit ad fidem. Unde úsque in præsentem diem Apostolus Pomeranorum dicitur, & ab incolis terræ illius singularis devotionis memoriâ veneratur.

Anno

Anno etiam prænotato mortuus est Egilbertus Trevirorum nonus & septuagesimus Archiepisc. Ecclesiæ suæ Reparator magnificus, in pauperes pius, & misericors, qui gregem sibi commissum verbo, & exemplo erudiens ad observantiam mandatorum Dei, non sine opinione sanctitatis ex hac vita migravit ad Dominum. Erat siquidem doctus in lege Domini, & tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris haud mediocriter eruditus, & ob id non solùm procuravit temporalia ut Principes, sed multò magis ut Episcopus spiritualia, celebrando sacrificium Dominici Corporis, ordinando, ministrando, consecrando, & prædicando Verbum Dei populo sibi cõmisso diligentissimè sollicitudinẽ impendit, quod hodie paucos admodum facere conspicimus. Post hunc Bruno filius Arnoldi, & Adelhaidis comitum Franciæ orientalis in Archiepiscopatu Trevirorũ successit, vir magnificus, & non minùs vitæ merito, quàm generis nobilitate illustris, qui Monasterijs, & Ecclesijs vel reparandis, vel de novo construendis continuum impendit studium, & corda multorum in viam salutis æternæ direxit. Hujus frater erat Pops comes in Francia orientali, quo consentiente, & adjuvante postea construxit Ord. nostri Monasterium in comitatu de Bretheim, in pago qui dicitur Kreihgam Spirensis Diœcesis nomine Odenheim, de quo anno Wolmari Abb. secundo latiùs dicemus. Bruno autem præfatus Archiepiscopus Trevirorum in Ordine octogesimus idibus Januarij apud Moguntiam ordinatus est. Circa hæc tempora Gebhardus Abbas cœpit paulatim in his, quæ respiciunt salutem animarum aliquantulum remissiùs agere, etiam præcipuè negligendo pauperes plus æquo temporalibus inhiare. Fuit autem per sanctum Wilhelmum communi fratrum consilio statutum, ut aliqui ex fratribus laicis, quos Donatos sive Oblatos appellant, in domo pauperum sub habitu sæculari ipsis pauperibus deservirent, victum suum non de annona pauperibus assignata, sed de communi fratrum cellerario, vestésque vestiario recipientes. Hoc statutum Gebhardus Abbas immutavit, jubens ut ministri, & servitores pauperum memorati vitæ suæ necessaria non aliunde, quàm de pauperum eleemosyna reciperent, rei volens in hoc parcere fratrum. Hâc parcitate, & occasione pauperum stipendio imminuto, contigit res dolenda, ut peregrinis, & pauperibus consueta subtraheretur misericordia in tantum, ut per gelidas noctes hyemis exclusi hospitio pauperes Christi præ fame, & frigore miserabili clamore ante Monasterij valvas perstreperent, dormientésque in Cœnobio fratres sæpiùs inquietarent. Super his, & alijs nonnullis monasticæ integritati omnino contrarijs Abbas multis vicibus à senioribus cum reverentia, ut decebat, admonitus, cùm nihil emendaret, fratres animo dejecti vindictam omnipotentis Dei metuebant. Erat in congregatione Monachus quidam senior nomine Bertholdus vir sanctiss. conversationis, qui dicebat se nocte quâdam Dominicæ Ascensionis per visum gloriæ interesse Sanctorum, ubi inter cæteros Beatum conspexit Wilhelmũ Abbatem niveo candore splendentem, mediúmque inter duos Pontifices rutilo decore stantem corruscantes, quorum alter fuit sanctus Udalricus quondam Episcopus Augustensis, alter verò Beatus Conradus Episcopus Constantiensis. Divus autem Wilhelmus ad Monachum ista videntem conversus dixit: *Ex parte summæ Majestatis Dei omnipotentis mando tibi frater ut di-*

Bruno fit Archiepisc. Trevir. 80.

Gebhardus Abb. de negligentia notatur.

Pauperib. subtraxit annonam

Admonitio S. Wilhelmi ad Abbatẽ per visionem.

ut dicas Abbati, Priori, cæterisque confratribus tuis, quatenus secundùm quod à nobis acceperunt, egenis, & hospitibus cum omni charitatis affectu serviant, annonámque à nobis Pauperibus constitutam ad integrum restituant, & vitam, moresque suos juxta Regulam corrigant, & emendent, & ante omnia odium iram, indignationem, rancorem, & detractionem, quibus Deum assiduò offendunt, cum omni malitia quantocius abijciant, fraternam inter se charitatem solicitè custodientes, nisi fecerint, sciant pro certo, divinam se ultionem in brevi gravissimè experturos. Et his dictis relicto Monacho, cum quo loqui videbatur, beatissimus Pater Wilhelmus una cum sanctis Episcopis aliisq; quædam cœli secreta scandens penetravit.

Senior visa revelavit Abbatis.

Senior verò ille Bertholdus, cui hæc revelata fuerunt, cùm non auderet per se ministerium exequi sibi divinitùs commissum, per alium quendam seniorem cuncta revelavit Abbati. Qui territus, ad horámque compunctus annonam pauperibus assignatam restituit, cætera verò, quib⁹ Monasterium turbaverat, nequaquam emendat. Quapropter secundùm Patris Wilhelmi comminationem divina eum subsequuta est ultio, & nihil ei prosperè successit. Post annos etenim paucos Monasterij regimine Deo præordinante exutus locum dedit meliori, & infulâ Pontificali sublimatus in Ecclesia Spirensi, ut suo loco dicemus, omnium penè adversùm se odia, & irrisiones ineptis moribus suis, Deo vindicante, concitavit, nec diu postea miserabili tactus infirmitate vitam *in brevi finivit* præsentem.

Vindicta Dñi punivit Abbatẽ.

His etiam temporibus erat *juvenis quidam nobilis*, & temerarius, qui possessiones *Monasterij hujus in Villa*, quæ nuncupatur Almendingen à *quondam Winthero converso sub magisterio S. Wilhelmi* Abbatis legitimâ donatione traditas post utriúsque mortem tanquam hæres proximior invasit, & contra omne jus æquitatis violenter occupavit. Cumq; die quâdam duas inde carratas vini, & quædam alia tumidus, & elatus adduci faceret: subitò pes unius bovis, qui prædam trahebant confractus est. Ipse quóque raptor de equo, cui insidebat, repente cecidit, & loquelâ, viribúsque amissis dementiam incurrit: inde sublatus aliorum manibus ad suum domicilium reportatus est. Qui post dies aliquot reversus ad mentem, cum vindictam Dei metueret ampliorem, mutavit consilium; dispositísque rebus, ut potuit, deferri se fecit ad Hirsaugiam, exutúsque hominem veterem cum operibus carnis novum induit. & Monachus factus in sancta vitam conversatione terminavit.

Burchard⁹ Monachus fit Abbas Erpford.

Anno item prænotato Burchardus hujus Cœnobij venerabilis Monachus sexto iduum Februarij factus est Abbas Monasterij S. Petri in Erpfordia oppido Thuringiæ, de quo supra diximus anno sanctiss. Abbatis Wilhelmi sexto decimo. Qui mox eodem ordinationis suæ anno fundare cœpit novam Ecclesiam sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli à Beato Wilhelmo quondam pro parte inchoatam, quæ hodie conspicitur.

Eodem anno mortuus est Heinricus comes de Northeim fundator Monasterij Northeimensis Monialium, & Bursfeldensis Monachorum, vir magnificus, & pauperum advocatus pijssimus, in Bursfeldia sepultus.

MCIII.

Anno Gebhardi Abbatis duodecimo Indictione Romanâ xi. Heinricus Imperator Conventum Principum apud Moguntiam habuit in cujus

capite mensis Januarij, ubi Heinrico filio suo rerum summam dimissurum, seque sepulchrum Domini visitaturum per Emhardum Herbipolensem Episcopum publicè prædicari fecit, indéque favorem maximum tam vulgi, quàm Principum, & Clericorum, Regníque totius acquisivit, multósque è diversis regni partibus ad ejusdem itineris comitatum præparare voto ipso succendit; quamvis nihil eorum implevit.

Chuno dux Saxoniæ perimitur.

Anno prænotato Chuno filius magni Saxoniæ Ducis Ottonis de magnis Principibus unus, & cui nihil in omni rerum humanarum dignitate supra, genere scilicet, litterarum etiam scientiâ, fortitudine, atque divitijs satis præpollens: elegantiâ, & facundiâ præclarus, & cunctis bonis viris amabilis, & affabilis, quorundam funestorum hominum conspiratione noctu, dum iter ageret, invaditur, & interimitur, ingentem relinquens nobilibus regni luctum, simul & suspicionem, dum ab infimis in summos tam inaudita scelera perpetrantur. Hujus Chunonis frater Dux Heinricus cognomento Crassus natu senior, dum ante triennium in Frisiæ Marcham, cui præerat, res acturus suas proficisceretur, à Frisonibus, quibus dominationis suæ jugum grave fuit, obsequium spectans insidijs circumcingitur, & ad necem exspectatur. Qui conspiratione nimis tardè compertâ, veloci cursu fugiens ad mare vulneratur à nautis, & suffocatur. Hujus tanti viri, qui nimirum totius penè Saxoniæ principatum secundus à Rege gerebat, interitus ab universo regno Teuthonico graviter ferebatur; quem dolorem fratris ruina posteà duplicavit.

Heinricus Marchio de Neuburg obijt.

Eodem anno Heinricus Marchio de Neuburg, vir suo tempore in Saxonia dives, & præpotens, mortuus est. Comitatus autem de Neuburg hodie in manibus est Ducum Saxoniæ, & Marchionatûs memorati titulus omninò extinctus. Est autem Neuburg oppidum parvum habens castrum in colle ad Rhenum, paucis distans ab Altiburgio leucis.

Anno etiam prænotato mortuus est Erbo grandævus nobilis de Carinthiâ Princeps, & quondam Palatinus in Bavaria comes, vir strenuus, & singulari prudentiâ, & magnanimitate nominatus. Hujus germanus Botto comes cognomento Fortis Monasteriũ Tharisiense nostri Ordinis in Bavaria construi fecit, ac suis opibus, & prædijs largè ditavit; de quo latiùs supra diximus anno sancti Wilhelmi Abbatis sexto, ubi & sepultus est, ut anno sequenti dicetur.

Multi proficiscuntur Hierusalē.

Anno quóque prænotato plures Christi fideles ad scripta Principum Christianorum in terra sancta cum Rege Baldovvino existentium divino spiritu compuncti, venditis possessionib⁹ suis, vel certè Monasterijs, vel Ecclesijs sub titulo commissi legatis, cruce signati sunt, & ex diversis Europæ Provincijs, ad sepulchrum Domini transierunt.

MCIV.

Imperator Ratisbonæ consistit.

Anno Gebhardi Abbatis XIII. Heinricus Imperator Natale Domini Ratisbonæ celebravit. Cumque ibidem aliquamdiu moraretur, orto quodam prius murmure inter Bavariæ Principes, eò quòd Franci orientales, & Saxones familiariùs illic, & honorabiliùs, quàm indigenæ ab ipso Imperatore tractarentur: Sigehardus comes Palatinus Bavariæ, qui hujusmodi suspicionem maximè notabat, cœpit Imperatori paulatim invisus haberi; propter hoc autem maximè, quòd ipse solus præ cunctis, qui tunc aderant, principibus abundantiori militum copiâ adductâ, ad

resistendum se, si fortè de curiâ quicquam, secus ac ipse volebat, cederet, videbatur communisse. Diebus post hæc aliquot exactis, cum jam securior factus idem comes suorum turmas defluere permisisset, excitatur in illum, conspirantibus tam urbanis Ratisbonensibus, quàm diversarum partium ministerialis ordinis hominibus, metuenda seditio; quæ nullo modo, nullâ ratione, nullâve interminatione sedari potuit, quamvis Heinricus Imperatoris filius intervenire studiosissimè laboraret: donec ab hora diei tertia usque ad horam nonam in hospitio obsessus, tandémque fractis foribus ipse prius confessione sacramentali factâ, sumpto etiam Dominici Corporis viatico capite truncatus occubuit: quod multorum posteà malorum seminarium dedit.

Sigehardus comes Palatinus seditiosè perimitur.

Eodem anno Boto comes Palatinus de Witelsbach in Bavariâ cognomento Fortis, Monasterij Tharisiensis fundator, & dotator magnificus, illius Erbonis, cujus præcedenti anno mentionem fecimus, germanus, jam plenus dierum non longè à Ratisbona defunctus est, & ad prædictum Monasterium Tharisiense, quod ipse suis opibus, átque prædijs in Diœcesi Frisingensi largè ditaverat, delatus est, átque ibidem, ut fundatorem decebat, cum summo honore tumulatus.

Anno etiam prænotato 3. Calend. Martij obijt Emhardus Episcopus Herbipolensis, qui adhuc vivente Adelberone, ut supra diximus, fuerat ordinatus, promotione Heinrici Regis quarti violentâ: *propter quod omnes, qui Romanæ partes sequebantur Ecclesiæ, non minùs se à communione Meginhardi, & Embhardi Episcoporum, qui Adelberoni expulso supposiți fuerant per violentiam Imperatoris, quàm & ipsius anthematizati Regis Heinrici subtrahebant.*

Embhard. Episc. Herbipolensis moritur.

Mortuo tandem Emhardo, clerus, & populus S. Kiliani Rupertum majoris Ecclesiæ præpositum in Antistitem Herbipolensis Ecclesiæ unanimi consensu elegerunt, virum tam eruditione scripturarum, quàm morum integritate venerabilem, & cum Romana Ecclesia benè sentientem, & ob id repulsum ab Imperatore schismatico, & excommunicato, Pontificem Romanum hostiliter persequente.

Rupertus ab omnibus eligitur.

Heinricus itáque Rex quartus Ruperto electo viro optimo repudiato, quia Catholicæ unitatis fuit amator, Canonicum quendam nomine Erlungum ad Episcopatum promovit, & ordinari fecit. *Quem anno* sequenti Heinricus Rex quintus veniens cum exercitu in Franciam de Herbipoli expulit, & Rupertum, ut ibi dicemus, per *ministerium* Ruthardi Archiepiscopi Moguntini solenniter inthronizavit. *Cujus vestigia* mox insecutus Pater cum exercitu ad Herbipolim venit, Rupertum expulit, & Erlungum denuò introduxit. Nec diu posteà Heinricus junior rerum Erlungum expulit de Pontificatu Wirzburgensi, & Rupertum in locum suum restituit; Patre jam deficiente, nec suis potente amplius præstare auxilium. Biennio tandem elapso Rupertus in Italiam iturus ad Concilium, moritur; & Erlungus consensu omnium in Pontificatu confirmatur. Præfuit autem in dissensione annis duobus, & postea sedecim.

Joan. Episcopus Spirensis moritur.

Anno quóque prænotato Joannes Episcopus Spirensis tactus ulcere quodam circa verenda post diuturnum in corpore suo cruciatum, quem patientissimè sustinuit, plenus operibus bonis moritur, & in Sumenem nostri tunc Ordinis Monasterio, quod ipse instituit, sicuti supra diximus, anno

anno sancti Wilhelmi Abbatis XVI. juxta Wolfframum Patrem, & Zeilfolfum fratrem, comites in Creydigavv, Azelámque matrem Heinrici Regis quarti sororem sepelitur: de quo aliqua notabilia dicebantur. Post cujus mortem sedis vacatio duravit Spiræ in annum sequentem.

Anno etiam præscripto Conradus adolescens filius Beatricis Marchionissæ, postquam spretis litterarum studijs, quibus apprimè imbutus erat, armis operam dedit, juxtáq; Christi præsagiũ, quia gladium accepit, gladio perijt. Nec multò post etiam ipsa Beatrix obijt, & juxta Patrem Ducem Ottonem in Castello Franciæ Svveinfurt sepulturam accepit.

Anno quóque memorato circa solstitium æstivale commutato in tempestatem aere decidisse legimus inter grandinum lapides in pago Herbipolensi tantæ magnitudinis glaciem, quæ in quatuor divisa partes totidem hominibus importabilis videretur. Sed mirum hoc eò minùs existimamus, quòd nostris quóque temporibus lapidem similis magnitudinis solidum in ducatu Suevorum ex aere nuper audivimus decidisse. In Episcopatu verò Spirensi hoc ipso anno sanguis è panibus fluere visus est, nec non & in lenticularum edulio prodigiosè repertus.

MCV.

Anno Gebhardi Abbatis XIV. Heinrico Imperatore apud Moguntiam in principio mensis Januarij cum suis existente, filius ejus Heinricus Rex V. rebellionem adversùs patrem machinabatur in Bavaria, concilio, & ductu Dietpoldi Marchionis Austriæ: Berengero comite de Scheürer, Ottone quodam nobili viro sibi maternâ stirpe cognato, & pluribus alijs adhærentibus, quorum persuasione ante paucos dies de latere patris recessit, causam proponentes inobedientiam illius. Et primò quidem Rex Heinricus junior, quo se non cupidine regnandi, sed potius divini timoris intuitu patri ostenderet rebellem, hæresim præscriptam anathematizans Apostolicæ Sedis Pontifici debitam profitebatur obedientiam; indéque fœderatis sibi Bavaris, Alemannis, & ex Franciâ non paucis nobilibus mox ad Saxones convertebatur. A quibus honorificè susceptus, & in Quitilingeburg Pascha celebrans in brevi universis Saxoniæ civitatibus potitus fuit, favore tam nobilium, quàm vulgarium maximo, utpote quibus Imperator jam dudum fuerat odiosus. Consilio tamen, & ministerio Ruthardi Archiepiscopi Moguntini, & Gebhardi Constantiensis ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis Episcopi, responsalium scilicet Domini Papæ Paschalis II. totam Saxoniam cõmunioni Romanæ Ecclesiæ reconciliavit: Episcopis verò, & clericis conventum generalem in villam regiam, quæ Northusen dicitur ad IV. Calend. Junij, ubi super Ecclesiasticæ institutionis tam depravata disciplina tractaretur, indixit. In quo concilio cùm multa pro Ecclesiasticę unitatis reformatione tractarentur, multáque de novo sancirentur, ad conservationem necessaria pacis optatæ, spes ingens ex moribus novi Regis optimis cunctorum, qui aderant, animos lætificabat, quanquàm posteà fuerit immutatus. Post-hæc Rex ipse cum suis Pentecosten celebravit in Merseburg, ubi Heinricum Magdeburgensis Ecclesiæ post mortem Hartvvici dudum designatum Archiepiscopum, sed ab his, qui favebant Imperatori, violenter repulsum, consecrari fecit, & ad sedem Pontificatûs inthronizavit. Nec multò post expeditionem contra Moguntiam movit, expulsum inibi Pontificem

Heinricus Rex Patri fit rebellis.

Rex Heinricus venit Moguntiã.

tificem restituturus, patre intra muros rem expectante, cum non parva militū turba. Filiº ergo ab alia Rheni parte in castello cum suis morabatur, quibus ad civitatem fluvius aditum denegabat, & plures, qui cum patre mœnibus erant clausi, mente aliorsum cogitabant, seniori præferentes juvenem: cujus tamen declinare ad partes propter Sacramentorum interpositionem non audebant. Plura tamen hinc, & inde nuntiis navigabant: multa consilia communes regni proceres inter se trutinabant, patre regni divisionem, & hæreditariæ successionis confirmationem pollicente; filio verò nil nisi Apostolicæ subjectionis, & Ecclesiasticæ unitatis efficientiam expostulante. Sed illâ vice nihil factum est, nec Ruthardus ad sedem restitutus. Dimisso igitur patre in Moguntia Rex junior Heinricus ad Herbipolim cum exercitu suorum ascendit: ubi Erlungum, quem Imperator anno priore mortuo Emhardo, sicut diximus, Episcopum instituerat, expulit, & Rupertum ejusdem Ecclesiæ Præpositum, & tam prius, quàm tunc à clero & populo electum, per prædictum Archiepiscopum Ruthardum inthronizavit: sicque Ecclesia Herbipolensis Apostolicæ cōmunioni reconciliata est. Deinde securitate ab urbanis acceptâ, Rex Heinricus dimissis Saxonibus ipse cum Bavaris, & Suevis ad obsidionem Nürenbergensis oppidi proficiscitur; illudque post duos menses in deditionem accepit, qui dimisso exercitu ad Ratisbonam secessit. Quem pater è vestigio subsequens de Moguntia venit in Herbipolim, & fugato Ruperto Episcopo, quem filius promoverat, Erlungū restituit: indéque omnia, quæ fautorum erant, filij devastans, tandem faventibus sibi dolis Ratisbonensium de civitate filium fugavit, & sua in ea præsidia fortiora stabilivit: Episcopum constituens Ecclesiæ Ratisbonensis quendam adolescentem nomine Udalricum suis iniquis machinationibus tum parentela pertinaciter adhærentem.

Rupertus Episcopus Herbipolis.

Eodem anno Imperator Heinricus Ratisbonæ residens validum suorum congregavit exercitum: & progressus Marchiam Austriæ in odium, & exterminium Diopaldi Marchionis adhærentis filio per mammam Bohemiæ gentis crudelitatem hostiliter devastavit. Quibus cognitis, hi, qui cum rege fuerant juniore Heinrico, nil morati, collecto exercitu decem millium electæ juventutis, nihil magis, quâm congredi Cæsarianis affectabant. Accedentes itáque animis comotis castra interjacente fluvio Cæsarianis regij proximè sua admoverunt: ubi spectaculo nimis horribili per triduum continuum ex una ripa Rigim fluminis Imperatoris, ex altera regis volitabant signa, jámque frequentia grassabantur in ipso fluminis alveo duella: inter quæ, & Hartvvinus comes quidam ex parte Imperatoris occubuit: & comes Sigehardus captus fuit, nec paucos sors Martis anceps ab utráque parte consumpsit. Verùm die conflictûs certissimi ad crastinum, ut putabatur, jam instante, Principes, qui capita utriúsq; partis esse videbantur, ad colloquia inter se pacifica convenientes, belli causam altiori consilio tractabant; átque post longos hinc inde, necessariósque tractatus in unam postremò omnes sententiam convenerunt, Christiano, & fraterno sanguini parcendum, imò parricidali pugnâ cessandum pari voto judicabant. Res itáque in bonum ex malo statu mutata, Regi Heinrico non parùm complacuit, cujus mota erant viscera super patre suo: seniori verò displicuit. Vesperascente itaque jam

Imp. Ratisbonæ colligit exercitum.

Bellū consilio Principum intermittitur

jam die, quo bellum in craſtino fieri decuiſſet, ceſſerunt à loco regij milites, Imperatoriæ Majeſtati reverentiam exhibentes. Imperator autem dum in caſtris de craſtino, ut putabat, certior, conflictu diſponit, nec pugnam, nec pugnandi votum Principibus ineſſe per Bohemiæ Ducem, & Marchionem Lutpaldum contra ſpem audivit. Qui mox animo conſternatus, ſupplex illorum adjutorium petit, nec impetrat: inſtructus etiam ſecretis filij nuncijs, ſuorum conſpirationem adverſus ſe factam, cùm ſe videret in malo poſitum, latenter è caſtris cum paucis admodùm viris diſceſſit, & ſalutem fugâ quæſivit: ſicque factum eſt diſpoſitione divinâ, ut dum unus ſalvatur, multorum ſanguini, qui fundendus venerat, conſulitur. Mox enim ut Imperatorem fugiſſe per caſtra innotuit, unuſquiſq; ad propria redire contendit. At rex dum ſævire in deſolatos potuiſſet, parcere maluit, quàm ſanguinem fundere cujuſquam fugientis.

His autem peractis Rex Heinricus ad Ratisbonam victor cum ſuis revertitur, & civitatem ob dati prius fœderis defectum, auſteriore nimirum pacto ſibi confirmat. Hartvvicum deinde virum probatæ converſationis Catholicum, & in divinis ſcripturis eruditum (abdicato Udalrico ſchiſmatico, quem pater inſtituerat) Ratisbonenſis Eccleſiæ promovit Epiſcopum: quem per Ruthardum Moguntinæ ſedis Archiepiſcopum fecerat ordinari. Vacabat etenim ſedes ibidem Epiſcopalis per mortem Gebhardi cujuſdam, qui eam per annos xvi. ſchiſmaticus, & excomunicatus contra Rom. Pontificis obedientiam miſerabiliter occupaverat. Nam eodem anno à proprio milite, quem nimis intolerabili affecerat injuriâ, fuerat occiſus: duplo plangendus incommodo, corporis videlicet, ac animæ.

Rex Heinricus obtinuit Ratiſbonam.

Rex verò Heinricus v. interim, quòd Ratisbonæ comorabatur, quoſdam Principes, & non paucos nobiles, qui à patre defecerant, ſibi conciliabat, omnes favorabili clementiâ ſuam admittens ad gratiam. Itáque Ratiſponenſibus ad ſuam obedientiam coactis, & capitibus factionum humiliatis, Rex junior Heinricus cum exercitu, & multis Principibus venit in orientalem Franciam: moxque propinavit Herbipolenſibus ſibi perfidis de calice furoris, & indigationis ſuæ, ſubdens ſuo imperio potenter colla rebellium, & durè corripiens temeritatem ſuperborum.

Inter hæc videns Erlungus (quem Imperator Wirzburgenſium promoverat Antiſtitem, ut ſupra diximus, ſuas partes nimium infirmatas, ad gratiam Regis Heinrici ſe contulit, & Pontificatum Ruperto cedens liberè dimiſit, fideliſque deinceps Capellanus regius permanſit. Rupertus ergo confirmatus in Sede Pontificatûs Eccleſiæ memoratæ non diu ſupervixit, ſed anno ſequenti, ſicut dicemus, in Domino quievit.

Rupertus confirmatur in Epiſcopatu.

Audiens interim Rex patrem ſuum apud Wigbertum quendam illuſtrem, prudentiſſimúmque virum, qui partibus in illis, quas Sorabi inhabitant, principabatur, eſſe receptum, uſque ad Rhenum illi Ducatum (hoc enim per legatos ipſe poſtulabat) adminiſtrari permiſit. Ne tamen aliquid infeſtationis illius molimine ſuboriri contingeret, quoniam ſenior animo ſemper inſtabilis citò mutabat conſilium, junior Heinricus maturè Wirzburg digreſſus properabat ad Rhenum; quo non ſine periculo ſuorum tranſmiſſo civitatem Spirenſem cum patris ibidem reconditis theſauris obtinuit, & cives ejuſdem urbis omnes per fidelitatis jura-

mentum, & cautelas necessarias sibi sociavit. Quibus ritè factis de consilio Episcoporum tunc præsentium, videlicet Ruthardi Archiepiscopi Moguntini, Heinrici Archiepiscopi Magdeburgensis, Ruperti Episcopi Hetbipolensis, Gebhardi Constantiensis, Odonis Hildenheimensis, Heinrici Padelbronnensis, Friderici Halberstatensis, Epponis Wormatiensis, Hartvvici Ratisbonensis, aliorúmque complurium, & de consensu tam cleri, quàm populi, virum sapientem & nobilem cum sanctæ conversationis famam morúmque dignitate omnibus sonum, sapientibus amabilem Gebhardum hujus Monasterij Hirsaug. sæpe dictum Abbatem Spirensibus præfecit Episcopum: quia sicut diximus anno præcedente, Joannes illorum Præsul abjerat, & sedes Episcopalis per aliquot menses vacaverat.

Abbas Gebhardus fit Episc. Spirensis.

Cùm primùm in Monasterio fratribus innotuisset, quòd pater eorum spiritualis, quem filiali semper dilexerant affectu, in Pontificem esset sublimatus, contentio quædam inter eos suboriri cœpit. Nam alijs videbatur paci fratrum, & utilitati congregationis non mediocriter posse conducere, si eundem haberent Abbatem, quem & Episcopum, utpote qui non solùm eos in nullo videretur opprimere; sed ab aliorum molestatione quorumcúnque, & voluntarius esset, & potens, omni tempore defensare. Sed reliqui seniores, quibus mens erat sanior, præscriptis affirmabant contrarium, dicentes, Episcopum Monasterio utiliter præsidere non posse, nec hoc fore defensionis remedium, sed potiùs regularis disciplinæ irrecuperabile detrimentum: propterea, quòd Episcopus multitudine circumseptus militum gratiâ visitationis sæpiùs venturus ad Cœnobium, vel certè in prædijs Monasterij aliquoties mansionem habiturus in brevi tempore consumeret omnia, quæcúnque solicitudine fratrum per multa fuerint tempora conquisita. Hoc quóque non mediocriter est timendum, ne fortè prædia Monasterij per potentiam ablata vel ablata suis conferret in donum, vel stipendiarijs militibus in beneficium: quemadmodùm pleríque in Germaniâ Monasterijs contigisse satis est manifestum. Satius tandem igitur visum est omnibus: Gebhardum, à quo nullis eorum demeritis fuerant defecti, pari antipodosi ut Episcopum deserere, & Abbatem, de cujus integritate securi essent, ordinare.

Nolverunt fratres Ep. habere pro suo Abbate

Intereà Gebhardus factus promotione regali Episcopus, animos fratrum per Gotfridum comitem de Calba Monasterij Advocatum, & alios complures solicitare non cessabat, sed & per semetipsum rogabat, contestans, & obsecrans, quatenus beneficiorum memores eum de Abbatia non propellerent, nec propterea, quòd Episcopus videretur, alium præter ipsum Abbatem ordinarent. Multa se facturum bona Monasterio pollicebatur, & singulis quibúsque grandia promittebat. Hæc, & his similia non omnibus, sed quos sibi consensuros sperabat, persuadere studiosiùs nitebatur. Sed erant inter Monachos Hirsaugianæ Congregationis viri plures ingenio, & experientiâ prudentissimi, quorum sagacium dolos, & machinamenta sapientiæ consilio prævenit: mox enim ut Gebhardi perpenderunt insidias, talem acceleraverunt sibi Abbatem præmittere, qui consanguineorum suorum auxilio ejus studio posset obviare.

Gebhardus Spiræ ordinatur, & præfuit annis v.

Gebhardus itáque Regis Heinrici promotione Præsul destinatus per Ruthardum Archiepiscopum Moguntinũ consecratur in ipsa principali

Ecclesia

Ecclesia Spirensi cum debita solemnitate primâ videlicet die mensis Novembris, hoc est, in festivitate Omnium Sanctorum anno Dominicæ Nativitatis præscripto, astantibus sibi Catholicis viris Gebhardo Constantiense, & Udone Hildesheimense in Saxonia Episcopis, Rege Heinrico præsente, cum multis Principibus. Ordinatus autem Episcopus præfuit Ecclesiæ Spirensi annis IV. mensibus x. majori parte temporis corpore semper debilis, & infirmus. Et mira divinæ ordinationis dispensatio in eo notata est. Abbas cùm esset hujus Monasterij Hirsaugiensis semper magni nominis, & famæ per totum regnum extitit, & vir bonus, prudens, religiosúsque omnium judicio fuit. Ubicúnque nominis ejus ratio proferebatur in medio, omnium in eo mox summa prædicabatur virtutum. Sed posteaquam relicto Monasterio Pontificatum assumpsit, magni mox nominis, & famæ gloriam æstimatione Principum amisit. Omnes illum nobiles, & ignobiles, amici, & inimici, domestici simul, & extranei contemnere, despicere, & irridere cœperunt, tanquam hominem ineptum, superbum, & vanè glorioſum: utpote qui Monasterium insigne, celebríque famâ glorioſum, filiósque obedientissimos, devotos, & sanctos propter Episcopatum dimiserit. In majori siquidem reverentia fuit Abbas, quàm Pontifex. Nam etsi genere nobilis, moribus compositus, sermone disertus, consilio cautus, prudens actione, & in omnibus sapientissimus habitus fuit Abbas: mox tamen ut Pontificatum assumpsit, hæc omnia simul, nescio, quo Dei permittente judicio, amisit in tantum, ut moribus rusticus, sermone imperitus, consilio inutilis, actione stolidus, & conversatione cunctis fieret onerosus. Nam in canticum vulgo jam factus mutatione mirabili, quem venerabantur Abbatem, Episcopum ludibrio habuerunt. Prætereà die quâdam Oppidani cum mulieribus, & pueris eo præsente, & per fenestras domûs audiente, & vidente in quodam loco ubi manebat, choros ducebant, & cantilenas de ipso irrisoriè compositas, in ejus contumeliam publicè cantaverunt. Sed non cessit eis in bonum; nam milites, & amici his contumelijs in Episcopum prolatis auditis, concurrentes fustibus cæsos illos subitò in fugam converterunt, & ita tacuerunt.

Episcopus verò despiciebatur ab omnibus.

Timendum verò, quòd hæc omnia propterea illi contigerint, permittente Deo, quod revelatione sancti Wilhelmi per visionem senioris Bertholdi admonitus non emendaverit errata, & orationes ejusdem sancti videbatur in pluribus contempsisse, ut supra diximus. Commendaverat illi Rex Heinricus cum Episcopatu Spirensi etiam Abbatiam Monasterij tunc Ordinis nostri Laurisienſis: sed nihil memoriâ dignum vel egisse, vel procurâsse utrobíque legitur: nec aliud de illo invenitur, nisi quod Episcopus fuerit Spirensis Ecclesiæ. XXXII.

De Bru-

De Brunone Monaſterij Hirſaugienſis XIV. Abbate, qui præfuit annis XIV. menſibus tribus, diebus XXII. & geſtis illius temporis.

ANno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato milleſimo, centeſimo quinto. Indict. Rom. tertiâ decimâ, pridie calendas Decembris, hoc eſt, ultimâ die menſis Novembris, quæ fuit ſolemnitate S. Andreæ Apoſtoli venerabilis: Prior & fratres hujus ſanctiſſimæ Congregationis in unum convenientes, de novi Abbatis electione cœperunt habere hinc inde conſilium. Votis autem ſingulorum ſcrutatis major, & ſanior pars Brunonem Monachum venerabilem ſeniorem unanimi voto ſibi in paſtorem elegit. Sed fuerunt nonnulli ex Monachis, qui ſua vota aliorſum dirigentes electionem Brunonis non ſatis laudarent: qui tamen majori fratrum numero ſine pertinaciâ illicò præbuerunt conſenſum. Electus itáque in Abbatem hujus Monaſterij XIV. Bruno venerabilis Pater anno, & die prædictis, onus tam periculoſi regiminis ſubire totis viribus diu lacrimans recuſavit, donec tandem precibus fratrum devictus humiliter conſenſit. Eodem igitur anno ſeptimo calendas Januarij; hoc eſt, in feſtivitate ſancti Protomartyris Stephani hic in Monaſterio fuit ordinatus per miniſterium Richardi *Oſtienſis* Epiſcopi Sedis Apoſtolicæ Legati S. Theogero Abbate B. Georgij in nigra ſilva, & alijs multis Abbatibus ex more aſtantibus. Præfuit à die electionis ſuæ annis XIV. menſibus tribus, diebus XXII.

Bruno fit Abbas Hirſaugienſis.

Fuit autem Bruno iſte patriâ Suevus, genere nobilis, claris, & honeſtiſſimis parentibus ortus. Qui poſt prima rudimenta litterarum parentum curâ, & providentiâ majoris Eccleſiæ Spirenſis Canonicus factus, Matricularij tandem & nomen accipere meruit, & officium. Ubi cùm per abrupta vitiorum ire in perditionem plures cerneret, quibus honores cum divitijs cauſam præbuêre delinquendi, de ſuo ſtatu paulatim horrere cœpit, & anxiùs quomodo evaderet omnes mundi laqueos cogitare. Et quantò frequentiùs hujus curæ memoriam habuit, tantò amplius compunctus metuere cœpit. Eo tempore Beatiſſimus Pater Wilhelmus Hirſaugienſi Monaſterio in magnâ ſanctitate præfuit, ad quem magna hominum multitudo pro ſua ſalute anxia confluxit, inter quos *multi*, & magni erant viri ſecundùm æſtimationem ſæculi nobiles, *docti*, & cathedralium diverſarum Eccleſiarum Canonici. Quæ cum Brunonem minimè laterent, Domino ſic ordinante, venit ad Hirſaugiam, animo, & intentione Monachorum explorandi converſationem. Quid plura? Dum vitæ ſcrutator ſervorum Dei adeſt, repentè compungitur, & præventus divino ſpiritu, ut Monachorum adſcribatur conſortio provolutus ad pedes ſancti Abbatis Wilhelmi humillimâ ſupplicatione precatur. Suſceptus autem ſanctis Monachis conjungitur, & diſciplinis Monaſticis diligentiſſimè imbuitur, & deinceps religioſiſſimè converſatur.

Bruno fit Monachus Hirſaugiæ.

Corpore fuit pulchrâ magnitudine diſpoſitus, & in omnibus membris debitâ diſtributione proportionatus. Staturâ magnus erat, formam viri ſchemate, formoſus recaluaſter, & caput venerandâ quâdam reverſus canitie. Et quamvis corpore magnus eſſet, robuſtus tamen, & fortis non

Brunonis Diſpoſitio corporalis.

non erat, néque ad magnos labores perferendos idoneus: sed fuit suâ complexione gracilis, & debilis, & ob id laborum impatiens.

Unde factus Abbas pauca per semetipsum expedire negotia consuevit: sed omnia pènè Cellerarijs, & procuratoribus commisit. Quantum verò ad animi dispositionem pertinebat, homo fuit quietus, & mente tranquillus, pacificus, & sanctâ simplicitate venerandus, mitis, mansuetus, & nulli molestus: sed quâdam potius pusillanimitate timidus, cui nihil placuit, nisi tranquillum, nihil displicebat magis, quàm turbulentum. Vir tamen alioquin erat optimus, lectionibus divinarum scripturarum, & orationibus quasi semper intentus, & in his, quæ ad observantiam pertinebant regularem, studiosissimus. Sæcularia verò negotia Monachis, & conversis commisit idoneis: ipse autem cum reliquis in Congregatione sanctis interiorem gerens solitudinem, omnium se virtutum, bonorúmque operum exemplar præbuit subjectis.

Ruthardus Archiepiscopus sedi suæ restituitur.

Anno etiam Dominicæ Nativit. prænotato Ruthardus venerabilis Archiepiscopus Moguntinus à Thuringia ubi tyrannidem fugiens Heinrici Regis quarti per annos jam octo fermè exulaverat, ut dictum est anno Gebhardi Abbatis septimo, præsidio Catholicorum Principum deductus ad Moguntiam propriæ sedi cum maximo tripudio restituitur. Qui mox ut urbem intravit, convocatis omnibus, tam populum quà clerum Romanæ Sedi reconciliavit, eósque ab excommunicatione, quam propter Heinrici Regis quarti pertinacem adhæsionem inciderant, Apostolicâ auctoritate sibi commissâ absolvit, & communioni Ecclesiæ restituit.

Eodem anno Rex junior Heinricus rebus circa Rhenum dispositis cum exercitu proficisci statuit in Burgundiam, sed revocatus fidelium suorum nuntijs, machinamenta patris, quæ Sigifridi comitis auxilio moliebatur, mirâ velocitate prævenit. Nam patrem Moguntiam tendentem, & colloquium Principum, quod filius Rex junior ipse ad proximum Natale Domini pro confirmatione pacis indixerat, impedire volentem, oppido Bingen circa principium mensis Decembris invenit, ubi ore ad os patrem de sententia excommunicationis, & alijs per eum in rempublicam violenter commissis admonuit, obedientiæ illi debitum, si resipiscere velit, spontaneæ repromisit: quod, ut faceret, rogavit. Senior verò & hæc, & alia multa ad audientiam Principum in proxima convocatione adunandorum apud Moguntiam se respondit velle differre, & quid quid ibi fuerit unanimi sententiâ conclusum, subiturum. His dictis comitatus uterque pacificus ad invicem pariter capescens viam ad Moguntiam properare cœperunt. Inter hæc fideles Regi per nuntios patefecêre occultos, patrem quædam machinari, quæ paci non convenirent, unde visum est eis, ut pater separatim in castello quodam tutissimo Principum conventum expectaret: præsertim cum Præsules Moguntinus Ruthardus, atque Spirensis Gebhardus, cæterique, qui aderant, inter nuper reconciliatas Ecclesias suas communicationem illi præstare publicè reclamarent. His ita dispositis, custodibus quóque, qui, ne novi quicquam ab ipso, vel ad ipsum procederet, adhibitis: Rex Moguntiam publico conventui Principum festinus occurrit. Vulgaris autem stultitia captum à filio Patrem hinc inde publicè famabat.

Imperator arcetur à Mongütia.

Eodem anno XXIII. die mensis Decembris visus est ab occidente

tantus in sidere ignis flammare, ut solis jubar crederetur, si in oriente parte fuisset. Item hoc ipso anno mortuus est Dux Fridericus vir prudentiâ, moribus, & nobilitate satis clarus: sed clarissimo, & singularis inclitæ famæ Adelhaidis, filiæ scilicet Imperatoris matrimonio, & ex eadem miræ indolis prole, priusquam moreretur, decoratus.

MCVI.

Conventus Principum Moguntiæ.

Anno Brunonis memorati Abbatis primo, Heinrico Rege v. mediante Conventus Principum, qui ad Natale Dñi præcedentis anni fuerat indictus, in hujus principio magnificè dilatatus est: duo namq; Principes & quinquaginta eo tempore apud Moguntiam convenisse memorantur. Solus quidam Dux Saxoniæ Magnus nomine defuit, quem grandior ætas ab itineris labore excusavit. Aderant ibidem Sedis Apostolicæ Legati, Episcopus videlicet Ostiensis Richardus, Episcopus quóque Albanus, & Episcopus Constantiensis Gebhardus, sententiam anathematis in Heinricum seniorem Imperatorem à tot sibi succedentibus Romanis Pontificibus sæpiùs, sæpiúsque promulgatam scripis simul, & dictis testificantes, universam multitudinem, imò totam toto orbe diffusam Ecclesiam ab ejus communione Christi, & B. Petri auctoritate multis jam annis sequestratum confirmabant. Qua de causa dum Imperator de castello, quo manebat, se Moguntiam exhibere tentaret, Principes ad cavendum tumultum civium Moguntinensium, ipsius partes potiùs, quàm filii sequentium ipsi apud Ingelnheim occurrerunt, tandémque generali illum circumvenientes consilio usque ad reatûs confessionem, satisfactionisque promissionem perducunt. Cui cum Legati nec Communionem, nec pœnitentiæ modum absque Romani Pontificis consensu dare non possent, ipse consilijs utriusque partis annuens, insignia regalia, crucem videlicet, lanceam, sceptrum, globum, atque coronam filio tradidit, & imprecatus illi prospera, salutem se curare propriam spopondit.

Heinric. v. regnare cœpit.

Hoc igitur ordine Heinricus quintus ejus nominis anno Dominicæ Nativit. præscripto, qui primò destinatus fuit à parte successor, tunc ab universis Germaniæ Principibus in Regem secundò electus est, & per manûs impositionem à Legatis Apostolicæ Sedis confirmatus in Ingelnheim villa Regia, acceptis tam ab Episcopis, quàm à laicis Principibus juxta morem patriæ sacramentis fidelitatis solitis, & consuetis. *Et ita* regnare cœpit faventibus cunctis, qui aderant, simul & illis, *qui procul* fuerunt absentes, propter nimiam pertinaciam Heinrici senioris, *qui multorum* sibi comparaverat odium, & indignationem. *Heinricus* itaque Rex quintus post patrem regnavit annis ferme viginti, qui sicut in principio videbatur optimus, ita factus est postea malus, & persecutor Ecclesiæ truculentus; sed de his suo erit ordine dicendum.

Nomina Legatorũ.

Anno præsignato Conventu Principum apud Moguntiam adhuc durante memorati Apostolicæ Sedis Legati consuluerunt in communi, ut mitterentur aliqui ad curiam Romani Pontificis viri sapientes, & in scripturis eruditi divinis, qui cum ipso Papa tractent ea, quæ reformationem tam imperij, quàm Ecclesiæ Germanorum videbantur conducere. Placuit consilium Legatorum tam Regi, quàm Principibus universis, & delegerunt in hoc ministerium viros genere, simul & dignitate, & eruditione scripturarum insignes, qui, & de objectis rationem reddere, & incertis

certis sagaciter investigare, ac per omnia utilitatibus Ecclesiasticis sapienter consulere potuerunt. Horum præcipui fuerunt Bruno Archiepiscopus Trevirorum, Heinricus Archiepiscopus Magdenburgensis, S. Otto Episcopus Bambergensis, Eberhardus Eychstetensis, Gebhardus Constantiensis Episcopus, & Rupertus Episcopus Herbipolensis, Dux Franciæ Orientalis. Erant cum eis in Comitatu plures viri nobiles laicæ professionis, sapientiâ, divitijs, & sanguine clari, omnes nominatim ad legationem deputati. Habebant in comitatu suo Eckardum Canonicum, & Magistrum scholarum Ecclesiæ Wormatiensis, virum eloquentem, atque in omni varietate scripturarum doctissimum; qui reversus posteà sequenti anno factus est Monachus isthic in Cœnobio Hirsaugiensi, & postremò primus Abbas Vraugiensis in Francia Orientali, & scripsit ejusdem legationis historiam, ut suo loco inferiùs dicemus. Verùm mox Heinrico seniori abrogato Imperatori hæc legatio profectura innotuit; qui cùm esset multâ,& longâ experientiâ peritus, euntibus in valle Tridentina per quendam Adelbertum comitem insidias posuit; qui super eos inermes, ut erant peregrini, cum civibus armatis irruit, & spoliatos indignæ custodiæ mancipavit, & quòd sibi hoc per legatos Domini sui Heinrici Imperatoris fuerit demandatum ostendit; Sanctum tamen Ottonem Episcopum Bambergensem vinculis mancipare noluit, cujus ipse miles & vasallus fuit. Quo etiam mediante Bruno Trevirorum Archiepiscopus, & Wigbertus comes eo pacto dimittuntur, quatenus Imperatorem cum illo pacem facturi conveniant, & quid de reliquis fieri ipse velit, nuntiaturi sub juramento redeant. Interea dum ista consultarent Principes,repentè Domino id ordinante,Welffo Dux Bavariæ cum suis manu valdidâ super eos irruit, & civitatem Tridentinam, ubi Pontifices tenebantur captivi, potenter intravit. Et in primis quidem Gebhardum virum probatum Ecclesiæ Tridentinæ constitutum à Rege Heinrico juniore novum Episcopum, quem cives se nunquâ susceperos conspiraverant, suscipi coëgit, deinde ipsum Adelbertum, ejúsque sceleris complices adeò perterruit, ut eductos, quos clauserant Principes, ipsúmque castellum novo Episcopo redderent; ipsi denique nudipedes ab his quos afflixerant, veniam postularent. Et sic liberati Principes omnipotenti DEO gratias egerunt.

Legati apud Tridentum capiuntur.

Dum hæc agerentur,Heinricus senior Imperator Colonienses,Leodienses, Bonnenses, & plerósque alios sibi confœderans denuo contra filium persecutionem meditatur. Rex verò Heinricus junior adunato exercitu contra patris copias ire contendit. Qua de re præmisit trecentos viros, qui pontem super Mosam fluvium, loco, qui dicitur Megesar, constructum observarent: nam omnes ejusdem fluminis transitus jam hostes interruperant, nec alibi, quàm isthic poterant transire Regales.

Interea dum Rex in palatio apud Aquas grani Cœnam Domini celebrat, Dux Lotharingiæ Heinricus cum exercitu imperiali trecentos illos viros, quos præmiserat ad præoccupandum pontem, subitò invadit, gravitérque resistentes tandem multitudine vicit, opprimit, capit, & crudeliter occidit: reliquos Mosæ fluvius, dum fugam quæritant, submergit. Hæc victoriola Cæsarianis gaudium, simul & audaciam præstitit, & seniorem contra Dei Ecclesiam sicut priùs non mediocriter animavit.

Dux Lotharingiæ Regi rebellat.

Abbas de Farfa fit Antipapa.

Dum Hæc agerentur in Lotharingia, Wernherus quidam ministerialis Imperatoris, qui Marchiæ præerat Aquinatensi, mandato Domini sui collectis undecunque in Italia copijs, & corruptis multâ pecuniâ Romanis nonnullis, Paschali summo Pontifice secundo in partibus Beneventanis commanente, quendam Abbatem Cœnobij de Farfa Cathedræ S. Petri cum magna pompa, & solemnitate imposuit: quem Papam Sylvestrum ejus nominis IV. nuncupari fecit. Qui tamen non diu posteà ejectus turpiter, temeritatis suæ meritas pœnas luit.

Rex verò Heinricus junior inter ipsa Paschalia festa, quæ tunc Bonnæ oppido celebravit: Heinricum Ducem Lotharingiæ judicio Principum Majestatis læsæ reum, & hostem Reipublicæ Ducatu privat, ac generalem expeditionem in Lotharingiam, accepto à Principibus sacramento per totum Regnum indicit, & parat. Quo dehinc ad Moguntiam, & alias Rheni partes superiores se conferente, Pater se Colonienſibus reddidit, & Archiepiscopo pulso civitatem ipsam vallis, & propugnaculis, omníque repugnandi genere permagnificè communivit, & posteà se iterum cum suis fidelissimis, qui illum sequebantur, ad Leodium contulit.

Anno igitur prænotato circa medium Junij mensis Heinricus Rex junior cum vinginti millibus pugnatorum obsedit Coloniam. Sed cum urbs nimiùm esset munita, per unius ferme mensis spatium cassò labore desudans parùm profecit, excepto quòd juventus, ut fieri solet, moræ impatiens, nonnunquam ad muros concurrens ludo crudeli fugat alterutrum, vel sternit. Ibi Theodericus comes Regi fidelissimus infirmitate pressus moritur, vir nobili Saxonum stirpe progenitus, Catholicæ Ecclesiæ, & Romano Pontifici semper devotissimus: morum honestate conspicuus, & litterarum scientiâ non mediocriter eruditus.

Monasterium S. Mathiæ reparatur.

His temporibus Bruno Trevirorum Archiepiscopus Monasterium S. Eucharij antiquissimæ fundationis extra muros dictæ civitatis nimiâ vetustate penè collapsum ex fundamentis novum reparans tabulato lapideo Ecclesiam & magnam, & pulcherrimam construxit. In ea reparatione templi corpus S. Mathiæ Apostoli fuit in muro Ecclesiæ repertum unà cum parte corporis S. Philippi Apostoli: quamobrem locus ille, qui eatenus dicebatur ad S. Eucharium, qui primus olim à S. Petro missus Trevirorum fuit Episcopus; ad S. Mathiam deinceps vocari cœpitque in præsens.

Anno etiam prænotato in mense Octobri habitum est generale Concilium in Provincia Longobardorum super ripam Padi fluminis in loco, qui Warstallis nuncupatur; ubi præsidente Romano Pontifice Paschali secundo coram multitudine maxima Clericorum, & Laicorum, qui de diversorum Regnorum Ecclesijs convenerant, præsentibus etiam Legatis Heinrici Regis V. plura fuerunt ad communem utilitatem ordinata. Multi quóque in eodem concilio Pseudoepiscopi fuerunt depositi, & Catholicæ fidei constantissimi Professores in bono confirmati.

Anno quóque prænotato Rupertus Episcopus Herbipolensis dum tenderet ad præfatum concilium in Longobardiam, moritur, & peregrinus in terra aliena sepelitur. Post cujus obitum Erlungus, quem antè diximus per Heinricum Imperatorem contra Rupertum Episcopum intrusum, communi voto Cleri, simul ac populi, ut verus præsul Herbipolensis

lensis Ecclesiæ suscipitur, & consentiente tam Rege Heinrico, quàm summo Pontifice Romano cum maximo honore inthronizatur, præfuítque in Pontificatu deinceps annis XVI.

Eodem anno mortuus est Heinricus Imperator apud Leodium civitatem Lotharingiæ, anno Regni sui quinquagesimo, in excommunicatione trium Romanorum Pontificum; quem sui de consensu Episcopi Leodiensis nomine Otberti sepelierunt in Ecclesia contra fas, & æquitatem, cum scirent eum excommunicatum: qui omnes ipso facto eandem sententiam anathematis incidentes ad pœnitentiam posteà rediêrunt, & per certos Apostolicæ Sedis legatos absolvi meruerunt.

Igitur quia tandem cessante exactore conquievit & tributum, mox omnes, qui quæstus duntaxat gratia Heinricum sequebantur excommunicatum, suásque animas exposuerant venales, nimio in casu Principis sui terrore concussi, Heinrici Regis V. gratiam postulantes impetrârunt, & per ejus medium communioni Catholicæ sunt Ecclesiæ restituti. Leodiensis autem Præsul Otbertus, cæteríque coepiscopantes hâc inter cætera recipiuntur in communem pœnitentiæ conditione, quòd cadaver excommunicati Heinrici Imperatoris pridem apud Leodium in Monasterio sepultum sine alicujus alterius hominis adjutorio per se, ac manibus proprijs effoderent, & absque ulla sepulturæ vel exequiarum celebritate in loco non consecrato deponerent, insepultúmque dimitterent: comprobantibus hanc pœnitentiæ satisfactionem à legatis Apostolicæ Sedis impositam Archiepiscopis, & Episcopis, qui aderant, universis; quoniam quisquis vivus Ecclesiæ communionem non vult accipere, indignus est etiam censendus, ut eam mortuus consequatur. Corpus itaque Imperatoris anathematizati secundùm jussionem legatorum Apostolicæ Sedis manibus Episcoporum, qui sepulturæ consenserant, de sepulchro extrahitur. Quo facto paulopòst jubente Heinrico Rege V. Spiram deportatum est: & lapideo impositum sacrophago in quadam Ecclesia deserta per quinque annos sepositum, donec ipse filius à Sede Apostolica tandem patri defuncto absolutionem cum sepultura Ecclesiastica obtinuit; & tunc in majori Ecclesia Spirensi cum suis progenitoribus multis astantibus Episcopis humatus fuit. Obijt autem Heinricus Imperator IV. anno Dominicæ Nativitatis supra scripto MCVI. Brunonis verò Abbatis hujus Monasterij Hirsaugiensis primo, Indictione Romanorum quartâ decimâ, die mensis Augusti septimo: de quo multi Auctores in humanis tunc agentes multa scripserunt mala, quæ nos recensere per singula de mortuo post tot annos indignum judicamus.

Corpus Imperatoris in campum ponitur.

Fuerunt etiam qui plura de illo bona litteris commendârunt: videlicet quòd nemo illis temporibus naturâ, ingenio, fortitudine, audaciâ staturâ, & totâ elegantiâ corporis Imperialibus videretur fascibus ipso aptior: inimicis terribilis, sempérque mirabili successu victoriosus, utpote qui sexagies, & eo amplius cum inimicis dimicans victor triumphavit. In offensores clementissimus fuit: ad remittendum facilis, & ad indulgendum precantibus veniam promptus. Cùm aliquando sederet ad requisita naturæ, duo siccarij subordinati ab æmulis ut eum interficerent, latere in angulo deprehensi sunt ab his, qui custodiæ fuerant deputati: quos coram eo ductos de intentione sceleris perpetrandi convictos, &

Vir Imperio videbatur aptissimus.

confessos, nihilominus abire præcepit: multis etiam principibus, nobi-
libus, & alijs, qui graviter in eum deliquerant, veniam postulantibus
statim omnia indulsit. Nam parcere prostratis noverat, & debellare su-
perbos. In pauperes pius fuit, & singulari miseratione compatiens, mul-
támque illis eleemosynam dedit.

Primus fuit Imperator depositus.

Sed omnia hæc bona hoc unum in oculis omnium, qui Deum ti-
muerunt, obfuscavit, quòd Ecclesiam contempsit, & excommunicatus
à tot Romanis Pontificibus usque ad mortem in sua pertinacia perduravit.
Ob id primus fuit inter Romanos Imperatores, qui ab imperio legitimè
depositus; ante quem tamen nonnulli à Romanis Pontificibus ad tempus
pro suis criminibus fuerunt excommunicati. Scholastici certant, & sicut
quidam dixit: adhuc subjudice lis est: an Romanus Pontifex jure possit
deponere Imperatorem? cujus rei quæstio nostris discutienda viribus nec
est commissa, nec omnino congruit.

Lotharius comes fit Dux Saxoniæ.

Anno etiam prænotato mortuus est Dux Saxonum Magnus, da-
senio gravatus, & morbo; cujus Ducatum Lotharius comes dictus de Sup-
pelingeburg accepit, qui post Heinricum V. factus est Imperator elec-
tione Principum, ut suo loco inferius dicemus.

Obijt etiam anno præscripto Marchio Saxoniæ, Udo nomine, vir
ditissimus, cujus Marchiam prænominatus ex comite Dux Lotharius si-
militer obtinuit. *MCVII.*

S. Paulina inclusa moritur.

Anno Brunonis Abbatis secundo, quartâ decimâ die mensis Martij
obijt sancta, & venerabilis Domina Paulina, quæ multis annis apud Thu-
ringos in diœcesi Moguntina pro Christi amore voluntariè inclusa junctim
Monasterium nostri Ordinis, quod ipsa fundaverat, & ejus nomine usq;
in præsentem diem cella Paulinæ vocatur, vitam in omni sanctitate duxit
religiosissimam; & multis tam ante, quàm post mortem miraculis coru-
scavit, & multos suo exemplo ad emendationis vitæ semitas convertit:
mortuo námque viro suo alium ducere contemnens, totam se divinæ
mancipavit amori, constructóque Monasterio in sua hæreditate propria
quidquid habuit, in sustentationem Monachorum Domino Deo ibidem
servientium deputavit.

Wernher. filius S. Paulinæ.

Filium habuit nomine Wernherum, qui posteaquam annos pue-
riles in studio desudans litterario excessit, hortatu sanctæ Matris in præ-
senti Cœnobio Hirsaugiensi Monachus factus, perfectum se regularis ob-
servantiæ custodem in omnibus semper exhibuit. Qui postea Cœnobio
per Matrem in Thuringiam consummato, illuc de Congregatione Hir-
saugiana cum alijs novem fratribus missus est, qui inter decem sub Geru-
gi Abbatis regimine, qui fuit vndecimus, locum illum tradente sanctæ
Paulinâ, sicut diximus, anno Beati Abbatis Wilhelmi sexto decimo, primi
regulariter inhabitare cœperunt.

Cùm ergo moritura jam esset eadem Domina S. Paulina, vocatis ad
ejus transmigrationem Abbas Gerungus, Wernherus Monachus ejusdem
famulæ Dei filius, & reliqui fratres convenientes, ejusdem de corpore
transitum precibus, & Dominici oblatione Sacramenti omnipotenti Deo
quantò poterant, devotiùs studuerunt commendare.

S. Paulina sepelitur in Ecclesia.

Posteà verò quàm anima illa Christo dilecta transmigrans ad cœ-
los evolavit, in æternum lætabunda cum Angelis, tulerunt corpus eius,
& in

& in sarcophagum ligneum recludentes ad Ecclesiam Monasterij, quod ipsa fundaverat, sicut diximus, cum debito honore deportârunt, celebratísque ex more solemni devotione mortuorum exequijs ante Altare S. Crucis honestissimè tradiderunt sepulturæ, ad cujus tumulum omnipotens Deus multa infirmis, & in necessitatibus constitutis beneficia pluribus annis præstare consuevit. Ejus vita luculento sermone conscripta in eodem Cœnobio habetur.

Vita Gerũgi 1. Abbat. cellæ Paulinæ.

Quoniam verò Gerungi Abbatis primi cellæ Paulinæ, memoria nobis se offert, qui cum decem Monachis ex præsenti Monasterio Hirsaugiensi, ut diximus, illuc missus fuerat, libet parumper illius vitam, & mores styli officio ad notitiam posteritatis commendare. Qui patriâ Suevus ex familia Buchaugiensium progenitus, puer ad litteras à parentibus, ut fieri solet, ponitur, & bonis Præceptoribus in civitate Augustana imbuendus commendatur; à quibus non minus in compositione morũ, ac vitæ honestate laudabili solicitudine instituitur, quàm in scientia scripturarum eruditur.

Qui postquam evasit annos pueriles jam satis doctus in litteris mundanis, divino Spiritu illustratus venit Hirsaugiam, procidensq; ad pedes Beati Wilhelmi Abbatis, ut susciperetur in Congregationem Monachorum, humiliter petijt, & impetravit. Monachus autem factus in omni sanctitate vitam, & mores suos instituit, & à mandatis Regulæ, ac Divi Patris nunquam vel in minimo declinavit; regularis namque disciplinæ tam studiosus observator fuit, & custos, ut paucis inferior, multis autem superior in Monasterio videretur.

Et quia in Musica singulari fuit modulatione peritus, quod sanctum Abbatem non latuit, ideóque cum consilio fratrum Cantorem illum principalem constituit, & imbuendos in arte canendi fratres illi juniores simili providentiâ commisit. In quo quidem officio satis studiosum, & diligentem se omni tempore exhibuit, quoniam & vox artem ornavit, & ars commendavit vocem excellentem.

Ad Monasteriũ Cluniacense in Burgundiam à S.P. Wilhelmo binâ vice missus est pro discendis statutis, & consuetudinibus illius S. Congregationis, ad cujus imitationem & se, & suos omnes, quantùm fieri potuit, instituere & formare somoperè cogitabat. Fuit autem Gerungus iste staturâ corporis satis pulchrâ & convenienti dispositus, ut nec proceritate nimiâ fuerit turgidus; nec despicabili brevitate contemnendus: In moribus autem singulari gravitate maturus extitit, & censor contra vitia acerimus fuit: virtute tamen discretionis non caruit, quippe qui morbos animi curaturus semper mediocritatem adhibuit, ut neque in corrigendo peccantes nimium esset rigidus, neque in parcendo plus quàm expediret negligens, & remissus: quidquid boni sermone docuit, semper suo prior exemplo demonstravit. Pacem habere cum omnibus didicit, quia pacis Auctorem Dominum Jesum super omnia dilexit. In scientia divinarum scripturarum nec profundè doctus, nec omnino turpiter fuit ignarus, sed mediocriter eruditus. Virtutem tamen scripturarum profundissimè didicit, qui exercitium divini amoris in suo pectore jugiter portavit; scientia enim divinarum scripturarum medicina animæ est; Charitas autem Dei bonis, & sanctis formata operibus, vera sanitas est mentis. Quid infirmus

firmus de medicina gloriatur, qui ad sanitatẽ eâ non utitur? Melius est sanitatẽ habere, quàm medicinam, & magis optandum, ut sanus sit homo, quàm medicus. Ita sanctus iste Gerungus, quoniam mente fuit sanus, & incolumis, opus non habuit medicinis. In divino amore semper ardebat fraviter, & ideò non fuit scripturis investigandis deditus, vel occupatus inutiliter. Bonum est salubres habere medicinas, sed melius est sanctitate confirmatâ non indigere medicinis: & bonum est divinas scripturas legendo, & sciendo sapienter revolvere, sed habere veram charitatem radicatam in corde, est fructum scripturæ optimum possidere. Gerungus ergo fructum divinarum scripturarum hausit optimum, qui pauca quidem didicit, sed multa bona fecit; Scriptor tamen manualis, & bonus fuit, & studiosissimus, qui multa volumina scripsit suâ manu ad utilitatem fratrum communem. Quando Congregatio de S. Aurelio transivit ad novum Monasterium post mortem S. Wilhelmi Abbatis, Gerungus cum duodecim fratribus in priori mansit Cœnobio, & de mandato Gebhardi Abbatis super eos aliquamdiu Prioris gessit officium. Post hæc Monasterio cellæ Paulinæ per ipsam Christo devotam famulam consummato, & Abbati Hirsaugiensi ex more oblato, Gerungus Abbas à tota Congregatione Hirsaugiana illò destinandus eligitur, & cum fratribus decem, ut dictum est, S. Paulinæ destinatus. Quem illa cum summa devotione, ut verum Christi servum susçipiens, ordinari à Ruthardo Archiepiscopo petijt, & mox ei Monasterium cum omnibus possessionibus suis regendum commendavit.

Gerungus fit Abbas r. cellæ Paulinæ.

Anno prænotato Magister Eckardus Wormatiensis Ecclesiæ Canonicus, & Scholasticus divino Spiritu compunctus mundum cum suis pompis, & vanitatibus pro Christi amore deseruit, venienſque ad Hirsaugiam sanctæ conversationis habitum susçepit. Erat autem vir in omni genere scientiarum eruditissimus: sub cujus magisterio multi nobiles, & ignobiles in omni litteratura magnificè profecerunt. Qui Monachus factus in omni puritate vitam suam instituit, & crescentibus meritis tandem post annos undecim Abbas in Uraugia primus ordinatus fuit.

Eckardus fit Monachus Hirsaugiensis.

Anno item præscripto Concilium Episcoporum non parvum celebratum est in civitate Trecasina Galliæ circa Ascensionem Domini, cui præsedit Paschalis Papa secundus, ubi inter multa, quæ pro tempore, & necessitate corrigenda videbantur, sententiam de libera Prælatorum electione, & de coërcenda laicorum in Ecclesiasticas dignitates præsumptione juxta Prædecessorum suorum decreta de consensu omnium Episcoporum promulgavit.

Concil. gener. apud Trecas agitur.

Interea Heinricus Rex v. peragratâ Saxoniâ venit ad Moguntiam cum quibusdam Episcopis, atque Principibus, quorum consilio persuasus honestam legationem misit ad Romanum Pontificem Synodo apud Trecas præsidentem, per quam notam fecit tam Papæ, quàm Synodo sententiam privilegiorum Carolo quondam Magno, & alijs Imperatoribus super investitura, sive institutione Episcoporum à Sede Apostolica concessorum, postulans eadem sibi illæsa, & inconvulsa dimitti. Super qua re Papa Regem ad Audientiam futuri concilij, quod Romæ celebrandum indixit, per eosdem legatos venire præcipiens, ut causa mutuò ventilaretur, totius anni venientis inducias concessit.

Legatio Heinrici Regis ad Concilium

Tunc

Tunc etiam nonnullos Germaniæ Præsules ad Concilium Trecense vocatos, qui non venerant, Papa suspensione officij mulctavit. Quos tamen non multò posteà satisfacientes clementer absolvit.

Eodem quóque anno Heinricus Rex apud Ratisbonam Bavariæ urbem colloquium indixit Principibus, cum quibus expeditionem ordinavit in Flandriam contra Rupertum comitem imperio tunc rebellantem. Quâ circa initium Octobris motâ, terram rebellium ingressus, Rex non sine gravi exercitus sui dispendio, per unum & amplius mensem vastat, donec per internuncios treugæ fuerunt impetratæ.

MCVIII.

Monasterium in Lorch fundatur.

Anno Brunonis Abbatis III. Fridericus Dux Suevorum pater Friderici postea Imperatoris primi, vir potens, & amator Catholicæ unitatis præcipuus, cupiens divini cultûs ampliare servitutem, Monasterium Ordinis nostri, quod Lorch dicitur, in diœcesi Augustensi fundavit: in quo Monachos de Hirsaugiensi Congregatione numero XII. posuit, quibus omnia hujus vitæ necessaria in annuis redditibus copiosissimè providit. His Bruno Abbas Reverendissimus Hirsaugiensis, quendam venerabilem senem præfecit pastorem, cujus nomen non occurrit. Fundator autem priusquâ daretur Abbas, anno præcedente, sicut diximus, ab hac vita deficiens transivit ad superos.

Monasterij S. Disibodi reparatio.

His etiam temporibus Ruthardus venerabilis Archiepiscopus Moguntinus desolationem antiquissimi Monasterij, quod S. Disibodus ex Hybernia quondam Episcopus, & pro Christo peregrinus in comitatu Spanheimensi tempore S. Gregorij Papæ primi juxta oppidum Sobernhaim construxerat, in confluentia duorum fluviolorum, quorum alter Nahus, alter verò Glanus nominatur, cupiens restaurare, impensas simul, & animum sancto negotio adaptavit. Fuit enim Cœnobium illud quondam ditissimum, & multis possessionibus dotatum, quod Archiepiscopus quidam Moguntinus ab Imperatore sui temporis obtinuit, & misere dissipavit: prædia namque, & possessiones Monachorum suis militibus contulit in beneficium, & omnia quæ reperit, in usum convertit alienum, donec paulatim Cœnobium in toto penè fuit desolatum. Monachis tandem deficientibus præ inopia Clericos sæculares paucos imposuit, sub quorum occupatione locus per multos annos miserabiliter collapsus mansit.

Burchardo Abb. S. Jacobi.

Fuit hisdem temporibus Burchardus Abbas Cœnobij S. Jacobi prope Moguntiam ex plantatione Hirsaugiana cum Erckenbaldo quondam per S. Wihelmum illo missus, vir prudens, & singulari devotione religiosissimus. Huic Ruthardus Archiepiscopus restaurandum præfatum S. Præsulis Disibodi Monasterium commisit, impensas contulit, & omnia necessaria providit. Qui Burchardus anno prænotato ultimâ die mensis Junij primum fundamenti lapidem in monte pro Ecclesia, quæ hodie cernitur, posuit, & Monasterium de pede montis, ubi prius fuerat, in montem ubi nunc est, transferens brevi tempore construens magnificè consummavit: positis autem illic Monachis de S. Jacobo, utriúsque Monasterij curam habuit, & boni pastoris officium utrobique adimplevit.

Circa hæc tempora idem Archiepiscopus Ruthardus novam Ord. nostri præposituram in Ringavio non procul à Vinicella, & Gisenheim

viculis in monte construxit, qui Bischoffsberg dictus est, sub honore S. Baptistæ Joannis; quam jurisdictioni Abbatis Monasterij Divi Martyris Albani prope Moguntiam voluit omnino esse subjectam. Sed non diu post, ut dicemus suo loco, in Abbatiam est commutata.

Richolfus Comes Rhenensis.

Richolfus quidam comes Rheni unacum Danckmode conthorali sua, qui morabatur in castro haud procul à Stauronesio oppido, & multas possessiones habuit circa Rhenum, ad memoratæ præposituræ consummationem plura bona contulit, & impensas hilari devotione sufficientes ministravit. De hujus Richolfi comitis propagine descenderunt Rheni comites, qui hodie habentur: quorum mansio nostris temporibus in castello esse consuevit, quod Duna vocatur in Westrasia. Construxerunt etiam ad occidentalem plagam dicti Monasterij juxta Ecclesiam mansionem unam pro sanctis virginibus Christo in castitatis proposito servire volentibus, quarum non parvam multitudinem brevi tempore collegerunt. In quarum numero fuit Wertrudis memorati comitis Rheni filia, quæ usque ad mortem omnipotenti Deo in omni sanctitatis proposito servivit. Erant autem tam Moniales, quàm Monachi sub unius cura Præpositi, qui vitæ illis necessaria ministrabat. Verùm successu temporis propter pacem utrorúmque, Moniales ad Cœnobium pro eis in valle constructum translatæ sunt, & habitare ampliùs in monte juxta mansiones virorum desierunt.

Ludovicus Rheni comes fit Monachus.

Filium habuerunt memorati comites nomine Ludovicum, qui contemptis mundi vanitatibus universis ad sæpe dictum S. Joannis Cœnobium exemplo sororis se contulit, & Monachus factus, omnipotenti Deo usque ad vitæ suæ terminum in vera humilitate semper strenuè militavit. Ex quo non modicum paternæ hæreditatis emolumentum tam ipse Ludovicus, quàm soror eidem Monasterio attulerunt.

In fine hujus anni Rex Heinricus Natale Domini, apud Moguntiam celebrans Rupertum Flandriæ comitem in gratiam, & deditionem intercessione Principum accepit, & ad obedientiam imperij reduxit.

MCIX.

S. Anselmo moritur.

Anno Brunonis Abbatis quarto, Indictione Romanorum secundâ; mensis Aprilis die vicesimâ primâ obijt S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in Anglia, magnus Hirsaugiensium fratrum Patronus, amicus, & fautor; vir sanctissimæ conversationis: de cujus scriptis, & lucubrationibus eruditione, ac devotione plenis, suprà diximus anno S. Wilhelmi Abbatis xv.

Eodem quóq; anno penultimâ die mensis Aprilis mortuus est etiam S. Hugo Cluniacensis Abbas, pater multorum Monachorum, qui & ipse Hirsaugianæ Congregationis fautor, & amicus præcipuus extitit; & beati viri Abbatis Wilhelmi singularis confrater, & familiaris fuit. Qui multis tam in vita, quàm post mortem claruit miraculis; quemadmodùm in ejus gestis clariùs continetur. Cui Pontius in Abbatia successit, qui posteà Romæ Cardinalis fuit.

Joann. ex Monacho Cassinensi Diaconus Cardinal.

Claruit his quóque temporibus Joannes ex Monacho Cassinensis Cœnobij sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis à Beato Paschali Papa creatus: vir magnæ prudentiæ, ac singularis eruditionis, nec minùs vitæ merito, quàm scientiâ doctrinæ venerabilis. In multis legationibus

tionibus Romanæ Sedis exercitatus semper fidelis Apostoli gessit officiũ, & Romanæ honorem Ecclesiæ non neglexit.

S. Odorosi⁹ Abbas Cluniacensis.

Claruit etiam his temporibus in Italia Odorosius Cassinensis Monasterij Abbas vir sanctissimæ conversationis, qui Monasticum ordinem in multis Italiæ Cœnobijs pænè collapsum suâ industriâ ad regularis observantiæ tramitem reduxit. Denique in Monasterio suo Cassinensi plures egregios Monachos instituit, de quibus multi posteà facti sunt, vel Romæ Cardinales, vel in diversis locis Episcopi.

Adelbertus fit Archiepiscopus Mogunt.

Anno præscripto mortuus est Ruthardus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, vir magnæ prudentiæ, & singularis clementiæ in pauperes, qui ovibus sibi commissis strenuè, utiliterque præfuit, & multas Ecclesias vel de novo construxit, vel antiquas nimiâ vetustate ruinosas, per totam fermè diœcesim magnificè raparavit. Post quem Adelbertus Regis Heinrici Cancellarius in Archipontificatu succedens, præfuit annis fermè xxviii. vir & ipse magnificus, qui multa bona fecit, & plura præsentis vitæ adversa pertulit.

Eodem anno Rex Heinricus apud Franckenfurt conventum Principum habuit, ubi Sigefridum comitem Palatinum Rheni cœpit, & apud Herbipolensem Episcopum Erlungum carceri mancipavit, eò quòd prodente Heinrico Duce Lotharingiæ (priùs abrogato, tunc autem in gratiam Regis recepto) in necem, & regnum ejus, ad quorundam perversorum persuasiones conspiraverit. Per triennium sic mansit carceri mancipatus, & posteà intercessione Principum, amicorum ad Regis gratiam meruit pervenire.

Abbas Fuldensis à Rege deponitur.

In eodem conventu Principum Rex Heinricus Godfridum Abbatẽ Fuldensem conspirationis accusatum deposuit, cui Wolfhelmus ejusdem Congregationis Monachus in Abbatia successit. Fuerunt, qui dicerent, Godfridum ex subordinatione æmulorum contumeliam, & injuriam passum: cujus rei certitudinem non habentes, nihil de mortuis nos convenit temerè judicare.

Post hæc eodem anno Rex Heinricus magno suorum adunato exercitu in Poloniam proficiscitur, & diutino, multóque labore desudans gentem cum Duce ad obedientiam redire compellit, & Romano solvere Imperio tributum, quod diutiùs negavit.

MCX.

Gebhardus Episcopus Spirensis ægrotat.

Anno Brunonis Abbatis quinto Gebhardus Ecclesiæ Spirensis Episcopus, qui ante Brunonem Abbas fuerat Hirsaugiensis, diutinis vexatus doloribus ad disponendum negotia Pontificatûs Ecclesiæ factus est omnino inutilis; unde præhabito amicorum consilio Pontificatum deserere statuit, & ad Monasterium, unde venerat, redire: ut cum quibus manere sanus ad tempus noluerat, infirmus nunc, & posteà mortuus perpetuò remaneret. Cumque jam ordinatis omnibus, quæ ad viam necessaria videbantur, in curru sedens de Monte S. Michaëlis Ebernsperg dicto, ubi manere consueverat, iter inchoâsset versus Hirsaugiam, rumor civitatem Spirensem subitò replevit, quòd eorum Pontifex fugeret ad Cœnobium, ampliùs non reversurus. Concurrentes igitur in multitudine copiosa, priusquã medium perfeciſſet iter Episcopus, circumdantes eum obnixè rogârunt, ne curam ovium suarum desereret, nec se ab

illis elongaret. E conrrà multùm rogat Episcopus, ne suum impedirent propositum, néque semetipsos cum ejus infirmitate ulterius gravarent; *inutilis sum*, inquit, *& mihi, & vobis: quippe qui & propriam salutem saepius compellor negligere, & vestris commoditatibus, ut teneor, debitam sollicitudinem nequeo adhibere, precor ergo, fratres mei, permittite quatenus ad Monasterium redire mihi liceat, ut modicum id temporis, quod restat vitæ, divinis me obsequijs qualitercunq; restituam.* Sed cum nulla ratione eis persuadere posset, ut suis petitionibus acquiescerent, post multos tandem sermones unus coram omnibus dixit: *Nec justum mihi videtur, viri Spirenses, nec honestum, ut Episcopum nostrum, quem sanum accepimus, infirmum dimittamus; ad quid bonos illos fratres Hirsaugienses Monachos gravemus cum nostro Pontifice, contra legem fraternæ charitatis:* quod tibi non vis fieri alteri ne feceris? *Eligamus igitur potius in Ecclesiæ nostræ possessionibus locum aliquem ejus convenientem infirmitati, adhibitísque ministris, quotquot voluerit, idoneis, qui deserviant ægrotanti cum diligentia, hujus vitæ necessaria de proventibus Ecclesiæ ministremus.* Placuit unius viri consiliũ omnib⁹, & data Pontifici fide juramenti, quòd mortuum in Hirsaugia sepelirent, quem illò pergere vivũ prohibuissent, eorum voluntati præbuit & ipse consensum. Locus itáque manendi infirmitati ejus satis conveniens, & amœnus, inter paludes Rheni Bruchsal dictus, eligitur, qui tribus à Spira, & quatuor milliaribus ab Hirsaugia distans, nunc in oppidum commutatus est. Ibi Pontifex Gebhardus senio gravatus, & morbo, diem præstolabatur extremum: cui, quidquid ad vitæ hujus sustentationem pertinebat, Fratres Ecclesiæ Spirensis ministrari copiosè fecerunt. Mansit igitur in præfato loco sibi deputato graviter infirmus, & mensibus duntaxat in hoc mundo tribus supervixit; nam ingravescente paulatim ægritudine tandem anno prænotato, primâ videlicet die mensis Martij ab hac vita transiens in Domino quievit. Cujus cadaver Spirenses, quemadmodùm vivo promiserant, ad Monasterium istud Hirsaugiense duxerunt: quod Abbas Bruno & fratres cum honore debito suscipientes, ante majus altare tradiderunt sepulturæ.

Mansio in Bruchsal deputatur Episcopo.

Huic in Episcopatu Spirensi Bruno quidam succedens præfuit annis tredecim promotus auctoritate regiâ; qui ob receptum ab ipso Rege Heinrico beneficium, ne suo Creatori videretur ingratus, consensit, ut cives Spirenses eximerentur à quibusdam legibus, & statutis per imperiale privilegium, in quibus Episcopo antè fuerant de consuetudine juris obligati, non in parvum memoratæ Ecclesiæ detrimentum; cujus exemptionis litteras anno sequenti, quo datæ fuerant, annotabimus.

Bruno fit Episcopus Spirens. 33.

Anno etiam prænotato Bertholdus comes quidam de Hennenberg Lucâ conthorali suâ consentiente fundavit Monasterium Ordinis nostri sub honore B. Mariæ semper Virginis in provincia, quæ tunc, ut privilegium Heinrici Regis quinti confirmat, dicebatur Teutonica Francia, in Episcopatu Spirensi in terra vulgariter Albegavv, in comitatu Vorcheim, in silva, quæ dicitur Lushart, circa ripam, quæ vocatur Alba, & nomen Monasterij Augia Dei, teutonicè autem Gottisavv, quod Cœnobium hoc ipso anno consumatum, & magnificè dotatum, multisq; & singularibus privilegijs tam Papalibus, quàm imperialibus subnixum, Hirsaugiensibus tradidit inhabitandum.

Monasterium Gozaw fundatur.

Bruno

Bruno igitur venerabilis Hirſaugianæ Congregationis Abbas habito ſeniorum conſilio fratres de Congregatione ſua duodecim ad prædictum locum miſit, qui Wolpotonem valde religioſum, & venerabilem virum Abbatem & Rectorem Monaſterij Gottiſaugienſis primum conſtituit, ſicuti anno S. Wilhelmi XVI. diximus. Et notandum, quòd memorati Cœnobij fundator comes fuit de Hennenberg, ſimul & comitatum poſſidens in Vorcheim, non procul à Gozavve, ubi tunc morabatur, cujus hodie caſtelli nullum manet veſtigium. Titulus etiam comitatus de Vorcheim poſteà extinctus perpetuæ oblivioni traditus eſt, quemadmodùm, & alij complures.

Anno prænotato Rex Heinricus circa feſtum Epiphaniæ Domini colloquium apud Ratisbonam cum Principibus habuit, quibus animi ſui propoſitum aperuit, & quòd Romam proficiſci velit pro corona imperij eunctis manifeſtè reſeravit. Collaudaverunt omnes Regis propoſitum, & procerum, nobiliúmque multitudo maxima ſe profecturam cum illo juramenti confimatione promiſit. Dies pergendi ad finem menſis Auguſti ſtatuitur, ad quam ſe unuſquíſque præparare jubetur. Interea Rex Heinricus deſcendit ad Lotharingiam, & in civitate Leodienſi Mechtildem Heinrici Anglorum Regis filiam ſibi ante deſponſatam celebratis nuptijs ex more ſolenniter duxit uxorem. De qua tamen liberos non ſuſcepit, ut prophetia viri DEI Bennonis dudum Heinrico quarto Patri ejus prænuntiata impleretur dicentis: *Quoniam Eccleſiam Chriſti perſecutus es, & unitatis Catholicæ Sacramentum confudiſti, non perveniet ſemen tnum in quartam generationem.* Quis fuerit iſte Benno ſuperiùs anno Monaſterij vacanteis LVI. diximus.

Conventus fit l'rincipũ Ratisbonæ

Anno igitur Brunonis prænotato in fine menſis Auguſti Heinricus Rex quintus cum magno ſuorum exercitu in Italiam profectus eſt, habens in comitatu ſuo plures Epiſcopos, Abbates, Duces, Comites & Nobiles, alijs ſecum per montem Jovis, alijs verò per vallem Tridentinam alpes tranſcendentibus. Providè autem diſpoſuit Rex viros non ſolùm armis peritos, ſed etiam in omni varietate ſcripturarum doctiſſimos in ſuo comitatu habere plurimos, ut ſi quid Romæ forſitan oriretur quæſtionis non Italorum fraudibus, ſed ſuorum potiùs fidelium conſilijs agnoſceret veritatem. Inter quos fuit Magiſter ſcholarum Eccleſiæ Herbipolenſis natione Scotus, nomine David, vir excellenter doctus, ingenio promptus, ſermone Scholaſticus, qui juſſus à Rege totam hujus expeditionis hiſtoriam, rerumque in illa geſtarum, ſtilo tam facili, qui parum à communi loquela differat in tribus libris diggeſſit. Voluit enim Rex, quòd faciliori ſermone latino ſeries rerum ab eo geſtarum ſcriberetur, quatenus legi à pluribus etiam minùs doctis potuiſſet. Iſte David poſteà Monachus factus eſt ſub S. Machario primo Abbate Cœnobij S. Jacobi Apoſtoli Majoris in ſuburbano Herbipolenſis urbis, cui auctore Deo ego Joannes Trithemius quondam Abbas Spanheimenſis, hodie cùm iſta ſcripſi in quartum annum quamvis inutilis præſideo, de quo latiùs Chriſto miſerante ſuo loco inferiùs mentio fiet.

David Scotus hiſtoriographus

Rex autem Heinricus per univerſam Longobardiam diſcurrens cum ſuo exercitu pacem omnibus dedit, eum pacificè recipientibus, fidem ſervans amicis, & gratiam concedens eam humiliter poſtulantibus.

Fuerunt etiam nonnulli ejus imperio contumaciter reluctantes, in quos statim movit exercitum, munitiones eorum cœpit, oppida, & castella rebellantium evertit. Unde factum est, quòd venire Romam hoc anno non potuit.

MCXI.

Rex Romã ingreditur.

Anno Brunonis Abbatis VII. Heinricus Rex dispositis in Longobardia prosperè negotijs Romam proficiscitur, & à Beatis. Papa Paschali cum summo honore, applaudentibus cunctis, ad urbem introductus est. Alterâ mox die relictis Privilegijs, quæ Papa per suos nuncios adhuc in Longobardia existenti Heinrico Regi priùs miserat, de recipiendo videlicet ab Ecclesijs imperij Ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, Monetas, Telonia, cæterarúmque regalium, quæ possident summam, magnus fuit subortus contra Papam tumultus Principum, propter Ecclesiarum spoliationem, quæ permissione Pontificis fuerat in foribus, de qua non solùm gravarentur Episcopi, sed ipsi quóque suis beneficijs, quæ tenebant ab Ecclesijs, privarentur. Sic etenim convenerant inter se Papa, & Rex, ut Romana Ecclesia liberè haberet investituras Episcoporum, & imperium reciperet ab Ecclesijs omnia, quæ cõmemoravimus. Cui pollicitationi Papæ Rex dedit consensum, ita tamen, quòd hæc transmutatio firmâ, & authenticâ ratione, concilio quóque totius Ecclesiæ, ac Principum stabiliretur assensu, quod fieri posse vix, aut nullo modo credebatur.

Concessio Papæ cassatur ab Episcopis.

Hâc igitur conventione, sicut diximus, auditâ Germani Præsules, Duces, & Comites, quorum multitudo aderat non parva, unanimi voluntate contradixerunt, parati suarum privilegia Ecclesiarum defendere usque ad mortem. Unde consilio inter se habito, Romanum Pontificem ne diffugiens novissima faceret deteriora prioribus, apud se custodiæ mancipârunt honestæ, usque ad pacificationem Ecclesiæ, & imperialem Regis benedictionem, quæ paulopòst subsequebantur. Romani audientes Papam in manibus detineri Heinrici Regis totâ nocte congregati, summo manè impetum fecerunt in exercitum Regis, adeò ut commissâ aliquamdiu pugnâ Regem per se ipsum necesse fuerit exercitui succurrere, qui & impigrè fecit, & usque ad inclinatam jam diem fortissimi militis, & optimi Ducis opus perficiens suis pro muro fuit. Audiens autem Fridericus Colonienſis Archiepiscopus Regem in periculo versari, mox cum valida manu occurrit, & Romanos magnâ cæde affectos in fugam convertit, & Regem cum suis fatigatum potenter liberavit. Post triduum, Rex cum suis Româ digrediens Pontif. Paschalem, & Cardinales, Episcopósque omnes secum abduxit, & eo, quo potuit, honore tractavit, donec rebus in circuitu compositis per regiones, pacatísque omnibus adversarijs Pascha non longè ab urbe in castris celebravit. Erat autem Dominica Quadragesimæ prima, quando Romani tumultum in regium suscitaverunt exercitum. Tandem post octavas Paschæ sedatis, quæ fuerant inter Ecclesiam, & imperium utrúmque, dissensionibus, Rex cum suis urbem denuò ingreditur, & à summo Pontifice in Basilica S. Petri cum summo honore, omniúmque tripudio imperiali diademate coronatur, dato sibi in præsenti per manum ipsius Romani Pontificis Paschalis secundi sub testimonio astantis Ecclesiæ privilegio investituræ Ecclesiasticæ,

Heinricus Rex V. fit Imper. IV.

siasticæ, juxta quod utriúsque Prædecessoribus placuerat, & permanere consueverat. Cujus privilegij inconvulsibilem stabilitatem idem Papa mox sub anathematis banno coram omnibus publicè confirmavit. Sed post reditum Imperatoris in Germaniam Papa Romæ celebrato Episcoporum centum viginti quinque concilio privilegium investituræ Ecclesiasticæ Heinrico datum revocavit, & ipsum sibíque adhærentes excommunicavit, asserens se vi metûs ad illicita fuisse compulsum. Habebat in hac sua expeditione Rex Heinricus plusquàm 30000. millia pugnatorum. Coronatus verò Imperator tam Cardinalibus, & Episcopis Romanis, quàm summo Pontifici dona tot, tanta & talia dedit ut absentibus, qui non viderunt, penitus esset incredibile. Quibus factis, cum suis sanus, & incolumis ad Germanos redijt.

Corp. Henrici Regis IV. sepelitur Spiræ.

Anno Brunonis prænotato Imperator Heinricus de Italia in Germaniam reversus in mense Augusto, quàm plurimos Episcopos, Abbates, Duces, Comites, & nobiles ad civitatem Spirensem convocavit, quorum consensu, & cooperatione patris sui (cujus absolutionem impetraverat) anniversarium permagnificè celebravit. Nam toto quinquennio cadaver insepultum in sarcophago, sicut dictum est suprà, jacuerat in quadam Capella S. Afræ deserta: filio autem Romæ coram Papa existente, testificantibúsque, qui morti patris interfuerant, Episcopis pœnitentiæ illius veritatem, vinculum excommunicationis relaxans, ut sepulturam reciperet Ecclesiasticam, Præsul Apostolicus consensit. Corpore itaque Heinrici senioris in Ecclesia Spirensi juxta patrem, avúmque tandem sepulto, Heinricus V. Imperator novus privilegium singulare dedit Spirensibus, quod litteris aureis in fronte valvarum introitûs majoris Ecclesiæ, in modum arcûs fecit conscribi, cum interpositione imaginis regalis, cujus tenorem his placuit inserere:

Privilegiũ Heinrici civibus datum aureis scriptum litteris.

Omnibus Christi, nostríque fidelibus, tam præsentibus, quàm futuris notum fieri volumus, qualiter Nos pro remedio animæ chari patris nostri felicis memoriæ Heinrici Imperatoris, consilio, ac petitione Principum nostrorum, Friderici videlicet Colonienſis Archiepiscopi, Brunonis Trevirensis Archiepiscopi, Chunonis Strasburgensis Episcopi, Burchardi Monasterienſis Episcopi, Hermanni Augustensis Episcopi, Friderici Ducis, Comitum quoque Gotfridi de Calvva, Friderici de Zolra, Hartmanni de Thielingen, Berengarij de Sulzbach, Gebhardi de Galria, Heinrici, Dutonis, Stephani, Gerungi & VValtheri in ipsa die sepulturæ ejus, omnes, qui in civitate Spirensi modò habitant, vel deinceps habitare voluerint, undecúmque venerint, vel cujuscúmque conditionis fuerint, à lege nequissima, & nefanda, videlicet parte illâ, quæ vulgò Buteil vocabatur, per quam tota civitas ob nimiam paupertatem annihilabatur, ipsos, eorúmque hæredes excussimus. Ne verò aliqua persona major, vel minor, non Advocatus, non naturalis illorum Dominus, illis morientibus de eorum suppellectili quidquam aufferre præsumat, interdicimus; & ut omnes liberam potestatem habeant suis hæredibus relinquere bona sua, vel pro animabus suis dandi, vel cuicúmque personæ dare voluerint, ipso Episcopo Spirensi Brunone in pulpito astante, & consentiente concessimus, & confirmamus, eâ tamen interpositâ conditione, ut in Anniversario patris nostri solemniter ad Vigilias, & ad Missam animarum omnes conveniant, & candelas in manibus teneant, & de singulis domibus panem unum pro eleemosyna dare pauperibus, & erogare studeant. Ut autem hæc nostra concessio, & confirmatio rata, & inconvulsa

vulsa omni ævo permaneat, & ne aliquis Imperator, aut Rex, vel Episcopus, aut Comes, vel aliqua potestas major, vel minor infringere audeat, in perpetuam specialis previlegij nostri memoriam, hoc insigne stabili ex materia, ut maneat, compositum litteris aureis, ut decet, expolitum nostræ imaginis interpositione, ut vigeat, corroboratum in ipsius templi fronte, ut pateat, annitente nostrorum opera Civium constat expositum, singularem erga ipsos continens nostræ dilectionis affectum. Datum 19. Calend. Septembr. Anno Dominicæ Incarnationis M.C.XI. regnante Heinrico V. Rege Romanorum, anno VI. imperante I. Actum est Spiræ in Christo feliciter sub Brunone venerabili Episcopo Ecclesiæ præsidente. *Quoniam supernæ pietatis adminiculante gratiâ locum ob insignem Patrum nostrorum memoriam, & fidem civium erga nos semper constantissimam præ cæteris sublimare proponimus, jura ipsius imperiali auctoritate nostrorum Principum consilio corroborare decrevimus. Liberos ab omni telonio, quod hactenus in civitate dari solebat, Cives nostros statuimus. Numos, quos vulgò Banpfenning, cum illis, quos appellaverunt Schuzpfenning; piper quóque, quod de navibus exactum est, eis remittimus. Volumus etiam, ut nullus civium nostrorum extra urbis ambitum advocati sui placitum cogatur requirere. Nullus Præfectus, aut alicujus Domini nuncius suo serviturus Domino à paneficis, vel à macellarijs, seu aliquo genere hominum in civitate suppellectilem aliquam præsumat illis invitis accipere. Nullus Præfectus vinum, quod appellatur Banvvin, præsumat vendere, aut alicujus civis navim ad opus sui Domini illo invito accipere. Volumus etiam ut nihil exigatur ab his, qui res proprias proprijs seu conductis navibus transvehunt. Monetam quoq; nulla potestas in levius, aut deterius minuat aliqua ratione, nisi communi civium consilio permutet. Nullus ab eis telonium in toto Episcopatu, aut in locis fiscalibus, ideſt ad utilitatem Imperatoris pertinentibus extorqueat. Si quis curtem, aut domum per annum, & diem sine contradictione possederit, nulli hoc scienti ultra inde respondeat. Causam in civitate jam inceptam, non Episcopus, aut alia potestas extra civitatem determinari compellat.* Huc usque privilegium Heinrici Imperatoris v. civibus urbis Spirensis datum, & aureis litteris, ut diximus, supra valvam introitûs majoris Ecclesiæ occidentalem exaratum, quod Fridericus primus, & plures alij postea confirmârunt.

Eodem anno Heinricus Imperator patre suo Spiræ sepulto, descendit ad Moguntiam, & ibi super negotijs regni cum Principibus consilij sui mysterium tractavit.

Adelbertus Archiepisc. investitur.

Eodem quóque tempore Adelbertum Cancellarium suum, quem ante biennium, ut supra diximus, Moguntinæ Sedis Archiepiscopum destinaverat, ad eandem cathedram baculo, & annulo, ut erat moris investivit.

Hoc etiam tempore Conradus Dux Carinthiæ, qui & de Zæringen, vir dives, & potens Friburgum Brisaugiæ oppidum fundare cœpit, & brevi tempore magnifico opere consummavit.

MCXII.

Anno Brunonis Abbatis VII. Heinricus Imperator Sigfridum Palatinum comitem diutinâ custodiâ maceratum interventu Principum emisit, & ad gratiam recepit, reconciliatúmque benignissimè tractare cœpit, usque adeò, ut filium ejus de baptismate susciperet injuriarum oblitus.

Eo tem-

Eò tempore Dñs Papa multas à Romana Ecclesia contumelias, & injurias passus est, objicientibus ei Cardinalibus, Episcopis & Clericis dictæ Sedis, quòd contra instituta totius Ecclesiasticæ disciplinæ Regem Heinricum reipubl. tyrannicum vastatorem, & Ecclesiarum destructorem benedictione imperiali sublimâsset, insuper privilegio sacrilego donâsset, nullam ei pacem dimittentes, ad convocandum generale concilium, in quo omnia perperam facta, & concessa revocarentur, compulerunt.

Concilium Romæ celebratur.

Anno igitur prænotato Paschalis Papa II. Clericorum suorum importunitate compulsus, Romæ apud S. Joannem Lateran. in medio mensis Martij Concilium centum & viginti quinque Episcoporum celebravit, in quo Episcopi omnes, qui fuerant præsentes uno ore, unâque sententiâ Privilegium illud, quod Papa compulsus Imperatori tradiderat super investitura Episcoporum, in hæc verba condemnâverunt. *Privilegium illud, quod non est privilegium, sed verè debet dici pravilegium pro liberatione captivorum Ecclesiæ à Domino Paschali Papa per violentiam Heinrici Regis extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio congregati canonicâ censurâ, & auctoritate Ecclesiasticâ, judicio S. Spiritûs damnamus, & irritum esse judicamus, & omnino, ne quid auctoritatis, & efficacitatis habeat penitus excommunicamus.* Et hoc ideo damnatum est, quia in eo Privilegio continetur, quòd electus canonicè à nemine consecretur, nisi prius à Rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum, & omnem canonicam institutionem. Perlectâ chartâ per Organum Gerhardi Episc. Engolismensis legati in Aquitania, omnes adclamabant: *Amen Amen Amen*, Archiepiscopi, Episcopi, & Cardinales omnes & more subscripserunt.

Saxoniæ Principes contra Imperatorem conspirant.

Moritur his temporibus quidam de Saxoniæ Principibus nomine Udalricus, Ludovici comitis dudum gener, sed tunc propter ejusdem filiæ repudium invisus, & hostis. Cujus possessiones prædictus Sigefridus comes Palatinus hæreditariâ sibi vendicabat successione. Sed Imperator easdem in jus regni conabatur attrahere: quæ causa recidivæ discordiæ seminarium cœpit ministrare. Nam idem comes Palatinus priores miserias suas sequentibus exaggerans totam penè Saxoniam, suam videlicet patriam, tantis implevit querimonijs, ut Ducem Lotharium, Rudolfum quóque Marchionem, Fridericum comitem Palatinum, Wigbertum comitem, & Ludovicum comitem, aliósque nonnullos ab obsequio Imperatoris retraheret. Sed & Episcopus Halberstattensis, nec non & Gertrudis illa præpotens per Saxoniam Heinrici comitis de Northeim fundatoris Monasterij Bursfeldensis vidua, se pati violentiam Imperatoris in direptione bonorum simili querimonia clamitabant. Hæc & his similia scandalorum seminaria fuerunt, quæ regnum post diuturnos inquietudinum motus aliquantulum tunc pacatum, rursus novis, & pernicioſis seditionum fluctibus turbârunt.

Rotenburg terræ motu corruit.

Anno quóque prænotato Rotenburg juxta Necari fluminis ripas in Suevia oppidum terræ motu concussum funditus, & in toto cecidit convulsum penitus, & destructum; sed non diu postea per incolas, qui ad nemora confugerant, instauratum est.

MCXIII.

Anno Brunonis Abbatis VIII. Indict. Rom VI. Imperator Heinricus in principio anni, postquàm Natale Domini præcedentis anni apud Erfurdiam

pfurdiam celebraverat, ubi Saxonum Principes se notaverat subtraxisse, irâ commotus bona eorum diripi, possessiones incendijs devastari, & terras eorum spoliari præcepit. Nec multò post castellum satis munitum nomine Hornburg, longâ obsidione oppugnatum tandem cœpit, ac funditùs evertit. Deinde relictis per præsidia fidelibus suis, contemptores suos insidijs, ac congressibus nimiùm afflixit: nam manibus tandem consertis multi ex parte Saxonum ceciderunt. Sigefridus etenim sæpe dictus comes in ipso prælio graviter sauciatus occubuit, vir genere, potentiâ, & probitate nobilissimus. Vigbertus Marchio capitur, & Imperatori captus præsentatur. Comes verò Ludovicus venire in deditionem Imperatoris Heinrici compellitur. His peractis in Saxonia per Imperatorem, ad paucos menses terra quievit.

Sigefridus comes Palatinus occiditur.

Post Hæc quidam Reginoldus Provinciæ Burgundiæ Imperatoris, ut dicebatur, consanguineus, insolentiâ juvenili concitatus tyrannidem exercere in rempubl. cœpit. Qui tamen superveniente sibi cum manu valida Heinrico Imperatore, munitionem in qua maximè confidebat, Monzun apellatam, ipse captus amisit, & custodiæ traditur.

Anno prænotato Gertrudis comitissa de Northeim relicta Heinrici comitis, qui Bursfeldiam, ut supra diximus, fundavit, vidua, mulier dives, potens, & Christo devotissima corpus S. Auctoris à Brunone Trevirorum Archiepiscopo suis precibus impetravit. Quod cum honore maximo transferens in Saxoniam extra muros oppidi Brunschvvicensis in eo loco reposuit, ubi postea Monasterium S. Ægidij constructum fuit. Cùm enim pervenissent memorata Christo devota mulier cum sacris reliquijs in prædictum locum, repentè immobiliter fixæ hæserunt, ita ut nullâ arte, vel ingenio deportari ulteriùs ab aliquo potuissent. Comitissa igitur stupefacta miraculo, & accepto prudentium virorum consilio, Cœnobium Ordinis nostri permagnificum in eodem loco, adjuvante Lothario Duce postea Imperatore, qui filiam ejus habuit uxorem, construxit, in quo Monachos sub Regula D. P. Benedicti militantes, & Abbatem collocans, multa eis bona pro sustentatione hujus vitæ assignavit: Ecclesiámque sub honore S. Ægidij consecrari fecit, & corpus S. Auctoris in eadem collocari.

Corpus S. Auctoris à Trevviri in Saxoniâ transfertur.

Anno etiam prænotato quintâ die mensis Martij obijt Burchardus Abbas Monasterij S. Jacobi propè Moguntiam vir prudens, & religiosissimus successor Erckenbaldi Abbatis, quondam Monachi hujus Cœnobij Hirsaugiensis, & apud S. Jacobum in medio Ecclesiæ sepelitur, anno sexto posteaquâ Monasterium D. Præsulis Disibodi à Ruthardo Archiepiscopo instauratum, & unàcum suo proprio Cœnobio gubernandum susceperat, ut suprà dictum est. Quo mortuo Abbas in Monasterio S. Disibodi constitutus est Monachus quidam valdè venerabilis, nomine Adelhunus, & præfuit annis xv. vir prudens, & in omni scientia scripturarum satis admodùm eruditus. Et hic primus Abbas fuit post restauratorem præfati Monasterij, quem antea plures à prima fundatione præcesserunt, quorum & nomina, & gesta in oblivionem devenerunt.

Adelhunus fit Abbas S. Disibodi.

Anno quóque prænotato S. Bernardus, postea Clarevallensis Abbas, ut suo loco dicetur, annos natus circiter duos & viginti cum triginta socijs Monasterium Cistercience Domino vocante ingressus est sub Ste-

S. Bern. fit Monachus.

phano

phano Abbate, qui Alberico in regimine succeſſerat. Qui beatiſſimus vir quantum poſtmodùm in omni ſanctitate, & doctrina profecerit, quantáque bona non ſolùm in ordine ſuo, ſed pro univerſali nihilominus Eccleſia fecerit, laboréſque pertulerit, nemo eſt vel mediocriter hiſtoriarum peritus Eccleſiaſticarum, qui ignoret. Factus autem poſtea primus Abbas in Claravalle, totum mundum ſuâ eruditione, ſcriptis, prædicatione, ſanctitate, & miraculis convertens in ſtuporem, ardore S. Spiritûs accenſus mirificè illuſtravit. Nam ſignis, & miraculis pænè infinitis coruſcavit, in tantum quòd me non memini ſancti alicujus actiones, & geſta pervidiſſe, qui tot, & tanta fecerit miracula in præſenti vita, quot, & quanta Bernardus Abbas beatiſſimus in carne vivens, Domino cooperante perpetravit. Deniq́ue Ordinis ſui Monaſteria centum & quadraginta numero in diverſis mundi provincijs ſuo inſtinctu, cohortatione, & laboribus, licet aliorum fidelium plerúmque bonis, & impenſis legitur conſtruxiſſe.

Tituli operũ S. Bern. Abb.

Librorum verò, quos ad multarum lucubrationum compoſuit numerum, iſta ſunt nomina. De conſideratione ad Eugenium Papam ſcripſit libros quinque. Meditationum librum unum. De contemptu mundi lib. 1. De Gradibus humilitatis lib. 1. De Gratia & libero arbitrio lib. 1. Ad milites templi lib. 1. Speculum vitæ religioſæ lib. 1. De Scala clauſtralium lib. 1. Ad Carthuſienſes lib. 1. De Domo conſcientiæ lib. 1. Formulam honeſtæ vitæ lib. 1. De Præcepto, & Diſpenſatione lib. 1. De miſeria hujus vitæ lib. 1. De Tentationibus, & Otio lib. 1. De Voluntate lib. 1. Apologeticum ad Cluniacenſes lib. 1. Super Evangelium Miſſus eſt Angelus lib. 1. Super Magnificat lib. 1. Super Pſalmum: Qui habitat lib. 1. De Diligendo DEUM, lib. 1. In Cantica Canticorum homilias octoginta ſex. Vitam S. Mathiæ Archiepiſcopi, lib. 1. De Ordine, vitæ & morum inſtitutione, lib. 1. Super Evangelium: Ecce nos reliquimus omnia, librum 1. Ad Clericos Sermones triginta unum, libr. 1. Sermones de tempore, & de SS. Sermones quóque de diverſis, & utilibus materijs, Sermones alios breviores multos. Epiſtolarum complurium ad diverſos lib. 1. Alia inſuper edidit minora quædam opuſcula: quorum lectio cunctis DEUM timentibus utilis judicatur.

Alphonſus ex Judæo Chriſtiano

Claruit his quóque temporibus Alphonſus quidam ex Judæo converſus ad fidem Chriſtianam homo competentis litteraturæ, Moyſes antea vocatus: qui poſt converſionem ad Eccleſiam Chriſti in argumentum perfectæ credulitatis ſcripſit valde pulchrum, & inſtructum volumen contra errores Judæorum. De Philoſophia, & ſcientia librum quoque 1. Reliqua ejus Synthemata in manus meas non venerunt.

Tituli operum hujus Monachi.

Sigebertus etiam Monachus noſtri Ordinis Cœnobij Gemblacenſ. quod ſitum eſt in diœceſi Leodienſi, hæc tempora ſcribendo, & docendo reddidit clariora. Qui cum vir eſſet in omni genere ſcripturarum doctiſſimus, metro exercitatus, & proſâ, rutilantis ingenij ſui non ſpernendæ lectionis conſcripſit opuſcula, è quibus ipſe commemorat in libello ſuo illuſtrium virorum, & ordine ſubjecta. Et inprimis quidem Metis in Monaſterij S. Vincentij conſtitutus loco, ſcripſit heroico metro vitam S. Theodorici Epiſcopi, librum unum. Paſſionem quóque, & tranſlationem S. Luciæ ſub ejuſdem genere metri, libros duos. Vitam, & geſta

Sigeberti Regis lib. 1. Passionem quóque Thebæorum MM. versu heroico lib. 1. Vitam S. Gvviberti fundatoris memorati Cœnobij Gemblacensis lib. 1. Chronicon & gesta Abbatum ejusdem Monasterij sui composuit, quod opus usq; ad annum Dom. Nativit. MCXL. perduxit. Scripsit etiam vitam S. Maclovij lib. 1. Vitam quóque S. Theodardi lib. 1. Opus metricum in Ecclesiasten lib 1. De illust. viris lib. 1. De computo Ecclesiastico lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Apologeticum ad Heinricum Imperatorem. Contra decretum Gregorij VII. Papæ, Sacerdotum concubinariorum Missas audiri prohibentis ad quorundam instantiam scripsit librum unum; Item contra Epistolã Paschalis Papæ II. Scripsit similiter librum unum, ex quo convincitur sensisse cum Imperatoribus Heinrico videlicet quarto, & quinto ab Ecclesia Romana excommunicatis, quod volens fecerit, an coactus judicare non possumus; hoc tamen unum lectione veterum cognovimus, tam Leodienses, quàm Metenses, quæ duæ civitates in Lotharingia sunt principaliores, contra decretum Romanorum Pontificum præfatis Imperatoribus adhæsisse omni tempore, quo vixerunt in humanis; unde prout assequi conjecturâ possumus, errores Patriæ secutus est, qui apud exteros forsitan melius sentire potuisset. Hic autem Sigebertus natione Lotharingus primo in suo Cœnobio Gemblacensi, ac deinde apud S. Vincentium Metensem, & postremò iterum in Gemblaco usque ad vitæ exitum Magister extitit scholarum, & multos habuit discipulos, quos in omni doctrina scripturarum erudivit.

Metens. & Leodienses Imperator. contra Papam adhæserunt.

MCXIV.

Anno Brunonis Abbatis nono Indict. Romanorum VII. consummatum fuit Monasterium Oi dinis nostri haud procul à Ratisbona in Bavaria Pruueningen dictum, quod S. Otto Episcopus Bambergensis à fundamentis novum tali occasione construxit. Cum Heinricus Rex V. apud Ratisbonam Conventum Principum adunâsset suo more solennem, adfuit inter alios memoratus Præsul S. Otto, qui propter multitudinem eorum, qui convenerant, manere in civitate Ratisbonensi cõmodè non potuit, vel certè quietis amore noluit, & ideo manendi locum extra urbem in campo, ubi nunc est Monasterium, elegit; inter duas ergo arbores nucum Domino suo tentorium famuli statuerunt, de quibus nimirum arboribus etiam longè antequam id eveniret, quod nunc dicimus, tinnitus & quasi campanarum strepitus auditus est, multoties à pleríque sonuisse, quem in vicino commorantes non sine stupore frequentius audierunt.

Visio S Ottonis Episc. Bamberg.

Quo in loco cum S. Præsul nocte quâdam membra dedisset sopori, talem in somnis visionem Domino revelante divinitus accepit. Videbat, & ecce scala stabat à lectuli sui capite sursum erecta, cujus summitas cœlos tangebat, descendentes, ascendentésque Angelos amicâ vicissitudine, qui gloriam Deo canebant in excelsis. Qui de somno evigilans & jussa prudenter intelligens locum omnem, in quo tentoria sua fixerat, cum adjacente campi latitudine pretio comparans Monasterium aedificare cœpit: quod in paucis annis feliciter perfecit.

Cosummato itáque Monasterio vir sanctus conversationem Monachorum religiosam Hirsaugiensium multorum relatione habens notissimam Nuntios ad Abbatem Brunonem solennes dirigit, & ut sibi Abbatem

batem, & Monachos mitteret pro inhabitando suo novo Monasterio, humili supplicatione postulavit. Abbas igitur Bruno communicato Seniorum consilio virum sanctum, & moribus integerrimum nomine Ermenoldum Abbatem primum præfati Monasterij Pruueningensis eligendo constituit: cui Monachos bonæ conversationis, & in observantia regularis disciplinæ optimè institutos consocians ad divum Ottonem Episcopum cum benedictione in Bavariam misit.

S. Ermenoldo fit 1. Abbas in Prueningē.

Anno igitur prænotato Dominicæ Nativit. MCXIV. S. Ermenoldus ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis electione fratrum seniorum, & sui Pastoris factus est primus Monasterij S. Georgij Abbas in Prueningen prope Ratisbonam, & præfuit annis septem, vir sanctissimæ conversationis, Romanæ Ecclesiæ defensor constantissimus: cujus vitam, & sanctimoniam ad honorem hujus præclari Monasterij Hirsaugiensis (cujus fuit Monachus, sicut diximus) libet altiùs repetere, & sub brevi compendio ad notitiam posteritatis utcunque poterimus declarare.

Vita S. Ermenoldi Abbatis.

Sanctus igitur Ermenoldus natione Teutonicus, patriâ Suevus, parentibus quidem secundùm sæculi æstimationem claris exortus, qui piæ considerationis intuitu pignus hoc à Deo consecuti, litteris imbuendum Præceptoribus tradiderunt; Deo procul dubio disponente consilium, quo via daretur Ermenoldo ad capessendum cum tempore divini amoris profectum: nemo enim repentè fit summus, sed paulatim cum ætate carnis crescit intelligentia mentis. Ermenoldus ergo puer ingeniosus, & docilis, quotidie in melius proficere studuit, & brevi tempore satis doctus evasit.

Considerans tandem mundi honores esse breves, atque fallaces, omne desiderium suum ad Deum contulit, venienscque in Spiritu fervoris, & humilitatis ad Hirsaugiam, sub Divo Patre Wilhelmo Abbate Monasticum habitum suscepit: qui mox ut regularis disciplinæ jugo colla subjecit, in alium virum mutatus est, & patris sui spiritualis B. Wilhelmi vitæ modum, ac formam ita moribus suis impressit, ita perfectionis illius studuit imitari vestigia, ut virtus discipuli exemplar fieret cunctis operum Magistri.

Ermenold. fit Abbas imperialis Monasterij Lauriss.

Talibus igitur institutis monasticæ tranquillitatis omnipotenti Deo sub Regula S. P. N. Benedicti multis annis deserviens B. Ermenoldus pro vitæ merito factus est in oculis omnium venerabilis, clarissimi famâ nominis per totam Alemanniam gloriosus. Contigit autem post annos plurimos Abbatiam imperialem S. Nazarij Martyris Laurissensem, quæ paucis à Wormatia distat milliaribus Abbate destitui, & Ermenoldum sanctissimum virum ad illam propter vitæ meritum tam electione fratrum communi, quàm Heinrici Regis v. consensu solenniter vocari; qui onus regiminis sibi oblatum humiliter cupiens subterfugere, quantâ potuit instantiâ suam insufficientiam studuit allegare; sed Abbatis sui Hirsaugiani Brunonis imperio victus curam suscepit oblatam, malens quietem interrumpere quàm obedientiam.

Ordinatus itáq; Abbas quantâ potuit sollicitudine studuit officium majoris, quod susceperat, factis adimplere salutiferis, quatenus etiam in semetipso divini amoris vacans exercitijs firmus, & stabilis potuisset consistere, & discipulis non minus exemplo, quàm verbo se utilem, & fructuosum

ctuosum exhibere. Unde quidquid boni persuadere subditis potuit, prius opere, quàm sermone tentavit: nunquam de suscepta dignitate intumuit, nunquâ singularibus neque in potu, neq; in cibo, neque in vestitu usus fuit. Et licet magnus Princeps haberetur imperij, nil tamen se unquàm exhibuit aliter, quàm simplicis requirit humilitas Monachi. Nam ut noverit posteritas omnis, quantæ fuerit eâ tempestate dignitatis quilibet Abbas memorati Cœnobij Lauriſſensis, paululum oportet extra seriem cœptæ narrationis egrediamur. Inter Monasteria Ordinis S. P. B. Benedicti prisis illis temporibus in regno Teutonicorum constituta, quædam verò ab his dignitatibus aliena; hoc est, neque imperij, neque regni Teutonicorum privilegijs, vel titulis insignita, quamvis plura ex infimis ab Ordinariorum jurisdictione viderentur exempta. Imperiales Abbatiæ sunt quatuor, quemadmodum & imperij Duces privilegiati quatuor, Marchiones quatuor, Comites quatuor, Milites quatuor, Civitates quator, Villæ quatuor, & rusticana Communia quatuor. Nomina verò Monasteriorum Imperialiũ quatuor ista sunt. Primum est Fulda, quod sanctus Bonifacius Archiepiscopus & Martyr Moguntinus, impensis Pipini Regis construxit, in Buchonia silva Herbipolensis diœcesis exemptum. Secundum est Hirsfeldia, quod S. Lullus Archiepiscopus Successor Div. Martyris Bonifacij construxit in finibus Hassiæ diœcesis Moguntinæ, sed exemptum, & distat à præfato Cœnobio Fuldensi fermè sex milliaribus. Tertium est Albiburgium, vulgariter dictum Wissenburg, cujus fundationem Dagoberto Magno Regi francorum adscribunt: & in signum veritatis litteras ejus aureo sigillo confirmatas ostendunt, in diœcesi Spirensi exemptum. Quartum fuit Monasterium supradictum D. Nazarij Martyris Lauriſſense, vulgariter Lorcsh nuncupatum, quod olim comes quidam Rheni construxit, nomine Canker, temporibus fermè Pipini Regis Francorum in diœcesi Moguntina exemptum, in quo nunc habitant Præmonstratenses, cujus Principatum, castra, oppida, vasallos, & imperialia jura Fridericus Imperator secundus Archiepiscopo contulit Moguntino, quemadmodùm inferiùs anno Crenesti Abbatis primo dicemus. Horum quatuor Monasteriorum Abbates quondã Principes regni Francorum in magno apud Imperatores habebantur honore: & quoties celebrabatur publicus Principum imperij conventus: quoties Imperator processit ad bellum, aut quoties Rex coronandus Romam pergebat: hi quatuor Abbates in propria persona, sicut & alij Principes, & Episcopi adesse tenebantur, & sequi cum suis militibus. In conventibus publicis Principum Imperatore cum Majestate in solio regni sedente, hi quatuor Abbates ad pedes illius proximi residebant, referendariorum custodientes officium. Capellis quoque præerant imperialibus, & sacrorum Principes dicebantur. Eo verò tempore, quo unus Monarcha & Gallis, & Francis præfuit, Abbatiæ fuerunt etiam apud illos imperiales, sancti videlicet Medardi Suessionensis; S. Vedasti Atrebatensis; S. Dionysij Parisiensis, & S. Richarij. Et quoties Imperator Curiam tenebat in Gallia, etiam Gallicani Abbates præfatis publicis præerant officijs, si apud Germanos ministerio Cæsar utebatur Romanorum.

Abbatiæ aliæ Imperiales, aliæ Regales.

Quatuor adhuc sunt Imperiales Abbatiæ.

Quæ sint Ord. nostri Monasteria regalia.

Regalia verò Cœnobia fuerunt, non quæcunque Regum fundatione constructa, sed illa duntaxat, quæ jura feudalia, sive regalia tenebant

bant ab imperio Romanorum ; & ad communia regni fuerunt obligata per vices obsequia : ex his, quorum occurrit memoria, fuerunt ista magis principalia, atque famosiora. Monasterium Prumiense Trevirensis diœcesis. Monasterium Stabulense Leodiensis diœcesis. Monasterium S. Galli Constantiensis diœcesis. Monasterium S. Maximi prope Trevirim. Monasterium S. Albani Moguntiense. Monasterium Campidonense Constantiensis diœcesis, & Monasterium Corbejense in Saxonia Padelbornensis diœcesis cum plerisque alijs, quorum recensere nomina singilatim tædiosum est, & inutile judicamus. Sed consumit omnia tempus edax, & honorem, quem olim sanctæ Religionis integritas Monasterijs contulit, neglecta rursum observantia dissipavit : nam usque adeò Monasteria imperialia suis hodie destituta sunt privilegijs, & libertatibus antiquis, ut quæ cunctis olim fuerunt notoria, his diebus nostris nulli penè remanserint manifesta. Verùm ne digrediamur longiùs, ad se nos historia vocat.

Monasteriorum privilegia abolita.

Beatus igitur Ermenoldus imperialis Abbatiæ Princeps ordinatus, pristinæ dignitatis nihil iminuit, sed qualis Monachus fuerat, talis & Abbas omni tempore parvus & humilis permansit. Fratrē habebat Heinrico Regi v. militantem, sicut sanguine nobilem, ita & divitijs locupletem. Ad quem Imperator die quâdam conversus, atque subridens animo forsitan jocandi sic dixit : *Fratrem tuum imperiali præfecimus Abbatiæ, facientes sibi nomen grande, juxta nomen Magnorum, qui celebrantur in terra : tu verò quid Nobis in memoriam tanti beneficij facturus es ?* At ille : *vera sunt*, inquit, *omnia, quæ sacra Majestas vestra loquitur, quibus etsi condignas gratiarum actiones referre nequeo : ne tamen penitus videar ingratus, quantum mihi fuerit possibile, semper memor ero.* Nec diu postea idem Germanus viri Dei volens se gratum Imperatori pro viribus ostendere, satis pretiosis illum donis, atq; muneribus ignorante suo fratre studuit honorare. Quæ res mox ut ad ejus notitiam pervenit, factum Germani graviter abhorruit, quasi Abbatiam comparâsset muneribus, spontaneâ eam voluntate resignavit. Relicto itáque Monasterio Laurissensi ad Hirsaugiam revertitur, sequentibus eum discipulis non minus quadraginta, quos apud Lauriſſam sub unius anni spatio, quo inibi præfuit, Domino collegerat, qui nullâ ab eo poterant ratione separari. Reversus autem cum suis ad Hirsaugiam à Brunone venerabili Abbate, & universa Congregatione summo cum honore susciputur, & unácum his, quos adduxerat, Monasterio incorporatur.

S. Ermenoldus Abbatiam suā sponte resignavit.

Non diu pòst consummato per S. Ottonem Episcopum Bambergensem Monasterio S. Georgij Martyris in Pruueningen, sicut est dictum anno prænotato, Sanctus ad Sanctum ex Hirsaugiana Congregatione dirigitur : Ermenoldus Ottoni conceditur, & Abbas Episcopo commendatur. Veniens itáque ad Pruueningen beatus Ermenoldus primus ejus loci Abbas instituitur : & quia videbatur senio aliquantulum gravari, annis duntaxat septem inibi præfuisse invenitur. Qui sciens se speculatorem in domo Domini constitutum curam super gregem sibi commissum semper diligentissimam habuit, & viam salutis verbo, & exemplo suis discipulis omni tempore ostendit. In jejunijs, & orationibus semper erat vigilantissimus, & in prædicando Verbum Dei semper singulari devotione studiosus.

Ermenlod. fit primus Abbas in Pruueningen.

Quâdam

Quâdam vice Heinricus Rex v. qui fuit ejus nominis Imperator iv. Ratisbonæ existens cum S. Præsule Ottone animi recreandi gratiâ paululum digressus, ibat novum videre, quod Episcopus construxerat, Prumeningense Monasterium, habens in comitatu suo Principes, ac nobiles quàm plurimos. Nuntius ad virum Dei Ermenoldum præmittitur, advent' Cæsaris, simul & sancti Fundatoris nuntiatur. Quod vir Dei audiens, & sciens Imperatorem eo tempore pro suis demeritis à Romano Pontifice excommunicatum, nec pulsari campanas permisit, nec, ut moris erat, cum solemni processione fratrum illi obviàm processit, sed omnia Monasterij ostia, & valvas obserari præcepit; ne Imperatori anathematizato ullus pateret ingressus; districtè prohibens, ne quis subditorum in occursum cujusquam procederet, nec verbum quantumcunque parvum alicui diceret. Ipse tamen extra Monasterium Cæsaris præstolabatur adventum, ne vel ex fastu, vel ex contemptu hæc agere putaretur. Venientem propiùs Cæsarem his verbis vir sanctus alloquitur: *libenter*, inquiens, *& officio salutandi satisfacerem, & congruum debitumq; honorem Cæsareæ Majestati exhiberem, si te communione Sedis Apostolicæ privatum nescirem.* Ad hæc Imperator commotus non zelo justitiæ, sed ex felle amaritudinis eum talia proferre existimans, & offensum propterea, quòd munera quondam ab ejus fratre accepisset, quorum indignatione Lauriscensem resignaverat Abbatiam, respondit: *Nimis inconsultè, & præcipitanter honore vos tanto Domine Abba privastis*; cujus suspicioni vir Dei obviare cupiens, simplici animo dixit: *Novit omnipotens Deus, qui nihil ignorat, non me hujus injuriæ (si tamen injuria dici queat) memorem, & ultorem, sed hæc facio intuitu justitiæ Dei solius, & pro reverentia Sedis Apostolicæ, cujus mandatis contraditere nulli licet.* Adhæc S. Otto fundator loci adstans, quasi mediator inter dissidentes: *neminem*, ait, *vitare tenemur, de cujus nobis excommunicatione non constat.* Quo contrà vir Domini Spiritu fortitudinis roboratus, nec gratiæ deferens fundatoris, nec terrori cedens Cæsareæ Majestatis, quin veritatem liberè testaretur, sic respondit: *Quomodo possum sententiam ignorare, quam ore meo memini promulgatam?* stupebant omnes Ermenoldi constantiam: quam aliqui in bonam, plures verò, ut fieri solet, in malam partem interpretati sunt. Discedunt, qui venerant omnes, & nec unus quidem ex eis Monasterium ingredi potuit.

S. Ermenoldus excom unicatum Cæsarem contempsit.

Imperator irascitur contra sanctum.

Cùm die quâdam vir sanctus foris ante januam Ecclesiæ staret, & fores essent clausæ, custode Monasterij stante cum illo, cujusdam necessitatis eventu Ecclesiam ipsam Dei servus intrare volebat: cumque custos propero cursu per dormitorium circujens Ecclesiam Abbati aperire properaret, invenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsus ante altare S. Crucis intentè orantem, in ipso videlicet loco, ubi nunc jacet sepultus, januis tamen Ecclesiæ non apertis; custodi autem insolitâ novitate stupefacto surgens ab oratione vir sanctus districtè præcepit, ne cui hoc factum revelare præsumeret, quamdiu in carne ipse viveret. Multa fecit, & alia in hac mortali peregrinatione miracula, quæ nos brevitatis causâ omittimus, ne lectori tædium afferamus: quæ si quis forte per singula desiderat, ejus vitam legat. Transiens tandem ex hoc mundo ad patrem, posteaquàm septẽ annis Monasterio præfuit in omni religione, & sanctitate, ante altare S. Crucis sepultus est, & multis deinceps miraculis claruit, quemadmodũ in 2.do gestorũ libro continetur.

Anno

Anno Brunonis prænotato Heinricus Imperator obsedit Coloniam sibi unà cum Archiepiscopo Friderico rebellem: quibus consentientes invenit plures, inter quos præcipui fuerunt, Godfridus, & Heinricus Duces Lotharingiæ, & Fridericus de Areburg cum universis comitibus in Westphalia. Verùm quia civitas Colonienſis ab omni parte nimis fortiter munita erat, nihil potuit perficere; sed cum indignatione recedens omnia quæ in circuitu fuerunt, vel ad Episcopum, vel ad cives pertinentia hostiliter cœpit devastare. Post hæc verò circa principium mensis Octobris ejusdem anni magnorum dans causam tumultuum iterum ad Colonienses cum exercitu revertitur, & omnes possessiones Friderici Archiepiscopi, quotquot attingere potuit, crudeliter nimis sæviens, devastansque occupavit. *MCXV.*

Imper. obsedit Coloniam.

Anno Brunonis Abbatis x. considerans Imperator jam manifestè à se Saxoniam deficere, contra eam armatus cum exercitu venit, & in odium Ducis Lotharij oppidum, quod Brunonis vicum appellant, obsidione vallavit. Contra quem idem Dux Lotharius animo se defendendi in campum processit, secum habens Fridericum Archiepiscopum Colonienſem, Fridericum quóque Westphaliæ comitem, & Heinricum fratrem ejus: Hermannum comitem de Cavelage, Heinricum Ducem de Lymburg, & Reinhardum Episcopum Halberstattenſem, & plerósque alios comites, & nobiles plures. Cumque per aliquot dies minis se duntaxat provocarent, ut fieri solet, fit utriúsque partis tandem congressus in loco Wulpeschott nuncupato die videlicet mens. Febr. XI. anno prænotato, quo die bis acriter pugnatum est, & tandem Imperator dorsa vertit: Saxones autem gloriosè triumphârunt. Ceciderunt in illa die multi ex parte Imperatoris, inter quos fuit Hogerus comes de Mansfeld vir fortis, & audaciſſimus, Imperatore vix evadente.

Huic bello interfuit, sicut diximus, imò ut dicebatur, præfuit Reinhardus Episcopus Halberstattenſis, qui dudum ab Imperatore non modicè fuerat injuriatus, qui nimirum suis magnam justitiæ consolationem prædicabat: cæsis autem de parte Imperatoris etiam sepulturæ Ecclesiasticæ interdixit communionem. His Imperator sinistris amaricatus casibus cum indignatione Saxoniam deseruit, & cum suis, qui remanserant, ad Rhenum redijt, ac Dominicæ Resurrectionis festum apud Moguntiam Francorum Metropolim celebravit.

Reinhardus Episcopus Dux belli fuit.

His temporibus Adelbertus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus mandato Imperatoris triennio tenebatur captivus, propterea quòd cum desertoribus Dñi sui conspirâsse convictus erat, de quo non iñerito mirabantur universi. Nam in tanta reverentia fuit apud Imperatorem, ut nihil supra: sine cujus consilio nihil facere consuevit. Imperator eum fecerat Episcopum, suumque habuit Cancellarium, & suorum conscium fecerat omnium arcanorũ. Et hic tali honore sublimatus contra Dñm suum conspirare potuit, cui & juratus erat, tantáque ab eo beneficiorum munera suscepit. Elapso tandem captivitatis illius triennio, liber abire permittitur. Interea Saxones Imperatoris reditum metuentes suas munitiones instruunt, cum vicinis nationibus amicitiam contrahunt, & quidquid ad sui defensionem conducere videbatur, ordinant, & disponunt. Ad hæc quendam Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum nomine Theodori-

Theodoricus Legatus Apostolicus venit in Saxoniam.

cum advenire contigit: qui Heinricum Imperatorem à summo Pontifice Romano propter usurpatas Episcoporum investituras excommunicatum publicè denuntiavit. Ad hunc Magdenburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & reliqui Saxonum Præsules convenientes reconciliationem ab eo recipiunt, & omnes in Cæsaris excommunicationem consentientes unanimiter Papæ obedientiam promittunt; sicque scisso regno undique res novæ oriuntur, & multiplicata sunt mala super terram Imperatore patris sui vestigijs pertinaciter inhærente.

Anno etiam prænotato Lotharius Dux Saxonum post glorioſum de Imperatore triumphum Ecclesiam Monasterij S. Ægidij Confessoris, Ordinis nostri prope oppidum Brunsvvic solenniter fecit consecrari per ministerium Theoderici Cardinalis memorati Sedis Apostolicæ Legati adstante Reinhardo Episcopo Halberstatensi, in cujus parochia idem Cœnobium exstat constructum. Monachi sub norma D. P. N. Benedicti, & moderamine Abbatis omnipotenti Deo militantes illic positi sunt; inter quos multi postea illustres claruerunt.

Anno præscripto Heinricus Imperator consilijs amicorum inductus, nec minus totius regni Principum querelis compulsus, generalem optimatum Conventum ad principium mensis Novembris apud Moguntiam celebrandum indixit: ubi liberam omnibus audientiam, de sibi objectis, vel objiciendis rationabiliter satisfactionem, & de suis extraordinariè, vel juveniliter gestis correctionem ad Senatûs-consultum repromisit, cum hoc Principes omnes contestans, quatenus venire ad constitutum terminum singuli apud Moguntiam festinarent. Itaque statuto tempore, hoc est in capite mensis Novembris dum Imperator Moguntiæ præsens indictum frustra præstolaretur conventum: nam præter Erlongum Herbipolensem, Brunonem Spirensem, & alios Episcopos paucos nemo Principum adventabat, cives Moguntini aptum sibi arridere tempus perpendentes, subitò palatium Cæsaris armati invasuri undique vallant. Atrium nonnulli furiosè irruentes in turmas, & cuneos se glomerant, omnia strepitu, & clamoribus implentes aulicis horribilie spectaculum demonstrant. Multa postulant à Rege, multa comminantur, & nisi Adelbertum Archiepiscopum, quem tenebat jam triennio captivum Sedi Moguntinæ quantocius liberum restitueret, mortem Principi *furens* populus intentat. Quid plura? dubium non fuit, quod nisi datis *ad præsens* obsidibus, Imperator ea, quæ sibi imponebantur, se facturum citissimè confirmâsset: ipsum fortassè palatium cum omnibus, qui erant in illo, succensum in favillam subitò redegissent. Ita sedato vix tandem militum, plebisque cruentissimo fervore furoris Imperator ab urbe secessit: & post paucos dies Adelbertum destinatum Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopum, quem jam annos tres arctissimâ custodiâ maceraverat, ita quod vix ossa sibi mutuò hærebant, sicut civibus datis obsidibus promiserat, sedi propriæ restituit. Qui dimissus libertati non post multos dies descendit ad Coloniam, ubi multos Præsules & Principes cum Saxonibus reperit congregatos circa finem Decembris, & ibi à Theoderico Rom. Sedis Legato suam consecrationem diu interceptam solenniter accepit, quod Heinrico Imperatori non parum displicuit, quoniam de ipsius ordinatione propter conspirationis notam haud voluntarius extitit.

Cives Moguntini Imperatorem obsidione circumvallârunt furiosè.

Eodem

Eodem anno Imperator Natalem Domini Spiræ celebravit cum paucis Episcopis, & Principibus, ea, quæ interim Coloniæ in publico gerebantur conventu, graviter ferens. Audivit enim quàm plurimos ibi convenisse Archiepiscopos, Episcopos, & alios optimates regni: causa præcipua, verbum excommunicationis in se latæ publicandi, & prædicandi ubique. Missus tamen ab eo illuc Erlongus Præsul Herbipolensis audientiam, vel communionem Principum habere non potuit, donec more ecclesiastico reconciliatus fuit. Legatione tandem peractâ, ut potuit ei, qui se miserat, denuo communicare, renuit: sed vitæ piaculo compulius Missam coram Imperatore excommunicato celebravit. Inde usque ad mortem contristatus latenter discessit: sicque communioni Sanctorum multis cum lacrimis restitutus post reconciliationem ad Cæsaris conspectum deinceps venire contempsit. Et licet sæpius vocaretur ab Imperatore ad Curiam, nunquam tamen comparuit. Unde commotus Imperator cum aliter in eum sævire non posset, Ducatum ei orientalis Franciæ, quem dudum Imperatores Ecclesiæ Herbipolensi pro Dei honore tradiderant, abstulit, & eum Conrado sororis suæ filio commisit, qui postea per se & suos multa mala per totum Episcopium suscitavit, ut suis locis dicemus. Posthæc Imperator scandala Principum declinans se in Italiam cum Regina, totaque familia sua contulit: ac circa Padum fluviũ negotijs insistens regni Legatos ad Apostolicum pro componendis causis, quæ denuo regnum & Sacerdotium cœperunt, suppliciter destinavit. Cujus legationis Primatum Pontius Abbas Cluniacensis tenuit, qui inter utrámque partem pro componendis pacificis rebus magno labore, magno studio, ac summâ industriâ laboravit. Objerat eodem anno Mechtildis Conradi fratris Imperatoris Longobardorum quondam Regis uxor, mulier omni suo tempore potentissima, quæ divitijs abundans infinitis, ipsum Heinricum Cæsarem omnium bonorum suorum hæredem instituit. Cujus obitum cum referentibus nuntijs cognovisset, qui ad possidendum ea, quæ reliquerat, invitabant illum, major ut abiret, causa fuit.

Imper. Ducatum Frãcorum abstulit ab Episcopo Herbipol.

MCXVI.

Anno Brunonis Abbatis XI. Theodericus S. R. Ecclesiæ Legatus moritur, & in Colonia sepelitur, vir magnæ sapientiæ, & in omni genere disciplinæ doctissimus, nec minùs vitæ merito, quàm doctrinâ venerabilis: utpote qui non paucos pro honore S. Matris Ecclesiæ labores fecit.

Eodem anno circa medium Quadragesimæ magna Synodus Episcopórum, Abbatum, Clericorum Romæ in Ecclesia Lateranensi celebrata est Paschali Papâ secundo præsidente: in qua privilegium illud Heinrico Imperatori super investituris Pontificum antea concessum à Papa iterum revocatur, damnatur, & anathematizatur. Scindebatur inter hæc regnum Teuthonicorum, & multis Imperatore absente incommodis afflictabatur Conradus Friderici nepósq; ipsius Imperatoris Heinrici, cui Ducatum Francorum orientalium Erlongo Præsuli Wirzburgensium violenter ablatum commiserat, ut jam supra diximus, per totum Episcopium Herbipolensis Ecclesiæ discurrens cum suis latrunculis, omnia vastavit, omnia rapuit, omnia subvertit, nulli parcens gradui, nulli deferens ætati, villas, oppida, urbésque, & quidquid uspiam locorum Imperatori contrarium obtinere potuit, funditus evertit. Adel-

Synodus Romæ celebratur.

bertus quoque Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus memor dierum afflictionis suæ, omne studium suum, omne robur, omnesque vires contra fideles imperatori tentavit, à quibus & ipse non pauciores reportavit injurias, quas illis inferre potuit. O tempora! O mores Hominum! quantis malis, quantí que perturbationibus plena videbantur omnia! Hinc undique vastatis agris, villis depopulatis, oppidis, & Regionibus nonnullis in solitudinem penè redactis, deficiente quotidianâ Clericis per Ecclesias præbendâ, cessabant in multis locis divina obsequia; Monasteria Ordinis nostri multa his calamitatibus afflicta, in ultimam paupertatem devenerunt. Inter quæ famosissimum illud Fuldense Cœnobium, quod eatenus inter omnia Germaniæ Monasteria tam divitijs, quàm honoribus pollens obtinuit principatum, usque ad extremam rerum inopiam redactum fuit, in tantum, ut Monachi nec victui necessaria haberent.

MCXVII.

Anno Brunonis Abbatis duodecimo S. Theogerus ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis Abbas Monasterij D. Martyris Georgij in nigra silva discipulus B. Wilhelmi quondam Abbatis, de quo longè superiùs anno ejusdem Domini Wilhelmi XVIII. fecimus mentionem, factus est Episcopus Ecclesiæ Metensis in Lotharingia, & supervixit annis duntaxat duobus, qui tamen ad Sedem Ecclesiæ non pervenit propter inobedientiam civium, qui cum Imperatore sentientes Papam contempserunt.

Terræ motus fuit maximus.

Anno prænotato in mense Januario terræ motus inter diem, & noctem per totum penè orbem terrarum binâ vice factus est nimiùm terribilis, & horrendus, qui multa ædificia subvertit, & plures homines miserabiliter oppressit, maximè in Italia, ubi tam horribilis fuit, quòd multæ civitates, vici, & castella subitò ceciderunt, absorbente terrâ tam homines, quàm ædificia. Montes etenim plerisque in locis scissi ferebantur, & flumina deglutiente terrâ subitò fuerunt exsiccata: ita ut qui vellent siccis transire pedibus, potuissent. Circa Leodium in quodam monte, quo præter pluvialem nunquam videri aqua consuevit, subitò ingens fluvius erupit; qui non modicam civitatis partem diluens cum maximo Leodiensium damno Trajectensium se finibus infudit.

Mirabiles elationes fluminis.

Padus etiam unus è Quatuor majoribus Europæ fluminibus, qui Longobardiam præterfluit, à terra in altum se dicebatur erexisse, stante aquâ in modum fornicis à fundo separatâ, & sursum in aëre suspensâ; sic quod inter terram, & aquam via pateret transire volentibus: cumque diutius sic aqua elevata per modum arcûs pependisset in aëre, tandem in semetipsam collisa tanto cum strepitu ab alto demittitur, ut per multa milliaria audiretur. Apud Cremovam Longobardiæ civitatem puer infans, qui pannis obsitus jacebat in cunis, repente prorupit contra naturam in vocem, & seniore fratre suo panem à matre postulante, illâque cibum esurienti præparante, quasi compescens utrumque dixit: *cessate mortales escas præparare, ô mox perituri! Ecce sanctissima Dei genetrix virgo Maria stat ante Christi tribunal, ut suis avertat judicium precibus, quod mundo judex intentat pro peccatis*, & mox siluit, nec quicquam ante naturæ tempus locutus est.

Tempestas apud Leodium terribilis.

Apud Leodium Lotharingiæ urbem dum in vigilia Dominicæ Ascensionis universus Clerus, decem videlicet congregationum pro ve-

speris

speris decantandis ad matricem convenisset Ecclesiam: jamque primum Psalmum ex more complessent: subitò sereniſſimus aër in turbinem versus, tanta simul tonitrua, & fulgura cum sulphureis ignibus terribiliter excussit, ut omnes, qui aderant, extremum adesse diem putarent: duobus Clericis, & uno milite in templo ipso ex eadem tempestate coram omnibus miserabili morte consumptis. Heu quàm est momentanea compunctio mortalium violenta! & quàm citò devotionis fervor extinguitur! qui non ex amore, sed metu generatur. His signis nimium horrendis per totam penè Europam terribiliter crebrescentibus, magno genus hominum pavore concutitur, nihil aliud, quàm instare jam jam diem novissimum arbitratur. In Italia, & plerisque locis alijs orationum, & jejuniorum observantia cunctis indicitur: Litaniæ, & processiones publicæ peraguntur, & omnipotentis miseratio multis precibus, & lacrimis pulsatur. Imperator quoque Heinricus visis, & auditis tot miraculis ad horam compungitur: sed nihilominus Romani Pontificis decretis adversatur; verbis humilis, operibus superbus. Non cessat legationes ad Christi Vicarium Paschalem mittere; cum quibus, & satisfacturum se in omnibus pollicetur, & mandatis Ecclesiæ deinceps velle humiliter subjacere. Sed non obtinuit, quod petivit. Papa siquidem propter jusjurandum, quod licet coactus Imperatori fecerat captivus, diffitebatur illum se anathematis vinculo colligâsse: ab Ecclesiæ tamen potioribns membris illum excommunicatum esse denuncians; sine quorum consilio eum nullatenus posset absolvere: quod fieri aliter quàm in synodi præsentia nequeat. Confitebatur nihilominus idem Pontifex Paschalis se litteris Episcoporum Germaniæ; & maximè Adelberti Archiepiscopi Moguntini creberrimis impelli, ne absolveretur à vinculo excommunicationis Imperator, nisi satisfecerit prius tam Episcopis, quàm alijs, quibus manifestam irrogavit injuriam. Multos enim cædens enormiter contristavit. Unde non cessabant ubique inchoatæ dissensiones, & perturbationes in regno: sed quotidie in deterius proficiebant, maximè in partibus Cisrhenanis, ubi conspirationes multæ fiebant, & interfectiones sine misericordia, in tantum, ut in ipsa quoque civitate Moguntina cædes publicæ fierent, & rapinæ, nemóque vel in domo sua esset tutus.

Sæviunt ubiq; cædes atq; rapinæ

MCXVIII.

Anno Brunonis Abbatis XIII. Indictione Romanorum XI. Paschalis Papa secundus ex Monacho nostri Ordinis, ut supra diximus, diutinâ infirmitate purgatus XVIII. die mensis Januarij moritur, & Romæ in Ecclesia Lateranensi cum honore sepelitur, qui universali Ecclesiæ annis plus quàm 18. strenuè præfuit, & tam opere, quàm sermone multa bona fecit.

Huic in Pontificatu summo Joannes Cajetanus, & ipse quondam Ordinis nostri Monachus, canonicâ Patrum electione succedens Gelasij secundi nomen assumpsit, & uno duntaxat anno præfuit. Hic primùm fuit Monachus Cassinensis Cœnobij sub venerabili Odrisio ejusdem loci Abb. Inde per Urbanum Papam secundum extractus propter admirabilem prudentiam, & omnimodam scientiam scripturarum, ac vitæ meritum primò Secretarius S. R. Sedis factus est: videns deinde Papa Paschalis hominem ad ardua natum eum Diaconum fecit Cardinalem: in

Gelasius ex Monacho fit Papa.

qua dignitate positus, multos pro Ecclesia Dei labores sustinuit, & antequàm fieret, in crebris legationibus probatus fuit.

Anno prænotato Heinricus Imperator dum Paduanis regionibus immoraretur, audi à morte Paschalis Papæ Romam properavit: & primò quidem in electione Gelasij consensum præbuit, postea verò eodem sua communione subtrahente consilium mutavit. Consentientibus igitur quibusdam Romanis alterum quendam Burdinum ex Hispania supervenientem Apostolicæ Sedi imposuit, quem Gregorium VIII. falsò nuncupavit, sicque schisma, quod jam putabatur extinctum, iterum revixit. Nam adultero Burdino Romanæ cathedræ sedem per violentiam Cæsaris liberè occupante: Gelasius Papa cum his, qui secum abjerant Cardinalibus, cæterisque Catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam synodum habuit, in qua Cæsarem cum suo idolo condemnans anathematizavit. Hinc per Campaniam digrediens in Burgundiam venit, & in anno sequenti generale concilium apud Viennam celebrandum indixit.

Crux miranda in cælo apparuit.

Anno etiam prænotato valde manè Dominicæ Resurrectionis die cœlum à parte meridiana apertum, tantam lucis effudit abundantiam, ut lunæ, quæ tunc nimirum clarissima videbatur, lumen inæstimabili fulgore detegeret, & per unam, vel amplius horam omni solis luce clarior permaneret; quod multorum, qui viderant, legimus testimonio comprobatum. Durante hâc luce coruscа Crux non modica per idem foramen dependens tam manifestè apparuit, ut tam auri, quàm gemmarum varietas evidenter discerni potuerit. Hæc Abbas Eckbertus in sua testatur historia.

Anno quóque prænotato Berchtoldus Dux de Zeringen Frater Conradi Ducis Carenthinorum oppidum Fryburg in Breysgovv dudum à germano inchoatum, ut dictum est anno Brunonis sexto, construendo, ædificando, & circummurando magnificè consumavit. Nec multò pòst in oppido quodam Alsatiæ, quod Molsheim nuncupatur, occisus est, cujus corpus Constantiam deportatum in Monasterio nostri Ordinis Petri domûs vulgariter Petershausen dicto sepelitur.

Eodem anno, XIII. die mensis Junij Buggo Episcopus Wormatiensis, qui Epponi successit, vir Catholicus, & integerrimæ conversationis principalem Ecclesiam suam Wormatiensem pulchro tabulatu lapideo magnificè restauratam solemniter dedicavit præsentibus ibidem multis Episcopis Romanæ Sedis, obedientiam servantibus, Brunone *Archiepiscopo* Trevirensi, Everhardo Eichstatensi, Albuino Merspurgensi, Hartvvico Misnensi, & alijs, quorum Deus nomina novit.

In Uraugia Monaster. fundatur.

Anno etiam præscripto, S. Otto Episcopus Babenbergensis, Christi servus per omnia fidelissimus, inter multa pietatis suæ studia Monasterium Ordinis nostri suis impensis de novo fundavit Herbipolensis Diœcesis, juxta Salam Fluviolum sub honore S. Martyris Laurentij, quod Uraugia nuncupatur, & distat à Wirzburg versus Aquilonem sex fermè milliaribus, quod tandem perficiens, ut potuit pro sustentatione servorum DEI dotavit, & Abbatem cum Monachis de Hirsaugia impetrant. Eckhardus itaque Monachus hujus Cœnobij Hirsaugiensis primus Abbas in Uraugiam fuit missus à Reverendissimo Patre Brunone, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, qui, sicut anno Brunonis Abbatis secundo

cundo supra diximus, primùm fuit Canonicus, & Scholasticus Ecclesiæ Wormatiensis, deinde Monachus sub Abbate Gebhardo fieri voluit, sed voto peregrinationis ad terram sanctam adstrictus satisfacere illâ vice desiderio suo non potuit. Reversus tandem de partibus transmarinis ad Hirsaugiam redijt, & habitum Monachi sub venerábili Abbate Brunone suscepit. Postremò factus Abbas in memorato Cœnobio Vraugiensi regularis disciplinæ observantiam, quam in Hirsaugia didicit, in omni vita sua tam in se, quàm in commissis sibi subditis diligentissimè custodivit. Erat enim fundatus in timore Domini, & in ejus mandatis singulari devotione studiosus: quippe cui nihil dulcius fuit unquam in omni vita sua, quàm divinis nocte, simul ac die vacare obsequijs. Qui cùm esset in omni varietate scripturarum eruditus, nequaquam inerti vacabat otio, sed quoties sibi licebat à curis respirare temporalibus, aut legit aliquid boni, & sancti, in quo ipse proficeret, aut scripsit quidpiam utiliter, quod legentes ædificaret. Rerum quippe temporalium inopiam magnam sustinuit, sed humilitate, patientiâ, cæterarúmque virtutum plenitudine dives fuit. Scripsit autem non contemnendæ auctoritatis opuscula, quibus & tunc præsentibus se utilem reddidit, & memorabilem posteris commendavit: è quibus feruntur subjecta. Chronicon ab origine mundi usque ad annum Dominicæ Incarnationis MCXXIV. inclusivè volumen insigne composuit, in quo gesta Regum, & Imperatorum in Germania, & extra ordine satis congruo digessit. Ad imitationem quóque Marciani Capellæ ac Boëtij Severini scripsit gemino stilo, hoc est, carmine, & solutâ oratione satis instructum opus, quod in tres libros divisum laternam sive Mathiam prænotavit: in quo cujusdam Mathiæ ægroti planctum Paulus ejus in Domino adoptivus filius artificiali quâdam consolatione delinivit. Scripsit etiam ad sanctam Hildegardem Abbatissam apud Bingios Epistolam unam: ad S. Ottonem Episcopum Bambergensem Epistolas plures: ad Volmarum Abbatem hujus Monasterij Hirsaugiensis Epistolas plures, ad alios quóq; diversos Epistolas similiter plures. Sermones etiam ad Monachos suos, & homilias non spernendas edidit. Cætera, quæ composuit, ad nostræ lectionis notitiã minimè venerunt. Anno prænotato Chuno Prænestinus Episcopus S. R. E. Cardinalis quem Paschalis II. in locum demortui Cardin. Theoderici ad Coloniam sepulti Germanis destinaverat Legatum, à Gelasio per Archiepiscopum Juvariensem sive Salzburgensem confirmatus, roboratus, & confortatus ad Coloniam venit, & in eadem urbe consilium Episcoporum, & Abbatum celebravit, & magnos pro pace tam imperij, quàm Ecclesiæ labores suos adhibuit.

Eckhardus ex Monach. Hirsaug fit primus Abbas.

MCXIX.

Anno Brunonis Abbatis XIV. Wernherus comes quidam dives, & Christo devotus Monasterium nostri Ordinis Breydenau, quod ante VI. annos in eo Hassiæ loco, ubi confluunt duo fluvij, quorum alter Fulda, alter Werra dicitur, pro Christi amore construere cœpit, domino cooperante feliciter consumavit. Est autem Cœnobium illud in honore Beatiss. ac semper Virg. DEI genitricis MARIÆ consecratum, in loco amœnissimo situm, in diœcesi Moguntina constitutum; & à suo fundatore pro sustentatione Servorum Dei in omnibus necessarijs competenter provisum.

Monaster. Breydenau fundatur à Wernero comite de Grüningen

Eodem

Eodem anno, die XVII. mensis Novembris Drutvvinus Monachus hujus Cœnobij Hirsaugiensis in primum præfati Monasterij Breydenaugiensis Abbatem electus cum 12. Monachis à Domino Brunone Abbate sibi ad preces Wernheri comitis memorati associatis, venit ad Breydenau, quem comes idem cum magna lætitia suscipiens Monasterium Ordini per illum tradidit perpetuam in possessionem. Qui ordinatus per Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum, primus ejus loci Abbas præfuit annis XIII. vir moribus, & scientiâ scripturarũ illustris, regularis observantiæ amator, propagator studiosissimus, qui non opere minus, quàm sermone multos ad Christum convertit.

Gelasius Papa II. moritur.

Anno Brunonis prænotato, Gelasius Papa II. quondam Monachus Cassinensis nostri Ordinis synodum celebraturus, in Galliam proficiscitur, veniénsque in Burgundiam in Monasterio Cluniacensi moritur & tumulatur, vir per omnia sanctissimus. Huic in summo Pontificatu Episcoporum, & Cardinalium, qui dum fuerunt Cluniaci præsentes, concordi electione successit Guido Vienensis Archiepiscopus, qui Calixtus II. nuncupatus est, & præfuit annis quinque, mensibus x. vir certè optimus, qui multa bona fecit in Ecclesia Dei, quemadmodum in historijs Pontificum Romanorum legimus. Contra hunc Antipapam Burdinus quidam Hispanus se gessit, quem Heinricus Imperator V. superioribus diebus contra Gelasium creaverat; qui quorumdam tyrannorum auxilio fretus apud Sutricum sese continuit, & in Romanos rapinas, & incursiones quotidianas exercere non timuit. Qui tandem captus Romam perducitur, & retrusus in Monasterium à Papa Calixto in amaritudine animi consenuit. Eodem quóque anno, Cuno Prænestinus Episcopus adhuc legatione Papæ Gelasij functus, sicuti anno transacto commemoravimus, synodum cum Teuthonicis Episcopis, & Principibus in Colonia celebravit, in qua Heinricum Imperatorem V. auctoritate Sedis Apostolicæ coram omnibus excommunicatum denuntiavit. Alteram quóque synodum in Fritislaria oppido Hassiæ tenuit; in qua eandem excommunicationis sententiam contra Heinricum denuò confirmavit. Unde commoti Principes regni adversùs Cæsarem unanimi consensu tandem concluserunt, communem apud Herbipolim Conventum in proximo celebrandum, in quo ipse Heinricus Imperator aut personaliter præsens audiretur, aut absens deponeretur à regno. Quod ille audiens adhuc in Italia constitutus efferatus animo, Reginâ cum suis copijs in Italia relictâ, in Germaniâ properat; agros æmulorum, & bona hostiliter vastat, in tantúmque furorem lapsus fertur, ut nec Deo dicatis parceret locis, neque hominibus. Verùm non multos post dies tam necessitatis periculo, quàm precibus amicorum compulsus, generalem Principum fieri conventum apud Triburias petijt: in quo se omnia juxta consilium, & sententiam optimatum emendaturum promisit.

Rogerius fit Archiep. Magdebur.

Anno etiam præscripto, mortuus est Adelgisus Magdeburgij Archiepiscopus, homo quidem ætate juvenis, sed moribus canus, in scripturis eruditus, & tam Deo, quàm hominibus dilectus, cui Rogerius ejusdem Ecclesiæ Canonicus fratrum electione successit. Mortuus est etiam hoc anno ipso Episcopus Leodiensis nomine Osbertus, cui Fridericus succedens præfuit anno uno, & mensibus paucis.

MCXX.

MCXX.

Anno Brunonis Reverendissimi Abbatis xv. Heinricus Imperator v. post Dominicæ Nativitat. peractam celebrationem Wormatiæ, jam initio anni captato, ductu cujusdam Friderici de Arnesberg in Saxoniam profectus est. Verùm Episcopis, & alijs Ecclesiæ Christi fidelibus ab ejus se communione subtrahentibus, in Franciam nostram Orientalem revertitur; cujus adventus alijs quidem gratus, alijs verò extitit odiosus, propterea, quòd non omnes Romanæ sequebantur Ecclesiæ partes.

Ord. Præmonstrat. initium.

Anno prænotato Religio Præmonstratensis Ordinis in Gallia, & Laudunensi diœcesi per S. Norbertum sumpsit exordium; qui cum 14. socijs contempto sæculo, & vanitatibus cunctis intravit eremum, & impensis Bartholomæi Laudunensis Episcopi adjutus construxit Monasterium, in quo Domino nostro Jesu Christo in magna humilitate omnes pariter servierunt. Qui ordo sub Regula S. Augustini à Papa Calixto II. fuit confirmatus, & in paucis annis mirabiliter proficiens valdè multiplicatus fuit.

Anno etiam Brunonis Abbatis præscripto, mense Junio in diœcesi Trevirorum tempestate susciatâ in aëre, glacies miræ magnitudinis cecidisse ferebatur, quæ non solùm agros, & vineta graviter læsit: sed ædificia pariter, & domos complures penitus evertit. Apud Saxones quóque, & maximè in diœcesi Halberstattensi gravissima tempestas eodem tempore suborta in novem villarum finibus, quas Marchias vocant, non solùm frumenta, sed et bestias agri cum volatilibus innumeris consumpsit, & multa genti damna intulit.

Eodem quóque anno Fridericus comes palatinus, qui se dudum Imperatori Heinrico conjunxerat, dissentiens à cæteris mortuus est: cujus animam servus quidam Dei vidit in pœnis post fata gravissimè torqueri, propter adhæsionem regi excommunicato. Claruit his ferme temporibus Rudolphus Abbas Monasterij S. Trudonis in Brabantiæ finibus nostri Ordinis, in diœcesi Leodinensi, homo in Scripturis suâ tempestate doctissimus, nec minùs regularis vitæ sanctimoniâ, quàm litterarum eruditione venerabilis, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, insigne volumen contra Simoniacos in libros 7. divisum. Chronicon quóque transacti temporis librum composuit unum Et quædam alia nobis incognita.

Anno memorato Dom. Nativit. MC. atque XX. Indictione Romanorum XIII. Bruno hujus Monasterij Abbas XIV. jam senio gravatus, post multos in sancta Religione labores infirmari cœpit, qui Dei cultor fidelis toto Christum desiderio concupiscens amplecti, Dominicísque præmunitus Sacramentis, summa cum devotione mentis in Deum porrectæ XXII. die mensis Martij ex hac mortalitate miserabili ad vitam transivit æternam. Sepultus in Ecclesia Monasterij principalis ante Altare S. Laurentij Martyris non sine opinione sanctitatis; fuit enim vir magnæ Religionis, & virtutis, ob ídque sempiternâ memoriâ celebrandus apud omnem posteritatem; quippe qui ex eo die, quo sanctæ conversationis habitum assumpsit, semper in anteriora proficiens, nunquam mentis suæ aciem retrorsum inflexit: Christum totis viribus semper amavit, in cujus lege die meditabatur, ac nocte, in lectione scripturarum continuus,

Laus Brunonis Abb.

in sanctis orationibus devotus. Verus etenim contemptor sæculi, & Christi amator fidelis totum se ad interiora contulit, tantâque animum suum dejecit humilitate, ut à nescientibus prudentiam, & sanctimoniam ejus omnium fratrum ultimus, simplicissimúsque putaretur. Et quia veram, certámque illam sancti Prosperi sectabatur sententiam dicentis: tranquillam, & vacuam curis sapientia mentem imbuit, & placidi pectoris hospes erit: requievit super eum spiritus scientiæ salutaris, quo suaviter illustratus, doctior etiam inter doctissimos apparuit, & nomen sapientis meritò cum laude reportavit in his, quæ ad observantiam regularis disciplinæ pertinebant, vigilantissimus extitit; & commissos sibi fratres verbo, simul & exemplo ad custodiam mandatorum Dei valenter excitavit. Ad persuadendum conducibilia saluti facilis habebatur, & efficax, ut nemo dubitaret in eo Christi habitare spiritum, cujus tam salubre cunctis fuit eloquium; nam plures viri nobiles, & Ecclesiastici potentes in sæculo, & divites, ejus sanctis admonitionibus ad mundi contemptum perducti sunt, qui sub ejus magisterio, sanctæ conversationis habitum in hoc Monasterio Hirsaugiensi susceperunt. Ejus venerabile corpus per annos CCCXL. in memorato jacuit loco sepultum; ad cujus tumbam cæcus tali ordine divinitùs tandem visum recepit. Anno siquidem Dominæ Nativitatis MCCCCLX. Indictione Romanor. VIII. die mensis Augusti XX. cùm mortuo Abbate Wolframo Meyser, de quo suo tempore dicemus, in eo loco, ubi corpus memorati Brunonis jacebat humatum, fratres parerent sepulchrum; contigit ejus tumulum à latere propter angustiam ex parte necessariò reserari, & ecce facto foramine sepulchri parvo odor mox suavissimus erupit, qui suâ omnes circumstantes fragrantiâ ineffabili quâdam dulcedine replevit: Fratres autem scire cupientes tanti odoris causam, simul & originem, habito inter se consilio, tumulum Brunonis cum reverentia, & tremore aperiunt, & integrum corpus ejus inveniunt, de quo tantum processisse odorem omnes recognoscunt. Verùm ad tactum aëris sacrum corpus usque ad ossa (quæ sola remanserunt integra) in cinerum mox subtilitatem resolvitur: sed fragrantia odoris suavissimi aucta magis fuit. Intereà dum hæc agerentur, divinâ ordinatione contigit hominem quendam pauperem cæcum, & claudum adesse in Ecclesia, qui ubi tanti suavitatem odoris naribus hausit, quid hoc esset, vel unde proveniret, interrogavit. Audiens verò gestæ rei historiam in lachrimas confestim resolutus est, flexísque in terram genibus tali ad Dominum prece oravit. O Domine Deus, qui tibi servientes fideliter remuneras, rogo te ob honorem hujus famuli tui, cujus sacrum corpus tam suavem fundit odorem, miserere mei pauperrimi hominis, & aperi oculos meos, ut enarrem mirabilia tua. Hæc vota mentis devotione cùm ad tumulum Divi Brunonis apertum orâsset, mox visum, simul & gressum cunctis mirantibus, & Dei miserationem laudantibus recepit. Dimittentes igitur fratres sacra viri busta in sacrophago, sicuti jacuerant, sepulchrum cum summa reverentia, & honore clausserunt, scientes, quòd sine Romani consensu Pontificis non liceat quemquam honore venerari publicæ sanctitatis. Hoc autem cæci miraculum non solùm fratres hujus Monasterij tunc præsentes, sed etiam sæculares multi, qui ad sepulturam Wolframi Abbatis convenerant, viderunt, & per totam provinciam Suevo-

Sepulchrũ ejus anno Dom. 1460 fuit apertũ.

Cæcus ad sepulchrũ ejus illuminatus est.

Ossa ejus remanserunt in tumulo.

Suevorum divulgaverunt. Factum est hoc illuminationis divinæ signum ad corroborationem novellæ reformationis Bursfeldianæ, quam dictus Wolframus Abbas, divino inflammatus spiritu, paucis ante mortem suam annis introduxerat, ne pusillanimitate deficeret, quoniâ impugnabatur à multis, qui secundùm carnem sapiebant: sed Domino juvante prævaluit, & usque in præsentem diem laudabiliter constitit.

De Volmaro hujus Monasterij Abbate XV.

qui præfuit annis xxxvi. mensibus x. diebus xxvi. sequitur.

MOrtuo autem Rev.mo viro Domino Brunone xiv. hujus Monasterij Abbate, atque sepulto, ne sine pastore oves morsibus exponerentur luporum, convenerunt sancti fratres in unum, ut sibi juxta normam sanctissimi Patris nostri Benedicti providerent de Abbate. Anno igitur Dominicæ Nativitatis præscripto MC. atq; xx. Indict. Roman. xiii. die verò mensis Martij xxiv. post invocationem divini Numinis consuetam, Volmarus Monachus ex electoribus unus omnium fratrum consensu in Abbatem hujus Monasterij electus est. Qui se tanto honore penitus indignum judicans, onus subire spiritualis regiminis diu renuit; quousque tandem lacrimis, & precibus totius congregationis victus humiliter consensit: ordinatus posteà fuit Moguntiæ in Monasterio S. Martyris Albani pridie Nonarum Aprilis, per ministerium Adelberti Archiepiscopi Moguntini, & præfuit annis xxxvi. mensibus decem, diebus viginti sex, oriundus de gente Suevorum parentelam honestam habuit, quam suis virtutibus non mediocriter illustravit. Staturâ procerus extitit, & quâdam corporis elegantiâ metuendus, vocem sonoram emittens, maturitate, simul & eloquentiâ decoratam, quæ & terreret adversarios, & suâ prudentiâ delectaret amicos. Hic adhuc puerulus ad discendum litteras scholis à parentibus traditur: qui cùm esset ingenio docilis, aptus ad omnia videbatur. Crevit in eo cum ætate corporis, notitia scripturarum: & brevi tandem proficiens multùm, in adolescentem evasit doctissimum. Moribus & vitâ integer extitit, & ab infantia Deum timere cœpit. Post annos ætatis suæ 24. cùm esset Canonicus Constantiensis Ecclesiæ, cernerétque multos ire in præcipitium mortis per abrupta vitiorum de suo periculo timuit: & quomodo fugere posset de medio Babylonis, sedulò cogitavit. Audiens autem crebrò multorum relatione, quàm religiosam, & sanctam conversationem fratres in Hirsaugia ducerent, eis conjungi statuit: quod non diu posteà opere complevit sub venerabili Brunone Abbate. Factus autem Monachus, quàm purè & religiosè in medio fratrum suorum omni tempore conversatus fuerit, non est nostræ facultatis exprimere, cùm ejus meritum pauperis viri sermonem longè constet superare. Ad Regulæ monasticæ puritatem vivere, totísque viribus conversari, semper studuit: & constitutiones seniorum vigilantissimè custodivit. Inter humiles fuit humillimus, & nulli suâ conversatione unquam gravis, aut onerosus. In divinis scripturis & doctus extitit, & studiosus: utpote cui nihil in hoc mundo

Volmarus fit Abbas hujus Monasterij xv.

Patria, & institutio Volmari.

Laus Volmari post conversionem.

videbatur esse jucundius, quàm aut scripturas divinas revolvere; aut mentis cum tripudio continuè ad Dominum orare. Post annos deinde novem, quibus in sancta Religione monastica inculpatè vixerat, divinâ providentiâ sine dubio factus est Abbas, ut jam securus ducatum ad salutem præberet subditis, qui pro Christi amore non solùm Prælatis, sed etiam inferioribus subesse humiliter nunquam recusavit. Corde purus, conscientiâ mundus, divini amoris incendio fervidus; animum habuit ab omni luxu procul remotum. Singulari quóque sapientiâ prædirus, ac morum honestate magnificè decoratus. Omnem semper, & ubique tam mentis, quàm gestuum detestabatur levitatem. Tantam in moribus suis maturitatem præferebat, qnôd in ejus præsentia homines etiam dissoluti, atque levissimi, pro tanti viri reverentia quandam honestatis speciem cogerentur assumere. Ejus conversatio nulli unquam Deum timenti fuit onerosa. Utpote qui jucundus interdum, dissolutus nunquam esse solebat: in Domino gaudens cum gaudentibus, & mœrens cum flentibus. Naturali dono, simul & arte imbutus facundus, & eloquens extitit: & non minùs latinè, quàm vulgariter dicendi peritus. Enimverò quidquid dicere voluit, tam ornatè, propriè, ac disertè in medium protulit; ut animos auditorum in sua videretur habere potestate. Facilè persuasit, quod voluit: cujus linguam humana non solum scientia disertam fecerat, sed etiam puræ mentis integritas divino illustrante Spiritu commendabat. Qui mox ut ordinatus in Abbatem extitit, pastorem se fratribus utilem exhibere pro viribus curavit, & non solùm verbis exhortando (quod optimè novit) sed multò magis bono exemplo gregem sibi commissum studuit informare. Vitiorum hostis acerrimus fuit, qui delinquentes subditos mox sine delectu personarum secundùm Regulæ institutionem corripuit: summo námque studio vigilavit circa regularis disciplinæ observantiam, & bonum, quod Monachis faciendum docuit, in suis operibus esse possibile demonstravit. Videntes ergo fratres quorum corda Spiritus S. illuminaverat, ejus sanctissimam conversationem, magno illum venerabantur affectu dilectionis, cujus mandantis in omnibus documenta sequentes sanctæ cooperatores institutionis esse gaudebant. Omnes Religiosissimi Pastoris exemplo quotidie ad meliora provocati sanctæ traditionis monasticæ præcepta studiosissimè observabant, & constitutiones sanctissimas, quas eis S. Wilhelmus quondam dedit, inviolatas omni tempore cum fervore spiritûs custodierunt. Undecrescente mirabiliter disciplinâ regulari quotidie in Hirsaugiana congregatione sanctissimâ fama sanctitatis, & Religionis Volmari Abbatis per totam diffundebatur Germaniam, & multi viri nobiles, & eruditi ejus se magisterio submiserunt. Et ecce quàm pius est, cui serviebant in Monasterio fratres, Dominus, qui benedixit eis, & multiplicati sunt; & quantò major in eis fervebat devotio, tantò in rebus temporalibus, Domino providente, ampliùs profecerunt. Opes etenim ingentes religio Monachorum sancta peperit, sed Matrem filia posteà miserabiliter suffocavit, quod factum penè in toto ordine nostro cernentes meritò debemus ingemiscere. Merebatur hoc sancta fratrum Hirsaugiensium devotio, ut quanto magis quærebant cœlestia, tantò crescerent eis, Domino largiente, necessaria præsentis vitæ subsidia.

Verbo docuit exemplo præcessit.

Multi multa loco isti contulerunt.

Nam

Nam multi Principes, & Potentes in sæculo famâ sanctitatis Volmari Abbatis, & fratrum suorum excitati plura contulerunt. Temporalis etenim substantia, sine cujus adminiculo perit religio, valde crevit tempore Volmari Abbatis, quemadmodùm in donationum volumine continetur. Nec solùm de vicinis Alemanniæ locis beneficia sua Hirsaugiensibus homines certatim impendere studuerunt, verùm etiam remotè commorantes, ut meritorum sanctæ Congregationis participes se facerent, multa diversis temporibus dona, & beneficia dederunt. Ipse quóque Volmarus Abbas cùm esset vir prudens, & non minùs in rebus mundanis, quàm in claustralibus expertus, emendo & comparando prædia multa, census Monasterij valde ampliavit. Unde, sicut diximus, res Cœnobij sub ejus providentia satis auctæ sunt, & fratres Domino servientes merito, & numero creverunt. Magna Volmarus utebatur industriâ, tantâque vigilantiâ curabat universa, ut qui ejus vidisset circa spiritualia studium, nullam illi curam inesse temporalium credidisset. Rursum siquis continuum ejus laborem, & sollicitudinem in disponendis negotijs exterioribus attendisset, omnem curam, & sollicitudinem spiritualium ab ejus mente putâsset alienam. Tali se moderamine discretionis semper & ubique constantem exhibuit, ut veluti Ajoth ambidexter, alteri curæ sine detrimento alterius intentus omnia secundùm Deum rectè disponeret.

M CXXI.

Anno Volmari Abbatis primo mortuus est Wernherus Comes de Griningem fundator Monasterij Divæ Parthenices in Hassia, quod Breidenavve nuncupatur, & in dicto Cœnobio sepelitur. Hic natione Suevus cum Imperatore Henrico V. cujusdam negotij causâ profectus in Hassiam, cùm vidisset amœnitatem loci campestris, ubi duo fluvioli Werna, & Fulda confluunt in Breidenavve, Spiritu sancto inspirante Monasterium nostri Ordinis consentiente, & fundum tradente Imperatore cœpit construere, & Monachos de Congregatione Hirsaugiensi tunc verè sanctissima evocare. Ad quod Cœnobium à venerabili Patre Brunone missus est Drutvvinus Monachus, & Cantor primus Abbas cum fratribus 12, ut dictum est anno Brunonis 14. Comes autem Wernherus morte præventus structuras incœpti Monasterij perficere non potuit, quas impensis ab eo præordinatis Drutvvinus Abbas & S. Henricus ejus Successor, de quo suo dicemus loco, magnificè perfecerunt. wernherus Comes moritur.

Anno prænotato 6. die Mensis Januarij, hoc est in festo Epiphaniæ obijt S. Ermenoldus ex Monacho hujus Monasterij Hirsaugiensis primus Abbas in Bruveningen prope Ratisbonam in Bavaria, qui multis in vita, & post mortem coruscavit miraculis; cujus vitam, & sanctissimam conversationem anno Brunonis 1x. consignavimus. S. Ermenoldus moritur.

Eodem anno Heinricus Imperator V. expeditionem contra rebelles sibi Moguntinos paravit, ac primò navium eis commeatum intercluſit, deinde præsidijs circumcirca munitis, nihil victualium civitati permisit inferri, & postremò ad obsidionem urbis exercitum adunare constituit. Quod audiens Adelbertus ejusdem Civitatis Archiepiscopus, qui in Thuringiam secesserat à facie regis persequentis, totam Saxoniam in auxilium civium suorum commovit. Igitur circa solsti-

tium æstivale duo magni conflantur exercitus, alter ab Alsatia per Imperatorem contra Moguntinos, alter à Saxonia per Archiepiscopum pro civibus liberandis. Intercedentibus autem quibusdam, qui pacem dissidijs prætulerunt, Imperator causam principibus commisit terminandam; pro cujus expeditione consilij, dies conveniendi apud Herbipolim ad festum S. Michaëlis statuitur. Evolutis post hæc tribus fere mensibus, venit Heinricus Imperator cum ingenti apparatu in civitatem Wirzburg juxta condictum: Adelbertus verò Moguntinorum Archiepiscopus, & Saxonum principes cum cæteris castra metati sunt juxta rivulum, qui Werna dicitur, non multùm distantes ab Herbipoli, quoniam Imperatori, & Poapolitanis cum eo sentientibus non satis confidebant. Verumtamen securitate per internuntios datâ, & acceptâ, post triduum & ipsi Cæsarem adjerunt de pace omnimoda tractaturi. Pacificè igitur ab Imperatore susceptí extra muros civitatis, propter utriusque partis multitudinem per continuam septimanam ad curiam se contulerunt, quotidie de præsenti schismate inter regnum, & sacerdotium extinguendo consultantes. Tandem auxiliante Domino pax confirmata est, & jurejurando sub vitæ periculo firmiter stabilita: regalia regno; & spiritualia sunt Ecclesiæ adjudicata. Adhæc prædones fures imperialib' edictis coërcendos, puniendósque secundùm leges antiquitùs constituras consensu omnium decretum est: & quidquid scandali, vel tribulationis in regno fuit exortum, Dei miseratione extinctum est. De sententia verò excommunicationis Heinrici Imperatoris, unde omnia penè scandala fuerunt exorta, nihil fuit in hac consultatione diffinitum: sed ejus rei negotium ad examen Rom. Pontificis omnium consilio remissum fuit, Legatis quibusdam deputatis, qui hæc omnia ad notitiam Calixti Papæ II. deferentes absolutionem Imperatoris nomine totius regni postularent.

Concordiæ fundamenta ponũtur.

Causa Imperatoris remittitur ad Papam.

His temporibus Godebaldus Trajectensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus Monasterium in Ochsbruck dictum Ordinis nostri haud procul ab ipsa civitate in palustri solitudinẽ fundavit sub honore S. Martyris Laurentij, in quo Abbatem, & Monachos posuit, quibus hujus vitæ necessaria ad serviendum Domino providit. In quo Cœnobio tanta religionis districtio multo tempore olim viguit, ut carcer Monachorum, & diceretur, & esset. Nam qui emendari in alijs Cœnobijs non poterant, ad agendam pœnitentiam illuc mittebantur: Cœnobium quoque Monialium Ordinis nostri præfato Monasterio contiguum simili devotione construxit, in quo plures Deo servientes virgines collocavit.

MCXXII.

Erlungus Herbipol. Episcop. moritur.

Anno Volmari Abbatis II. Erlungus Episcopus Herbipolensis per quatuor annos elephantino vexatus incommodo, IV. calend. Januarij obijt, & prohibente schismate inter regnum, & sacerdotium non in civitate, sed in Monasterio Schvvarzach nostri Ordinis, quod tribus ab Herbipoli distat milliaribus, sepulturam accepit: de cujus electione, expulsione, restitutione, & tribulationibus dictum est anno Gebhardi Abbatis XIII. & XIV. Dominicæ verò Nativitatis MCI. Post cujus mortem Heinricus Imperator V. consilio suorum usus quendam adolescentem nomine Gebhardum Pontificali dignitate sublimavit, Clero simul reclamante, & populo; qui Rugerum ejusdem Ecclesiæ Diaconum unanimi

nimi consensu pastorem sibi delegerant. Hinc ortæ fuerunt gravissimæ dissensiones, & maculata sanguine pontificia Sedes. Nam qui Ruggeri partibus favebant, suis rebus spoliati de urbe à Cæsarianis fuerunt expulsi. Inter quos fuerunt Dux Fridericus, & frater ejus Conradus, Nepotes Imperatoris Heinrici, à quo & propterea cum cæteris discesserunt, qui tamen non multò post electum suum per Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum cum nonnullis principibus Saxoniæ colloquium juxta Wirraham fluvium facientes præsentibus legatis Romani Pontificis obtinuerunt confirmari, Regis auctoritate contemptâ. Rugerus pro Episc. confirmatur.

Aderant in eodem colloquio Principum Episcopus Spirensis, & Abbas Fuldensis, qui legatione totius regni anno priori ab Herbipoli Romam missi peractâ redierant; secum habentes Lampertum Hostiensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum cum alijs Cardinalibus duobus. Calixtus enim Papa secundus cupiens pacem inter Ecclesiam reformare, & imperium, rogatus per dictos Nuncios principum Germaniæ, misit præfatos Cardinales de latere ex more Legatos cum plena potestate absolvendi, & faciendi omnia, quæ ad hoc necessaria videbantur. Hac de causa iterum colloquium curiale per provincias indictum est ad festum sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum Herbipoli proximè celebrandum. Instante jam termino conveniendi præfinito, Episcopi, & principes in magna multitudine ad Poapolim convenientes, aliquamdiu Cæsaris præstolabantur adventum. Sed ubi nuncijs veracibus didicerunt, illum nequaquam esse venturum, quisque in sua redire disposuit. Interea Gebhardus usurpator Pontificatûs Herbipolensis confœderatis sibi jam firmiter civibus intra muros copiosa cum multitudine residebat. Qui die quâdam post meridiem assumptâ de his, qui secum erant, manu validâ quosdam, qui jam uno penè milliario ab urbe castra posuerant, nihil mali suspicantes invadere tentavit, & quasi adversarios regni deputans aut turpiter pellere, aut incautos prosternere cogitabat.

At illi clamore venientium excitati mox arma corripiunt, ac acie contra venientes directâ se fortiter defendunt. Cæsis, vulneratis, & captis ab utráque parte nonnullis, die quóque jam advesperascente à pugna cessatum est; his ad civitatem, illis verò ad tentoria sua revertentibus. Hinc animis efferati Principes ad Civitatem unanimiter convertuntur, Rugerum inthronizare contendentes; verùm id non sine sanguinis effusione fieri posse perpendentes ad Monasterium S. Felicitatis in Schvvarzach divertunt, & ibi eum coram omni consilio tam Archiepiscopns Moguntinus Adelbertus, quàm Sedis Apostolicæ Legati Præsulem Ecclesiæ Herbipolensis consecrantes ad propria reversi sunt. Exinde idem Rugerus eam Episcopij Herbipolensis partem, quæ Neccaro fluvio circumjacet, in suos tenuit usus; Gebehardus verò urbem, & quæ illi contigua sunt, in sua securè detinuit violenta potestate. Interea Moguntinus Archiepiscopus Adelbertus ab indignatione Cæsaris sibimet undíque necessariò prospiciens, castrum antiquum, & jam per multas generationes funditùs penè dirutum, quod vel à rivo præterfluente Ascafa, sive ut quidam volunt, ab Ascanio conditore primo Ascafenburgium dicitur, magno conatu reædificare cœpit, & munire. Quod Imperator ad injuriam sui, & Reipublicæ detrimentum fieri di-

Rugerus consecratur Episcopus.

judi-

judicans obsidionem è contrario ordinare disposuit. Sed Apostolicæ Sedis Legatorum interventu consilium ejus Domino miserante cassatum est. Anno námque prænotato factum est generale consilium Episcoporum, & Principum totius regni apud Wormatiam Henrico Imperatore, & Apostolicæ Sedis Legatis præsentibus; in quo post multos tractatus hinc inde habitos, tandem Deo largiente schisma pernitiosum, quod inter Ecclesiam, & Regnum gravi cum periculo animarum pluribus annis duraverat, fuit ablatum. Ibi Henricus Imperator colla Romano Pontifici ad obediendum humiliter submisit, & à Legatis Calixti Papæ secundi absolutus à vinculo anathematis in communionem Sanctæ Matris Ecclesiæ receptus est, populis lætantibus universis. Et Cæsar quidem ipse Henricus in signum perpetuæ pacis, subjectionis, & concordiæ, hujus tenoris litteras Romano Pontifici tradidit.

Concilium habetur in Wormatia.

Concordia fit regni & Ecclesiæ.

Ego Henricus DEI gratiâ Romanorum Imperator Augustus pro amore Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ dimitto Deo, & sanctis ejus Apostolis Petro, & Paulo, sanctæq; Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs fieri electionem, & liberam consecrationem, possessiones, & Regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem Calixto, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt, & in quibus sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo, possessiones, & omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum, tam Clericorum, quàm Laicorum, consilio Principum, & justitiâ, quæ habeo reddam, quas non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Data anno Domini MCXXII. *Nono Calend. Octobris.*

Scriptum Cæsaris ad Papam.

Porrò Legati Apostolicæ Sedis nomine, & vice tam Calixti Papæ, quàm totius Ecclesiæ hujuscemodi litteras Imperatori tradiderunt.

Ego Calixtus Servus Servorum DEI dilecto filio suo Heinrico DEI gratiâ Romanorum Augusto. Concedo Electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia, & aliqua violentia, ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani, & Comprovincialium consilio, vel judicio saniori parti assensum, & auxilium præbeat. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his juri debet, tibi faciat. Ex alijs verò partibus imperij consecratus intra sex menses Regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceras, secundùm officij mei debitum auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno MCXXII. nono Cal. Octobris.

Rescriptū Papæ ad Cæsarem

Hæc scripta Cæsaris, & Papæ rescripta propter infinitæ multitudinis conventum extra civitatem in loco campestri juxta Rhenum lecta sunt, data, & accepta. Postque multimodas laudes Creatori persolutas, Lampertus Hostiensis Episcopus Calixti Papæ Legatus Missam cantavit, Imperatorem Corpore Dominico sanctificavit, & in osculum recepit. Quibus peractis unusquisque ad propria cum gaudio reversus est.

Eodem anno in festo S. Martini Henricus Imperator colloquium in Bamberga habuit cum quibusdam Principibus, qui apud Wormatiam in Con-

in Concilio generali non fuerunt præsentes, ubi cunctis in ejus vota consentientibus, proprios nuncios cum Romanis Legatis ad summum Pontificem misit, cui & pacem bonam, diutiúsque optatam, & munera honorifica cum subjectione destinavit. Udalricus fit Abbas Fuldensis.

Eodem quóque anno mortuus est Erlolfus Abbas Fuldensis vir sapiens, & in agendis prudentissimus, qui eandem Abbatiam post obitum Wilhelmi, qui Gotfrido per Regem depositio successerat (ut dictum est anno Brunonis Abbatis quinto) invitus susscepit, & laudabiliter præfuit. Hic est Erlolfus, qui cum Neometensi Episcopo, sicut anno priore diximus, à Principibus Germaniæ Romam pro reformanda pace inter Sacerdotium, & Imperium destinatus magnum prudentiæ suæ præconium reportavit. Cui Udalricus Monachus in Abbatia successit.

Eodem anno Cuno Episcopus Argentinensis depositus est, cui Bruno successit. Item hoc ipso anno concordiâ inter Papam, & Imperatorem nondum reformatâ, Fridericus Archiepiscopus Colonienſis quoddam imperiale castellum Carpena dictum cœpit, ac destruxit.

Claruit hoc tempore etiam Hugo ex Abbate S. Germani Altisiodorensis Episcopus, nepos D. Hugonis Abbatis Cluniacensis vir scientiâ, & moribus insignis, & apud omnem posteritatem sempiternâ memoriâ dignus, qui Ordinem Cistercienſium illo tempore novellum, & pauperem & valde dilexit, & multùm promovit.

MCXXIII.

Anno Volmari Abbatis tertio fundatum, & consumatum est Monasterium Ordinis nostri in Odenheim Spirensis Diœcesis per Brunonem Archiepiscopum Trevirorum, & fratrem suum Popponem comitem in Bretheim, sicut diximus anno Gebhardi Abbatis XI. Volmaro ipsi traditur, & suis fratribus inhabitandum. Monasterium in Odẽheim.

Habito igitur fratrum suorum consilio Volmarus Abbas XII. Monachos de sua congregatione ad instantiam fundatorum illuc misit; quibus Eberhardum venerabilem virum in primum Abbatem præfecit. Quod quidem Cœnobium nostris temporibus Monachis, pro nefas! cum pastore apostatantibus in Ecclesiam sæcularium deformatum est sub Ludovico Episcopo, & per Philippum ejus in Pontificatu successorem in oppidum Bruchsal translatum, quemadmodum suo tandem loco inferiùs, Domino volente, dicemus.

Año prænotato mortuus est Bruno Episcop. Spirensis, vir magnificus, anno pontificatûs sui XIV. nondũ completo: de quo latiùs dictum Brunonis Abbatis V. Cujus corpus in Monasterio Lympurgensi ante gradus Presbyterij fuit sepultum, quod nostris diebus exhumatum, & penè integrum vidimus annulo aureo cavato, & pontificalibus ornamentis circumamictum. De hoc Brunone Pontifice Rupertus ejusdem Cœnobij Abbas, de quo posteà dicemus, visiones quasdam conscripsit mirabiles, asserens illũ in excomunicatione obijsse, séq; apud supernũ judicem metuendam sustinuisse sententiam, víxque Sanctorum precibus veniam consecutum, propterea quòd ejus corpori sepulturam concessit. Bruno Spirensis Episcopus moritur.

Huic Brunoni in Præsulatu Ecclesiæ Spirensis successit nomine quidam Arnoldus Ordinis nostri Monachus, & Abbas trium Monasteriorum, primò Corbejensis, posteà Lauriſſam ab Imperatore obtinuit, dimissâ Arnoldus ex Abbate fit Episcop. Spirensis.

missâ Corbejâ. Cumque Monasterium Lauriſſenſe aliquamdiu rexiſſet; Imperatoris promotione conſecutus eſt & alias duas Ordinis noſtri Abbatias Wiſſenburgenſem, & Lympurgenſem. Brunone tandē mortuo, & in Lympurg, ut diximus, ſepulto (ubi Rupertus tunc Prioris agebat officium) factus eſt Epiſcop. Spirenſis non ſine detrimento Monaſteriorū.

Cœnobij Lympurg. ſpoliatio.

Nam ut de reliquis tranſeamus, in Lympurg monimenta quondam vidimus, quibus accuſabatur aureas cruces, & argenteas, calices quoque onychinos, & aureos unà cum diverſis clenodijs, & ornamentis Eccleſiaſticis de Monaſterio ſecum detuliſſe ad Spirenſem Eccleſiam.

Reliquiæ SS. inventę

Anno etiam prænotato ſervo Dei Norberto Præmonſtratenſis Ordinis primo fundatori, & Archimandritæ pro Sanctorum reliquijs venienti Coloniam, ob idque orationibus, & jejunijs vacanti quâdam nocte una de numero ſanctarum XI. millium Virginum in viſu apparuit, nomē ſuum dixit, locum ſepulturæ demonſtravit. Qui manè conſurgens humum in loco ſibi manifeſtato effodit, ſacrum Virginis corpus cum aliis reperit, gratias Domino retulit, & reliquias ejus, quæ ſibi apparuerat Præmonſtrato tranſmiſit. Qui Dei ſervus nocte ſequenti pernoctans in Eccleſia S. Gereonis in eadem civitate Colonienſi, orationi ſuo more intentus, divinâ meruit conſolatione recreari. Nam manè facto in medio Eccleſiæ, ubi nullum penitus ſepulturæ apparuit ſignum, terram juſſit effodi, & corpus ejuſdem Martyr. S. Gereonis demptâ capitis parte integrum reperit, quod cum ingenti gaudio populi levans de terrâ particulam precibus obtinuit, quam Præmonſtrato dedit. In fine hujus anni Imperator Heinricus natale Domini apud Trajectum inferius celebravit; ubi ſubortâ in ipſius feſti diebus diſſenſione inter aulicos, & ſervitores Epiſcopi, civitas omnis in arma proſiliit, & multis ab utráque parte cadentibus Epiſcopus cum quibuſdam civibus capitur, quaſi reus conjurationis in Cæſarem, & vinculis mancipatus pro magna pecuniarum ſumma vix tandem rogatu Principum dimittitur.

Eodem quoque anno ſoror Lotharij Ducis Saxonum, quæ Hollandiæ mortuo viro Comitatū tenebat, res novas moliebatur contra Imperatorem, fratris ſuffulta præſidio, quod ei maximè ſucceſſit in bonum, quoniam brevi poſteà per vim ad obedientiam compulſa fuit.

MCXXIV.

Spanheim Cœnobiū fundatur.

Anno Volmari Abbatis IV. Monaſterium ſancti Martini *Præſulis* in Spanheim, cui annis olim præfui XXIII. Abbatis nomine, & *miniſterio* indignus, per Megenhardum, & Rudolphum comites de *Spanheim* illuſtres conſumatum eſt, & pro ſuſtentatione Monachorum mediocriter proviſum. Cujus primus Abbas conſtitutus eſt Bernhelmus Monachus S. Albani prope Moguntiam, vir religione, & doctrinâ præcipuus, quem Volpertus Abbas ſuus cum octo Monachis, & quatuor Converſis ad inſtantiam fundatorum deſtinaverat, & præfuit annis XXVI.

His etiam temporibus Otto comes in Ballenſtat, Halberſtattenſis Diœceſis in Saxonia, vir dives, & illuſtris, DEUM, & ejus intemeratam Genetricem habere cupiens hæredes, Monaſterium Ordinis noſtri, quod Ballenſtat nuncupatur, in ipſo Comitatu ſuo novum à fundamentis conſtruxit: quod pro ſuſtentatione ſervientium DEO Monachorum ſufficienter dotavit, & in honorem DEI-parentis conſecrari obtinuit.

Eâquoq;

Eâ quoque tempestate Theodoricus Noviburgij aliàs Cicensis in Thuringia Episcopus Monasterium Ordinis nostri haud procul ab urbe memoratâ Cicensi novum in monte construxit, Posavia dictũ, in quo Monachos cum Abbate posuit, quibus vitæ præsentis necessaria copiosè ordinavit, & continua Christo ibidem servitia instituit. Erat in eadem congregatione Monachorum Conversus quidam perversus, & reprobus non secundùm spiritum, sed in carnis voluptatibus ambulans, qui cùm sæpius corriperetur ab Abbate, & fratribus, pravos emendare mores contempsit. Emendandus tandem defertur venerabili Episcopo præfato, cujus auctoritas, utpote fundatoris Monasterij, delinquentibus esset formidanda. Religiosus Antistes hominem pro suis delictis ut dignum erat, primùm leniter, & mansuetè corripuit; posteà non emendatum durius increpavit. Qui factus in sensum reprobum, & odio habens corripientem, die quâdam procumbentem in oratione Præsulem coram principali Hagiasterio latenter aggressus cultro perfodit, & mox de Sanctuario aufugit. Antistes vulnere crudeliter sauciatus tertiâ post die ad Dominum migravit. Fuit autem vir in divinis scripturis haud mediocriter eruditus, vitâ, & conversatione Deo devotus, doctrinâ verè Catholicus, & Rom. Pontificum, & Ecclesiæ contra schismata propugnator egregius.

Theoderic. Episcopꝰ à Converso interficitur

Anno prænotato mortuus est Bruno Trevirorum Archiepiscopus fundator Monasterij Dei Genetricis intactæ Virginis Mariæ in Odenheim Spirensis Diœcesis, de quo anno præcedente diximus, & in majori Ecclesia Trevirensi sepultus est. Cui Gotfridus Decanus ibidem successit. Eodem anno magnæ molis grando IX. Calend. Augusti. cecidit, & III. Iduum Augusti solis eclipsis fuit, quam fames secuta est.

Gotfridus fit Archiep. Trevirorũ.

Claruit his temporibus Rupertus Abbas Monasterij Tuitiensis in oppositio civitatis Coloniensis juxta Rhenum, quod S. Heribertus Archiepiscopus anno Conradi Abbatis Hirsaugiensis VII. constituxit, quemadmodum illic diximus, in honorem SS. Dei-parentis semper Virginis Mariæ. Vir magnæ doctrinæ, & sanctitatis. Qui cùm Monachus esset Cœnobij S. Laurentij Mart. in Oesbruck prope Trajectum; cujus anno Volmari Abbatis primo fecimus mentionem, maximum discendis divinis scripturis studium continuè impendit, sed ubi propter ingenij tarditatem se parùm proficere cerneret, vehementer doluit, & Matrem gratiæ Reginam cœlorum, ut sui miserta miserationem sibi, & scientiam impetraret à filio, continuis orationibus invocavit. Et ecce Mater pietatis & clementiæ sanctissima Virgo Dei genitrix Maria nocte quâdam dormienti in visione apparuit, gratiam Dei, & divinarum scientiam scripturarum omnimodam repromisit. Ecce quid non potest ad Matrem Christi oratio humilis continuè supplicantis. Ex illo die gratiâ ministrante, quod negavit ingenium, tantam in divinis scripturis consecutus est scientiam, ut similem temporibus suis habuerit neminem. Postea famâ eruditionis ejus, atque sanctitatis longè latéque volante, Fridericus Archiepiscopus Coloniensis de præfato Monasterio S. Laurentij in Oesbruch illum vocavit ad Coloniam, & in Tuitio Monachis præfecit in Abbatem. Qui moribus, & eruditione clarus multa in scripturis sanctis volumina edidit, & vitæ sanctimoniâ illustris miraculis coruscavit. Tam

Rupertus miraculosè acquisivit scientiam.

studiosus in orationibus, & continuus in revolvendis scripturis extitit; ut etiam dormiens labia ejus quasi orantis, vel legentis continuè moverentur: de cujus lucubrationibus subnotata invenimus. Ad Cunonem Sigebergensem Abbatem postea Ratisponensem Episcopum scripsit opus pulcherrimum de victoria Verbi Dei prænotatum lib. VII. In librum Job. lib. X. In libros Regum de S. David lib. XV. De Fide S. Trinitatis lib. XLII. In Apocalypsim Joannis lib. XII. De divinis officijs lib. XII. In duodecim Prophetas minores lib. XXX. In Evangel. Matthæi lib. VIII. In Evang. Joan. lib. XIV. Meditationum suarum libros tres, materiam sumens de incendio Monasterij sui Tuitiensis. In Regulam Legislatoris nostri Benedicti librum unum. Apologeticum pro eodem libr. unum. De quatuor difficillimis quæstionibus librum unũ. Sermones varios, & plures conscripsit epistolas, quibus memoriam sui cum laude transmisit ad notitiam posterorum.

Opuscula hujus S. Abbatis.

Rupertus quoque Abbas Monasterij S. Crucis in Lymburg, Ordinis & ipse nostri Spirensis Diœcesis, de quo supra diximus anno Gebhardi Abbatis VII, qui post Arnoldum Episcopum factum in Abbatia successit, hæc tempora scriptis, & morum integritate reddidit clariora. Qui regularis vitæ observantiam cupiens reformare, ad quod se divinis compulsum revelationibus asserebat, tantâ districtione, jejunio, & abstinentiâ vitam traduxit, ut quibusdam ex Monachis suis importabile jugum institutionis illius videretur. Nam omni tempore oleribus, & pulmentis frumentarijs ad esum contentus, non solum à carnibus, sicut Regula præcipit penitus, abstinebat, sed etiam ab ovis, à lacticinis, piscibúsque, & omni, quoad vixit, aut vivere potuisset, firmissimâ semper, & usque ad mortem abstinuit constantiâ.

Rupertus Abb. Lymburgensis.

Hunc vivendi modum Arnoldus Spirensis Ecclesiæ supradictus Episcopus ad instantiam quorumdam Monachorum, quibus importabilis videbatur, superstitiosum arbitrans, Rupertum ad se citavit Abbatem. Quo in civitate Neometensi cum fratribus sibi in eâ novitate consentientibus ad terminum comparente Præsul Arnoldus Prælatos, & complures viros doctos in unum convocans, atque ad examen Abbatis procedens talibus eum verbis alloquitur: *Cujus vel authoritate, vel licentia confisus ô Abba in nostra Diœcesi, & sub nostra potestate constitutus monastica conversationis Regulam à SS. Patribus discretâ moderatione conscriptam, & tam ab ipsis, quàm ab corũ venerandis successoribus, per tot annos laudabiliter observatam novâ quâdam superstitione audeas immutare; earum rerum usum Monachis interdicens, quem & Regula permittit, & nullus unquàm sanctorum prohibuit. Neque enim te majorem, & sanctiorem te existimare debebis S. Legislatore Monachorum Benedicto; qui Monachis interdicto carnium esu vinum, pisces, ova, & lacticinia minimè prohibuit.*

Verba Episcopi ad Abbatem.

Ad hæc Rupertus Abbas tale fertur Episcopo dedisse responsum:

AVctoritate Omnipotentis, ac totius Curiæ cœlestis hunc vivendi modum assumpsi, sciens vini, & exquisitorum comestibilium usum Monachis esse permitiosum; quos maximè convenit à cunctis abstinere delitijs. Si tibi modus iste meus aut novus, aut superstitiosus: quid dicturus es de SS. Monachis, quos in Eremo, & Cœnobijs quondam pane cum sale, & aquâ con-

Responsio Abbatis ad Episcopum Arnoldũ.

tentos

tentos tantopere commendat, & veneratur Ecclesia? Abstinentiam nostram pro peccatis nostris divino imperio voluntariè assumptam temerè magis quàm sapienter novam, & superstitiosam appellas: quæ & divinis scripturis est consona, & SS. exemptis confirmata. Tu verò si Pontifex es fidelis, si bonus pastor animarum, si denique cultor fidei Christianæ, & DEI verus amator, subditorum tuorum parsimoniam voluntariè, atque DEO imperante pro ejus amore susceptam nobis indignis Christi servulis prohibere, vel interdicere minimè debuisti, sed cohortari magis, ut in ea perpetuò maneamus. Videris mihi livore seductus carnalium Monachorum, qui cùm nihil eorum sapiant, quæ DEI sunt, in suis voluptatibus putruerunt. Quid enim refert, quo nutriatur cibo brevi moriturum corpus, modò ad serviendum DEO necessarijs non destituatur viribus? Verùm, ut Scholasticorum brevitate negotium omne absolvam, iste vivendi modus, quem Domino præcipiente suscepimus continuendum, aut bonus est, aut malus: Si bonus, certè non erit prohibendus, præsertim cùm nulli præcipiatur invito, nec sit importabilis, aut difficilis eum spontaneâ voluntate suscipientibus. Sin verò malus existimatur judicandus, cur in S. Joanne Bapt. comendatur, qui radicibus, & herbarum foliis victitabat, aut quare laudatur in Daniele captivo, & socijs ejus, qui spretis cibis regalibus leguminũ esu vescebantur? Si malus inquam, & reprehensibilis est modus iste vivendi, quare S. Mater Ecclesia districtiorem SS. Antonij, Pauli, Macharij, Arsenij, Moysi, Pamponis, Onuphrij, aliorúmque penè innumerabilium abstinentiam Patrum & veneratur, & laudat? An vitam Sancti Martini Turonensis Archiepiscopi, & Monachorum sub ejus magisterio in Cœnobio sanctissimè conversantium superstitiosam dicturus es, propterea quòd majorem, & districtiorem nobis abstinentiam tenuerunt? Memento precor te præsulem è Monacho factum, & noli bonum in nobis reprehendere, in quo nos tuo exemplo ut bonus pastor oves debueras confirmare. Quòd si nobis hunc vivendi modum omnino interdicere volueris, nos Deo totis viribus obedire magis curabimus, quàm hominibus. His dictis siluit.

Episcopus autem prudenti hominis argumentatione paulisper confusus erubuit, & animi commotione dissimulatâ Ruperto iterum dixit. *Pro hac tua novitate divinum allegas imperium; sed nescientibus nobis veritatis nullum exhibes documentum. Si Dominus Deus præcepit hunc vivendi ritum, necesse fuerit, ut ostendas nobis commissionis tuæ mandatum.* Mox Abbas de sinu extraxit libellum revelationum suarum ordinem, & seriem continentem in quo & multa, & varia susceptæ abstinentiæ præconia habebantur. Lecto autem coram omnibus puplicè libello, viri Deum timentes fidem dictis adhibuerunt, qui vero secundum carnem sapiebant, tanquam insanæ mentis hominem despexerunt. Quorum consilio depravatus Episcopus dixit ad Abbatem. *Contra voluntatem Dei nihil intendimus ordinare, sed tuis fidem adhibere conscriptis revelationibus non probatis certè nec possumus, nec debemus, dicente Apostolo:* Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. *Tu ergo quale das signum, ut revelationibus tuis credere debeamus?* Cui Abbas respondit: *Non sum propheta, ut in conspectu tuo resuscitem mortuos, aut ignem faciam descendere de cœlo. Sed missus sum à Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ut dicta juramento confirmem, si tibi hoc videtur assumendum. Sin autem juramento standum non censes, paratus sum, quale præceperis, subire judicium.* Consilio igitur suorum habito Præsul Arnoldus Abbati confirmationem revela-

Libellus revelationũ Abbatis legitur.

Verba Ruperti ad Episcopum.

tionum suarum sub juramento, & Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione terribili comminatione indixit. Confirmatione peractâ Rupertus Abbas ad Monasterium suum remittitur, & abstinentiam cum sibi adhærentibus Monachis, quam inchoaverat, continuavit. Verùm Arnoldus Episcopus revelationibus Ruperti non solùm non credidit, sed etiam quomodo se vindicaret in eum, cogitavit. Nam etsi ex Monachis quidam senserunt cum Ruperto, major tamen pars constitutionibus ejus vixit contraria. Tandem Abbas Rupertus per Spirensem Episcopum de Lymburgensi Monasterio expellitur, & in Hassiam apud Breitenavv relegatur. Præfuit eo tempore in Monasterio Breitenavv Henricus ex Monacho Hirsaugiensi post Trutvvinum Abbas, vir doctus, & sanctus, cui scripserat Neometensis Episcopus rogans quatenus Rupertum aliquamdiu secum detineret in suo Conventu, eúmque à præsumpta novitate revocaret. Sed illo in sua observantia perseverante, & nihil, quoad vixit, aut vivere potuisset, ut sunt ova, nec quicquam aliud præter legumina manducante; cùm S. Henricus eum ad communia minimè revocare potuisset, litteras Episcopo scripsit de singulis cum eo actis, petens eum ad Lympurg revocari, ne fratres in Breitenavv ejus singularitate inficerentur. Quid verò deinceps cum eo factum sit, nobis minimè constat. Solùm hoc scire potuimus quoniam per multos annos persecutiones plurimorum propter singularitatem suam perpessus est, nec tamen à suo proposito abstinentiæ recessit. Scripsit autem non spernendæ lectionis opuscula, de quibus nos invenimus subjecta. De Laudibus S. Mariæ Dei Genetricis in Cantica Canticorum opus pulchrum edidit, quod in lib. IV. distinxit. De contemptu mundi lib. II. De S. Joanne Bapt. libr. I. Varias revelationes suas librum unum composuit, qui omnium persecutionum suarum principalis causa fuit. Homilias etiam nonnullas edidit, & varios ad fratres pro tempore sermones.

Rupertus Abbas relegatur in Hassiam.

Opusc. Ruperti hujus Abbatis.

Anno Volmari Abbatis suprascripto Heinricus Imperator movit exercitum contra Comitissam Hollandiæ sororem Lotharij Ducis Saxonum, quæ fratris potentiâ, & viribus confisa, rebellare imperio tentaverat. At Hollandini posteaquam se Imperatori non posse resistere cernerent, ad obedientiam se cum sua principe subdiderunt animos gerentes inimicos, quamvis verba resonarent amica.

Eodem anno circa medium Quadragesimæ Heinricus Imperator cum quibusdam Principibus in Wormatia colloquium habuit. Cæteris verò qui non aderant, hoc est Saxonibus, Bavaris, atque Boëmis ad Curiam venire in Bambergam nonis Maij indicebat maximè propter Lotharij Ducis insolentiam, qui nova quædam moliebatur contra Rempubl. ob sororis suæ præscriptæ illatam ab Imperatore injuriam. Factus est igitur conventus non modicus, in quo penè omnes Teutonici Principes (præter unicum Lotharium Ducem prænominatum Saxoniæ) turmatim confluxerunt. Quibus singulis necessarios sũptus vel ex toto, vel ex parte ministrabat S. Otto ejusdem urbis Episcopus, qui propter suam in omnes munificentiam, & vitæ sanctitatem cunctorum favorem, & amicitiam Procerum Regni obtinuit. Quamvis pietatis studijs jugiter intentus, & construendis Monasterijs continuè occuparus inter aulicos, consiliariósque Regni rariùs videretur. Quod etsi quidam invidi malæ sus-

S. Otto Episcopus munificus.

spicionis

spicionis notam interpretarentur, tamen servum suum custodiens Dominus coram omnibus fecit honorabilem.

Compositis rebus, & causis memorati Conventûs, idem sanctus Præsul Otto Cæsari, & cunctis insinuavit Principibus, se nuncijs, & litteris quàm pluribus à Duce Polonorum Bolislao vocatum, insuper etiam Domini Papæ Calixti permissione, atque benedictione directum ad gentem Pomeranorum, quam nuper idem Dux sibi finitimam bello subegerat, & ad suscipiendam Christi fidem compulerat. Cujus votis annuit tota, quæ convenerat, Ecclesia, annuit & Cæsaris aula, & omnes pijs conatibus salutem imprecabantur, & prosperitatem.

Buggo Epus à wormatiensibus recipitur.

Eodem quoque anno Imperator cum magno suorum exercitu profectus est in Galliam circa medium mensis Augusti contra Ludovicum Regem Gallorum præbiturus auxilium socero suo Heinrico Regi Anglorum pro Ducatu Normanniæ adversùm Gallos pugnaturo. Intereà dum Cæsar jam congressurus cum exercitu moraretur in Gallia, nunciatur à tergo Wormatienses auxilio Friderici Ducis Suevorum contra voluntatem Imperatoris Buggonem suum Episcopum, qui Cæsaris mandato diu exulaverat, suæ restituisse Sedi, seque intra muros urbis paravisse cum omnibus necessarijs ad rebellandum. Quibus Imperator auditis, mox cum omni exercitu suo in Germaniam revertitur, Wormatienses cum maxima feritate obsidione vallat hostili, nec priùs soluit obsidionem, quàm multis hinc inde conatibus expensis, multis etiam ante murum captis, vel occisis, ad ultimum deficientibus alimentis in urbe quinque millibus talentorum mulctati cives Episcopo Buggone rursus ejecto Imperatori se subijciunt.

Calixtus Papa Secundus obijt.

Anno prænotato Calixtus Papa secundus moritur anno Pontificatûs sui sexto nondum completo. Hic vir Beatissimus vitæ sanctimoniâ simul, & eruditione scripturarum illustris, cum ad S. Jacobum Apostolum, qui dictus est major, singulari ferveret amore devotionis, scripsit de miraculis ejus pulcherrimum librum, in quo laudes ejus mirabili narratione concelebrat. Denique ob reverentiam ejusdem S. Apostoli Ecclesiam Compostellanam in Archiepiscopatum sublimavit, cujus ditioni Emeritanam provinciam subjecit. Primus S. Jacobi Archiepiscopus per Calixtum ex Episcopo factus erat Petrus Compostellanus, vir doctrinâ, conversatione præclarus, qui nonnulla in laudem gloriosæ Virginis MARIÆ composuit.

Honorius fit Papa Secundus.

Post Calixti mortẽ Lampertus Hostiensis Episcopus, de quo suprà diximus, in Rom. Sedis Pontificem electus præfuit annis v. & mensibus totidem: vir in divinis scripturis eruditus, & morum conversatione venerandus, quem Honorium II. appellârunt, qui ab ineunte, ut ferunt, ætate, in Romana Ecclesia nutritus, & in arduis legationibus sæpiùs comprobatus magnam agendorum experientiam habuit.

Hic Papa Honorius Pontium Abbatem Cluniacensem nostri Ordinis, qui S. Hugoni amico Hirsaugiensium fratrum successerat propter omnimodam scientiam scripturarum, morúmque integritatem, & prudentiam in agendis, ad se Romam evocans Apostolicæ Sedis constituit Cardinalem. Qui Pontius hoc ipso anno per eundem Papam Honorium Apostolicæ Sedis Legatus Hierosolymam missus est, & Balduino rege Chri-

Christianorum à Saracenis capto multa per suam prudentiam in exercitu Christiano utiliter consuluit, & fecit.

Ad hunc Pontificem Honorium Sanctus Pater Norbertus Præmonstratensis Institutor Ordinis profectus est, & honorificè susceptus, ab eo novæ religionis suæ confirmationem cum privilegijs necessarijs obtinuit. Româ tandem digrediens venit in Orientalem Franciam, & in Herbipoli Civitate Francorum Missam die festo Dominicæ Resurrectionis in populi frequentia celebravit. Et ecce mulier quædam cæca manibus amicorum ad celebrantem adducitur, qui pro ejus illuminatione Servum Dei Norbertum deprecabantur. At homo Dei post sumpta mysteria in faciem cæcæ mulieris sufflavit; quæ mox visum recepit. Quod miraculum cernentes quidam viri locupletes compuncti sunt, qui & se, & sua per manus servi Dei Christo tradiderunt. De quorum bonis Monasterium Cellense Præmonstratensis Ord. non procul à civitate Herbipolensi per S. Norbertum constructũ est, sicut anno Volmari VII. dicemus.

S. Norbertus cæcam illuminavit.

M CXXV.

Anno Volmari Abbatis V. Comes quidam de Lurburg Monasterium nostri Ord. construxit in præfato comitatu suo Lurburgensi Trevirensis Diœcesis Schönaugia dictum, quod à Moguntia quatuor, & ab oppido Bacherach juxta Rhenum uno distat milliaribus, in pago, qui Hassijs, & Rhenensibus intermedius Einrich vulgariter nuncupatur. Consumato Monasterio tandem Comes memoratus nomine Hildelinus fundator cingulum sæcularis militiæ deposuit, & Monachus factus pro Christo in Præpositura Lieporna primus Schönaugiensis Cœnobij Abbas ordinatus fuit; vir bonus, & in sancta religione ferventissimus. Ad jactum quóque lapidis ad Meridionalem plagam à dicto Monasterio Monachorum aliud Cœnobium Monialium idem Comes religiosissimus constituit; in quo multitudinem Christo in charitate servientium Virginum collocavit; & tam Monachis, quàm Monialibus vitæ præsentis necessaria procuravit. Notandum verò quod Monachorum Cœnobium Schönaugiense præfatũ quondam erat Ord. nostri Præpositura, in eo loco, qui ab incolis terræ illius hodie Lieprona vocatur posita, ubi nunc villula cum Parochiali Ecclesia sita est, ad unius medij milliaris distantiam à Schönaugia. Et hæc Præpositura fuit antiquitùs Abbatibus, & Monasterio S. Salvatoris in Schaff-hausen pleno jure subjecta, ejus hodie nullum omnino comparet vestigium.

Schonawe Cœnobiũ fundatur.

Præpositurani in Lieprontransfertur.

Anno prænotato S. Otto Episcopus Babenbergensis Apostolicæ Sedis benedictione suffultus ad preces Boleslai Ducis Poloniæ, sicuti anno præcedenti concluserat, profectus est in terram Pomeranorum, & Luticianorum gentilium, quos divinâ suffragante gratiâ suis prædicationibus ad fidem Christi conversos baptizavit, vivendi normam statuit, Ecclesias construxit, & Romanæ fidem, & doctrinam Ecclesiæ illos observare docuit. Nomina verò principalium locorum sive oppidorum Pomeraniæ, quorum gentes convertit, & baptizavit, ista sunt: Caminensis Urbs, in qua nunc est Sedes Episcopalis. Stettinensis, quæ postea Ducatûs honore fuit sublimata, Piris, Volin, Kolberg, Belgrado, Lubin, & Gresch: reliquorum nobis vocabula non occurrunt. In Stettin Ecclesia est Parochialis ad S. Ottonem. Alia quóque S. Jacobi Apostoli per ipsum

S. Otto Pomeranos convertit.

ipsum D. Ottonem constructa, estque Prioratus Ordinis nostri Abbati Montis Monachorum prope Bambergam subjectus.

MCXXVI.

Anno Volmari Abbatis VI. hiems fuit asperrima, quæ pecora simul, & homines sine numero consumpsit. In multis vivarijs pisces diuturnâ glacie suffocati, & frigore perjerunt, & magna pestis animalium cum intemperie aëris secuta fuit.

Heinricus Imp. obijt.

Anno Volmari Abbatis prænotato, Heinricus Imperator V. Pentecosten celebraturus apud Trajectum inferius, ægritudine Dracunculi, quamdiu celaverat superatus absque liberis moritur XXIII. die mensis Maij, cujus corpus ad Ecclesiam Spirensem relatum ibi cum suis progenitoribus in choro Regum tumulatur. Cujus uxorem nomine Mathildem Heinrici Anglorum Regis filiam Ganfredus Comes Andegaviæ postea sibi conjugem accepit, quæ peperit ei Heinricum, primò Ducem Normanniæ, posteà Regem Angliæ.

Idem Heinricus Imperator ex sorore Agnete duos reliquit nepotes, Fridericum videlicet Suevorum Ducem, & fratrem ejus Conradum, qui administrabat Orientalium Francorum Ducatum, Ecclesiæ Herbipolensi per ipsum avunculum suum violenter ablatum, quemadmodùm anno Brunonis Abbatis X. est dictum.

Rex Lotharius II. constituitur.

Eodem igitur anno penultimâ die mensis Augusti convenientes apud Moguntiam Principes Imperij de Regis electione tractârunt. Inter consultandum quatuor deliberantibus occurrunt, quorum unus rectissimè videretur eligendus: Lotharius videlicet Dux Saxoniæ, Fridericus memoratus Dux Sueviæ, Lupoldus Marchio Austriæ, & Carolus Comes Flandriæ. Ex his tandem Lotharius Saxonum Dux communi Principum voto in Regem Romanorum fuit electus, & ad regnandum invitus compulsus præsente Sedis Apostolicæ Legato, ductúsque ad Aquasgranj juxta morem coronatus est. Iste Lotharius patre Gebhardo genitus primò Comes fuit in Suppelingeburg, sicut diximus anno Brunonis primo, qui Duce Saxonum Magno sine filijs defuncto, ejus Ducatum gentis consensu, simul & honorē accepit. Qui factus Rex progeniem Imperatoris Heinrici valde humiliavit. Contra quem duo prænominati Duces Suevorum, Fridericus, & Conradus diu rebellaverunt: propter quod ab Honorio Papa II. tandem excoműnicantur. Unde Conradus à fratre suo, & quibusdam alijs contra Lotharium in Regem erigitur, & cum exercitu profectus in Italiam coronâ ferreâ prope Mediolanum urbem apud Modoëtiam coronatur. Indéque profectus ad partes Romanorum nihil obtinere potuit, sed in brevi pecunijs exhaustis ad propria remeavit, & dimisso Regis nomine, ac pace factâ cum Lothario, deinceps quievit.

Conradus Dux contra Lotharium erigitur.

Anno prænotato cum Rex Lotharius Ottonem, quem Boëmis ordinaverat Ducem, vellet introducere, contra Udalricum, qui Boëmiam occupaverat; necesse fuit exercitum ejus transire per nemora: cumque milites sibi viam ferro pararent per silvam, hostes repentè superveniunt, ipsumque Ottonem cum multis alijs viris fortissimis occidunt. Adelbertus Marchio captus est, & reliqui fugâ salutem quærentes projectis armis retrocedunt. His temporibus Fridericus Dux Alsatiæ nova quædam moliebatur contra Lotharium Regem, sed mox Principum judicio condemnatus est.

Cuno Abb. fit Episcop. Ratisbon.

Hoc ipso anno Ratisponensis Ecclesiæ Pontifice mortuo, Cuno Abbas Monasterij S. Michaëlis in Segeberg Ordinis nostri Colonienſis Diœcesis (ad quem Rupertus Tuitiensis Abbas, de quo supra diximus, plures lucubrationes scripsit) in Pontificatu successit, & præfuit annis sex, vir doctus, & sanctus.

MCXXVII.

Anno Volmari Abbatis VII. Ruggerus Herbipolensis moritur, cui quidam Hezelinus succedens præfuit anno uno.

Carolus Flandriæ Comes occiditur.

Anno Volmari Abbatis prænotato, Carolus Flandriæ Comes, de quo antea diximus, Princeps magnus, dives, & potens, ac super omnes sui temporis Principes justitiæ amator, & defensor, ac executor, cùm juxta præceptum divinum non pateretur vivere maleficos, impijs, & sceleratis hominibus quibusdam suis odiosus factus, die quâdam in Ecclesia coram altari in oratione procumbens, ab ipsis justitiæ perversis osoribus gladio perfossus miserabili morte sublatus est.

Eodem quóque anno Wilhelmus Burgundiæ Princeps simili temeritate, & crudelitate à suis domesticis, & proprijs hominibus occiditur. Hoc etiam anno Lotharius Rex magno suorum adunato exercitu oppidum Noricorum, hoc est Nürenbergam obsidione vallavit, & durante obsidione duobus mensibus, tandem sine effectu recessit. Causa obsidionis civium rebellio fuit, qui contempto Lothario, cum Conrado Francorum, Suevorúmque Duce, qui se Regem gessit, senserunt.

Godfridus Archiepisc. Trevirens. resignat.

Anno etiam præscripto Godfridus Archiepiscopus Trevirorum morbo gravatus, & senio, posteaquàm Ecclesiam sibi commissam in annum rexisset tertium, considerans vires suas tanto regimini haud satis convenire, consilio amicorum habito, Pontificatum Ecclesiæ resignavit, ac anno deinceps uno, mensibúsque duntaxat quinque supervivens mortuus est. Huic Megenherus in Archipræsulatu Trevirorum successit, qui apud Parmam non multò pòst in carcere, ut dicemus, obijt. Electus námque Romam profectus est, & ab Honorio Papa benignè susceptus, in Archiepiscopum quóque consecratus pallij, & legationis honore donatur. Reversus autem in Germaniam Conradum prænominatum Ducem Suevorum, & Vice-Ducem Francorum se Regem, ut diximus, contra Lotharium gerentem, ex mandato Papæ Honorij denunciavit excommunicatum. Deinde cùm inthronizatus ad Ecclesiam suam Trevirensem, Clericorum suorum incontinentiam, & reprobos mores vehementer redargueret, factus est eis odiosus, multásque contumelias eorum susceptit. Qui tandem nimiâ suorum temeritate fatigatus Romam ire statuit, ut Summi Pontificis auxilio defensus, insolentiam eorum compesceret. Cúmque ad Parmam Longobardiæ urbem pervenisset (Clericis suis ut ferunt prodentibus) à Duce Conrado, quem excommunicaverat, capus, & lumine oculorum privatus in carcerem retruditur, ubi nimiâ cruciatus miseriâ tandem primâ die mensis Octob. in vinculis moritur, & in principali Ecclesia Parmẽsi à fidelibus suis tumulatur.

Megenher. Archiepisc. Trevirorũ in carcere moritur.

Eodem quóque anno Godebaldus Ecclesiæ Trajectensis Episcopus fundator Monasterij S. Laurentij Mart. in Oesbruch, de quo supra diximus anno Volmari Abbatis primo, jam senio gravis, & laborum ponderè fatigatus, cupiens reliquum vitæ suæ in divino servitio totum expende-

pendere, Pontificatûs sui anno xv. regimen Ecclesiæ deposuit, & præfatum ingressus Cœnobium sanctæ conversationis habitum susscepit. Qui Monachus factus biennio supervixit, & tandem in Festo S. Martini, anno Volmari Abbatis nono, moriens ibidem sepultus est. Cui Andreas in Pontificatu Trajectensis Ecclesiæ canonicâ electione successit.

Anno etiam præsignato mortuus est Rutgerus Archiepisc. Magdeburgensis, cujus Pontificatum Arnoldus quidam non electus, sed propriâ temeritate invasit. Qui cùm armis crudeliter sæviret in omnes, qui tyrannidem ejus detestabantur, commoti cives postremò ad arma confugiunt; & impetu facto unanimiter ipsum occidunt. Arnoldo sic interfecto, legatione ad Regem Lotharium missâ, dari Pontificem Magdeburgenses postulârunt. Venientes itaque ad civitatem Neometensem Legati, ubi tunc manebat Rex Lotharius cum Principibus suis, civium suorum mandata exponunt. Divinâ ordinatione contigit Norbertum Præmonstratensis Ordinis Ducem, & Principem in eadem convocatione Optimatum esse præsentem, virum sanctum, & divinæ legis facundissimum prædicatorem, qui multos verbo, & exemplo convertit ad studia pietatis. Hunc ergo Rex Lotharius de consilio Principum Magdeburgensibus destinavit Pontificem, qui honore susscepto cum onere, & labore, utiliter Ecclesiæ præfuit annis septem.

Norbertus fit Archiepiscopus Magdeburgensis.

Anno prænotato fuit Hæreticus quidam in Brabantia nomine Faucellinus homo perversus, & pestiferæ opinionis, qui etsi Laicus erat, multis tamen Clericis etiam doctissimis in disputando acutior videbatur. Is in oppido Antuerpiensi populum Christi à rectitudine immaculatæ fidei miserabiliter seducens sacri Ordinis Ministros sprevit, contempsit, & blasphemavit. Gradum Episcopalem, & Sacerdotalem nihil esse proposuit, Corpus quóque, & Sanguinem Domini nihil ad salutem animæ conferre sumentibus perditâ loquacitate palàm confirmavit. Apparatu pretioso, deauratísque vestimentis opertus incedens, ac triplici funiculo capillis intortis, verbis deceptorijs, ac lautis convivijs trium hominum armatorum millium turbam, qui defensionis causâ illum sequebantur, suis erroribus alliciendo implicavit, quorum potentiâ cædes in suos contradictores passim exercebat. Crediderunt illi Antuerpienses, & eorum in circuitu vicini quasi omnes, miserúmque illum summo venerabantur honore, ut missum à Deo, & sanctum, in tantùm, ut aquam, in qua corpus manusvè lavisset, aut pedes, pro maximis haberent reliquijs, cùm tamen homo incontinentiæ esset tantæ, ut filias in præsentia matrum, sponsasque maritis intuentibus corrumperet, asserens hoc opus esse divinum, sanctum, & plenitudinem fraternæ Charitatis. Tandem post plures in populum disseminatos errores, & multas in Clerum perpetratas impiè cædes, cùm die quâdam cum paucis in navicula (nescio quorsum navigaturus) resideret, ac suo more Gradus Ecclesiasticos blasphemaret, Presbyter quidam zelo catholicæ fidei, & pietatis succensus, tam fortiter sceleratum percussit in cerebro, quòd illicò exspirans animum tradidit Diabolo, cujus minister fuit.

Hæreticus apud Antuerpiam.

Hæreticus occiditur à Presbytero

Mortuo, & apud inferos absque dubitatione sepulto impietatis Ministro, quoniam multos errore suo per plures annos docendo infecerat, pessimum Diaboli semen, quod cordibus deceptorum tenacissimè

inhæsit, non facilè potuit exstirpari. Propterea à consilio & assensu Clericorum Antuerpiensium, interveniente Pontifice Diœcesano, Ecclesia una sancto donatur Archiepiscopo Norberto Præmonstratensium Principi in oppido memorato, cum certis redditibus annuis ad construendum Ordinis sui Monasterium, quatenus error inveteratus ejus prædicatione de cordibus hominum seductorum tandem posset exstirpari. Sanctus itáque Dei Servus venit Antuerpiam, locum acceptavit sibi oblatum, Monasterium construere cæpit, prædicavit veritatis verbum quotidie, deceptos ab errore, Domino miserante, revocavit. Quo sanam prædicante doctrinam, viri, ac mulieres compuncti, Dominici Corporis Sacramentum, quod in cistulis, & foraminibus parietum, scissurisque murorum per decenium ex incredulitate, & contemptu absconderant, ad Virum Dei referentes cum lacrimis pœnitentiæ remedia humiliter subjerunt, & ad fidem sanctam reversi sunt.

Durandus ex Monacho Episc.

Claruit his temporibus in Gallia Durandus ex Monacho Ordinis nostri Episcopus Tolosanus, vir magnæ Religionis, & prudenriæ, qui non minùs exemplo sanctæ conversationis, quàm verbo gregem sibi commissum ad normam Christianæ pietatis instituit. Hic primò in Cluniacensi Cœnobio Monchns fuit sub S. Hugone Abbate, deinde crescentibus meritis Abbas Mosiacensis Cœnobij ordinatus fuit, & postremò, sicut diximus, vocatione Cleri canonicâ Tolosanus sublimatur Episcopus.

Godgañus ex Monac. Episc.

Eodem quóque tempore Godgannus sub Abbate S. Hugone memorati Cluniacensis Cœnobij Monachus, Sanctonicensis Ecclesiæ Præsul factus est, vir tam in divinis scripturis eruditus, quàm in sæculari litteratura doctissimus; nec minùs conversationis puritate venerandus.

Claruit his etiam temporibus S. Malachias ex Hibernia natus, primùm Monachus Wintonienſis nostri Ordinis in Anglia, & posteà Episcopus in Lesmor Civitate Mummoniæ, vir multarum virtutum, qui plura Cœnobia Cistercienſis Ordinis fundavit, & postremò in Claravallensi Cœnobio ad Dominum migravit ibidem sepultus: cujus vitam miraculis plenam D. Abbas Bernardus conscripsit.

MCXXVIII.

Malachias ex Monac. Episcop.

Anno Volmari Abbatis VIII. Indictione Roman. VI. mortuus est Rupertus Abbas Monasterij S. Petri in Erphordia, vir devotus, & in rebus Monasticis exercitatissimus. Hic nos credimus in nomine factum errorem, & Burchardum eum fuisse nuncupatum, non Rupertum: nam ut anno S. Wilhelmi Abbatis XIV. & Gebhardi XI. dictum est, Burchardus, non Rupertus cum XII. Monahis ad Erphodiam ex Hirsaugiana Congregatione fuit destinatus: qui Ecclesiam in monte S. Petri consumavit à D. Patre Wilhelmo cæptam. Mortuo igitur hoc anno Abbate prædicti Monasterij (sive Burchardus fuerit, sive Rupertus post illum) Wernherus hujus Cœnobij Hirsaugiensis Monachus Fratrum electione successit, vir multæ religionis, prudentiæ, & honestatis, qui suâ industriâ aquæ ductum ad ipsum Monasterium cunctis mirantibus introduxit, & Capellam retro principalem Ecclesiam ad Orientem ædificavit; in cujus pariete imaginem ejus cum inscriptione nominis vidimus depictam.

Anno prænotato penè finito, Rex Lotharius Natale Domini in Herbipoli cum suis Principibus celebravit, ubi nuncio accepto, quòd

Contra-

Conradus Frater Ducis Suevorum (ſicut per anticipationem ſupra diximus) nomen ſibi Regium apud Alſatiam uſurparet, congregato exercitu Neometenſem civitatem obſidione vallavit, fugato Sigefrido Præſule, qui Anoldo ſupradicto ſucceſſit, Conradus Dux in eadem urbe præſidia ſua locaverat. Sed paucis in obſidione conſumptis diebus, interventu Principum concordia inter Regem, & Spirenſes facta eſt, acceptiſque obſidibus Lotharius receſſit.

Arnoldus Presbyter Romæ prædicat.

His temporibus ſub Honorio Papa II. Presbyter quidam, & Eremita nomine Arnolphus Romam venit, dicens publicè Angelum Domini apparuiſſe in Eremitorio ſibi vigilanti, ac præcepiſſe ut Romam prædicaturus adiens vitia Clericorum ex parte Dei confidenter argueret. Venit, prædicavit, faſtum, ſuperbiam, luxum & avaritiam Cleri, & maximè Cardinalium, acriter cœpit redarguere, & eos ad imitationem converſationis Chriſti, & Apoſtolorum cohortari. Qui cùm prohibitus prædicare non ceſſaret, nocte quâdam occultè captus, in Tyberímque projectus ſuffocatur.

Adelbero fit Archiep. Trevirorũ.

Anno quóque memorato Megenherus Archiepiſcopus Trevirorum propter Clericorum ſuorum rebellionem cœrcendam ad Honorium Papam II. profecturus, ut ſuprà diximus, à ſatellitibus Ducis Conradi, quem excommunicaverat, in itinere capitur, & oculis effoſſis Parmæ in cuſtodiam mittitur, in qua miſeriam ſuam hoc anno Calend. Oct. morte commutavit in Eccleſia Parmenſi ſepultus. Cui Adelbero in Archipræſulatu Trevirorum ſuccedens præfuit annis XXIV. homo ſecundùm ſæculi æſtimationem prudens, & magnæ apud hujus mundi Optimates reputationis.

Eodem anno Lotharius Rex magno ſuorum coadunato exercitu Ulmam Sueviæ oppidum obſidione vallavit. Cùm introitum peteret, Ulmenſes, qui partes Conradi ſequebantur, clauſis portis Lothario tale dederunt reſponſum: Non te intromittemus, ô Princeps alienigena, quoniam hoc oppidum non Saxonibus, nec Italis, ſed Suevorum Ducibus, & Regibus Romanorum (qualem te non eſſe conſtat) patere conſuevit. Quibus motus Rex Lotharius ſuburbana imprimis ignibus cremans ſubvertit. Deinde muros oppidi machinis concutiens ad ſolum dejecit, multíſque Civium occiſis, & captis, alijſqúe fugâ elapſis urbem obtinuit, evertit, & deſtruxit, civéſque in ſua verba jurare compulit.

Embricho fit Episcop. Herbipol

Anno etiam prænotato, Hezelino Herbipolenſis Eccleſiæ Pontifice apud Bambergam mortuo átque ſepulto, Embricho mox electione fratrum canonicâ Epiſcopatum ſuſcepit vir omni probitate conſpicuus, qui multa bona fecit pro Dei honore in conſtruendis, & renovandis Eccleſijs, & Monaſterijs. Huic Pontifici Rex Lotharius Ducatum Francorum, quem Heinricus Imperator V. nepoti ſuo Conrado Suevorum Duci contulerat, ſicut ſupradiximus, reſtituit; & Herbipolenſi Eccleſiæ in perpetuum confirmavit.

Eodem anno S. Norbertus Monaſterij Cellenſis propè Herbipolim in deſcenſu Mogoni fluminis prima fundamenta jecit, tertiâ videlicet die menſis Martij; fundum offerentibus, & impenſas his, qui anno Volmari Abbatis IV. in illuminatione mulieris cœcæ fuerant, in Domini timore compuncti, & ad Ordinem Præmonſtratenſium converſi. E quo-

rum numero primus ejusdem loci Præpositus fuit nomine Joannes, qui & se pridem, & sua in manus S. P. Norberti resignaverat. Cujus devotionem ejus germani Heinricus, & Libolfus secuti, multa pro Dei-genitricis honore ad consumationem dicti Monasterij contulerunt.

MCXXIX.

Spira capitur, Conradus reconciliatur.

Anno Volmari Abbatis IX. Lotharius Rex civitatem Spirens. Conradi partes denuo sequentem ab Idibus Julij usque ad Calend. Januarij fortissimâ iterum obsidione vallavit, nec destitit, donec eam potenter tandem obtinuit. Dux Conradus in eadem urbe tanquam tutissimo præsidio inventus, & ad Regem Lotharium perductus veniam commissorum in eum humiliter petijt, & impetravit.

Eodem anno Halberstattensis Episcopus Otto delatione Canonicorum suorum Romæ apud Honorium Papam accusatus de Simoniâ, & convictus, quòd pro consecratione cujusdam Ecclesiæ XXX. solidos accepisset, tanquam Simoniacus per sententiam Patrum à Pontificatu deponitur. Cui ex Canonicis ejusdem Ecclesiæ quidam Rudolphus nomine successit. Heinricus etiam Virdunensis Episcopus per Matthæum Albanensem Episcopum, & Apostolicæ Sedis Legatum pro simili transgressione deponitur.

Fridericus Archiep. Colon. reconciliatur

Anno prænotato Fridericus Colonienſis Archiepiscopus, qui eatenus Regi Lothario rebellis, & contrarius extitit, reconciliatus in gratiam ejus suscipitur. Bruno quóque Præsul Argentinensis ab Ecclesia sua jam per annos quatuor expulsus, interventu Reginæ, & Episcoporum in gratiam à Rege recipitur.

Anno etiam memorato, quintâ die mensis Octobris audita fuerunt tonitrua nimis terribilia, coruscationes quóque, & fulgura subsecuta cum tempestate ingenti, quæ tam in ædificijs, quàm in arboribus, & vineis multa mortalibus intulerunt damna cum plurium interitu pecorum.

Eodem anno in festo Dominicæ Resurrectionis Philippus Ludovici Regis partium Gallicanarum filius adhuc puer cum magna solemnitate in Ecclesia Rhemorum, adhuc patre vivente, ídque jubente coronatur in Regem, & inungitur more Gallorum. Qui puer vix biennio postea, cùm die quâdam in civitate Parisiorum in equo per plateam regio veheretur apparatu, porcellus à casu discurrens, & fugâ, ut fieri solet, turbatus, pedibus caballi se submisit, & regulum cum equo præcipitem dedit; qui fractâ cervice in eodem loco exspiravit. Et ob hanc rem porci omnes ab ipsâ civitate decreto Regio arcentur.

Anno prænotato Eckardus ex Monacho hujus Hirsaugiani Cœnobij primus Abbas Monasterij S. Laurentij Martyris in Vraugia Herbipolensis Diœcesis, de quo supra diximus anno Brunonis XIII. sequentem epistolam scripsit Volmaro Abbati.

Exemplar Epistolæ Eckardi ad Volmarũ Abbatem.

Dignissimæ Reverentiæ, Reverendissimæq; dignitatis Viro, Domino Volmaro Hirsaugiensium Abbati, eisdemq; præcipuis nimirum membris capitis summi frater Eckardus, cæteraq; S. Laurentij perexigua familia: si quid valent orationum, vel servitutis pauperum xenia. Spirituali plurimarum filiarum Matri Hirsaugiæ, nondum ad incrementum perducta gratias agit ingentes filia cæteris jure despectior Vraugia: arbitris etiam internis semper implorat præmia pro benefi-

beneficijs scilicet nobis à vestra clementia gratis impensis: per quæ tam erga nos, quàm super cunctos necessitatem patientes materna viscera reludere soletis. Ad hæc iterum, iterúmque pedibus vestris advoluti mente, & spiritu petitionem nostram continuam auribus clementiæ vestræ suggerere non cessamus: quatenus novellam plantationem Vineæ Domini Sabaoth, quam apud nos initiastis, neglectui non tradatis, sed servo Domini Ottoni Episcopo (cujus legatione fungimur) hanc suæ charitatis vicissitudinem rependentes, aliquem nobis ad præsens seniorem destinetis, quem vos seniorem noveritis; cujus apud nos irrigetur solertiâ, quod benignè plantastis. Remisimus etiam fratrem præsentem Conradum, paupertatem nostram tædio habentem, vestrásque spirituales divitias spiritu fervente sitientem, testimonium illi perhibentes, quòd fideliter nobiscum conversatus tam honori vestro, quàm utilitatibus nostris non segniter hactenus per omnia insudaverit. Nunc autem, ut omnimodis affirmat, obitûs sui vicinitatem pertimescens, in vestro sanctissimo Collegio potissimè, ac novissimè inveniri desiderat. Valeat, vigeat, & in æternum coram Christo vivat sanctitas vestra, inveniat etiam nunc, & semper in conspectu vestro gratiam humilitas nostra.

Seniorem sibi petit transmitti.

Conradum remisit Hirsaugiã.

MCXXX.

Anno Volmari Abbatis X. Præpositura Monasterij S. Joannis Baptistæ in Ringaugia Moguntinæ Diœcesis propè Vinicellam Ordinis nostri, quam Ruthardus Archiepiscopus Moguntinus anno Brunonis tertio fundavit, & Monasterio S. Martyris Albani subjecit, per Adelbertum Archipræsulem Ruthardi successorem de consensu Wernheri Abbatis prædicti Cœnobij D. Albani Martyris in Abbatiam erigitur, & Eigilvvardus Abbas ibidem primus ordinatur, vir tam in divinis scripturis eruditus, quàm morum honestate præcipuus.

Præpositura S. Joannis fit Abbatia.

His etiam temporibus Comites de Lurburg Monasterium Ordinis nostri construxerunt in loco, qui dicitur Gronavve, in finibus Trevirensis Diœcesis uno à Schönaugiensi supra dicto Cœnobio, & duobus à Rheno distans milliaribus, in quo Monachos sub imperio conversantes Abbatis posuerunt, quibus vitæ necessaria ad serviendum Domino secundùm D. Patris nostri Regulam providerunt. In hoc Monasterio Caput S. Sebastiani Martyris ostenditur, quod fundatores dono Papæ Honorij II. Româ transtulisse perhibentur.

Anno prænotato Honorius Papa II. moritur, cui mox in Pontificatu Patrũ electione successit Iñocentius II. patriâ Romanus, Gregorius anteà dictus, & præfuit annis tredecim, vel, ut quidam scribunt, decem & octo; vir certè optimus, & qui multa sustinuit adversa, & tamen à bonis studijs non cessavit. Nam Romani quidam seditiosi muneribus, & promissionibus corrupti quendam Petrum Leonis contra Innocentium Antipapam erexerunt, qui Anacletus dictus est, & magnam Ecclesiæ turbationem suscitavit. Unde Papa Innocentius Romanorum perfidiam declinans per Pisas venit in Galliam, & duobus celebratis Concilijs, altero in Taramonte, altero Leodij omnium sententiâ Pontificum verus Christi Vicarius declaratus est, & Petrus Leonis condemnatus.

Iñocentius secundus fit Papa.

His temporibus Fridericus Archiepiscopus Colonienſis Monasterium in Insula Rheni Fluminis inter Bunnam & Andernach, quæ dicitur Insula Rolandi, construxit, inquo multitudinem Virginum Omnipotenti

tenti Deo in Castitate mentis, & corporis famulantium collocavit, quibus & necessaria secundùm Regulam nostri Ordinis providit.

Eodem anno Nürenbergenses ad obedientiam Regis Lotharij venientes Conrado, sicut diximus, jam humiliato castrum cum oppido tradiderunt.

Circa hæc tempora Comes quidam Foburgensis Deum bonorum suorum cupiens habere hæredem, nobile illud Ordinis nostri Monasterium Richenbach in Bavaria novum à fundamentis construxit, in quo Monachos sub Abbate secundùm Regulam sancti Benedicti Deo servientes posuit, quibus vitæ hujus necessaria copiosè contulit.

His etiam ferme temporibus Otto Comes de Scheurin in Bavaria consentientibus sibi, & cooperantibus Conrado Comite, Ottone Comite Dogaviæ, Ottone altero Comite Palatino in Witelspach, & alijs octo Comitibus, qui partem, titulum, & insignia de ipso Castello & Comitatu Scheüren ferebant, destructo Castro, quod jam nimiâ vetustate minabatur ruinam, Monasterium Servorum Dei Ordinis nostri in eodem loco construxit, & magnificè dotavit, quod consecrari sub honore beatissimæ Dei-genitricis Mariæ obtinuit.

Comitis impia temeritas.

Erat unus inter Comites homo rudis, & temerarius nomine Arnoldus, qui nec pretio, nec prece induci potuit, ut jus suum Beatissimæ Virgini Mariæ pro construendo Servorum Dei Cœnobio resignaret. In illo autem die, quo cæteri suas portiones publicâ traditione Matri Misericordiæ hilariter obtulerunt, temerarius ille furore succensus, propriam cum ira chirotecâ projecit in aëra dicens: *Veni Domine Diabole, cape meam hujus Castelli portionem, quoniam omne jus meum ad illud tibi do, trado, & liberâ voluntate resigno.* Mox Dæmones invisibiles chirotecam visibilem rapientes per aëra deportârunt cernentibus cunctis; quæ nusquam posteà comparuit. Nec dubium, qui chirotecam abstulit, etiam offerentis animam exspectavit.

Partē suum diabolo tradit.

MCXXXI.

Anno Volmari Abbatis XI. Indictione Romanorum IX. Lotharius Rex cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, atque Principibus multis ad Concilium super tunc præsenti schismate inter Innocentium & Anacletum apud Leodium Urbem Lothatingiæ indictum profectus, advenientem illò ipsum Papam Innocentium summa cum Reverentia suscepit, cui & contra Petrum Leonis invasorem Sedis *Apostolicæ* suffragium promisit. In quo Consilio Innocentius Papa *verus* Christi vicarius omnium consensu acclamatus est; invasor autem Sedis sanctæ condemnatus.

Celebratur Synodus Moguntiæ.

Eodem anno Rex Lotharius Synodum aliam Episcoporum & Abbatum in Moguntia convocari fecit, cui & ipse cum certis principibus interfuit; in qua Matthæus Albanensis Episcopus Apostolicæ Sedis jam per triennium in Germania Legatus præsedit. In hac Synodo fuere præsentes inter multos, quorum nomina ignoramus, Adelbertus Archiepiscopus Moguntinus; Adelbero Archiepiscopus Trevirorum, S. Otto Episcopus Bambergensis, Embricho Episcopus Herbipolensis, Buggo Episcopus Wormatiensis, Sigefridus Episcopus Spirensis, Bruno Episcopus Argentinensis, Rudolphus Halberstatensis Episcopus, Bernhardus Episcopus

scopus Padelbornensis: Udalricus quóque Abbas Fuldensis; Volmarus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis, & alij multi Abbates. Iterum Innocentius verus Papa declaratus est.

Anno prænotato mortuus est Fridericus Archiepiscopus Colonienſis fundator, ut supra diximus, Cœnobij Sanctimonialium Ordinis nostri in Insula Rolandi, vir prudens, & in cunctis actionibus suis magnificus Regibus metuendus atq; Principibus. Obijt autem in Castello Wolckenberg dicto, quod ipse novum à Fundamentis in cacumine altissimi montis prope Drachenfels construxerat; illóque infirmus pro aëris salubritate portari se fecerat. Ad hunc Præsulem Rupertus Tuitiensis plura scripsit Volumina. Postquam judicio Regis ac Principum ac trium Cardinalium in Colonia tunc nomine Papæ Innocentij præsentium Bruno Præpositus S. Gereonis Adolphi Comitis de Altenae Filius contra Voluntatem plurimorum in Arciepiscopum Colonienſis Ecclesiæ ordinatus est. Fridericus Archiepiscopus Colonienſis moritur.

Eodem quóque anno Lotharius Romanorum Rex expeditionem movit in Danos, & Sclavos Romano Imperio, & suis mandatis rebelles, & inobedientes, quos facto congressu compulit obedire.

Hoc ipso etiam anno Egbertus Monasterienſis Ecclesiæ Præsul quondam Decanus principalis Ecclesiæ Colonienſis, in ordinatione Brunonis Archiepiscopi Coloniæ ex istens ibidem moritur: cujus cadaver ad propriam relatum in suâ Ecclesiâ sepelitur; cui Wernherus successit. Egbertus, Episcopus Monasterienſis moritur.

His quóque temporibus Comes quidem dives, & potens de Monte Belgradi, Monasterium Ordinis nostri fundavit sanctæ Walpurgis in Diœcesi Argentinensi, quod tribus à Wissenburgio, & uno ab Hagenavve oppido milliaribus distat: in quo Monachos sub norma Sancti Benedicti, & imperio Abbatis Domino militantes continuè collocavit; quibus, & hujus vitæ necessaria pro sustentatione copiosè ordinavit. Aliud quóque Cœnobium Sanctimonialium, quod Bibelis nuncupatur, haud procul à dicto Sanctæ Waldpurgis Monasterio idem Comes in eodem nemore constituit, in quo multitudinem Virginum Omnipotenti Domino in puritate mentis, & corporis die ac nocte famulantes posuit, quibus etiam prædia, & redditus annuos competentes dedit.

Prima hujus Cœnobij Abbatissa memorati Comitis, & Fundatoris unica filia fuit, quæ desiderio cælestis patriæ succensa, mundum pro Christi amore sprevit, & sanctum Monasticæ conversationis habitum suscepit: Nomen ejus Gunthildis erat, quum Incolæ symoputo Vocabulo Sanctum Guntum consueverunt appellare. Hæc Virgo sanctæ conversationis Verbo, & exemplo gregem sibi commissum ad pietatem instituit, & miraculis clara tandem sexto Calendas Decembris in Domino quievit, sepulta inmedio Ecclesiæ ante altare Sanctæ Crucis.

Claruit his quóque temporibus in hoc Hirsaugiensi Cœnobio Conradus Monachus, qui nomen suum ex humilitate occultans peregrinum se in suis lucubrationibus nuncupat. Beati Wilhelmi quondam auditor atque discipulus, vir in omni scientiâ scripturarum doctissimus, & non minus Religionis observantiâ venerandus: qui sub nomine peregini scripsit multa præclara opuscula; de quibus extant subjecta: Ad Theodoram Sanctimonialem opus insigne, quod prænotavit Speculum Virginum libri Opuscula Monachi Conradi Hirsaug.

libri VIII. In Evangelium per circulum anni Volumen magnum. De Vitæ Spiritûs & Fructu Mortis liber 1. Et alius quidam prænotatur Matriculorum lib. 1. Didascolon liber 1. De Musica & differentia Tonorum lib. 1. De laudibus S. Benedicti carmine heroico lib. 1. Sermones quoque varios, Homilias, simul & Epistolas plures eleganter composuit, quarum mentionem facere singulatim nimis prolixum foret, & tædiosum.

Multis annis monachorum scholis in hoc Cœnobio præfuit, & plures discipulos insignes, atque doctissimos educavit. Obijt tandem Octogenarius cum Patribus suis in majori Cœnobio ut servus Christi sepultus.

MCXXXII.

Druttwinus ex Monacho Hirsaugiensi Abbas primus moritur.

Anno Volmari Abbatis duodecimo, indictione Romanorum decima: moritur Druttvvinus ex Monacho Hirsaugianæ Congregationis primus Abbas in Breytenauvve homo sanctæ ac religiosissimæ conversationis: anno regiminis sui tertio decimo: & in Ecclesia Monasterij sui cum debito sepelitur honore: de quo latius est dictum anno Brunonis Abbatis quarto decimo. Multa fecit bona pro Dei honore & plures ad consummandum structuras Monasterij à Wernhero Comite inceptas, laboris hilari devotione impendit. Quo mortuo fratres curâ pastoris destituti legationem miserunt ad Volmarum hujus Cœnobij Venerabilem principem postulantes sibi Abbatem in locum demortui quem judicaret idoneum destinari. Qui Seniorum suorum præhabito ex more consilio misit eis sanctum & Venerabilem monachum nomine Henricum in divinis scripturis egregiè doctum, & morum integritate fine dubio sanctissimum. Qui veniens ad Breytenavve cum magna exultatione à fratribus susceptus & per Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum in Abbatem ordinatus præfuit gregi dominico sibi commisso in solicitudine Charitatis.

Sanctus Henricus fit secundus Abbas in Breytenauwe.

Qui cum esset in omni varietate scripturarum eruditus scripsit nonnullas parvæ utilitatis opuscula, è quibus nos vidimus subnotata. Dialogum in persona divitis epulonis & Lazari pauperis in sinu Abrahæ quiescentis, quem prænotavit de Contemptu sæculi. Et sic incipit: *Instabilis regni vitæ amator.* Volumem quoque multarum orationum supplicatoriarum ad Deum & sanctos, quod sic incipit: *O Ærumnosa mea anima.* Librum de Conflictu virtutum, & vitiorum: qui sic incipit. *Cum variis vitijs virtutum discere scriptis.* De duodecim abusionibus librum unum, qui sic incipit: *Constat abusiva bis sex mundi fore dicta.* De lapsu primi hominis & rædio exilij præsentis librum unum, qui sic inicipit: *Adapecare serpens.* De Civitate cujus nomen Dominus ibidem *librum* 1. qui sic incipit: *Quo non fruitus libeat cum scribere munus.* De habitu Virginum lib. 1. qui sic incipit: *Christe salus cuncta.* De memoria mortis lib. 1. qui sic incipit: *Quid genus humanum.* De Domino nostro JESU Christo lib. 1. Qui sic incipit: *Pauperior cunctis ego.* De Mystico Corpore Christi lib. 1. Qui sic incipit: *Urbem Catholicam.* De fide Catholica. lib. 1. qui sic incipit: *Filius Ecclesiæ verus qui percupit esse.* Flosculorum lib. 1. qui sic incipit: *More meo campo Scripturæ.* Hymnorum vario genere metri lib. 1. qui sic incipit: *Laus tritici sit mortuo grano.* Epistolarum ad diversos lib. 1. qui sic incipit: *Venerabili Carnotensium Præsuli Stephano pro possibilitate.* Hujus viri sanctissimam vitam virtutibus, & miraculis plenam in sæpe dicto Monasterio Breytenauvv, vidimus sermone luculento descriptam.

Multi

Multi quoque viri nobiles, & docti famâ ſanctitatis ejus excitati ſub ejus magiſterio militaturi Domino, ſanctæ Converſationis habitum ſuſceperunt. Inter quos non ultimo loco videtur æſtimandus Comes de Schönberg Adelbertus dives, & potens in ſæculo: qui contemptis mundi honoribus, divitijs, & voluptatibus cunctis, pro Chriſti amore in eodem Cœnobio Monachus factus eſt, & in tanta vitæ ſanctimonia vixit ut mortuus miraculis coruſcârit. Ad hunc Henricum Rupertus Abbas Lynzburgenſis per Sigefridum Spirenſem Epiſcopum ut ſupra diximus volmari Abbatis anno quarto propter novam vitæ ſingularitatem corigendus, fuit relegatus.

Comes de Schonberg fit Monachus.

Anno prænotato S. Hugo Granapolitanus Epiſcopus primâ die menſis Aprilis quæ fuit ſextâ feriâ ante Dominicam Palmarum moriens ad Dominum migravit. Anno ætatis ſuæ octuageſimo Pontificatûs autem quinquageſimo ſecundo: cujus vitam virtutibus, & miraculis plenam Gvvigo quintus Carthuſiæ Prior deſcripſit.

S. Hugo Epiſcopus Granopolitanus.

Eodem quoque anno mortuus Cuno ex Abbate Monaſterij ſancti Michaëlis in Segeberg Ordinis noſtri Colonienſis Diœceſis, Epiſcopus Ratiſponenſis Eccleſiæ in Bavaria, de quo diximus anno Volmari Abbatis 6. & in Eccleſia ſua Principali, cum honore ſepelitur debito: vir certè doctrinâ & morum integritate venerabilis, qui non minus exemplo bonæ actionis, quàm verbo dignum ſe paſtorem præbuit.

Cunò Epiſcopus Ratiſponenſis obijt.

Hoc ipſo quoque anno mortuus eſt Bertholdus Hildesheimenſis Epiſcopus in Saxonia cui Bernardus ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus Fratrum Electione ſucceſſit, qui Corpus S. Gothardi quondam ex Monacho N. Ord. Hildeshemenſis Epiſcopi de terra levavit cum ingenti honore, & exultatione populi Civitatis, quod annis nonaginta quinquein tumulo jacuerat ſepultum; de cujus ordinatione diximus anno vacante Monaſterio xxi.

Bernhardus fit Epiſc. Hildesheimenſis.

Circa hæc tempora contigit res nova, & ſatis miranda in prænominata Hildeshemenſi Diœceſi. Nam ſpiritus quidam corpore fictitio aſſumpto quotiens voluit multis hominbus in habitu ruſtico apparuit, viſibilis pileum geſtans in capite unde & pileatus, in vulgari verò Saxonico Hudekin ab incolis terræ palam dicebatur; loquens & ridens delectabatur eſſe cum hominibus; ad interrogata reſpondit & plura miranda fecit. Burchardo Comite de Luca per Hermannum Comitem de Wynſenburg interfecto cum in ultionem hujus necis multi Principes & nobiles non injuriâ perſequerentur homicidam, fugere tandem & exire Patriam miſer compulſus fuit. Quâdam nocte cum Nobiles certi condixiſſent inter ſe ut Caſtellum Wyſenburg perſcalas appoſitas invaderent, & ſuis uſibus manciparent; præfatus Spiritus Hudekin dormientem in ſtratu ſuo Bernhardum Hildesheimenſem Epiſcopum (cujus feudum erat Comitatus occiſoris) accedens ſuſcitavit eum dicens: ſurge Papa, quoniam niſi properes cito, caſtrum Wynſenburg per tales ſic & ſic nocte iſtâ capietur; Qui conſurgens milites ad præoccupandum caſtellum miſit, quibus occultè ingreſſis, & munitionibus præoccupatis ſtatim etiam veniunt conjurati, qui omnes à prioribus quos adeſſe neſcierant, ſunt interfecti. Et tali modo caſtellum cum ipſo Comitatu Hildesheimenſi acceſſit Eccleſiæ. Imperatorum poſtea interveniente conſenſu, denique ſpiritus ille memoratum Pontificem & plures alios de multis ſæpe vel agendis vel caven-

Hudekin ſpiritus in Saxoniâ plura fecit miranda.

Comes de Winſenburg occiditur.

Spiritus dormientem aviſſat Epiſcopũ.

Spiritus coquinam frequentat Episcopi.

dis opportunè satis prænonebat. In Curia quoque ipsius Episcopi spiritus morabatur frequentius, & in coquina sæpius apparebat loquens, & ministrans cocis aliquando visibiliter, aliquando verò invisibiliter. Neminem læsit, neminem offendit, nisi prior ipse læsus. Injuriarum tamen memor contumelias & irrisiones graviter ferebat, vicem inferentibus rependens. Unde cum tandem ex consuetudine familiarior factus in coquina jam à nemine timeretur, puerulus quidam ministris subserviens illum cæpit contemnere: contumelijs afficere & subsannare, ac quotiens potuisset immunditias coquinæ in eum projicere. Qui cum seniorem culinæ sæpius rogaret quatenus puerum ab insolentia compesceret; ille respondit tu spiritus es, & puerum times? Cui dæmonium: nisi puerum citò retraxeris ab insolentia sua, brevi quantùm illum timeam, experièris.

Spiritus interfecit & coxit puerum.

Non post multos dies cum nocte quâdam puer in Coquinâ solus dormiret, venit spiritus & suffocatum illum, in frusta conscidit, ollæque impositum, aquaq; superinfusa, ut moris est ad ignem coquere cœpit. Quo facto, magnis vocibus cocum inclamitans dixit, veni coce descende velociter, & vide pulmentarium, quod tibi ad ignem composui. Territus cocus ad crepitum ignis & vocem spiritûs, surrexit, descendit, puerum sectum in olla reperit. Qui stupore concussus & furore commotus spiritui maledicere cœpit. Cui ille cessa iniquit à maledictis ne tibi simile contingat, quoniam sæpius te rogavi, ut ab injurijs meis compesceres illum & noluisti: Ecce nunc vindicavi contumelias meas necessitate compulsus.

Spiritus assaturâ bufonibus stillat.

Paucis exinde diebus elapsis cum assatura carnium verteretur ad ignem intravit spiritus, & coquo in suo ministerio, ut fieri solet, mente aliorsum distractum, Spiritus è pera, quam ad latus portare videbatur, magnos, pingues, & horribiles nimium bufones extraxit: & manibus fortiter compressos putredinem eorum cum veneno assaturis instillavit dicens: Pro maledictionibus tuis coce, do tibi hanc pinguedinem venationis mez.

Cocus spiritum cum veru verberat.

Ad cujus vocem cum ille conversus vidisset, quod agebatur per spiritum animo turbatus veru cum assaturis arripuit, & in spiritum fortiter cum impetu vibravit. Ille se fingens iratum dixit ad cocum: sciens scito, quod hanc irrogatam nunc per te mihi contumeliam non transibo inultam, sed opportunè vindicabo. Consueverat autem spiritus noctu in turribus & muris castelli Pontificis more vigilum consistere & clamare, ipsosque dormientes in guardia custodes excitare: & suis clamoribus ad vigilandum compellere. Quâdam igitur nocte more suo clamitans cocum juxta dormientem ad se vocat: pulchrum se quidpiam pollicens ostensurum; surgit cocus pontem illusorium spiritûs arte fabricatum putans esse verum, nihil metuens ascendit, in fossatum cecidit, tibiam fregit. Ex doloris vehementia cocus flevit, spiritus risit, & improperans jacenti dixit: Iterumne veru me in tua culina percuties coce? Jam ut pollicitus fueram, irrogatas mihi contumelias lætus vindicavi. De cætero negotijs tuis prospiciens me non injuriabis.

Historia ejusdem spiritus ridiculosa.

Vir erat in quodam oppido Saxoniæ pro suis negotijs nescio quorsum profecturus, cúmque jam esset præcinctus ad iter, quasi per contumeliam dixit ad eũ uxor ejus mulier videlicet impudica, & adultera. Tu proficiscèris in terras remotiores, & pro me quis jam erit sollicitus? Cui per jocum respondit maritus: spiritus ille Hudekin audivi, quod bonus sit socius, ipsius te curæ, ac sollicitudini forendam com-

committo. His dictis abijt homo in viam suam. Quo abeunte posuit mulier cum adulteris portionem suam, & cum successivè plures advocaret amatores suos, cum nullo tamen, spiritu se interponente, mœchari potuit vel commisceri. Mox enim ut aliquis mulierem contingere manibus tentavit, arreptum invisibiliter spiritus de lecto projecit in terram. Cumq; hoc ipsũ singulis noctibus, & cum singulis amatoribus fieret; mulier incantatã se maleficio existimans multis & varijs squillæ remedijs utebatur incassum, & frustra. Etenim spiritu eam, cui erat commissa, invisibiliter custodiente, nemo ad ejus commixtionem accedere potuit. Viro tandem revertenti spiritus extra oppidum consueto indutus habitu rustici pileatus occurrens dixit: gratus atque jucundus est mihi tuus adventus, utpote qui magno labore me relevabit. Ad quem ille quis inquit es tu, vel in quo te meus poterit relevare adventus? Cui spiritus: ego sum inquit Hudekin bonus ille socius cui nuper abiturus tuendam commendasti uxorem. Ecce reddo illam sicut accepi corpore quidem castam, mente ut erat lascivam. Sed rogo, & obtestor te per caput tuum ô bone vir, ne abiturus deinceps tuam mihi committas uxorem. Nam juro per cælum, & terram quoniam si alterum oporteret, ex duobus, & mihi optio daretur, mallem omnes totius patriæ custodire porcos à lupis quàm solam uxorem tuam à lascivis, & turpibus amatoribus suis. Multa quoque, & alia tam seriosa quàm ridiculosa spiritus ille patravit, quorum isthic recensere historiam nimis videretur tædiosum. Qui tandem à memorato Hildesheimensi Pontifice per censuras Ecclesiasticas eliminatus de patria recedere compulsus fuit. Posthæc visus in medio turbarum Aquisgrani à quodam, de Saxonia viro & agnitus rogabat, ut pro suo apud Episcopum reditu supplicaret. homo verba spiritus ad Pontificem retulit, sed reditus non est concessus.

Non permisit spiritus adulterium fieri.

Maluit spiritus custodire porcos quàm mulierem.

A patriâ spiritus per censuras pellitur.

MCXXXIII.

Año Volmari Abbatis XIII. Lotharius Rex ad preces Innocentij Papæ II. magno suorum Principum, Episcoporum, Abbatum atque Nobilium congregato exercitu Romam profectus est, Antipapa Petri Leonis fugiente ad inthronizandum ipsum Pontificem in Sedem Apostolicam. Iter agens per Italiam munitiones quasdam sibi obsistentes cœpit, ac tandem penultimâ die mensis Aprilis urbem ingressus magno honore à Romanis susceptus est, & quia schisma Deo permittente cum morte Petri Leonis nondum finem habebat: Innocentium faventibus Romanis in Sedem Petri Apostoli Christi locavit, & omnes in ejus obedientiam jurare compulit, donec deinceps maledicti schismatis turbatio cessavit, lætantibus cunctis, qui pacis diligebant largitorem.

Lotharius Rex Romã proficiscitur.

Innocentius Sedi suæ restituitur.

Posthæc quartâ die mensis Junij anno prænotato Innocentius Papa II. defensorem suum Lotharium Regem in Ecclesia S. Joannis Lateranensi astantibus Clericis & populo civitatis pene innumerabili, cum magna pompa imperiali diademate coronavit: he tantis laboribus & impensis viri pro se factis videretur ingratus, nec enim parva erant, quæ pro ejus honore fecerat. Rebus posthæc in Italia compositis Imperator ad Germaniam revertitur, habens in comitatu suo S. Bernardum Abbatem.

Lotharius Rex Imperator coronatur.

Anno prænotato IV. Nonas Augusti Lunâ XXVII. horâ diei sextâ, defectio solis, quam Ecclipsin Græci nominant facta est magna, ita, quod

Solis defectio Aquarum inundatio.

stellæ clarè viderentur apparere in cœlo. Aëris deinde magna inæqualitas, & pluviarum inundatio multa subsecuta est.

Eodem anno filius sororis Lotharij Imperatoris Hollandiæ videlicet Comes à Godfrido, & Hermanno fratribus de Cuch, Trajecti occisus fuit, in quos vindicta gravis postea ut merebantur capitum ablatione processit.

Cœnobiũ Eberbach fundatur.

His temporibus Monasterium Eberbach Cisterciensis Ordinis Sancto Bernardo instante per Adelbertum seniorem Archiepiscopum Moguntinum in Ringaugia construitur in loco, qui ab incolis terræ Eberbach dicitur, & distat à Moguntia duobus fermè milliaribus in Rheni descensu, in quo idem venerandus Pontifex post ultima fata sepulturam accepit.

Guigo Carthusiæ Prior quintus.

Circa hæc tempora claruit Guigo quintus Prior Carthusiæ majoris, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, ingenio solers, memoriâ tenax facundiâ admirabilis, exhortatione efficacissimus, qui antecessores suos famâ, & auctoritate longè præcessit, sub cujus Prioratu Ordo Carthusiensis in sex domibus de novo constructis incrementa sumpsit. Hic ad mandatum Innocentij Papæ II. vitam S. Hugonis Granopolitani Pontificis eleganti sermone conscripsit, Epistolas D. Hieronymi correxit, & emendavit. Denique scripsit, etiam multas, & devotissimas Epistolas ad diversos, sed & alios complures tractatus devotionis composuisse dicitur, qui ad notitiam nostræ lectionis non venerunt. Moritur tandem virtutum plenus meritis XXVII. die mensis Julij Anno ætatis suæ LIV. conversionis XXX. Prioratûs verò sui XXVII. Anno scilicet Volmari Abbatis Hirsaug: XVII. Hugo etiam de S. Victore Parisiensis hæc tempora tam vitæ merito quam eruditione scripturarum omnimoda reddidit clariora: qui quanta scripserit, quàm pulchra, quàm utilia & sancta in in libro de scriptoribus Ecclesiasticis sufficienter ostendimus. Magna inter ipsum, & D. Bernardum Abbatem Clarevallensem amicitia in Christo coaluit: quod ex utriusque libris & Epistolis facillimè conijcitur. Sunt, qui dicant eum patriâ fuisse Theutonicum & in Saxonia natum, quod nos verum comprobare certò non possumus.

Lucas S. Cornelij Abbas Doctor.

Claruit his etiam temporibus Lucas Monasterij S. Cornelij nostri Ordinis Abbas in scripturis sanctis continua exercitatione peritus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, in exponendis sacris voluminibus nobile ingenium consecutus, qui memoriam sui varia scribendo ad notitiam posteritatis cum laude transmisit. De cujus tamen lucubrationibus pauca in manus pervenerunt. Extat ejus in Cantica Canticorum lib. I. In Evangelium Matthæi liber. I. In Evangelium Joannis liber I. Sermones multi ad Fratres: & alia.

Opuscula hujus Lucæ Abbatis.

Odo Abbas S. Remigij Doctor.

His quoque temporibus claruit in Gallia Odo Monasterij S. Remigij nostri Ordinis Abbas in diœcesi Remorum vir in omni varietate scripturarum doctus, & in observantia Regularis disciplinæ vigilantissimus Guigonis supradicti Carthusiæ Prioris amicus, & fautor singularis, qui scripsit inter cætera de vita, & miraculis Divi Remigij lib. 2. De Operibus Charitatis lib. I. De Institutione Monachorum lib. I. Cætera quæ composuit ad notitiam nostræ lectionis adhuc minimè venerunt. Ejus consilio & auxilio domus nova Montis Dei Carthusiensis Ordinis fundata est.

Gra-

Gratianus Monachus Classensis Cœnobij in Italia nostri ordinis his temporibus magno apud doctos in pretio fuit. Qui cum esset vir tam in divinis scripturis quàm in sæcularibus litteris doctissimus ut multis proficeret ejus eruditio in salutem, scripsit non sine magno labore quatuor libros Decretorum, opus profectò maximis laudibus celebrandum; quod concordiam discordantium Canonum prænotavit; Et ab Eugenio Papa tertio fuit approbatum. Alia verò siqua composuit, nostram fugiunt lectionem. Gratianus Monachus Doctor,

Claruit his quoque temporibus Hugo de Folieto Monachus Corbejensis Cœnobij nostri Ordinis in Gallia, vir in divinis scripturis multùm eruditus, ingenio subtilis, eloquio dulcis, vitâ & conversatione devotissimus, qui scripsit de clausto materiali librum unum, de clausto spirituali lib. 1. de clausto animæ lib. 1. de clausto Paradisi lib. 1. de Carcere inferni. lib. 11. Sermones quoque & Epistolas plures ad diversos. Reliquorum ejus operum notitiam non habemus. Hugo Folieti Monachus Doct.

MCXXXIV.

Anno Volmari Abbatis quarto decimo Lotharius Imperator Pascha Domini cum multis Episcopis atque Principibus celebravit in Saxonia Urbe videlicet Halberstattensi, ubi Danorum Rex magnus & se, & sua in potestatem Lotharij tradidit, fidelitatis juramentum denuo fecit, obsides dedit, & quod nec ipse nec sui successores sine Imperatoris consensu deinceps regnare debeant in Dacia litteris voluntate spontaneâ confirmavit. His ritè peractis in Daciam reversus est, & in die sancto Pentecostes cum Patre suo Nicolao Episcopis quinque, præsbyteris sex à Danis occiditur. Dacia Romano subest Imperio.

Eodem Anno Lotharius Imperator diem Pentecostes celebravit in Mersburg ubi Filiam suam Gertrudem Henrico Duci Bavariæ cognomento superbo, dedit uxorem, tradens sibi ducatum Saxoniæ in perpetuam hæreditatem. Et ex eo tempore Henricus dux Saxonum fuit simul & Bavarorum. Qui cum esset vir dives, potens, fortis & audax multa socero defuncto prælia movit, & maximis conatibus licèt frustra ad imperium anhelavit. Iste dux Henricus superbus ex memorata filia Imperatoris Lotharij genuit Henricum cognomento Leonem Saxoniæ ducem virum bellicosum, audacem & strenuum; de quo veteres Germani Poëtæ miranda finxerunt, vulgari canentes in Carmine atque in tapetis Principum, ac parietibus aularum pingentes ejus confictæ & fabulosæ peregrinationis historiam. Quomodo videlicet corio insutus equino & à grifonibus raptus periculum evaserit maris, pereuntibus socijs cunctis cum avibus pugnaverit, draconem occiderit, per mare cum leone transierit, & tandem uxore sua Mechtilde (quæ filia Regis fuit Anglorum) nuptias cum novo celebrante marito, ministerio dæmonis una cum leone suo ad Castellum suum reductus fuerit; annulúmque uxori per janitorem miserit, & agnitus nuptias dissipaverit, similiáque his alia multa, quæ magis ficta quam vera gestorum ejus seriem mysticè significant. Consueverunt enim veteres Germani studia gestúsque imitantes Græcorum, à quibus duxerunt originem, fortia Principum suorum acta in Carmen & Cantilenas reducere: & mortalium facta, Deorum immortalium gestis sub figurarum & ænigmatum restringendo symbolis comparare. Henricus Dux Bavariæ & Saxoniæ. Historia Ducis Brunsuicensis. Fabulosa Ducis Henrici Historia. Mos Veterum Germanorum.

Quod

Quod factum in hoc duce Henrico non dubitaverim, cui propter fortitudinem, audaciam & res gestas cognomen attribuêre Leonis: & veritatem historiæ sub mysterio reponentes supra mortalium efferre metas hominem studuere mortalem. Ab isto duce Henrico nobilissimo qui hodie sunt Duces Brunsuicenses, Luneburgenses & de Castro Leonis omnes descenderunt sicut patebit legenti historiam.

S. Norbertus Archiepiscopus obijt.

Anno prænotato mortuus est S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis in Saxonia: institutor primus Ordinis Præmonstratensis vir magni apud Deum meriti: cujus sacrum corpus majoris Ecclesiæ sancti Mauritij Canonici ad se pertinere cum dicerent quorum fuit Archiepiscopus: fratres S. Mariæ contradicentes sibi deberi potius quorum institutor fuit Ordinis affirmârunt. Sed piâ eorum contentione ad Imperatorem delatâ corpus datur fratribus Ordinis in Ecclesia ipsorum sepeliendum. Obijt autem S. iste Norbertus octavo die Mensis Julij post quem Conradus cujusdam comitis filius Archipræsul ordinatur.

Cœnobiũ S. Jacobi Herbipolis construitur.

Eodem quoque Anno rediens à Moguntia Eubricho Herbipolensis Ecclesiæ præsul Monasterium S. Jacobi Majoris Apostoli cui Domino miserante præsedeo indignus ego Joannes Trithemius Abbas, in sub Urbano prænominatæ Civitatis construere cœpit quod temporis successu perficiens, Monachos sub Abbate & Regula Sanctissimi Patris nostri Domini Benedicti Christo servientes in eo collocavit, quibus hujus vitæ necessaria tam ipse quàm fideles mediocriter providerunt.

S. Macharius primus Abbas miraculis clarus.

Primus autem ejusdem Cœnobij Abbas fuit Macharius Natione Scotus vir magnæ sanctitatis, qui multis & in vita miraculis claruit, & mortuus. In orationibus ad Dominum semper fuit pervigil, & devotus mente simul & corpore Christo deditus, & in ejus amore suspensus. Duram pro Salvatoris honore vivendi Regulam subivit, & magna corpus suum abstinentiâ castigavit. Vinum non bibit & omnes ciborum delitias ut venenum & animæ pestem declinavit. Vinum coram multis Ecclesiæ Prælatis in aquam oratione mutavit: Romæ positus sedénsque ad mensam Eugenij Papæ tertij casum turris in Herbipoli mente raptus in spiritu vidit, & alia complura miracula fecit. Moritur tandem plenus sanctitate anno Volmari Abbatis. xxxiii.

MCXXXV.

Corpus S. Matthiæ reperitur Treviris.

Anno Volmari Abbatis xv. Indictione Romanorum xiii. inventum est corpus S. Matthiæ Apostoli Treviris in Monasterio *D. Eucharij* Trevirorum primi Archiepiscopi, quod ex eo tempore *S. Matthiæ* vocabulo nuncupatur.

Bruno Archiepiscopus, Fridericus Dux

Eodem anno Colonienſium Archiepiscopus Bruno, & Fridericus Alsatiæ Dux aliquamdiu non bene cum Imperatore Lothario sentientes interventu Episcoporum, & Principum; in ejus gratiam recepti sunt.

Convent' fit Principum in Saxonia.

Anno etiam prænotato in festo Pentecostes Imperator Lotharius Conventum Principum in Magdenburg habuit magnum. In quo Rex Danorum, & Dux Polonorum, Dux quoque Bohemorum, Dux Suevorum, Dux Bavarorum, & Saxonum cum multis alijs Principibus comparuerunt, qui omnes Imperatore jubente firmissimam pacem in toto Regno Germanorum servandam decennio juraverunt.

Hoc ipso Anno Lotharius Imperator Moniales, quæ erant in Cœnobio

nobio Lutterensi Halberstattensis Diœcesis alibi transferens, locum instauransædificijs,& redditibus magnificè ampliavit, & Monachos nostri Ordinis de Monasterio Bergensi prope Magdeburg introducens, Everhardum venerabilem virum eis in Abbatem primum constituit: Ex quo tempore idem Monasterium Luttera regalis vulgariter Königsluttern ab instauratore Lothario Rege dictum est usque in præsentem diem. Quod quidem Cœnobium pro monialibus nostri Ordinis Comes quidam in Oldeslebon Esleven ante plures annos construxerat: in quo filiam suam Mechtildem sanctis virginibus Christi præfecit Abbatissam. Verùm post annos plures Monialibus ab observantia Regulari temerè declinantibus, à Lothario sicut diximus expulsæ sunt, qui maluit Monachos habere Sacerdotes, quàm moniales inutiles.

Monasterij Königsluttern fundatio.

Comes in Oldeslebon fundator.

His quoque temporibus Cœnobium in Frankenthal haud procul à Wormatia fundatum est per quendam civem Wormatiensem nomine Erkenbertum virum magnarum virtutum, & operationum in quo Canonicos sub Regula S. Augustini Domino militantes collocavit. Quorum primus vitæ dux atq; Præpositus fuit Bertolfus Canonicus de Monasterio Trevirensis Diœcesis, quod nominatur Sprengersbach assumptus, qui postea officium resignavit. Post resignationem Bertolfi ipse loci fundator Erkenbertus adhuc Laicus in præpositum à fratribus fuit electus, quem Buggo Wormatiensis Episcopus Presbyterum ordinavit. Vir autem Domini Præpositum Fratrum se cernens vocante Domino constitutum, magnâ vigilantiâ curavit se Pastorem Christi ovibus utilem non minùs opere demonstrare, quàm sermone, sanctè vixit, Deo placuit, fratres in omni virtute præcessit, vivens & mortuus miraculis claruit. Ad Orientalem Monasterij præfati partem, vix ad jactum lapidis aliud Cœnobium quod Frankenthal minus appellant pro monialibus, ejusdem Ordinis idem vir DEI constituit, & Richilindem uxorem quondam suam, devotam, religiosam, & sanctam mulierem Christi virginibus matrem & ducem præfecit. Quæ sancta mulier Domino valde placere studuit, & miraculis similiter coruscavit.

Monasterij Frankenthal fundatio.

Erkenbertus vir Fundator.

Cœnobij Frankenthal minoris fundatio.

His etiam temporibus memoratus Buggo Wormatiensium Reverendissimus Præsul Domino cooperante Bernardo Monasterium Schönaugiense Cistertiensis Ordinis uno ab Heidelberg milliario distans in nemore construxit, quod multis prædijs dotavit, & primum Abbatem cum Monachis de Clarevallensi Cœnobio impetravit. Quod quidem Monasterium successu temporis in utróque statu valde crevit.

Monasterij Schonauwe Cistertiensis Ordinis fundatio.

Cœnobium quoque Sanctimonialium nostri Ordinis Lobenfeld, id est Campus laudis nominatum, in pago qui dicitur Creichgauvve duobus ab Heidelberga milliaribus idem Præsul Buggo his temporibus pari devotione construxit: in quo multitudinem Domino servientium virginum collocans, vitæ necessaria, illis copiosè providit.

Cœnobiũ fundatur Lobenfeld.

Evnucho etiam quidem Comes de Lyningen divino spiritu afflatus his temporibus Monasterium Dumetense vulgariter Hegene sive Heningen dictum non procul à castro suo in Diœcesi Wormatiensi construere cœpit, quod consummatum postea, & magnificè dotatum anno Volmari Abbatis xxi. Buggo sæpedictus Pontifex in honorem S. Petri Apostolorum Principis solenniter consecravit. Ubi primum Canonicorum Præpositum Hartungum nomine instituit.

Cœnobiũ fundat Heningen.

MCXXXVI.

Volmarus Abbas Cæsarem implorat contra Spoliatores.

Anno Volmari Abbatis XVI. homines quidam sæculares malignò spiritu persuadente res Monasterij rapere, ac Fratrum turbare quietem non verentes gravem ipsi Volmaro sollicitudinem excitârunt. Qui necessitate compulsus, ut res ac libertates Monasterij pro posse defenderet, Lotharium Imperatorem Spiræ tunc existentem cum certis Principibus accedens querelam deposuit, auxilium & defensionem imploravit. Imperator Volmari querelas, justitiæ considerans habere fulcimentum reos, & justè accusatos extra patriam fecit proscribi. Quod factum usque adeo terruit in circuitu omnes, ut Volmaro vitam in humanis agente Hirsaugienses molestare nemo præsumeret.

S. Jutta Monialis de Spanheim moritur.

Eodem anno XXII. die Mensis Decembris obijt Sanctæ memoriæ Jutta sanctimonialis nostri Ordinis virgo, soror Megenhardi Comitis in Spanheim, in Monasterio S Disibodi Præsulis secus altare majus ad meridionalem partẽ in absside sepulta. Hæc virgo beatissima Stephani Comitis in Spanheim filia, cum esset annorum duorum & viginti pro Christi amore omnia hujus mundi oblectamenta contemnens jugum Monasticæ institutionis patre annuente subivit.

In Monte S. Disibodi vixit.

Cui pater cellulam construxit in monte S. Disibodi juxta Cœnobium Monachorum tunc Ordinis nostri quod uno vix distat milliario à Monasterio quondam meo Spanheimensi, & eam cum tribus alijs ejusdem propositi virginibus curæ Abbatis loci commendavit. Harum prima fuit S. Hildegardis ex proxima villa Bikellenheim oriunda, quæ postea Monasterium construxit in monte S. Ruperti apud Bingios filia cujusdam militis, de qua suo loco dicemus. Secunda similiter, & tertia prioris S. Virginis nomẽ habebant. Jutta verò Stephani Comitis nobilissimi filia Dominoin monte prænominato recluſa in magna denotione serviens multis cœpit clarere virtutibus ad cujus famam sanctitatis plures in circuitu nobilium filiæ in Christi amore succensæ ejus se magisterio subdiderunt: quarum numerus in brevi tempore non parùm fuit augmentatus. Quæ omnes sub Regula SS. Patris nostri Benedicti, & Abbate sine proprio in vera castitate Domino servierunt. Multis hæc virgo beata tam in vita quàm post mortem fertur claruisse miraculis, quæ non paucas Christo animas bonæ conversationis acquisivit.

S. Hildegardis in Prioratu successit.

Post cujus mortem S. Hildegardis Magistra sororum constituta est sub regimine Cunonis Abbatis Montis S. Disibodi Pontificis, qui Adelhuno de quo supra diximus (de quo diximus anno Brunonis octavo) immediatè successit. Et hæc annis paucis postea transactis cum tota Congregatione sororum permissione Cunonis ad Montem S. Ruperti transivit.

Ventus ædificia subvertit.

Anno prænotato in Festo Sanctorum Simonis & Judæ ventorum vis maxima turres, & ædificia multa subuertit; Mare quoque consuetos terminos egrediens magnam Flandriæ partem domos & ædficia cum habitatoribus eorum in profundum submersit.

Imperator secundo intravit Italiam.

Eodem quoq; año circa festum Assumptionis Beatæ Mariæ semper virginis Lotharius Imperator evocatus denuo per Innocentium Papam contra quendam Rogerium Apuliæ Ducem Romanam Ecclesiam, & ejus memoratum Pontificem insequentem exercitum movit in Italiam habens inter alios Principes multos secum duos bellicosissimos Duces Henricum Bavariæ generum suum; & Conradum Sueviæ postea Imperatorem

rem ejus nominis III. Romanorum. Quorum prior Dux videlicet Bavarorũ cognomento ſuperbus exercitum duxit per Tuſciam, & Romano Pontifici Innocentio conductum præbuit ſecurum ad Lotharium Imperatorem. Deinde Beneventum obſidione cingens impugnat & cœpit, Papæque reſtituit. Alter verò Dux Conradus vir audaciſſimus captis Oppidis & munitiſſimis Caſtellis pluribus átque deſtructis, cum Imperatore Padum transgreditur bellum inducens rebellibus & deſtruens reſiſtentes. Cremonenſes & Papienſes pecuniarũ interpoſitione recipiuntur ad veniam pacis. Poſt hæc Apuliam in deditionem accipiens Tyrannũ de Italia fugavit: & Ducatum cuidam Reinaldo commiſit.

Duo Comites fiunt Monachi.

Anno præſcripto tertiâ die menſis Septembris Marquardus de Nusbaumen vir nobilis dives & potens filio ſuo ejuſdem conſentiente, & cooperante dictum caſtrum ſuum Nusbaum deſtruxit, & baſilicam ex eo in honorem S. Abbatis Ægidij conſtruxit: ipſãmque Monaſterio S. Nicolai in Camberg tunc noſtri Ordinis pleno dominio ſubjecit. Rebus deinde ſuis pro neceſſitate compoſitis, ambo cum omnibus rebus memorato ſe Monaſterio tradentes Monachi facti ſunt, & ſuave Domini jugum hilari devotione ſuſceperunt.

MCXXXVII.

Adelbert. Archiepiſc. Moguntinus obijt.

Anno Volmari Abbatis XVII. Indict. Rom. XV. die verò menſis Junij XXIII. mortuus eſt Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus, & in Monaſterio Eberbach, quod ipſe fundaverat, quemadmodum ſupra diximus anno Volmari Abbatis XIII. ſepultus fuit; cui anno ſequenti ſucceſſor, ut dicemus, primùm ordinatus eſt.

Bruno Archiepiſcop. Colonienſ. moritur.

Eodem año Imperatore Lothario feſtũ Pentecoſtes apud Barũ in Italia cum ſuis Principibus celebrante, Bruno Archiepiſcopus Colonienſis mortuus eſt, & ibidem in Eccleſia S. Nicolai ſepultus. Cui Hugo Decanus majoris Eccleſiæ tunc præſens Imperatoris juſſione ſucceſſit, & ab Innocentio Papa II. in Archiepiſcopum conſecratus fuit. Qui paucis diebus ſuper vivens prius in peregrinatione mortuus eſt, quàm ejus ordinatio civibus ſuis, & Eccleſiæ innotuiſſet. Poſt hunc Arnoldus D. Andreæ in Colonia Præpoſitus, Comitis de Wyd filius in Archiepiſcopatu ſucceſſit: quem Eugenius Papa III. Anno Volmari Abbatis XXIX. ut ibi dicemus, in Concilio Rhemenſi ab executione Officij aliquanto tempore ſuſpendit. Anno prænotato Imperator diebus Pentecoſtes evolutis caſtrum, quod Rogerius juxta Barũ conſtruxerat fortiſſimum, obſidione cinxit, impugnavit, & cœpit, funditúſque per incendium evertit. Latrunculos in eo reperit ultra quingentos, qui prædas in provincia graves facere ſolebant: quos omnes circa turrim quandam exuſtam fecit ſuſpendi. Quo facto cæteri omnes nimio terrore perculſi, & ſe, & munitiones ſuas Imperatori ſubmiſerunt.

Arnold. fit Archiepiſc. Coloniæ.

Prædones quingenti ſuſpenſi.

David Monachus S. Jacobi Herbipolenſis.

Año prænotato David natione Scotꝰ pluribꝰ añis Herbipoli Scholarũ Magiſter, de quo diximus, año Brunonis V. ſanctitate cõpatriotæ ſui D. D. Macharij primi Abbatis Cœnobij mei S. Jacobi majoris in ſub Urbano memoratæ civitatis provocatus mundũ pro Dei amore deſeruit, & Monachicũ habitum ſub ejus Magiſterio ſuſcepit. Qui cum eſſet vir tam in divinis ſcripturis quàm in ſæcularibus libris haud mediocriter eruditus: ſcripſit quædam non ſpernendæ lectionis opuſcula: quibus memoriam

sui posteris commendavit. Equibus nos ista invenimus. De gestis Henrici Regis quinti per Italiam libros tres. De Purgatorio Patritij lib. 1. In Cantica Canticorū l. 1. De Grammatica l. 1. In Perihermenias Aristotelis l. 2. Epistolas etiam nonnullas dedit ad diversas personas doctrinam ejusostendentes.

Moguntinum Spirē. incendiū.

Hoc ipso Anno major Ecclesia Moguntina cum parte non modica civitatis incendio perijt. Et eodem die oppidum Goslarienſe crematum est. Ecclesia quóque Spirensis major cum magna parte civitatis igne consumpta fuit.

Lotharius Imperator obijt.

Anno etiam prænotato cum Imperator Lotharius rebus in Italia compositis reverteretur in Germaniam senio gravatus, & morbo apud Veronam moritur quartâ videlicet die mensis Decembris, vir certè imperio dignus, & apud omnem posteritatem sempiternâ memoriâ celebrandus: cujus corpus in Saxoniam relatum per suos in Monasterio Lutherensi nostri Ordinis, quod ipse construxerat sepultum est. Henricus Bavariæ Dux, qui socero morienti astabat insignia imperialia, hoc est coronam, sceptrum, gladium & Crucem, quæ Caroli Imperatoris Magni fuisse traduntur, sibi cum Imperio usurpare nitebatur.

MCXXXVIII.

Trecentesimus Hirsaugiensiū

Anno Volmari Abbatis XVIII. qui fuit à prima fundatione Hirsaugiensis Monasterij apud S. Aurelium transpontem trecentesimus annus. Adelbero Trevirorum Archiepiscopus metuens, ne Henricus Bavariæ Dux gener Lotharij defuncti Imperatoris, penes quem Regalia diximus fuisse reposita, in generali conventu Principum prævaleret: qui usque adeò de Imperio consequendo sibi certus esse videbatur, ut nulli Principum de Regno facere verbum dignaretur, per suam industriam egit occultè, quod Fridericus Dux Sueviæ Conradus frater ejus, Buggo Episcopus Wormatiensis, Embricho Episcopus Herbipolensis, cum certis aliis Principibus in medio quadragesimæ apud Confluentiam pro novi Regis electione convenerunt: quibus Arnoldus Colonienſium Archiepiscopus occurrit, Moguntinâ Ecclesiâ vacante post mortem, ut supra diximus Adelberti Senioris. Consultantes igitur inter se prænominati Principes super dispositione Imperij Conradum supra dictum Sueviæ Ducem unanimiter in Regem elegerunt, quem mox ad Aquasgrani ducentes juxta morem fecerunt coronari.

Conradus III. fit Rex Romanorum.

Dux Bavariæ contra Conradum erigitur.

Audientes postea Saxones, & Bavari electionem Conradi molestissimè tulerunt se non fuisse vocatos, in unum convenerunt, & Henricum superbum Bavariæ Ducem, Lotharij quondam Impetatoris generum super se Regem statuerunt, & multiplicata sunt mala in terra. Habebat Henricus, ut est dictum, penes se Regalia sibi à morituro socero commissa, quæ tamen Conrado tradere postea fuit compulsus. Verùm ut Rex Conradus intellexit Henricum à suis electum in Regem, & sibi jam manifestè contrarium atque rebellem, per sententiam sibi adhærentium Principum Saxoniæ ab eo Ducatum abstulit: & eum Adelberto Marchioni de Soltvvedel possidendum assignavit.

Henricus. Ducatu privatur Saxoniæ.

Henricus Dux intravit Saxoniā

Quibus auditis Henricus Dux magno suorum adunato exercitu in Saxoniam contra Adelbertum Marchionem profectus est: & commisso prælio Victor evasit, Adelbertúmque fugere compulit. Qui veniens ad

Regem

Regem Conradum calamitatem suam expoſuit, ejſúque auxilium contra Ducem Henricum pro Patria recuperanda invocavit. Ducatum interim Bavariæ frater Henrici Dux Welfo ſibi ab illo commiſſum gubernans ab æmulorum incurſu defenſabat.

Anno prænotato Rex Conradus Dominicæ Reſurrectionis feſtum Coloniæ celebravit: indéque hebdomadâ tertiâ per alveum Rheni aſcendens Moguntiam veniens cum magno honore à civibus ſuſceptus eſt: & Rex legitimè ab omnibus de more ſalutatus. Et quia paſtore Moguntina carebat Eccleſia: Regis præcepto Adelbertus junior Præpoſitus Erpfordenſis nepos ſenioris Archiepiſcopus eligitur. Adelbert. junior fit Archiepiſc. Mogunt.

Eodem anno Rex Conradus Pentecoſten celebravit in Badenberg, ubi conventum Principum Regni magnum convocavit: qui pene omnes præter Henricum Ducem Bavariæ ſupradictum comparuerunt. Ibi Adelbertus Moguntinus jam dictus Præſul electus in Sabbato quatuor temporum per Miniſterium S. Ottonis Epiſcopi Bambergenſis Presbyter ordinatus eſt: & alterâ die Dominicâ in Archiepiſcopum conſecratus. Conventus Principum in Bamber.

Anno etiam præſcripto in nocte ſancta Paraſceves manè poſt Laudes Matutinas corpus S. Diſibodi quondam Præſulis in Hibernia, & pro Chriſto in Germania peregrini per Canonem Abbatem de veteri Monaſterio, ubi quondam per Willegiſum Archiepiſcopum Moguntinum fuerat repoſitum, adnovum Cœnobium à Ruthardo, & Seniore Adelberto in monte conſtructum aſtantibus Bernhelmo primo Abbate Spanheimenſi, & Gerardo S. Maximini cum reverentia & honore tranſlatum eſt: & in tumba marmorea nova retro majus Altare ſuſpenſa in aere ubi adhuc manet collocatum. Corpus S. Diſibodi levatur.

Iſte vir Sanctus claruit circa tempora Mauritij Imperatoris in Hibernia Inſula, & pro vitæ merito Epiſcopatûs mitrâ decoratus fuit. Qui contumelijs ſuorum provocatus natale ſolum deſeruit: & pro Chriſti amore peregrinationis arduum laborem aſſumpſit. Tandem ordinante Domino venit in Germaniam ad Diœceſim videlicet Moguntinam, & in Conmitatu Spanheimenſi vitam duxit eremiticam haud procul ab oppido Sobernheim in eo loco ubi Nahus, & Glanus duo parua flumina confluunt duobus à Stauraneſio milliaribus. Qui tandem inter fruteta repertus à paſtoribus paulatim cœpit frequentari: quorum adjutorio Cœnobium in pede montis conſtituit, in quo Monachos de Regula S. Benedicti, qui paulò ante objerat collocavit: in quo & poſtea moriens ſepultus fuit. De Patria S. Diſibodi Præſulis.

Anno quoque prænotato duo Comites videlicet alter Lyningen alter verò de Lamersheim pari devotione ad prædicationem, & miracula S. Bernardi Abbatis compuncti, Monaſterium Maulbronn Spirenſis Diœceſis conſtruere cœperunt: fundo ipſius loci ad Hirſaugienſe hoc Monaſterium pertinente pro pecunia empto à Volmaro Abbate quemadmodum in litteris emptionis deſuper confectis continetur. Conſumato autem Cœnobio Monachos Ciſtertienſis Ordinis introduxerunt, qui locus temporum ſucceſſu valde crevit perſonis ampliatus & rebus. Cœnobij Maulbroñ fundatio.

MCXXXIX.

Anno Volmari Abbatis XIX. Indictione Romanorũ II. Conradus Rex Romanorum circa feſtum S. Jacobi expeditionem movit in Saxoniam cum Adelberto Marchione de Soltvvedel contra Henricum ſuperbum Bavariæ, Saxoniæq; Ducem. Rex pugnat cũ Duce Henrico.

Victoria Duci cessit Henric.

Qui audiens Regem sibi cum exercitu imminere collectis viribus juxta Cruzeberg Oppidum illi confidenter occurrit, & prælio commisso Rex terga dedit: & sine effectu retrocedere compulsus fuit. Erant autem cum Henrico sentientes Conradus Archiepiscopus Magdeburg. Comites quoque Palatini Bavari, & Saxones pene omnes: quorum auxilio fretus Regis monita sprevit, & contempsit.

Cœnobij Ebrach Cisterciens. fundatio.

His temporibus Monasterium Ebrach in Francia Orientali Cisterciensis Ordinis, Diœcesis Herbipolensis construitur, Rege Conrado sumptus & impensas largiter præbente, cujus primus Abbas fuit institutus Adam vir magnæ Religionis ad quem Ducis Bernardi Clarevallensis nonnullæ recitantur epistolæ.

Hoc Monasterium cum tempore in rebus temporalibus mirabiliter crevit: & cuncta in Orientali Francia cujusvis Ordinis Cœnobia divitijs longè superavit.

Schonrein confirmatur ab Episcopo.

Anno prænotato Embrico Herbipolensis Episcopus ad instantiam Volmari Abbatis Monasterium in Schonrein suæ Diœcesis, quod sanctus Wilhelmus olim constuere cœpit: & ejus successor Gebhardus sicut anno ejus secundo diximus perfecit: auctoritate ordinariâ cum omnibus rebus & possessionibus suis confirmavit: quemadmodum patescit in litteris desuper confectis: quarum exemplar hîc sequitur.

Exemplar litterarum Embricon. Episc. Herbipol. super Schonrein.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Embrico Wirceburgensis Episcopus. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris, quàm præsentibus quod in nostra Diœcesi quidam situs est locus Schonrein vocatus ac Monastica Religioni dicatus, qui temporibus Heinrici Regis IV. piæq. memoriæ Adelberonis nostri prædecessoris Hirsaugiensi Cœnobio traditus est hoc modo: Ludovicus Comes ac frater ejus Beringerus de Thuringia pro remedio animarum suarum, pro redemptione majorum: pro fœlicitate posterorum: præfatum locum duobus molendinis, hortis, pratis, nemoribus cultis & incultis simul cum prædio quod habebant in VVisenfelt. Deo & Beatis Apostolis Petro & Paulo, Sanctæ memoriæ VVilhelmo Abbati liberâ devotione tradiderunt, ac cœnobialem vitam inibi instituerogaverunt. Quod quidem à Venerabili Patre VVilhelmo fœliciter est inchoatum, sed ab ejus successoribus fœlicius consummatum: constructóque Monasterio cœpit locus florere sub Beatæ Dei Genitricis, Sanctíque Joannis Evangelistæ patrocinio. Terminus autem loci sub monte qui Sumerberc dicitur in Rotendinga pertingit. Et inde sursum versus úsque ad viam, quæ Chirvvech sive Pfaffenvvech appellatur, ascendit: & per eandem viam in Scutibach descendit.

Quod sanctus Wilhelmus Schonrein

Concambium cum Spurcanis.

Sed quia Fratres ejusdem loci juxta Mogum fluvium nihil proprietatis habebant: & ob hoc ab incolis villæ quæ Spurca dicitur, crebras molestias sustinebant annuente Venerabili Erlango Episcopo, mediantéque loci Priore & Gerhardo Comite: Bertholdo Comiti qui tunc temporis præfatam villam beneficij jure tenebat, tradita sunt duodecim jugera terræ arabilis in loco, qui Eigalmannesvvert dicitur: eâ nimirum conditione, ut illud prædiolum in jus Sancti Kiliani contederet: Fratres autem viam ad Mogum ducentem duarum hinc & inde perticarum, cum duabus partibus agri & prato perpetualiter obtinerent. Hujus concambij pactum multis testibus adstipulantibus est actum. Bertholdi hominibus fideliter affirmantibus se amplius & utilius accepisse, minus & vilius dedisse.

Igitur cum sæpe dictus locus úsque ad nostra tempora prosperè procederet,

ex fide-

ex fidelium donationibus in dies augeſceret, homines malitioſi invidiâ diaboli permoti ejus loci jura temerare, fines invadere, fratres ibidem Deo militantes perturbare conatiſunt. Quibus nos, Deo animati, zelóque juſtitiæ inflammati ſatis impigrè obviavimus, ac tempeſtatem diabolico ſpiritu concitatam Deo favente ſedavimus. Quapropter ne deinceps patiantur ſimilia à ſimilibus perverſis ſcilicet hominibus, ad perennem fratrum ibi degentium tutelã hanc chartam fieri, Sigillíque noſtri impreſſione inſigniri juſſimus; per Dei terribilem majeſtatem, & Beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate prohibentes, & modis omnibus interdicentes, ut nullus mortalium prædicto loco calumniam, ſeu violentiam præſumat inferre, ſed fratres inibi poſiti ſub Abbate Hirſaugienſi degentes, ejúſque præceptis obedientes, ab omnium de cætero dominatione liberi ſint & abſoluti; quatenus in pace, quietéque viventes, pro ſtatu Regni, pro pace noſtræ, imo totius Eccleſiæ liberius valeant Deo ſupplicare; Advocatum ſanè vel conſilio, paríque conſenſu delegerit. Prædijs illuc collatis, & adhuc conferendis, mancipijs, familijs, & omnibus omnino pertinentijs ea ſit imunitas, ut niſi Monaſterij popoſcerit utilitas, nullus ex his aliquid diſtrahendi, concambiendi, præcariandi poteſtatem habeat. Quodſi quis hæc infringere, vel convellere tentaverit, anathemate perpetuo ſe tenendum noverit; & niſi reſipiſcat vindictam S. Dei Genitricis, & B. Joannis excipiat, & cum maledictis & reprobis omnibus ſiat perditionis filius. Teſtes hujus rei ſunt Adam Abbas de Eberaha, VVignandus Abbas de Thariſſa, Hartman Abbas de Suarza. De Clericis Otto Præpoſitus majoris Eccleſiæ, Sigefridus Præpoſitus; VVortvvinus Decanus; Gebehart. Burchart. Emicho. Heinricus. De Liberis Goteboldus Urbis Præfectus. Rupertus de Caſtele & filij ejus. Rupertus & Herman. Giſo de Hildeneburc. Reringher, Beringher. De Cſamburc & frater ejus. Trageboto; De Miniſterialibus. Cunrad de Bleichfelt & filius ejus Adelbertus. Cunrat de Bozzenheim. Harmut. Cunrat. Folcnant. Folcher. Otto de VVindeheim & filius ejus. Otto Richalm. Bilhang Ruttvvich. Heinricus. Herolt VVolfram gurlei. Sigeboto. Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCXXXVIIII. Indictione ſecundâ. Regnante Conrado anno primo Regni ejus. Data VVirzeburg per manum Gebhardi IV. Calend. Martij in nomine Domini.

Epiſcopus contra moleſtatores Fratrum.

Epiſcopus malorum conatibus obviat.

Schonrein ſoli Abbati ſubjaceat.

Advocatũ dabit Abb.

Teſtes quique fuerũt Abbates.

MCXL.

Año Volmari Abbatis xx. mortuus eſt Diemo hujus Cœnobij Hirſaugienſis Monachus & aliquanto tempore Prior. Vir in obſervantia Regularis diſciplinæ ferventiſſimus: qui tantâ puritate mentis coram Deo ambulare ſtuduit: quod Prophetiæ ſpiritu illuſtratus fuit. Multa enim futura prædixit fratribus: quorum veritatem rei probavit eventus. Sepultus eſt in Capella Beatæ Mariæ ſemper Virginis, quam ſingulari ſemper devotione amavit.

Diemo hic Monachus Sanctus.

Hoc ipſo Anno S. Otto Bambergenſis Epiſcopus mortuus eſt anno Pontificatûs ſui octavo átque triceſimo, & in Eccleſia S. Michaëlis Archangeli, quam multùm amavit coluit, & vivus ſublimavit in monte Monachorum, ante ſummum altare ſepultus eſt. Qui mox infinitis corruſcare miraculis cœpit, ob quorum teſtimonium catalogo ſanctorum meruit inſcribi. Vir certè ſempiternâ memoriâ dignus: qui multa pro Dei honore bona fecit: Monaſteria nova conſtruxit, antiqua pulchra ſimul & Eccleſias magnificè reparauit. Et quod majus eſt omnibus, Pomeranos & Stetinenſes idololatras cum multitudine paganorum ad agnitionem veritatis convertit.

S. Otto Ep. moritur.

S. Otto fidelis Dei Servus.

Anno

Archiepisc. Moguntin. Romam vadit.

Anno etiam prænotato Adelbertus junior Moguntinorum Archiepiscopus ad Romanorum Curiam ab Innocentio Papa II. citatus (causam scriptor Historiæ non expressit) ut obedientiæ filius illò profectus est. Quem summus ipse Pontifex honorificè suscipiens paternè tractavit: & cum legationis titulo secundum antiquum privilegium ad propria remisit.

Rogerius debellat Apuliam.

His temporibus Rogerius Siculus, de quo supra dictum est, Apuliam denuo ingressus cum Duce Reinaldo, quem Lotharius quondam Imperator præfecerat terris, gravem habuit conflictum: victúsque discessit. Interea Petrus Leonis, qui est Anacletus Romæ Antipapa moritur: & pernicioſum schisma terminatur. Nec diu postea mortuus est, & ipse Dux Reinaldus. Quo vitâ defuncto Rogerius in Apuliam regrediens terram Duce orbatum nec rebellantem occupat: Rupertum Capuanum Principem fugat: & residuos varijs tormentis affligit, & cruciat: & tandem Siciliæ & Apuliæ Regem se nominat. Rupertus autem Capuanus Princeps cum suis Comitibus ad Conradum Regem venit in Germaniam: à quo benignè susceptus, multo cum eo tempore fuit: expeditionem ejus in Italiam petens & expectans.

Dux Welfo Conrado Regi cõtrarius.

Interea Papa Innocentius cum populo Romano contra Rogerium bellaturus Apuliam ingreditur: & à Rogerio captus coronare illum in Regem Siciliæ Apuliæque compellitur. Qui ex tunc auctoritate Apostolicâ sublimatus in Regem, nullum jam præter Conradum Regem Germanorum habebat, quem vereretur. Unde Welffonem Bavariæ Ducem Henrici Ducis superbi fratrem pecuniâ conductum sibi præsidium constituit: qui Regi Conrado expeditionem in Italiam paranti multo tempore transitum negavit. Venitur tandem ad bellum exercitibus ab utraque parte non paruis apud Neresheim in Augustensi Diœcesi manus atrociter conferentibus: ubi cæsis multis hinc & inde, victoria cessit Regi Conrado: Duce Welffone & suis ad præsidium fugientibus.

Heinricus Dux Bavariæ moritur.

Heinricus interea superbus Bavariæ Saxoniæque Dux morbo gravatus, & senio, nec minus ærumnarum suarum melancholiâ depressus moritur: & in Monasterio Lotharij quondam Imperatoris, quod Konigslutern Saxones appellant, juxta socerum sepelitur. Saxoniæ Ducatum Adelbertus Marchio de Soltvvedel, sicut dictum est, Rege donante obtinuit: quod Saxonum voluntati valde contrarium fuit. Post mortem Ducis Heinrici frater ejus Welffo Dux in Bavaria graviter ferens felices successus Regis Conradi simul & damnorum memor, quæ bello sustinuit nuper commisso: novum denuo exercitum congregat: alterúmque Regi conflictum minaciter parat. Commissum est itaque prælium juxta villam, quæ Ellenhoven dicitur, non procul ab oppido Wynsberg in quo multi ceciderunt: iterumque victoria Regi cessit Conrado.

Bellum inter Regem Conradum & Welffonem.

Ducatus Bavariæ datur Australibus.

Veruntamen Dux Welfo quamdiu vixit, rebellis Conrado Regi extitit, & Rogerij partes omni tempore pro viribus defensavit. Sunt qui scribant Welffonem in eo bello fuisse occisum, & Bavariæ Ducatum Lupoldo Marchioni Austriæ donatum à Rege Conrado: quem Fridericus Imperator postea primus legitimis hæredibus restituit. Prælio autem juxta Ellenshoven sicut diximus, consumato, & Duce VVelffone divinâ præordinante providentiâ devicto, Rex Conradus castrum ipsius Ducis

& Oppi-

& oppidum Wynſperg obſidione vallavit: & tandem ſub ea conditione in deditionem accepit: ſub qua Reges conſueverunt inimicis capitalibus, quos potenter ſuo ſubbdiderint Imperio, vitam cum rebus aufferre. Nam præter infantes & pueros, quidquid ſexus erat in hominibus virilis aut morti, aut captivitati fuit obnoxium. Mulieribus duntaxat, & pueris liber permittebatur egreſſus: ita tamen quòd nihil ſecum deferrent. Oppidum Wynſperg capitur.

Quæ conſilio inter ſe habito Regis clementiam proſtratæ in terram rogabant ne vacuæ pellerentur ab oppido: ſed liceret unicuique de ſuis proprijs ſecum deferre, quantum humeris deportare potuerint. Et annuit Rex. At illæ contemptâ ſuppellectili, rebúſque univerſis animo virili contemptis, maritum ſuum unaquæque dorſo imponens ſuo extra oppidum per medium caſtrorum deportabat. Fratre autem Regis Duce Suevorum Friderico ſuadente ne talia permitterentur, Cæſar reſpondit: Non decet Regis immutare ſermonem. Delectatus induſtriâ mulierum Conradus, ſingulis res ſuas cum viris indulſit. Mulieres in viros portant.

In prænominato prælio, quod fuit inter Conradum Regem pro Regno & Guelffonem Ducem pro Papa Innocentio, & Rogerio Siculo, duo illa partialitatum perniciosarum vocabula, quæ apud Italos permanent uſque in præſentem diem *Guelff*, & *Gibilin* ſumpſerunt initium. Nam inter præliandum, qui erant ex parte Ducis Guelffonis, ut fieri ſolet, clamabant: Hic *Guelff*. hic *Guelff*. Illi verò qui erant ex parte Conradi Regis vociferantes *Gibilin* ingeminabant. Ex illo tempore in Italia cum Papa ſentientes *Guelff* nominati ſunt: qui autem partes ſequuntur Imperiales, *Gibilin* vocantur. Sunt alij hujus vanitatis aliâ aſſignantes cauſâ, & ſcribunt, duos extitiſſe moriones in exercitu Regis Conradi quorũ alter *Guelff*, alter verò *Gibilin* fuerit nuncupatus. Qui coram multitudine ludentes in modum duelli pugnabant: *Guelff* Romani Pontificis, & *Gibilin* partes Conradi Regis jocosâ fictione tuentes, & ex hac levitate ſerioſam partialitatum nuncupationem ortam confirmant. Guelforum & Gibilinorum origo.

His ferme temporibus quidam homo Henrico Regi V. ſimillimus apud Solodorum aliquanto tempore vitam incluſus duxit eremiticam: indéque tandem egrediens vagabatur per Regnum, & ſe Regem eſſe Henricum multis perſuaſit incautis, in tantum, quod graves propter eum pugnæ fiebant, & cædes: alijs illum pro Henrico Imperatore ſuſcipientibus: alijs verò ſeductorem eſſe palàm dicentibus. Tandem falſitate probatâ Monachus Cluniaci efficitur. Quidam ſe Henricum mentiebatur Regem.

MCXLI.

Anno Volmari Abbatis xxi. Conradus Rex Conventum Principum Ratiſponæ ad Feſtum Pentecoſtes celebravit, in quo multa tractabantur conſilia pro diſpoſitione negotiorum Regni. Saxones non ſatis bene cum Rege ſentientes Adelbertum de Soltvvedel, quem eis conſtituerat Ducem gravi odio inſequebantur. Adelbertus quoque junior Moguntinus cum Saxonibus adverſum Regis Imperium conjurâſſe notatus eſt, ingratum ſe creatori demonſtrans ſuo: quippe qui ejus duntaxat juſſu Archiepiſcopus fuerat ordinatus. Conventus Principum Ratiſponæ.

Eodem quoque anno mortua eſt Imperatrix Richiza uxor quondam Lotharij Imperatoris, & in Luterenſi Ordinis noſtri Monaſterio in Saxonia cum marito & genero Duce Henrico honorificè ſepelitur.

Adelbert⁹ fit Marchio Brandenb.

Anno etiã prænotato morte fuit ſublatus è medio mortaliũ Henricus Marchio Brandenburgenſis ſine liberis, cujus Principatum Conradus Rex de Optimatum ſuorum conſilio Marchioni Adelberto de Soltvvedel Duci Saxoniæ in feudum imperiale conceſſit.

Fridericus fit Archiep. Magdeb.

Hoc ipſo quoque anno mortuus eſt Conradus Archiepiſcopus in Magdeburg propter Henricum Ducem Bavariæ, & Saxoniæ cognomento ſuperbum, Regi Conrado rebellem aliquamdiu & contumacem. Cui Fridericus major Præpoſitus in Pontificatu ſucceſſit.

Marcolph⁹ fit Archiep. Moguntin.

Eodem anno XVI. Calend. Auguſti obijt Adelbertus junior Moguntinorum Archiepiſcopus non diu poſt initum cum Saxonibus contra Regem Conradum fœderis ingratitudinem pactum: poſt quem Marcolphus Aſchaffenburgenſis Eccleſiæ Præpoſitus Archiepiſcop⁹ eſt ordinatus.

Henricus Dux Auſtriæprim⁹.

Anno quoque memorato Conradus Rex viduam relictam Henrici quondam Ducis Bavariæ, Saxoniæque cognomento ſuperbi, filiam ſcil. Imperatoris Lotharij uxorem dedit Henrico de Soltvvedel Comiti, qui frater erat Ducis Saxoniæ ac Marchionis Brandenburgenſis Adelberti, de quo ſupra diximus, & creavit eum Ducem Auſtriæ, quoniam Lupoldum Ducem Bavariæ conſtituerat.

Petrus Abelardus ſit Monachus.

Claruit his temporibus Petrus Abelardus homo ſubtilis ingenio, Philoſophus Rhetor, & Dialecticus omnium ſui temporis in Gallia celeberrimus: & in divinis ſcripturis multùm eruditus. Verùm quâdam curioſâ novitate verborum & ſenſuum ſcandalizavit Eccleſiam, & ſæpe admonitus per S. Bernardum, & alios emendare contempſit. Synodus contra eum in civitate Senonenſi Epiſcoporum habita eſt, Ludovico Rege Gallorum præſente. Ad quam cum citaretur, judices habens ſibi ſuſpectos in cauſa, ad Apoſtolicam Sedem appellavit. Denique virorum prudentum conſilio tandem acquieſcens omnes revocavit errores: pœnitentiam egit, vitam in melius commutavit: & Monachus apud Cluniacum factus uſque ad finem in Dei ſervitio permanſit.

MCXLII.

S. Henric. Abbas in Breittenawe.

Anno Volmari Abbatis XXII. S. Henricus ex Monacho hujus Cœnobij Hirſaugienſis ſecundus Abbas Monaſterij in Breittenavve, de quo ſupra diximus, quatuor corpora de collegio ſanctarum undecim millium Virginum & Martyrum ab Arnoldo Colonienſium Archiepiſcopo impetravit, quæ in ſolemnitate Viſitationis B. MARIÆ ſemper *Virginis*, hoc eſt VI. Nonarum Julij ad Monaſterium ſuum cum reverentia introduxit.

Nuptiæ Ducis Auſtriæprimi.

Hoc ipſo anno Rex Conradus Pentecoſten in oppido Franckenfurt juxta Moganum celebravit: ubi totius penè Regni Principes convenientes de communi pace Imperij longum habuerunt tractatum. Ibi celebratæ ſunt nuptiæ diebus XIV. Rege omnes præbente impenſas Henrici ſupradicti Comitis de Soltvvedel, & Gertrudis filiæ Lotharij quondam Imperatoris, quam relictam diximus viduam Henrici Ducis ſuperbi. Et nota, quod hic inter ſcriptores de Henrico filiam ducente Lotharij diſſenſio eſt. Nam alij dicunt illum Comitem de Soltvvedel fuiſſe, & fratrem Adelberti Marchionis Brandenburgenſis: alij fratrem, atque alij filium Conradi Regis. Cui, nuptijs apud Franckenfurt celebratis, Rex dedit Marchiam Auſtralem Ducémque creavit, quem filium extitiſſe, non fratrem

Opinio varia de iſto Henrico.

trem constat. Primus enim Austriæ Dux Regis Conradi extitisse filius dicitur.

His quoque temporibus B. Bernardus Abbas Claræ-vallis Cistertiensis Ordinis à Sede Apostolica mittitur in Germaniam ad reformandam pacem & concordiam inter Conradum Regem, & Innocentium Romanum Pontificem. Enim verò putabat se non mediocriter læsum à Romana Ecclesia Rex Conradus, primùm quod ab eo tempore Lotharij fuerat excommunicatus, deinde quod Rogerium Siculum Apuliæ sublimavit in Regem; ac tertiò quod Guelffonem Bavariæ Ducem pecuniâ conduxerit ad inquietandum & oppugnandum ipsum simul & Imperium.

S. Bernardus à Papa mittitur in Germaniã.

Veniente igitur S. Viro in Germaniam negotium sibi commissum à Sede Apostolica Regi Conrado in civitate Spirensi cum certis Principibus commoranti exposuit: & post necessarios hinc inde habitos ex more tractatus, pacem inter Sacerdotium & Regnum Domino largiente reformavit. Hæc autem reconciliatio Spiræ quidem facta est; sed in oppido Franckenfurt Sigillis Principum extitit confirmata, mox literæ desuper scriptæ sunt ad Romanum Pontificem.

Inter Regẽ & Papam facit concordiam.

Anno prænotato mortuus est Marcolfus Archiepiscopus Moguntinus; cui Henricus major Præpositus successit, qui duobus Cardinalibus, & sanctissimo Abbate Bernardo Legatis Apostolicæ Sedis astantibus in supradicto Conventu Principum Franckfurdiæ Moguntinæ Sedis Regalia de manu Regis Conradi susceptit.

Henric. fit Archiepisc. Moguntin.

MCXLIII.

Anno Volmari XXIII. Adelbero Trevirorum Archiepiscopus Gerardum Abbatem, & Monachos Cœnobij S. Maximini extra muros civitatis propter inordinatam eorum conversationem omnes de Cœnobio expulit; & alios qui secundùm Regulam SS. Patris nostri Benedicti viverent, introducens Monachos, quendam virum doctum Segerum eis Abbatem ordinavit. Fuerunt qui scriberent hujus reformationis causam non zelum extitisse Regularis disciplinæ; sed magis fulcimentum avaritiæ. Quorum narratione constat prædictum Pontificem de Cœnobio sancti Matthiæ multa proprio usurpasse usui; & præfatum S. Maximini Monasterium, quod Regale est simul & valde abundans, de manu Imperatoris accepisse in beneficium: quatenus sibi provenirent Regalia Deo quondam & Sanctis ejus ab Imperatoribus pro honore ordinis assignata.

Abbas sancti Maximini cum Monachis expellitur.

Abbas verò Gerardus aliquanto tempore mansit cum Abbate Montis Sancti Disibodi: interdum etiam cum Bernhelmo primo Spanheimensis Cœnobij Abbate, suam haud dubiè graviter ferens miseriam. Interea Monachi de Cœnobio memorato expulsi, venditis clenodijs & ornamentis Ecclesiæ, quæ prius deportaverant, Comitem Namercensem, nunc verò Luzenburgensem mercede conductum adversus Archiepiscopum defensorem sibi advocârunt.

Monachi Comitem Namercẽsem defensorem vocant.

Qui hostem se mox Archiepiscopo Adelberoni denunciavit, & prædas incendiáque in homines Ecclesiæ facere cœpit. Archiepiscopus autem suorum collecto exercitu, terras Comitis intravit, ejúsque munitionem Rudolffsberg ipso ibidem existente obsidione vallavit. Qui videns se tantæ multitudini non posse resistere, castro in manibus relicto

Comes hostem se facit Archiepiscopo.

Episc. xxx. munitiones Comit. destruxit.

Pontificis occultè fugiens recessit. Capto autem Castello Præsul cum multis captivis revertens reliqua Comitis Manderschijt, Colobrium, Barlandiam, & alias triginta munitiones ejus obtinuit, atque destruxit, ipsúmque venire ad veniam coëgit. Monachi autem omni auxilio penitus destituti, alij ad parentes & cognatos suos reversi sunt: alij sicut poterant, in alijs sibi Monasterijs providerunt. Nos bono zelo motum Archiepiscopum non dubitantes; ejus constantiam laudamus: quid enim sunt Cœnobia in quibus non observatur disciplina Regularis; nisi quoddam ergasterium omnium vitiorum. Rectè igitur & Deo rem gratam faciunt; qui Claustrales ad observantiam sui Ordinis compellunt. Utinam Pontifices nostri omnes imitarentur istum.

Opus bonũ reformare Monachos.

Anno prænotato Innocentius Papa II. moritur, & in Lateranensi Ecclesiâ sepelitur. Cui Fratrum electione communi successit Guido natione Tuscus, ex quodam Sanctæ Felicitatis Castello natus, qui dictus est Cœlestinus secundus, & præfuit mensibus quinque duntaxat, & tandem peste sublatus in Ecclesia prænominata Lateranensi sepelitur. Quo mortuo successit Lucius Papa ejus nominis tertius natione Bononiensis; & præfuit mensibus undecim, diebus novem. Hic antea Presbyter fuit Cardinalis sanctæ Crucis in Hierusalem qui eandem Ecclesiam nimiâ vetustate penè collapsam de suis proprijs renovavit. Qui inito Pontificatu nihil prætermisit, quod ad expeditionem Hierosolymitanam necessarium putabat; sed morte præventus non complevit.

Cœlestinus fit Papa II.

Anno etiam ptæscripto Gertrudis filia quondam Imperatoris Lotharij: quæ primò nupserat Henrico Duci Bavariæ cognomento superbo, ac deinde alteri Henrico quem Conradi Regis filium diximus, difficultate partûs interijt; cujus corpus in Luterensi Monasterio cum Parentibus suis & priore marito sepulturam accepit.

Filia Lotharij Imperatoris moritur.

MCXLIV.

Anno Volmari Abbatis xxiv. Indictione Romanorum septimâ. Die mensis Augusti vicesimâ Beatus Fœlix quondam Papa & Martyr apparuit S. Henrico ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis, secundo Abbati in Breittenavve, de quo plura diximus ostendens sibi caput suum, quod in abside templi pluribus annis jacuerat absconditum. At vir Domini Henricus locum accedens, sibi per Martyrem sibi in visione ostensum caput sacrum reperit: quod cum summa devotione levans inter Sanctorum Reliquias collocavit.

Caput sancti Fœlicis Papæ & M. reperitur in Breittenawe.

Claruit his temporibus Dudechinus Præsbyter Ecclesiæ Parochialis in Rogenstein Trevirensis Diœcesis haud procul à Confluentia vir studiosus & eruditus qui pro Christi amore cum alijs multis profectus ad terram Sanctam in subsidium Christianorum contra inimicos Crucis Christi Saracenos navali prælio pluries dimicavit. Reversus tandem cum salute in Patriam Cunone Monasterij S. Disibodi Abbate peregrinationis suæ historiam in uno volumine digessit. Epistolas etiam plures scripsit ad diversos.

MCXLV.

Anno Volmari Abbatis xxv. Conradus Rex Conventum Principum celebravit magnum in civitate Spirensi, ubi multa fuerant pro pace Regni consultata simul atque disposita, in quo quidem Conventu Nuncijcom

Conventus Principum in Spira.

cij comparuerunt Apostolicæ Sedis literas præsentantes Lucij Papæ quibus Conradum Regem humili supplicatione rogavit, quatenus ad comprimendam Romanorum insolentiam, venire in Italiam dignaretur. Sed arduis Regni negotijs tunc occupatus Rex simul & peste deterritus, quæ totam Italiam & Romanos maxime premebat, Nuncios sine effectu abire permisit.

Lucius Papa III. moritur Eugenius III. succedit.

Interim dum Nuncij commorantur in Germania Lucius Papa moritur peste sublatus, & in Basilica S. Joannis Lateranensi sepelitur. Post Lucij Papæ mortem, Cardinales unanimiter elegerunt Abbatem S. Anastasij de urbe Roma, natione Pisanum Ordinis Cistercienſis Monachum quondam in Claravalle, sub magisterio S. Bernardi Abbatis, qui dictus Eugenius tertius, præfuit annis octo, mensibus septem, diebus viginti. Vir optimus & sanctissimæ conversationis: qui crucem prædicari fecit in omni terra Christianorum & multa millia hominum ad subsidium terræ Sanctæ provocavit. Qui Romanorum insolentiam habens suspectam vocatis ad se Cardinalibus, in Monasterium nostri Ordinis de Forfa ibidem munus consecrationis accepit. Inde Romam redijt, sed non multos post dies in Galliam declinavit, ubi Ludovicum Regem Cruce signans cum alijs pluribus contra Turcas & Saracenos destinavit.

Rex Monetam concedit Genuẽsibus.

His temporibus Rex Conradus Genuensibus auctoritate Imperiali concessit monetandi signandíque pecuniam, in auro simul & argento cum ipsius Cæsaris Imperiique nota, quod eatenus non habebant, sed monetâ utebantur Papiensi, & quibusdam denarijs qui Bruneti dicebantur. Notam vero Imperij quis aquilam nesciat?

MCXLVI.

Terræ motus fit, cometa apparuit.

Anno Volmari Abbatis XXVI. Magnus terræ motus quindecies in die & nocte factus est: cujus impulsu non pauca ædificia corruerunt. Cometa similiter eodem anno terribilis apparuit, & anno sequenti magna pestilentia fuit.

Buggo Wormatiẽ. Episc. obijt cui succedit Conradus.

Eodem Anno Nonis Decembris mortuus est Buggo Wormatiensium Episcopus anno Pontificatûs sui tricesimo sexto: vir multarum virtutum, & per multas transiens adversitates, qui plura fecit bona, fecisset majora, nisi pravorum persecutio hominum impediviſſet opus & sanctum propositum ejus. Sepultus est per manus Guntheri ex Comitibus de Lyningen Spirensis Episcopi in Monasterio Schonaugiensi Cistertiensis Ordinis, quod ipse ut supra dictum est, in honore S. MARIÆ constructit. Cui mox in Pontificatu memoratæ Ecclesiæ successit Conradus ejus nominis primus, qui multas à multis sustinuit persecutiones. Vir bonus & Deum timens quem Tyrannorum impietas ab executione bonæ voluntatis multipliciter impedivit. Extat ejus epistola una ad sanctam Hildegardem Virginem Christi apud Bingios in Monasterio commorantem, in qua suarum deplorat incommoda miseriarum, & cum orationum instantia petit suffragium. Hoc ipso anno Conradus Rex pro quibusdam negotijs Regni Legatos suos misit ad Constantinopolim, inter quos primus & principalis fuit Embrico Episcopus Herbipolensis Monasterij mei fundator, quod in honore S. Jacobi consecraverat in suburbio civitatis, causa Legationis una fuit, quod Rex ire ad terram Sanctam pro ferendo Christianis auxilio proposuit, & iter securum per terras

Rex Legatos misit Constantinopolim.

Imperatoris Græcorum sibi præparare cautionibus utile judicavit.

Ludovicus Rex Gallorum Crucē suscipit.

Anno prænotato Ludovicus Rex Gallorum divino Spiritu compunctus memor etiam sui reatûs, quo priori anno Vitriacum Comitis Theobaldi oppidum incendio destruens mille trecentos homines in Ecclesia peremerat, Cruce signatur ab Eugenio Papa, & cum innumerabili multitudine peregrinorum in auxilium terræ Sanctæ proficiscitur.

Anselmus fit Episcop. ex Abbate.

His etiam temporibus Ecclesia Tornacensis quæ per annos ferè sercentos à tempore videlicet S. Medardi proprio Pontifice carens sub cura Novionensis Episcopi servivit: proprium Episcopum accepit. Eugenius etenim Papa III. cum fugatus à Romanis venisset in Galliam, Ecclesiæ memoratæ compassus est: & de consilio virorum timentium Deum Abbatem S. Vincentij Martyris Lugdunensem nomine Anselmum Tornacensibus Pontificem ordinavit, virum in scripturis sanctis eruditum, & morum integritate venerabilem, consilio cautum & singulari sapientiâ præditum.

MCXLVII.

Eclipsis solis & pestilentia.

Anno Volmari Abbatis XXVII. Eclipsis solis facta est sextâ, & vicesimâ die mensis Octobris circa horam diei quartam, & fuit ipso anno pestilentia magna per universam penè Europam quæ multa millia hominum prostravit, imò etiam brutis non pepercit. Anno verò sequenti fames incredibilis subsecuta multos afflixit.

Embrico Episc. Herbipolensis moritur, cui succedit Sigefridus.

Eodem anno Embrico Episcopus Herbipolensis rediens de Legatione sua ex Constantinopoli, quò priori anno missus à Rege Conrado fuerat, apud Aquileiam moritur, & in majori Ecclesia sepelitur. Alij scribunt corpus ejus aromatibus conditum & in Franciam à suis relatum atque in Ecclesia Wirzburgensi cum honore sepultum. Hic est Embrico Reverendissimus Præsul, qui Monasterium meum titulo S. Jacobi construxit, & multos pro Dei honore labores impigrè toleravit, de quo anno Volmari octavo diximus. Huic in Pontificatu Wirzeburgensis Ecclesiæ fratrum electione successit Segefridus vir bonus & pacificus, & præfuit annis X. Mortuus est etiam hoc ipso anno Egebertus Episcopus Bambergensis successor D. Ottonis pro quo Eberhardus constituitur.

S. Bernardus miracula fecit.

Anno prænotato Eugenius Papa S. Bernardum Abbatem Claravallis denuo misit in Germaniam prædicare Crucem contra Turcas, Sarracenósq; infideles & exhortari populum Dei ad subveniendum terræ Sanctæ ubi Christianorum exercitus graviter à spurcissima gente Mahumetica premebatur, venit ergo miss⁹ vir Dei ad nostros Germanos, & verbo simul efficacissimo non minùs quàm miraculis multa millia in Christi militiam excitavit nam ubicunque Verbum DEI seminavit, multa miracula fecit, in Territorio namq; Constantiensi unâ die undecim numero cæcos suis meritis & precibus illuminavit, mancos aridósque sanavit decem, & claudis decem & octo gressum restituit. Cum prædicaret negotium Crucis in ipsa civitate Constantiensi misit ad eum Abbas Monasterij Augiensis hominem cæcum, quem pro Dei nutrivit honore postulans, ut illum suis orationibus illuminare dignaretur, at vir DEI precibus ad Deum suo more fusis cæcum pauperem mox videntem remisit Abbati. In eadem Diœcesi alium à nativitate cæcum illuminavit, mutum fecit loqui & surdum audire; sed & alia plura ibidem, gratia Dei per eum fuit operata. Cum in civitate Basiliensi sermonem faceret pro Crucis honore ad

re ad populum: corda multorum in verbo ejus compuncta sunt, & plures Christi militiam assumpserunt. Sermone quodam die in eadem civitate finito, præsentata ei fœmina quædam muta, super quam orationem sanctus fudit, & mox fœmina locuta fuit, cæcum quoque hominem sibi oblatum illuminavit: & maximâ multitudine hominum inspectante claudo gressum restituit. In civitate Spirensi, Rege Conrado præsente simul & Gunthero Episcopo cernente, oblatum sibi puerum claudum sanum perfectè reddidit. In Capella memorati Pontificis Rege similiter videnti mulieri cuidam cæcæ visum præstitit: & gressum claudo dedit.

His miraculis & sermonibus D. Patris Volmarus Abbas cum duobus Monachis Burckhardo & Conrado senioribus interfuit, cum eo manducavit & bibit, se & Congregationem suam totam orationibus illius commendavit. E Spira vir Sanctus descendit ad Franckenfurt comitantibus eum Rege Conrado & certis personis spiritualibus atque Principibus, ubi Verbum Dei prædicavit cum fiducia pluréque diversis languoribus oppressos Deo miserante sanavit: & multos in auxilium terræ Sanctæ provocans Crucem ituris imposuit. Inde navigio descendens pervenit ad Bingios, ubi Hildegardis Monialis Virgo Christi devotissima, de qua postea dicemus, in monte Sancti Ruperti construxit Cœnobium, cum qua dulces fertur, de futura felicitate miscuisse sermones. Erat namque Divo Bernardo Sancta Christi famula, & scriptis nota, & relatione multorum in Domino comprobata, ad quam cum pervenisset post orationes consuetas, & salutationis obsequia præcepit sibi volumina exhiberi, quæ illa divinitus inspirata conscripsit, quibus diligenter ex parte revisis ultra quàm dici potest admirans dixisse fertur ad socios: *Hæc scripta non sunt humanitus adinventa, nec potest ea mortalis homo capere, nisi ad Dei similitudinem intus & in anima fuerit reformatus per amorem.* Ad hæc Præpositus virginum Monachus devotus & sanctus nomine Heribertus viro Domini respondit: *Reverende Pater, vera quidem sunt quæ dixisti, sed multi homines docti & indocti, Religiosi & mundani, animam famulæ Christi quotidianis oblocutionibus cruciant, dum terebri phantasmata, aut fallaciter per dæmones indoctæ fœminæ garrulantur immissa.* Cui Vir Dei: *Non miramur*, inquit, *frater charissime, si dormientes in peccatis divinas revelationes existiment somnia, cum sciamus verum dixisse Sanctum Apostolũ; animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi & non potest intelligere quia spiritualiter examinatur, omnibus enim in peccatis superbiæ, luxuriæ, avaritiæ seu alijs vitijs quasi dormiendo jacentibus, divinæ admonitiones consueverunt somnia videri, quoniam si vigilarent in timore Domini signa divinæ operationis vera cognoscerent. Qui autem hæc imitti à dæmonibus existimant, ostendunt se divinæ contemplationis nullam penitus habere scientiam, similes illis judicandi sunt, qui Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum in Beelzebub potestate Dæmonia ejicere dixerunt.* Ad S. quoque Hildegarden per interpretem: *& tu filia*, inquit, *non timeas locutiones hominum cum Deum habeas protectorem, quoniam illorum sermones peribunt ut stipula, verbum autem Domini manet in æternum.* Post hæc vir Dei navigio descendit ad Bopardium, Confluentiam, Treverim, Coloniam, atq; Leodium civitatem magna quondam Lotharingiæ crucem ubique prædicans, & Domino sermonem cooperante sequentibus signis: & innum-

S. Bernardus visitavit S. Hildegardem Bingis.

Scripta Virginis Commendantur.

Verbum S. Bernardi notabile.

Bernardus confortat Hildegardem.

Miraculis ubique Bernardus claruit.

numerabilem multitudinem hominum ad militiam Dei excitavit.

Cœnobiũ S. Ruperti fundatur.

His temporibus ut dictum est B. Hildegardis patriâ Spanheimensis ex villa Bikelheim oriunda Sanctarum Virginum Deo in monte D. Præsulis Disibodi famulantium post dormitionem b. m. Dominæ Gutæ Magistra crebris visionibus admonita divinitus ut Monasterium construeret apud Bingios cum XVIII. virginibus sacris de Abbatis sui Cunonis licentiâ illò transmeavit, & Cœnobium in monte juxta Nahum fluvium in oppositio Bingensis oppidi, ubi quondam Sanctus fertur habitasse Rupertus Dux & Princeps Bingionum, tempore Pipini ultimi Regis Magni Francorum. Hunc igitur montem cum sepulchro S. Ducis Ruperti, ac necessarijs loci pro capacitate Monasterij S. Virgo partim ex oblatione fidelium precibus obtinuit, partim à quodam Comite de Hellesheim pretio comparavit. Sed & partem non modicam ex donatione Meginhardi Comitis de Spanhaim obtinuit, cujus soror exiterat Jutta Virgo sancta, & Institutrix Beatæ Hildegardis cujus hîc mentionem facimus, constructo autem Cœnobio devota Christi famula cum sacris sibi coñissis virginibus in omni Sanctitate vivere studuit, & conversationis institutũ secundum D. P. N. Benedicti Regulam in omnibus direxit multísque miraculis claruit. Hæc Sanctissima Virgo Hildegardis revelationibus divinis à pueritia relevari meruit: in quibus miranda vidit, & audivit, quæ cum latini sermonis esset ignara penitus, multa nihilominus quæ in revelationibus divinitus didicit, latino & congruo sermone scripsit de cujus mirandis opusculis nos vidimus, & legimus subjecta in Regulam S. P. N. B. brevem explanationem lib. I. Ad Wigbertum Monachum Gemblacensem super triginta quæstiones responsalem lib. I. vitam S. Ruperti Ducis Bingionum lib. I. de vita S. Disibodi Hibernienſis Episcopi lib. I. Octo, & quinquaginta homilias super Evangelia Dominicalia per anni circulum lib. unum. De Sacramento Altaris contra quosdam Hæreticos librum I. Volumem quoque magnum quod *Scivias* prænotavit, in quo de via Domini atque Sanctorum ejus valde subtiliter disputat. Aliud etiam volumem quod *vitæ meritorum* prænotavit, & in tres libros divisit. Volumem simplicis Medicinæ, opus naturale multúmque mirabile lib. I. Aliud compositæ Medicinæ librum unum. Volumem magnum, cujus titulus est: *Divinorum operum.* Epistolarum ad diversos magnum volumem composuit, inter quas plures vidimus Epistolas ad eam Eugenij Papæ III. Anastasij IV. Alexandri quoque tertij, Conradi Regis tertij, Friderici Imperatoris primi, Archiepiscoporum, & Pontificum etiam. Hierosolymitani, Moguntinensis, Trevirensis, Colonienſis, Bremensis, Salzburgensis, Bambergensis, Spirensis, Constantiensis, Wormatiensis aliorúmque multorum, qui ex diversis mundi partibus famâ Sanctitatis ejus divinarúmque revelationum provocati, per nuncios, & epistolas illius se orationibus coñendantes, literas ab ea responsales devotissimè postúlârunt, sed de his alibi &c.

Opuscula S. Hildegardis.

Romani Pontifices & Imperatores ad eam scripserunt.

Inter Moguntinum & Bambergensem Episcopos discordia.

Hoc anno prænotato gravis dissensio fuit suborta, inter Henricum Archiepiscopum Moguntinum, & Eberhardum Bambergensem. Nam S. olim Henricus Imperator prædictum Episcopatum de novo instituens à Jurisdictione Moguntini Archipræsulis statuit exemptum, subijciens eum Romanæ Sedi sine medio protegendum; Cujus vigore Privilegij

vilegij memoratus Præsul Eberhardus consecrationem suam, à quodam Apostolicæ sedis Legato susci piens, Archipræsulis Moguntini consensum, requirere non curavit. Hinc motus Archiepiscopus se minùs justè putabat contemptum, & propterea contra Eberhardum Bambergensem Pontificem animum induravit. Extat super his ad Eugenium Papam tertium, Eberhardi talis Epistola: *Reverendissimo Domino Patri & Creatori suo Eugenio summo Pontifici Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ: Eberhardus Bambergensis, humile opus manuum suarum, divinâ & Apostolicâ gratiâ, si quid est, cum universis commembris suis & confratribus debitam in Christo obedientiam, & omnem suæ possibilitatis devotionem. Benedictus Deus qui universæ Ecclesiæ suæ benedixit ad introitum vestrũ: & post magna luminaria firmamenti quæ quasi nocti præerant extincta luminare majus, ut præesset diei, accendit in persona vestra. Verè etenim vestris, & temporibus, & meritis exortum est in tenebris lumen rectis corde, lumen utique ad illuminationem gentium, & gloriam plebis Israël; quâ luce illuminati fideles in fide per dilectionem operantur, & infideles ad fidei unitatem in brachio divinæ virtutis aggregantur. Quod commune gaudium universæ terræ tantò nos specaliùs attingere credimus, quantò vobis arctiori vinculo servitutis, & obedientiæ subjacemus. De cætero misericordia vestra Clementissime Pater, & Domine ante oculos nostros semper est, quia verò meritum nostrum prævenistis in benedictionibus dulcedinis, unde non quantas debemus, sed quantas possumus in conspectu divinæ Majestatis sanctitati vestræ humiliter gratias referimus: quidquid boni nobis est post Deum vestræ Paternitati ascribimus. Ut autem inter prospera, simul homines, adversa nobis non deesse divina providentia disposuit: Domino Archiepiscopo Monguntino non judicialiter agente nobiscum, sed exitialiter nos per sequente eò quòd vestram obedientiam suæ præponimus, & quod in Episcopali benedictione percipienda de plenitudine gratiæ vestræ participare præsumpsimus, & fonte potiùs quàm de rivo potare maluimus, cujus rei immanitas usque adeò excrevit, ut Moguntini nobis servis vestris & filijs (si dicere audemus) mortis periculum, & Ecclesiæ vestræ minitari præsumant excidium. In his autem omnibus unicum in vobis spei nostræ refugium habentes à vestræ auctoritatis sententia ita pendemus, ut neque mors neque vita à vestra nos separrare possint obedientia. Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, & ad consolationem omnium fidelium temporum vobis tranquilitatem concedat, &c.*

Exemplar Epistolæ Bambergensis Episcopi ad Eugenium Papam.

Factum narrat Archiepisc.

MCXLVIII.

Anno Volmari Abbatis XXVIII. Conradus anno priore signatus Cruce per Hungariam, & Græciam cum exercitu magno è tota Germania confluente ad terram Sanctam in auxilium Christianorum profectus est. Qui veniens in Syriam Christianos valde suo lætificavit adventu: fertur enim homines loricatos secum adduxisse plusquàm septuaginta millia, demptis illis qui minùs exercitati ad arma, pedites nuncupantur. Sed omnis illa Christianorum potentia, quæ invincibilis poterat æstimari, à Saracenis, & Turcis in solitudine vallata, telorúmque & sagittarum impulsu nimiùm sauciata, & contrita est, ut vix pars decima remanserit, reliquis novem partibus aut captis ab infidelibus, aut occisis.

Conradus Rex cum exercitu tendit Jerusalem.

His quoque temporibus Eugenius Papa III. Nicolaum ex Monacho nostri Ordinis Albanensem Episcopum natione Anglicum, qui posteà summus Pontifex creatus, Adrianus IV. est dictus: virum in divinis scripturis eruditum, & declaratorem egregium cum quibusdam Monachis,

Norvegia convertitur.

atque Præsbyteris viris doctis misit in Norvegiam ad barbaram gentem eâ tempestate adhuc idolorum culturæ deditam, & à cognitione Christianæ Philosophiæ penitùs alienam. Qui Sanctissimus Præsul verbo simul, & exemplo religiosissimæ conversationis populum illum, Domino miserante, Christi convertit ad fidem.

S. Henricus Imperator canonizatur.

Anno prænotato Eugenius Papa III. ad instantiam supradicti Eberhardi Episcopi Bambergensis S. Henricum ejus nominis II. Regem, sed primum Imperatorem Romanorum, qui memoratum fundavit Episcopatum, & in eadem Ecclesia jacet sepultus, ob crebra ejus miracula Sanctorum catalogo jussit inscribi, anno post transitum ejus quinto decimo, atque centesimo, de quo longè diximus supra, anno videlicet Monasterio istovacante, primo.

Gotfrid. ex Comite Palat. Monachus.

Hoc anno mortuus est Gotfridus ex Comite Palatino, ex Tubingen Monachus Cœnobij Hirsaugiensis, & in Ecclesia ejusdem Monasterij sepultus. Hic filius erat Adelberti Comitis de Galba reparatoris Monasterij sancti Aurelij de quo plura supra diximus, qui uxorem habuit filiam Welffonis, cujusdam Ducis Bavariæ: quâ tandem mortuâ comam capitis pro Christi amore deposuit, & habitum Monasticum in hoc Monasterio suscepit. Qui Monachus factus omnia contempsit mundana, & se totum ad inquisitionem æternorum conferens, cum esset senio gravatus vitam in brevi terminavit.

Post cujus mortem Conradus VVormatiensis Episcopus qui Buggoni successerat, in somnis quàdam nocte visionem vidit memorandam: Videbat se apud villam Heilebron, quæ nunc oppidum est Sueviæ constitutum, ubi Heinricum Regem quintum cum alijs nonnullis Regni Principibus jam vitâ defunctis, quos dum viverent optimè noverat, putabat residentes. E quorum medio Gotfridus, de quo loquimur, consurgens ad Episcopum accessit & salutavit, erat autem facie pallidus, & quasi longâ inediâ consumptus, tanquam si squalido in carcere diutius fuisset incluſus: ad quem Episcopus dixit: Quæ, dic mihi, est causa quod facie tam pallidus nunc appares & lividus, qui mundum pro Dei amore contemnens, Monachum in sancta illa congregatione Hirsaugiana vixisti, quod saluti maximè debuerat profuisse tuæ? cui defunctus: adhuc inquit, detineor in pœnis propterea quòd Monachis & Fratribus meis Hirsaugiensibus in necessitatibus eorum tam fideliter non studui subvenire, quantùm debui, & potuissem cum essem defensor Monasterij constitutus atque protector, sed avaritiâ mentem obcæcante meam, contra Jus advocatiæ munera & servitia pro defensione ab illis violenter exigebam. Et væ omnibus qui aut munera extorquent ab Ecclesijs aut Monasterijs, quibus defensores & advocati sunt constituti ad servitia, quia non pro Dei amore, sed pro terreno lucro serviunt, & justitiam vendunt, & quia mercedem in præsenti vita contra Jus æquitatis accipiunt, propterea post mortem justè damnabuntur: unde per omnipotentem Deum te obtestor, quatenus Fratres meo nomine rogare non negligas, ut orare pro me dignentur attentius; quoniam si mihi precibus suis subvenire voluerint, à pœnis citò liberabor. His dictis signum dedit Pontifici, quòd fides monenti præstaretur. *MCXLIX.*

Notent advocati Monasteriorũ.

Anno Volmari Abbatis XXIX. in dictione Romanorum XII. Eugenius

nius Papa III. convocatis ex omni Germania & Gallia Episcopis Generale Concilium in civitate Remorum celebravit, in quo convenientibus multis multa pro communitate, & utilitate Christianorum ordinavit. In hoc Generali Concilio Arnoldus Colonienſium Archiepiſcopus, de quo ſupra diximus anno Volmari Abbatis XVII. per auctoritatem Eugenij Papæ ab Epiſcopali officio ſuſpenditur, propterea, quòd vocatu sad Synodum, pro ut tenebatur, venire aut neglexit aut diſſimulavit.

Concilium celebratur Remis Epiſcoporum

Archiepiſc. Colonienſis ab officio ſuſpenditur.

Anno quoque præſcripto Conradus Rex de Tranſmarina peregrinatione in Germaniam reverſus eſt maximâ eorum multitudine, qui priori anno cum ipſo mare tranſierant ab infidelium Saracenornm manibus crudeliter in captivitate detentis vel occiſis, cujus peregrinationis prolixa hiſtoria cum alibi habeatur diffusè conſcripta, ſuperfluum judicamus iſthic ſuper ea longiùs evagari.

Conradus Rex de Hieruſalem revertitur.

Hoc ipſo anno reverſus ab Hieroſolymis Rex Conradus Principes Imperij convocavit in civitatem Spirenſem, cum quibus habuit varios de Regni ordinatione tractatus, ac poſtremò filium ſuum Henricũ, cui Marchiam Auſtriæ donaverat, creans eum in Ducem, ut ſupra dictum eſt Anno Volmari Abb. XXII. in Regem ſublimari obtinuit, quem inungi & coronari, ut moris eſt, Aquiſgrani fecit. Qui Henricus non diu poſtea ſupervixit, quoniam ante Patrem moriens, neuter eorum Imperij coronan habuit.

Conradus Regis filius in Regem Romanorũ deligitur.

Anno prænotato ſecundâ die Menſis Novembris obijt in Clarevallenſi Monaſterio S. Malachias ex Monacho Wintonienſi in Anglia noſtri Ordinis, primò Epiſcopus in civitate Hiberniæ Leſinor dicta, poſtea verò in Connereth, & poſtremò in Ardinacha Archepiſcopus; Vir Apoſtolicæ vitæ totius perfectionis exemplar, qui multis in vita ſimul & poſt mortem coruſcavit miraculis, de quo mentionem fecimus Anno Volmari Abbatis VII. cujus vitam S. Bernardus deſcripſit.

S. Malachias Archiepiſcopus moritur.

His temporibus magna inter Clerum & cives Wormatienſes diſſenſio fuit exorta, in multarum periculum animarum. Nam bona Eccleſiæ in direptionem fuerunt expoſita, & non erat qui Miniſtrorum Chriſti vindicaret injurias. Conradus quoque Rheni Palatinus Comes Frater Friderici poſtea Imperatoris I. qui morabatur circa Neccari fluenta in mõtibus, multas Cleri poſſeſſiones in circuitu, ac Regionis violenter diripuit, ſuiſque uſibus injuſtè mancipavit, Wormatienſium Antiſtes Conradus per ejus tyrannidem multa ſuſtinuit.

Conradus Comes Rheni Palatinus.

Anno prænotato filius Megenhardi Comitis & Fundatoris Monaſterij quondam mei in Spanheim nomine Craffto in eodem Cœnobio pro Chriſti amore Monachus factus, mundum cum ſuis vanitatibus tranſitorijs deſpexit. Qui cum eſſet vir nobilis, & ſapiens profeſſioni ſuæ omni tempore pro viribus ſuis ſatisfacere ſtuduit: & in cunctis ad puritatem Regulæ ambulavit; unde mortuo primo Abbate Bernhelmo, dignè ſuccedere meruit, ut ſuo loco dicemus. Cauſa converſionis ejus iſta fuit. Deſponſaverat ſibi Pater Megenhardus Clementiam Comitis Adolfi de Hohenberg filiam Virginem corpore pulchram, prudentiâ ſimul, ac moribus pulchriorem; hæc ſuam virginitatem Chriſto perpetuò ſervare cupiens in violatam, conſenſum ſponſi petijt & obtinuit: ac Monaſterium Sanctæ Irminæ, quod Horreum nuncupatur, in civitate

Comes fit Monachus in Spanheim.

Trevirorum ingressa monialis facta est: ubi usque ad mortem in sanctâ conversatione annis non paucis perseveravit: Craffto autem sponsus ejus devotione compunctus, sicut dictum est, Spanheimense Cœnobium intravit.

MCL.

Anno Volmari Abbatis Hirsaugiensis xxx. hiems dura & nimiùm prolongata fuit, acies igneæ in cælo visæ fuerunt, & totus annus calamitosus, & plenus miseriarum subsequenti præsagium futurorum dedit, ignis & aqua per diversas mundi partes, multas clades, damna, & incommoda mortalibus intulerunt.

Annus calamitatib⁹ plenus.

Hoc ipso anno Trajectensis civitas in Hollandia cum Ecclesijs, Monasterijs & ædificijs penè cunctis incendio conflagravit & perijt. Erat in Ecclesia quadam Crux una lignea imaginem Salvatoris nostri continens sibi ferreis clavis annexam, quæ templo jam ardente, de alto in pavimmentum decidit: & tecto cum trabibus ardentibus desuper cadentibus integra permansit. Nam etsi diutissimè in medio jacuerit incendij, sana tamen & illæsa inter cineres reperta est: lignis reliquis in toto consumptis, clavis etiam ferreis quibus imago Dominica ad crucem fuit compacta liquefactis & resolutis. Mira res. Durat lignum ubi consumitur ferrum, & imago Crucifixi parva sine læsione integra permanet; ubi trabes maximæ transeunt in favillam. Hæc crux ad memoriam facti in templo sancti Bonifacij Martyris atque Pontificis reposita est, & servatur cum honore usque in præsens.

Miraculũ crucifixi non combusti.

Anno prænotato Eugenius Papa III. venit ad Treverim cum decem & octo Cardinalibus Episcopis quoque & Abbatibus multis, invitatus ab Adelberone Trevirorum Archiepiscopo, quibus ipse per menses tres ibidem commorantibus in cibo, & potu copiosissimè providit. Eugenius autem Papa convocatis Episcopis, Abbatibus, & Clericis multis ex tota Germania, & parte Galliæ synodum celebravit, & multa constituit ad Ecclesiæ Dei honorem simul & utilitatem, Ecclesiam quoque Monasterij S. Matthiæ Apostoli novam ultimâ die Mensis Januarij, idem Papa Eugenius cunctis Cardinalbus & Episcopis præsentibus & cooperantibus consecravit.

Eugenius Papa venit Trevirim.

In memorato Concilio Treveris celebrato miracula, visiones, & scripta, quæ omnipotens Deus per famulam suam Hildegardem operabatur apud Bingios, ad aures summi Pontificis Eugenij plurimorum narratione pervenerunt, quibus auditis Pontifex, & volens rem novam, & arduam investigare diligentiùs; misit ad virginem Christi Adelbertum Virdunensem Episcopum cum quibusdam alijs viris doctis, & Deum timentibus, dans eis in commissis, quatenus dictorum omnium inquirerent veritatem, qui cum perveniissent ad famulam Dei, & ea quæ à summo Pontifice habebant in commissis, cum reverentia exequerentur, non solam revelationum seriem, & famam, sed modum quoque & causas abea diligentissimè inquirebant. Quibus illa simpliciter respondebat ad omnia, & quid circa eam operata fuisset divinitas, cum summa humilitate aperuit. Informatione sufficienti acceptâ Nuncij Apostolici, libris visionum virginis illâ petente secum assumptis, ad Papã Treverim redierunt, & quod omnia invenerint vera, quæ dicebantur de famula Christi, &

Scripta Hildegardis præsentantur Papæ

solida

solida renuntiârunt ; deinde volumina quæ illa divinitus illuminata scripserat una cum epistola, quam dederat, Eugenio Papæ cum reverentia tradiderunt. Pontifex scripta virginis coram multis fecit publicè recitari, & per se lectoris quandóque functus officio partem non modicam legens recitavit. Omnes qui audiebant verbum lectionis in admirationem ducti, omnipotentis misericordiam, qui talia operabatur in fragili sexu collaudabant. Aderat his D. Abbas Bernardus, aderat & Ludovicus Abbas S. Mathiæ Trevirensis amicus S. Virginis, quibus mediantibus omnium dubitationum nebulæ à cogitationibus auditorum pellebantur. Omnibus ergo rogantibus, qui aderant, simul & hortantibus Romanum Pontificem, ne lucernam tam insignem divináque illustratione succensam pravorum hominum machinatione pateretur extingui, libenter consensit, & literas virgini Hildegardi tenoris sequentis transmisit: *Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei dilectæ in Domino filiæ Hildegardi Præpositæ in iu monte S. Ruperti salutem & Apostolicam benedictionem. Miramur ô Filia & supra quàm dici potest miramur, quia Deus nostris temporibus jam nova miracula ostendit: cum te spiritu suo ita perfudit, quòd diceris multa secreta videre intelligere & proferre. Hoc à quibusdam veridicis personis audivimus, & ab his maximè quos pridem misimus ad te, qui fatentur se vidisse te, & audivisse loquentem mirabilia, sicut & nos comperimus in libris tuis. Sed quid nos ad ista dicere valemus, qui clavem scientiæ habentes ita quod claudere, & aperire possumus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus. Congratulamur autem gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ, & hoc te admonemus, ut scias quoniam Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Gratiam ergo, quæ in te est, per humilitatem serva & custodi, ita ut ea quæ in spiritu proferenda senseris prudenter proferas: quatenus illud à Domino audias: Dilata os, & ego implebo illud, quod nobis de loco illo quem prævidisti tibi in spiritu significâsti hâc permissione & benedictione nostrâ, & Episcopi tui fiat, ita quò ibi regulariter cum sororibus tuis vivas secundùm Regulam S. Benedicti sub ejusdem loci debita, & necessaria clausura.* Literis Apostolicis, cum benedictione, gratiarum actione, susceptis, Christi famula Hildegardis summo Pontifici responsalem remisit divinitus inrevelatione compositam : in qua illum de quibusdam arcanis quæ ipsius versabantur in corde admonuit, & divinam circa hæc voluntatem, & beneplacitum veraciter indicavit, fuit autẽ hæc sanctissima Virgo, ut supra diximus, oriunda ex Comitatu Spanhemensi de Villa Bickelleheim dicta, Patre Hildeberto milite, matre verò Mechtilde progenita, temporibus Henrici Imperatoris IV. nata in mundum, anno videlicet Gebhardi Abbatis Hirsaugiensis VII. Cujus Pater in curia Comitum de Spanheim cum alijs nobilibus militans versabatur, homo rectus, & Deo devotus. Hildegardis autem cum quinque annorum esset ætatis in Monasterium à parentibus Deo dicanda est oblata, & sub memoratæ superius B. Juttæ magisterio in monte S. Disibodi Monasticæ conversationis habitum assumpsit. A qua diligentissimè in timore Domini instituta, nihil aliud quàm cælestia didicit amare. In quo Cœnobio, cum certis alijs Virginibus inclusa Omnipotenti Deo multis annis secundùm Regulam S. Benedicti humiliter servivit, & plures suo exemplo ad timorem Domini convertit.

S. Bernardꝰ Abbas. Ludovicus Abbas.

Exemplar literarum Eugenij Papæ ad S. Hildelgar.

Locum habitationis ejus confirmat.

Hildegardis Papæ rescripsit.

Genus & origo Hildegardis.

Post mortem S. Virginis Juttæ Beata Hildegardis sororum electio-

ne magisterium suscepit, quæ divinitus admonita, tandem ad montem S. Ruperti transmigravit. Inter cæteras Domino sub ejus magisterio servientes Virgines Hiltrudis filia Comitis Meginhardi de Spanheim una extitit, quæ multis in Christo virtutibus clara fuit; ob cujus preces genitor ejus, Comes memoratus plura bona novo Cœnobio constrvendo in monte dedit. Porrò S. Hildegardis, sicut in vita ejus legimus, ab infantia divinis revelationibus crebriùs visitata, cum præter Psalterium & simplicem melodiam psallendi nullam haberet Latini sermonis scientiam, mirabiliter tamen Spiritu sancto mentem ejus illustrante, in occultis revelationibus suis magna, & ardua didicit, & multa secreta cælestia, partim Latino, partim verò Teuthonico sermone scripsit: quorum titulos librorum per ordinem superiùs explicavimus. Et revera in quantum nos judicare possumus, ejus scripta non humano sensu vel intellectu sunt edita, sed divino potiùs spiritu mirabiliter infusa, & ideò non passim intelliguntur ab omnibus, sed ab illis duntaxat, utcúnque possunt intelligi, quorum pura mens Deo per amorem meruit uniri; scripserunt ad eam literas, seu epistolas multi se orationibus illius commendantes, & monita ex ore ipsius divina præstolantes, inter quos nunc memoriæ occurrentes isti fuerunt: Conradus Rex III. Fridericus Imperator I. Eugenius Papa III. Anastasius Papa IV. Adrianus quoque Papa IV. Adriani quoq; successor Alexander Papa III. Patriarcha Jerosolymitanus. Patriarcha quoque Aquilegiensis Henricus. Arnoldus & Christianus Moguntini Archiepiscopi & Trevirenses. Archiepiscopi Colonienses, Archiepiscopi Bremenses. Archiepiscopus Salzburgensis. Archiepiscopus Magdenburgensis. Archiepiscopus Ravennensis, & multi de Italia. Cardinales quoque & Prælati Ecclesiarum. Eberhardus Episcopus Bambergensis, Episcopus Spirensis, Episcopus Wormatiensis: Episcopus Constantiensis. Episc. Virdunensis. Episcopus Leodiensis. Episc. Trajectensis, Episcopus Pragensis in Bohemia. Episcopus Hildensheimensis in Saxonia. Episcopus Augustensis in Suevia. Episcopus Ratisbonensis in Bavaria. Episcopus Verdensis. Episcopus Patavienſis. Episcopus Metensis, & plures alij. S. Betnardus Abbas Clarevallensis. Adam I. Abbas in Ebrah. Abb. Eberbacensis. Abb. S. Anastasij Romæ. Abb. S. Emmeranni Ratisbonæ. Abb. de Reisheim. Abb. in Mochensenburgi. Manegoldus Abb. *hujus* Monasterij Hirsaugiens. de quo suo loco dicemus. Abb. S. Mariæ *ad Martyres* apud Trevirim. Abb. Ludovicus S. Matthiæ apud Trevirim, Abb. S. Disibodi, Abbas Campidunensis in Suevia. Abbas in Elvvangen. Abbas in Maulbronna, Abbas Montis Monachorum juxta Bambergam. Abb. in Zvvifaltem; Abbas de Salfeld. Abbas in Salheim. Abbas in Bosendorf. Abbas S. Martini in Colonia, Abb. in Bruvviler, Abbas Wetellensis. Abbas in Heilsbronn, Abbas quoque Bellevallis, Abbas Carilocensis Abbas Clarefontensis. Abbas Charitatis in Gallia. Abbas Bethaniæ. Abb. in Sprengerbach Regularium. Abbas in Rodenkirchen, Abbas in Elversdorff nunc Mariæ Cellæ in Saxonia. Abbas in Wadegas. Abb. Urauiæ Eckardus. Præpositus in Flanheim tunc Regularium. Præpositus in Heyna Regularium. Præpositus in Westora Regularium. Præpositus in Herad Regularium. Præpositus in Coppenberg. Præpositus S. Victoris prope Moguntiam. Præpositus S. Castoris in Confluentia. Præpositus S. Andreæ

Scripta S. Hildegardis Mystica.

Andreæ in Colonia. Præpositus in Erfordia. Præpositus Majoris Ecclesiæ in Moguntia. Præpositus S. Simeonis apud Treviros. Præpositus in Kuestede. Præpositus majoris Ecclesiæ Trevirensis. Præpositus majoris Ecclesiæ Colonienſis. Præpositus Franckenfurtensis. Præpositus Bonnensis & alij plures Abbates, Præpositi & Priores, &c. Sancta Elisabeth nostri Ordinis Abbatissa in Schonavve Trevirensis Diœcesis, de qua post hæc suo loco dicemus. Abbatissa de Hemelavv. Abbatissa de Widersdorff. Abbatissa in Valle Dei. Abbatissa in Gandersheim. Abbatissa in Wekersvvinckel. Abbatissa nostri Ordinis prope Alzen jam deserti. Abbatissa in Altvvick, Trajectensis Diœcesis. Abbatissa in Krumchem. Abbatissa in Knoffdal. Abbatissa S. Mariæ Ratisbonæ. Abbatissa in superiori Monasterio Ratisbonæ. Abbatissa in Kegsungen. Abbatissa in Gerbstede. Abbatissa S. Cyriaci prope Erfurdiam. Abbatissa in Lubbelsberg. Abbatissa S. Theodori in Bamberg. Abbatissa in Widergoldesdorff. Abbatissa in Veteri Monasterio in Moguntia. Abbatissa in Oldenstat. Abbatissa in Nusia tunc Ordinis nostri. Abbatissa in Horreo Trevirensi. Abbatissa apud S. Virgines in Colonia tunc nostri Ordinis. Abbatissa in Didenkirchen. Abbatissa prope Andernach. Abbatissa S. Glodofindis Metensis. Abbatissa in Erdendal, & plures aliæ, &c.

Abbatissæ ad eam literas scribentes.

Scripserunt & alij plures varias ad eam epistolas Presbyteri seculares, Monachi quoque & Conventus, Philosophi, & Magistri Doctissimi non solùm de vicinis, sed etiam de remotissimis locis, ex Italia & Gallia, quibus omnibus Christi famula literas ad interrogata misit responsales, quemadmodum per divinam revelationem didicit singulis esse rescribendum. Nos verò cuncta ejus scripta non solùm legimus in virginalibus libris qui sunt in ejus Monasterio apud Bingios repositi, sed fecimus etiam pro nobis rescribi, cum adhuc Monasterio præsederemus D. Martini in Spanheim.

Multis hæc Virgo miraculis claruit tam in vita, quàm post mortem, & fama sanctitatis & revelationum ejus totum orbem Christianum suo replevit odore. Moritur tempore Imperatoris Friderici I. anno Dominicæ nativitatis MCLXXX. in die sancti Lamberti, & in Ecclesia Monasterij sui quod ipsa construxerat in monte S. Ruperti coram summo altari fuit sepulta; cujus vita III. libris descripta est.

His temporibus Fundalus miles quidam in Hibernia strenuus in armis, sed propriæ salutis animæ negligens atque contemptor, sedens quàdam die cum amico suo ad mensam percussus repentè divinitùs in terram ut mortuus cecidit: & per 4. dies propter calorem, qui sinistro notabatur in latere sicjacens insepultus amicorum consilio permansit, quartâ verò die reversus ad semetipsum miranda, quæ viderat apud inferos, narravit mortalibus, quæ cum sunt vulgatissima his inserenda non putatamus.

MCLI.

Anno Volmari Abbatis XXXI. fames magna in omni Germania fuit, quam ingens hominum mortalitas subsecuta est, & multa millia consumpsit. Eodem anno mortuus est Arnoldus ejus nominis I. Archiepiscopus Colonienſis, cui Arnoldus II. majoris Ecclesiæ Præpositus Conradi Regis Cellarius in Pontificatu succedens præfuit annis VI. vir acutus ingenio, qui Regem in Italiam & Hierosolymam semper est secutus.

Iste

Conradus Rex tertius quare non fuit Imperator.

Iste Conradus Rex Romanorum quamvis fuerit in Italia, coronam tamen Imperij non accepit, sed Regio nomine Contentus Imperialem titulum non curavit, exemplo nimirum Henrici Regis I. qui consensu omnium Principium electus & coronatus in Regem, apud Aquasgrani, nunquam induci potuit ab aliquo ut coronam Imperij susciperet; dicebat enim sibi sufficere quod Rex esset nec minus vellet aut posset Rei prodesse publicæ, quàm si coronâ videretur sublimatus Imperij, operibus indigere Regnum, non titulo.

His temporibus Arnoldus memoratus Ecclesiæ Colonienſis Archiepiscopus Cœnobium Monialium, Ordinis nostri Ryndorff dictum, haud procul ab oppido Bonnensi sub honore S. Clementis Papæ & Mart. de novo constructuit, in quo mortuus postea sepultus fuit.

Anno prænotato XXVII. die mensis Martij obijt Bernhelmus I. Abbas in Spanheim anno Regiminis suis XXVII. nondum completo, ætatis verò LXXIV. sepultus in medio Chori: vir æternâ memoriâ dignus, Deo & hominibus dilectus, Regularis disciplinæ custos, & observator præcipuus, cunctisque virtutibus adornatus: qui modicum gregem sibi à Domino cõmissum in omni Religione, & sanctitate, non minùs exemplo quàm verbo strenuè gubernavit. Huic secundus in Abbatia Spanheimensi ex Comite Monachus dudum factus successit Craffto vir in Christo multarum virtutum, & præfuit annis XXIV. mensibus II. & V. diebus, de quo jam supra diximus. Hic Monasterio in utroque statu satis utiliter præfuit, & tam res temporales quàm numerum personarum auxit, de quo in Historia Spanheimensis Monasterij dudum plenius diximus. Ejus Pater fuit Meginhardus, Comes in Spanheim & fundator præfati Monasterij. Soror autem Beata Hildegardis Sanctimonialis in Cœnobio D. Ruperti, apud Bingios vitam duxit Monasticam.

Craffto Comes fit Abbas Spanheimensis.

Eodem anno mortuus est Fridericus Magdenburgensis Ecclesiæ in Saxonia Archiepiscopus, cui Wigmannus filius Comitis de Tegenburg, natione Bavarus, promotione Regali succedens præfuit annis XLII. vir in agendis negotijs tam secularibus quàm Ecclesiasticis, prudens & agilis, cujus diligentia haud parum Ecclesiæ profuit. Hoc ipso quoque anno mortuus est Conradus Landgravius Thuringiæ.

Wigmann. fit Archiepiscopus Magdenb.

Anno etiam prænotato constitutus est sanctus Roffoldus ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis quintus Abbas Monasterij S. Protomartyris Stephani apud Herbipolim civitatem Francorum orientalium, de quo longè supradictum est anno S. Wilhelmi Abbatis XVI. erat autem multarum virtutum & magnæ sanctitatis, instaurator Monasticæ disciplinæ vigilantissimus, in oratione sancta continuus, divinarum scripturarum amator & lector studiosissimus, qui verbo & exemplo subditos sibi Monachos in omni sanctitate præcessit, & se in opere divini amoris omni tempore studiosissimè exercitavit. Iste Sanctus Abbas Roffoldus ex mandato & permissione Sigefridi Herbipolensis Episcopi, hospitale, quod erat retrò Monasterium suum in suburbano memoratæ civitatis in alium locum transferens, Cœnobium ex eo Monialium Ordinis nostri constituit: quod consummatum feliciter in honorem S. Affræ Martyris dedicatio-lemniter obtinuit: Quod quidem Cœnobium in suburbio civitatis permanet usque in præsentem diem, & ante annos ferme sex ad observantiam

Cœnobiũ Sanct. Affræ Herbipoli fundatur.

tiam regularem reductum est, per Laurentium de Hibera Reverendissimum Ducem atque Episcopum. Literas vidimus Henrici Herbipolensis Episcopi sigillo confirmatas in quibus hunc Roffoldum virum Religiosum & sanctum protestatur.

MCLII.

Anno Volmari Abbatis xxxii. mortuus est Adelbero Trevirorum Archiepiscopus, vir magnanimus & singularis censuræ, justitiæ & æquitatis: ac Jurium Ecclesiæ tam Romanæ quàm suæ defensor acerrimus. Hic in die Paschatis cum Lothario quondam Imperatore constitutus in palatio Aquensi posteaquam Regalia Ecclesiæ Trevirensis ab eodem Imperatore, ut moris est, suscepisset; alterâ mox die Simonem illius fratrem in Ecclesia existentem pro quibusdam commissis excommunicatum publicè denuncians exire de templo sub lectione S. Evangelij coëgit. Post Adelberonem, Trevirorum Archiepiscopus ordinatus fuit majoris Ecclesiæ Decanus nomine Hillinus: & præfuit annis xviii. vir morum integritate, ac Scripturarum eruditione, multùm illustris & valde reverendus. Hic plura Monasterijs Sanctorum Matthiæ, Martini, Maximini & alijs restituit, quæ prædecessor ejus sibi contra Jus æquitatis rapiendo violenter, ut supra diximus, usurpaverat. Eodem anno Arnoldus, quem priori anno electum ad Ecclesiam Colonienſem diximus Romam profectus ab Eugenio Papa III. in Archiepiscopum solemni cum apparatu ordinatus est: & cum honore magno ab eo dimissus, sed & pallij decore ornatus ad sua revertitur. Anno Volmari Abbatis prænotato Conradus Rex apud Bamberg urbem Francorum Orientalium infirmari cœpit ad mortem, qui vocans ad se Fridericum Ducem Suevorum fratris sui filium, tradidit ei Regalia, confessúsque peccata sua Sacerdoti & Sacramentis Dominicis præmunitus, xix. die mensis Februarij, hoc est xi. Calendas Martij vitam cum morte commutavit, anno Regni sui xiv. in Monasterio Ebracensi, quod ipse fundaverat, sepultus.

Adelbero Trevirorũ Archiepisc. moritur.

Hillinus fit Trevirorũ Archiepisc.

Arnoldus Colonienſ. ordinatur.

Conradus Rex III. moritur.

Post ejus mortem convenerunt Regni Principes in oppido Regali Frankenfurt juxta Moganum pro celebranda electione novi Regis: ubi collatis singulorum votis, Fridericus Dux Suevorum, de quo diximus, Conradi Regis defuncti ex fratre nepos, omnium electione atque consensu in Regem Germanorum, Imperatorémque Romanorum sublimatus est: mox ductus ad Aquasgrani cum magna solemnitate coronatus inungitur, & regnavit annis xxxvii. vir dignus imperio & multa gloriosè patravit.

Fridericus Imperator eligitur.

MCLIII.

Anno Volmari Abbatis xxxiii. mortuus est sanctus Macharius primus Abbas Monasterij mei S. Apostoli Jacobi majoris in Sucurbano Herbipolensis civitatis, in cujus transitu voces audiebantur Sanctorum Angelorum dulce melos cantantium. Sepultus est in Capella S. Jacobi, primo sub lapide, juxta murum elevato, cum tali inscriptione: *Hic jacet Macharius primus Abbas hujus loci per quem omnipotens Deus vinum in aquam convertit.* Cui successit in Abbatia Monachus quidam nomine, & conversatione veracitur Christianus, & præfuit annis xxvi. vir magnæ religionis qui à prædecessoris sui sanctitate minimè declinavit.

S. Macharius Abb. moritur.

Anno etiam præsignato Henricus Moguntinensi Archiepiscopus

Henricus Archiepisc. Moguntin⁹ deponitur.

ex mandato Romani Pontificis Eugenij III. per duos Cardinales Sedi Apostolicæ Legatos Gregorium & Bernardum à Pontificatu suo, quem annos undecim gubernaverat, deponitur: qui melancholiâ & gravi mærore animi consumptus eodem anno primâ die mensis Septembris moritur, finem miseriarum hujus vitæ accipiens. Cui mox in Archiepiscopatum Moguntinorum Regis Friderici promotione successit, Aquensis Ecclesiæ præpositus, Cancellariúsque Regius nomine Arnoldus, & præfuit Annis xv. vir sapiens & in agendis quibuslibet multâ exercitatione peritus. Hunc Moguntini cives Anno Pontificatûs sui xv. conspiratione factâ in processione solemni crudeliter occiderunt in Ecclesia Monasterij S. Jacobi extra muros civitatis, ut suo loco dicemus.

Arnoldus fit Archiepiscopus Moguntiæ.

Causam depositionis Henrici Historiarum scriptor tacuit: nos tamen in quadam epistola S. Hildegardis ad eum scripta, negligentem in cura pastoralis officij fuisse consideravimus, ad quem ita dicit: *Sed & ille qui & ille est ô homo dicit tibi: Audi quòd in multis scrutinijs me negligis. Cœlum de ultione Domini apertum est & nunc inimicis funes dimissi sunt. Tu autem surge quia dies tui breves sunt: & reminiscere, quia Nabuchodonosor cecidit, & quòd corona ipsius perijt, & alij multi ceciderunt, qui se temerè in cœlum exaltaverunt. Ah tu cinis quare non erubescis in altum te spargere! cum debeas in putredinem converti?* Ex his verbis S. Virginis clarè patescit ipsius Henrici depositionem suis meritis debitam ex divina factam ordinatione.

Ad Arnoldum verò Archiepiscopum successorem Henrici scribens in quadam epistola S. Hildegardis famula Christi sic inter cætera dicit: *O Pater, vivens lumen hæc verba mihi ad te dedit. Cur nones fortis in timore meo, & quem zelum habes quasi triticum excribres ita ut separando dejcias, quod tibi contrarium? sed hoc nolo. De oculo autem cordis tui inquietam mentem absterge, & de te ipso & de populo tuo injustitiam abscide quia tempus bellorum in moribus hominum nunc instat, ita quòd nec in disciplina nec in districtione timoris Domini sunt, tu tamen ne formides eos ad bonum coërcere, quoniam si propter hoc tribulationem & angustiam sustinueris, ne paveas: quia Filius Dei tudem passus est: surge itaque ad Deum, quoniam tempus tuum citò veniet.* Quis hæc de Martyrio ejus dicta non intelligat?

Henricus Mindensis Episcopus deponitur.

Anno prænotato Henricus Mindensis Ecclesiæ Præsul per jam dictos Apostolicæ Sedis Nuncios & Cardinales deponitur: accusatus enim quòd sui familiares ipso sciente & consentiente Clericum quendam erutis occulis cæcaverint, cum se non posset expurgare legitimè invitus sententiam depositionis subivit. Cui Wernherus ejusdem Ecclesiæ præpositus, communi Fratrum electione fuit substitutus.

Anastasius fit Papa IV.

Item anno prænotato Eugenius Papa III. moritur; & Romæ in Ecclesia S. Joannis Lateranensis non sine opinione sanctitatis magnæ sepelitur. Post quem Conradus Abbas Monasterij S. Rufi Ordinis nostri Diœcesis Viletrinæ, patriâ Romanus, electione Patrum in summum Pontificem sublimatur, & Anastasius IV. nuncupatur; præfuit annis duobus, mensibus quatuor & viginti 4. diebus, vir in omni virtute probatus, amator bonorum, protector pauperum, Cleri promotor atque defensor, & eleemosynarius omnium pientissimus. Hic Papa Anastasius literas amicabiles misit ad Christi famulam Hildegardem apud Bingios commorantem anno Pontificatûs sui primo, in quibus eam salutat, sêque orationibus illius

lius commendat. Virgo sancta rescribens, & Schisma, quod post Adriani mortem subsecutum est, prænuncians inter cætera sic illuminata divinitus dicit: *Et tu Roma velut in extremis jacens conturbaberis, ita quòd fortitudo pedum tuorum, super quos hactenus stetisti, langueſcet, quoniam filiam Regis videlicet justitiam non ardenti amore sed quasi in torpore dormitionis amas, ita ut eam à te expellas. Unde & ipsa à te fugere cogitur, si non revocaveris eam per opera pietatis.*

Corporis Dominici miraculũ Coloniæ.

Anno prænotato in civitate Colonienſi fuit homo quidam Patre Judæo, ſed converſo natus, qui dum Corpus Dominicum in ſolemnitate Paſchali de manu Sacerdotis in Eccleſia oretenus ſuſcepiſſet, continuò exivit. Retracto autem ex ore nefandiſſimo venerabili Sacramento domui importare ſuæ ſtatuit: neſcio quid maleficij ex eo facturus. Et ecce ſubitò irruit ſuper eum anguſtia, metus, & tremor, ita quòd tremens & mente nimiùm turbatus neſciret quid faceret, factáque in cœmiterio foſſulâ Sacroſanctum Chriſti corpus in eam depoſuit, & aperiens terram ſepelivit, ſuperveniens verò Sacerdos quidam & diſcens rem geſtam à perfido foſſam rejectâ humo reverenter aperuit & mox in ea non Hoſtiam, ſed puerum parvulum atque pulcherrimum invenit, quem ſummo cum honore manibus elevans portare in Eccleſiam voluit: & ecce miraculum cæleſti perfuſus lumine divinitus infans de manu tenentis elabens ſuperos aſcendit.

MC LIV.

Anno Volmari Abbatis Hirſaugienſis xxxiv. Fridericus Rex cupiens expeditionem movere in Italiam: pacem in Regno prius ſtuduit reformare inter diſſidentes: erant enim diſcordiæ, & diſſenſiones non modicæ his temporibus inter Henricum Saxoniæ Ducem, & Lupoldi Marchionis Auſtriæ filium, qui Bavariæ Ducatum ex donatione Regis quondam Conradi, genitori ſuo collatum occupavit. Verùm cùm ambæ partes Regi ſanguine jungerentur, maximè cupiebat eos reddere concordes. Conſilio itaque uſus Principum, Ducatum Saxoniæ legitimis hæredibus reſtituit, hoc eſt Henrico qui eſt Leo Henrici ſuperbi Ducis Bavariæ filio, de quo plura ſupra diximus, vulgò nuncupatus, & filijs ejus, quibus etiam Bavariæ Ducatum avo quondam abblatum reſignavit. Porrò Henricum Lupoldi Marchionis filium, qui Bavariam poſt Guelfonem Henrici ſuperbi Ducis fratrem per annos aliquos tenuit: in Ducem Auſtriæ, ut ſupra dictum eſt, ſublimavit. His factis Rex Fridericus magno noſtrorũ congregato exercitu in Italiam pro adipiſcenda corona Impetij profectus eſt: Et primo quidem impetu Placentiam Æmiliæ urbem expugnans obtinuit: & cives antea rebelles & contumaces vellent nollent ad obedientiã revocavit. Caſtella etiam noñulla propter inſolentiã Longobardorũ, Mediolanenſium & Cremonenſium præcipuè incendio vaſtans funditus evertit. Deinde Spoletum opulentiſſimum Umbriæ oppidum incendio concremavit, ſicque versùs mare cum exercitu tranſiens nullo reſiſtente Romam anno ſequenti pervenit.

Rex Fridericus in Italiam pro. ficiſcitur.

MCLV.

Anno Volmari Abbatis xxxv. Indictione Romanorum III. ultimâ die menſis Februarij mortuus eſt Meginhardus Comes de Spanheim fundator Monaſterij S. Martini ibidem filius Stephani Comitis, qui Monaſterium

Meginhardus Comes moritur.

sterium primus construere cœpit, quemadmodum in principio historiarum ejusdem Cœnobij dudum scribentes ostendimus. Reliquit autem filios tres, Crafftonem qui fuit Abbas in Spanheim, Gotfridum & Meginhardum Comitatui præsidentes. Hiltrudem Monialem apud S. Rupertum, & Sophiam, quam Fridericus Comes Valentiæ habuit uxorem.

Adrianus fit Papa IV.

Eodem anno Anastasius Papa IV. moritur, & in Basilica Laterenensi sepelitur, Rege Friderico cum exercitu in Italia existente sicut anno priore diximus, & munitiones subvertente rebellium. Post Anastasium Nicolaus ex Monacho nostri Ordinis, natione Anglicus, Episcopus Albanensis, qui Norvegiam Christi converterat (ut supra diximus) ad fidem, Patrum electione Papa factus & nuncupatus Adrianus IV. præfuit annis IV. mensibus X. vir non minùs sanctitate quàm prudentiâ reverendus.

Fridericus Rex fit Imperator primus.

Fridericus Rex devictis adversarijs in via cunctis, tandem ut supra dictum est, Romam pervenit, & à senatu populóque Romano cum honore maximo salutatus: coronam Imperij de manu Papæ susceptt. Coronatus cum solemnitate consuetâ Imperator Fridericus diebus paucis in urbe Roma statuerat quiescendum, & ecce quâdam die circa meridiem Romani nonnulli factiosi seditionem in Cæsarianos subitò moventes, uno cunctos impetu se neci daturos moliebantur.

Seditio Romanorum in Cæsarianos.

Quod audientes Imperiales armis confestim se induunt, Romanos retrocedere vel in Tyberim cadere compellunt: tantâque in eos cæde sævierunt, ut alueus ipse fluminis totus in sanguinem versus putaretur, factâ tam cruentâ victoriâ die videlicet octavâ decimâ mensis Junij non satis bene confidens Romanis Imperator, sequenti mox die non moratus reditum instituit: & exercitum sanum in patriam reduxit.

Episcopat' Lubecensis instituitur.

His quoque temporibus Episcopatus Lubecensis in finibus Saxoniæ cum licentia, & permissione Romani Pontificis de Oldenburg in oppidum Lubec translatus est; & Geroldus primus Lubecensis Episcopus est ordinatus, vir in omni genere scientiarum doctissimus.

Bellum inter Moguntinum Episcopum & Comitē Palatinum.

Anno prænotato Imperatore adhuc in Italia consistente Arnoldus Moguntinensium Archiepiscopus Hermannum Palatinum Rheni Comitem propter injurias contumelias, & rapinas Wormatiensi tam Ecclesiæ quàm Pontifici & Clero irrogatas cum suis auxiliarijs excommunicavit. Qui commotus in iram cum magno suorum exercitu terras Archiepiscopi hostili animo ingreditur, & devastans omnia in pauperes crudeliter debachatur. Contra quem Archiepiscopus, suorum quoque misit exercitum; fuítque inter eos nimis atrociter pugnatum. In parte Palatini Comitis fuerunt, Gotfridus Comes de Spanheim. Emicho Comes de Lyningen. Henricus Comes de Kazenhelenbogen, Conradus Comes de Kirchenberg. Henricus Comes de Didesheim & complures alij, qui omnes unâ sententiâ in Archiepiscopum conspiraverunt. Verùm audito Imperatoris adventu subitò territi omnes quieverunt.

Bruno fit Episcopus Hildensheimensis.

Anno etiam præscripto Bernardus Episcopus Hildesheimensis in Saxonia in annum jam decimum cæcus, & ob id ad Regimen Ecclesiæ minùs utilis Pontificatum spontaneâ voluntate resignavit: Cui successit Bruno Majoris Ecclesiæ Decanus, vir multùm Religiosus, & B. Mariæ semper Virgini devotissimus, qui Ecclesiæ memoratæ utiliter præfuit, &

& populum Dei Verbo & exemplo semper erudivit. Hic Bruno Reverendissimus Præsul, cum in amore Dei Parentis Glorioſissimæ Virginis MARIÆ ferventissimâ devotione arderet: & quidquid posset pro ejus reverentia hilariter faceret: inter alia Octavas Nativitatis ejus celebrandas per suam Diœcesim primus omnium instituit: quas & Sancta Mater Ecclesia postea suscepit. Cui Sanctissima Dei Genitrix Virgo MARIA Octavas ipsas quâdam vice devotissimè celebranti sub matutinis visibiliter apparuit, & gratias ei referens æternæ vitæ præmia sibi in cœlestibus repromisit.

Octava Nativitatis B. Mariæ instituitur.

In fine prænotati anni Fridericus Imperator de Italia reversus, Nativitatem Domini in Wormatia cum magno apparatu in præsentia multorum Principum celebravit. Aderant inter cæteros supra dicti pacis transgressores Hermannus Comes Palatinus Rheni, Gotfridus Comes in Spanheim, Emicho Comes in Lyningen, Henricus Comes de Kazenelenbogen, Conradus Comes in Kirchberg, & Henricus Comes de Didesheim, quos Imperator propter conjuratæ pacis violentiam durè arguit, & de consilio Principum canes pro satisfactione portare jussit. Quo facto Archiepiscopus illos ab excommunicationis vinculo absolvit. Porrò ex parte ipsius Archiepiscopi canes portare cœperunt Ludovicus de Lohun, & Wilhelmus Comes de Glizberg; sed ob reverentiam Archiepiscopalis dignitatis mox ab astantibus rogatus Imperator, eos jussit cessare.

Imperator Violatores pacis corripuit.

Canes portare Comites coacti sunt.

MCLVI.

Anno Volmari Abbatis xxxvi. Arnoldus Moguntinæ Ecclesiæ Reverendissimus Archiepiscopus pro quibusdam causſis, honorem, & utilitatem, Ecclesiámque suam concernentibus Romam profectus est, & cum benevolentia charitatis ab Adriano Pontifice susceptus, Apostolicæ Sedis Legatus ab eo constitutus est, ad propriáque reversus.

Archiepisc. Moguntin. Romam proficiscitur.

Anno prænotato Fridericus Imperator, uxore suâ apud Constantiam Sueviæ repudiatâ, aliam super induxit Agnetem Burgundiæ Principis filiam, nuptijs publicè ac solemniter celebratis. Unde in populo Dei scandalum gravissimum sequitur, & variæ locutiones.

Imperator uxorem suam repudiat.

Anno item præscripto mortuus est Hermannus Comes Palatinus Rheni, de quo jam proximè diximus, qui filios non reliquit, cujus Principatum Conradus frater Imperatoris Friderici Primi ex parte Patris donatione Imperij possidendum accepit: qui Conrado Wormatiensis Ecclesiæ Episcopo non paucas irrogavit injurias, bona diripiendo Sanctorum, & in usus convertendo suos & suorum.

Eodem anno circa Festum Omnium Sanctorum Imperator Fridericus descendit ad Coloniam, ubi tam à Clero quàm à populo civitatis magno cum honore susceptus est, conventúmque Principum solemnem celebravit. In qua Curia miles quidam nomine Bernardus coram Imperatore accusatus, quòd in necem Hermanni Comitis de Wincenberg conspirâsset, qui nuper fuit occisus, capite plexus est.

Conventus Principum in Colonia.

His temporibus Imperator Fridericus Ducem Bohemiæ sublimavit in Regem, Ducatum in Regnum commutans, quod manet usque in præsentem diem. Coronatus autem fuit in Ecclesia Pragensi per ministerium Arnoldi Moguntinensium Archiepiscopi, sub cujus Provincia Pragensis Episcopatus adhuc fuerat constitutus. Unde coronatio Regum

Bohemiæ Ducatus sublimatur in Regnum

Bohemiæ de consuetudine antiqua ad Moguntinam pertinebat Ecclesiam, donec tandem per quendam Archiepiscopum Moguntinum, pecuniâ interveniente, Pragensi Ecclesiæ concessum fuit.

Imperator debellat Ducem Poloniæ.

Anno prænotato Fridericus Imperator exercitum movit in Poloniam contra Ducem gentis, qui per annos aliquot Imperio rebellis extitit, & annuum tributum solvere contempsit. Congressione itáque factâ, exercitus Cæsarianus contra Ducem prævaluit, & rebelles ad obedientiam coëgit. Denique censum prioribus annis neglectum Imperator Ducem ex integro solvere compulit, à quo & novas cautiones sufficientes accepit. Quibus pactis, ad interiora Imperij reversus est.

MCLVII.

Decanus Pfortzensis fit hic Monachus.

Anno Volmari Abbatis xxxvii. Indictione Romanorum quintâ, Sigefridus Decanus Ecclesiæ in Pfortzheim Monachus in præsenti Cœnobio Hirsaugiensi pro Christi amore factus est, vir prudens & singulari devotione charitatis in Deum ferventissimus atque in divinis Scripturis haud medioriter eruditus; qui multa in usus fratrum bona contulit, sicut liber Donationum ostendit. Simili devotione complures alij viri nobiles docti & honorati, ac divites in sæculo, spretis atque contemptis mundi vanitatibus cunctis, tempore Volmari Abbatis & se & sua Monasterio tradentes, sanctæ conversationis habitum pro Christi amore susceperunt, in observantia Regulari usque ad mortem perseverantes; inter quos fuit non ultimus postea Volmari successor, nomine Hartvvigus, qui primò in majori Ecclesia Spirensi Decanus extitit, & postea in Præpositum à Confratribus suis electus fuit. Cúmque honore dignitatis atque divitijs magnus haberetur in sæculo, cuncta pro Christi amore deseruit, & in hoc Monasterio sub Volmaro Abbate sanctæ conversationis habitum assumpsit. Cujus secuti exemplum multi sæculum similiter contempserant.

Præpositus Spirensis fit hic Monachus.

Volmarus Abb. Cœnobij xv. moritur.

Anno prænotato Volmarus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis xv. senio gravatus, & multis laboribus nimiùm fatigatus infirmari cœpit, & morbo paulatim crescente tandem deficiens xxv. die mensis Februarij, ad Dominũ emigravit, anno Regiminis sui xxxvii. demptis quatuor diebus, completo, in majori Monasterio ante Altare S. Michaëlis cum devotione sepultus. Vir certè apud omnem posteritatem æternâ memoriâ *dignus* utpote qui non solùm regularis disciplinæ observantiam *inviolabiliter* tenuit, verùm etiam in temporalibus providus, res Monasterij, census, redditus atque structuras tempore sui Regiminis valde *ampliavit*.

De Hartvvigo hujus Monasterij Hirsaugiensis XVI. Abbate; qui præfuit mensibus duntaxat duobus; Et vita ejus.

Hartwigus Abbas xvi. eligitur.

VOlmaro Abbate Reverendissimo vitâ defuncto, atque sepulto non sine gemitu & lachrymis filiorum, qui illum ut patrem sanctum & pientissimum veraciter in Christo diligebant; eodem mox die propter causam urgentem ad novi Pastoris electionem consultò fuit processum. Invocatâ igitur, ut moris, gratiâ Spiritûs Sancti, Fratres in Domino congregati Hartvvigum venerabilem Patrem tam

tam unanimi consensu in Abbatem elegerunt, ut ne unus quidem ex omnibus discreparet, anno Domini supra scripto MCLXVII. indictione Romanorum quintâ, Mensis autem Februarij quintâ atque vicesimâ, manèhorâ diei primâ. Qui videns se vocari ad Regimen animarum, valde contremuit, & procidens in terram coram omnibus, cum multis lachrymis dixit: Quid facitis ô fratres mei, quid facitis? senem me penitúsque inutilem vobis prælatum constituere pergitis? alium quærite obsecro pro tanti Regiminis moderamine idoneum, quem doctrina sanctæ prædicationis nobis reddat utilem, & propriæ vitæ meritum efficacem, ego me scio insufficientem ad ministerium operis, & novi vires non sufficere meas ad solicitudinem curæ pastoralis. Quin potius si voluissem imò valuissem alienas regere animas, in eo quo fueram statu, permansissem. Sed cum scirem me indignum ad præsidendum hominibus, curam animarum deserui, & ad serviendum omnipotenti Domino in cordis mei simplicitate hanc vivendi formam secutus fui. Unde Fratres parcite mihi quæso quem scitis inutilẽ, & ex vobis talem eligite, qui portare onus tanti Regiminis sit idoneus. Sed cum Fratrum Congregatio tota instantissimè rogaret, quatenus impositum sibi munus proprer Deum dignaretur assumere, victus tandem eorum lachrimosis precibus, humiliter consensit dicens: contemnere tantas preces & lachrymas omniũ vestrûm, amantissimi Fratres, nec possum nec debeo; & propterea omnem voluntatem meam divinæ ordinationi & vestris desiderijs humiliter submitto. Quicquid omnipotens DEUS de mea parvitate ordinaverit, nec possum nec volo sanctissimæ rectissimæque voluntati ejus reluctari; confido tamen in ejus misericordiam, pro cujus amore factus sum Monachus, quoniam diu me in hac mortalitate non permittet vivere, si hoc onus prælationis saluti animæ meæ debuerit obesse. Quod verbum ejus optato effectu non caruit, quoniam 2. duntaxat mensibus in pastorali dignitate supervixit. Novit omnipotens DEUS qui sunt ejus, & quorum placitam sibi conversationem in hac mortalitate præparat, eorum ad se animas, ne aliquo maculentur pulvere vanitatis, in meliori statu vocat. Ad nimiam itaque instantiam Fratrum electioni consentiens, gravem sarcinam Regiminis animarum subijt, utpote qui se totum divinæ providentiæ submisit. Munus autem Benedictionis à Neometensi Pontifice propter certas caussas non voluit accipere, sed navigio descendit ad Confluentiam & ibi juxta tenorem privilegij Monasterio dati antiquitùs, ab Hillino Trevirorum venerabili Archiepiscopo in secunda quadragesimæ Dominica Benedictionis ministerium magna cum devotione mentis suscepit. Cum autem benedictione perceptâ, sicut diximus, per fluenta Rheni fluminis navigio cum suis ascenderet, ad Bingios applicuit, & sanctam Christi sponsam Hildegardem in Monasterio D. Ruperti visitavit, ex multo enim tempore eam videre simul & alloqui cupiebat. Nactus itáque oportunitatem cum ea loquendi, omnem cordis sui statum & mærorem coram illa humili confessione aperuit, & in quantis versaretur angustijs propter assumpti onus Regiminis, simplici devotione reseravit. Denique rogavit, quatenus divinam pro ejus statu consuleret voluntatem; quæ præmissis orationibus ex revelatione Domini ita respondit: *Lux vivens dicit tibi, O Homo, mens tua sit mihi in voluntate mea subjecta, & non abijciam te, homo enim qui*

Devictus Fratrum precibus consensit.

Voluit dissolvi & esse eum Christo.

Ab Archiepiscopo Trevirorũ benedicitur.

S. Hildegardem alloquitur.

Verba Hildegardis ad Hartwigũ.

qui mihi paratus est servire pro honore Nominis mei, in pascendo animas meas, & aliud non quærit, in me manet. Ego autem scio quis ex me stet in Prælatione, & illum non deseram, & qui sine me regnat, hunc ego non adverto. Tu autem esto paratus quoniam citò veniam reddere tibi secundùm fidem tuam. Posthæc valedicens Hartvvigus Abbas famulæ Domini, & commendans se orationibus ejus ad Hirsaugiam reversus est, gaudens se per illam consolatum à Domino.

Hartwigus ex Francia Orientali oriundus erat.

Erat autem Hartvvigus Abbas patriâ Francus Orientalis ex Herbipolensi Territorio natus, qui adolescens traditus scholis ad studium literarum, satis doctus in omni varietate scripturarum, tam divinarum quàm sæcularium evasit, nam per aliquot annos in civitate Francorum Babenberg operam literis dedit, ubi tanta fuit Magistrorum copia, ut amore discendi maximæ scholarum multitudines non solùm ex Germania, sed etiam ex Italia & Gallia certatim illò confluerent. Nulli Clericorum licebat alio quàm latino sermone uti, quoties inter se quippiam fuisset dicendum. Crescentibus cum tempore meritis, scholas jam virilis deseruit, & veniens ad Ecclesiam Spirensem principalem, factus in ea Canonicus fuit, in qua se tam sapienter & religiosè habuit, quòd semper ad altiora quasi quibusdam gradibus ascenderit. Nam primò post Canonicatum Ecclesiæ memoratæ Camerarius extitit: postea in Decanum electus fuit, & postremò communi electione fratrum major, est Præpositus, non sine multorum favore constitutus. Erat sanè vir bonæ conscientiæ, vitæ honestæ ac spiritualis, amator studij, sine querela morum integritate pacificus, qui licèt abundantiâ rerum temporalium simul & honoribus terrenis afflueret, minimè tamen propterea in superbiam se extulit, humiles & pauperes minimè despexit, memor semper admonitionis Davidicæ in Psalmo dicentis: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*; mortalem se curavit agnoscere, & quasi pauper & citò transiturus divitias possidere. Manum suam aperuit inopi, & largus semper in pauperes extitit: inter cætera pietatis suæ studia Congregationem Hirsaugiensium singulari devotionis affectu semper coluit, & multa eis beneficia impendit, nam quoties potuit, pro consolatione spirituali ad eos venit in Hirsaugiam, & quorum visâ conversatione sanctissimâ, semper se melior ad propria remeabat. Quoties verò ad civitatem Neometensem fratres venissent de Hirsaugia, non alibi, quàm ad ejus declinabant hospitium. Erat domus ejus instar Monasterij, honestissimis ornata servitoribus, in qua nec mulieribus patebat ingressus, nec animo levibus, inhonestísve hominibus; summo etenim studio vitam honestissimam ducere consuevit. Unde maturus semper incessit; bonis & rectis corde propter vitæ omnimodam integritatem venerabilis, malis autem & reprobis tanquam judex metuendus. Nam ejus in præsentia loqui vel agere turpe seu inhonestum, nullus præsumebat. Internâ quoque mentis devotione semper Deo compunctus humiliter serviebat, nullum tempus otiosum transire permittens, in quo non aliquid boni operis exerceret.

In Ecclesia Spirensi fit Canonicus.

Hartwigus bonæ Conscientiæ homo.

Frequens in sanctis orationibus extitit: studium divinis lectionibus continuè impendit, & proficere in melius quotidie pro viribus curavit. Cum verò plerósque ex Canonicis suis ire per abrupta vitiorum in perditionem cerneret, vehementer indoluit, & medicamenta sanctæ correptionis apponere delinquentibus non cessavit. Sed eum admonitio

monitiones suas parum in plerísque videret proficere, cœpit prælationis ministerium paulatim abhorrere, metuénsque propter aliena delicta, quæ non posset corrigere, animæ suæ periculum incurrere, curam pastoralis sollicitudinis deliberat resignare. Interea contigit S. Abbatem Clarevallis Bernardum in causis Ecclesiæ Romanæ Legatum venire ad Neometensem civitatem, & in domo ejus habere manendi hospitium cum Monachis suis, cum quo salus intravit, & magna compunctio mentis. Videns enim vir sanctus & prudens, & Religionis amator, tot fieri miracula per hominem DEI, mox in sermonibus ejus compungitur, & fugere de medio Babylonis quantociùs meditatur. Dispositis ergo cum tempore suis rebus atque negotijs, propositum mentis occultum tenuit; metuens non irrationabiliter, ne si fieret publicum, satan impedire tentaret.

Armatus fuit & Zelo rectitudinis.

S. Bernardo prædicante convertitur.

Ordinatis tandem secretè omnibus, rebúsque suis partim venditis & in monetam redactis, partim verò ad Hirsaugiam præmissis vel etiam in usus pauperum distributis, mundum cum universis vanitatibus suis pro Christi amore deseruit, & veniens ad Monasterium Hirsaugiense sub magisterio Volmari Abbatis sanctæ conversationis habitum assumpsit, plura hujus mundi pretiosa in auro & argento vasisque & ornamentis ac varia suppellectili secum attulit, quæ omnia secundùm Regulam Abbati Volmaro consignat.

Dona Monasterio plura contulit.

Factus autem Monachus Claustralis ex præposito seculari venerabilis Hartvvigus, omnem hujus mundi curam & sollicitudinem cum habitu deposuit, séque totum sanctis vrtutum exercitijs mancipavit. Ex illo námque die, quo se ad Monasterium conversionis gratiâ contulit, semper aut mente aut corpore in divino servitio intensissimè occupatus fuit. Horis interesse Canonicis tam in die quàm in nocte semper illi fuit dulcissimum; usque adeò ut tempus omne perdidisse diceret, quod aliter quàm DEI servitio videretur impensum. Corpus suum per abstinentiam & vigilias multas in servitutem spiritui curavit subijcere, & mundanæ consuetudinis motus jejunijs & orationibus castigare. Inter fratres conversando semper tranquillus fuit & summè pacificus tantâque affluens charitate ut quasi mater omnium videretur. Turbatum eum nemo vidit unquam; murmurantem nemo audiuit, sed fundatus in timore Domini & in vera humilitate ambulans, neminem contristavit. Et hæc sunt quæ ad nos, fidelium scriptorum testimonio de vita & moribus venerabilis viri Abbatis memorati Hartvvigi pervenerunt.

Hartwigus Religiosissimè vixit.

Anno Dominicæ Nativitatis supra scripto MCLVII. Fridericus Imperator Dominicum pascha in civitate Wormatiensi cum magna solemnitate celebravit: ubi omnes Regni Principes convenientes, se in annum sequentem cum ipso Cæsare in Longobardiam contra inobedientes & rebelles profecturos unanimi consensu promiserunt & jurârunt. A Wormatia Cæsar descendit ad Moguntiam, ubi convocatis Abbatibus Præpositis, Decanis & potioribus de Clero simul & populo civitatis, magnâ illos prævenit industriâ, ut sibi jurejurando promitterent, nullum se post mortem Arnoldi Præsulis electuros Pontificem, nisi quem Imperator ipse duxerit promovendum; quod multorum malorum seminarium fuit. Eodem anno mortuus est Arnoldus Colonienſis Ecclesiæ Archiepisco-

Conventus Principum in Wormatia.

Imperator descendit ad Moguntiam.

pus ejus nominis secundus, magni apud Imperatorem pretij simul & authoritatis, cujus corpus in Cœnobio Ryndorff monialium nostri Ordinis, quod ipse haud procul à Bonna, ut supra diximus, fundaverat, sepultum est. Post quem duo fuerunt per dissensionem electi Fridericus scilicet Præpositus S. Gereonis in Colonia, & Gerardus Præpositus in Bonna; inter quos gravis pro Archiepiscopatu fuit suborta discordia. Jure tandem Fridericus ejus nominis æquè secundus prævaluit; cui Gerhardus cedere Judicio Cæsaris & Principum in Conventu Ratisbonæ compulsus fuit. His temporibus inter Adrianum summum Pontificem & Fridericum Imperatorem gravissimæ dissensiones fuerunt subortæ, quæ magnum in Ecclesia scandalum protulerunt, in tantum, quod Cæsar tandem Adriano Papâ mortuo, contra ejus legitimum successorem, Alexandrum videlicet tertium, quatuor falsos Pontifices sibi mutuò succedentes subrogavit. Hujus gravissimæ dissensionis primas causas nimirum pueriles tales comperimus: Innocentius quondam Papa secundus Romæ in pariete cujusdam Ecclesiæ suam fecit depingi imaginem, ornamentis Pontificalibus circumamictam & in Cathedra Papali sedentem; ante cujus pedes imago Lotharij Regis secundi quasi geniculantis erat formata ut qui manibus complosis coronam de manu Pontificis Imperialem suo capiti præstolaretur imponendam, sive impositam suscipientis. Hanc picturam Romæ consistens Imperator cum vidisset, non parum ei displicuit, asserens se imperium non à Papa sed à Domino DEO esse consecutum. Aderant etiam nonnulli ad mala consilia nimis audaces & prompti, quorum interpretatione picturæ animus Cæsaris non solùm mitigatus non fuit sed magis succensus in iram. Huic opinioni sinistræ accepta pridem à Romanis in coronatione Regis contumelia non parvas addidit vires; quando multorum sententiâ Pontifex habebatur suspectus de Romanorum facta seditione, quando in Cæsarianos impetum fecerunt armati, sicut in ejus coronatione jam supra diximus. Ab illo namque die Imperator & Papæ mentem & Romanorum detestabatur perfidiam. Accessit prædictis & illud: Imperatore cum optimatibus Regni pro negotijs Imperij apud Bisuntinam urbem in Burgundia celebrante Curiam, duo à Roma venerant Cardinales Adriani Papæ literas Imperatori perferentes, in quibus Cæsarem Pontifex his verbis alloquitur: *Beneficium coronæ tibi contulimus, neque pœnitentiâ moveremur, si Excellentia tua etiam majora à nobis beneficia suscepisset:* Hoc verbum *Beneficium*, hi qui circa Imperatorem erant, usualiter interpretantes, & in contuneliam ipsius positum asserentes, commotum prius animum ejus adversùm Pontificem concitatiorem fecerunt. Itaque in iram conversus Cardinales, qui literas Papæ attulerant, cum injuria & minis à facie sua jussit discedere: Quibus & dixit: *Hoc quod à solo DEO habemus* (coronam videlicet cum Imperio denotans) *non Romano Pontifici, soli DEO attribuimus. Primam vocem Regiæ Electionis Archiepiscopi Moguntini recognoscimus: Regalem Consecrationem Archiepiscopo Coloniensi permittimus: Imperialem Consecrationem Romano Pontifici assignamus. Deleantur ergo picturæ, scripturæ corrigantur alioquin inter Regnum & Sacerdotium non erit pax & concordia.*

Fridericus fis Archiepiscopus Colonienſ.

Inter Papã & Imperatorem dissensio.

Causæ dissensionis.

Verba Imperatoris contra Papam.

Claruit circa hæc tempora S. Wilhelmus Eremita, Ordinis sui Nomi-

S. Wilhel. ex Comite Eremita.

Nominis Institutor, quondam Comes Pictavienſis in Gallia, vir multarum virtutum & eximiæ ſanctitatis, qui loricâ indutus ad nudam carnem, vitam ſuam in maxima diſtrictione conſummavit. Hunc S. Bernardus olim cum Schiſmaticis contra Innocentium Papam contumaciter ſentientem, per Sacroſanctum Corpus Domini patenæ ſuperpoſitum, conteſtans adeo perterruit, ut non ſolum omnem pertinaciam deponeret, ſed etiam principatu cum ampliſſimis divitijs atque honoribus pro DEI amore contemptis, eremum intraret. Floruit quoque his temporibus Petrus cognomento Longobardus Pariſienſis Eccleſiæ præſul, vir doctus, & continuâ lectione ſtudioſiſſimus, qui ex ſcriptis Sanctorum quatuor ſententiarum libros non ſine magno labore comportavit, qui tantæ ſunt authoritatis in ſcholis Theologorum publicis, ut nemo ſine ipſorum perfecta & conſumata ſcientia Theologi nomen his temporibus noſtris rectè mereatur. Commentarios quoque in Pſalterium, & quædam alia compoſuit, quorum alibi fecimus mentionem.

Libri quatuor ſentẽtiarum c. duntur.

Claruit his etiam temporibns in Burgundia Richardus Monachus Cluniacenſis, noſtri Ordinis tam in divinis ſcripturis quàm in ſæcularibus literis haud mediocriter eruditus, qui ſcripſit inter cæteras ingenij ſui lucubrationes Opus non parvæ utilitatis, tranſacti temporis hiſtoriam ſuccinctè continens. De alijs nihil vidimus.

Richardus Monachus Hiſtoricus

Claruit his quoque temporibus Petrus cognomento Comeſtor, præsbyter in Eccleſia Trecenſi, vir tam in divinis ſcripturis eruditus, quàm in ſæcularibus literis egregiè doctus, qui ſcripſit ad Wilhelmum Archiepiſcopum Senonenſem Opus inſigne ſuper hiſtoriales Bibliæ libros, quod Scholaſticam prænotavit hiſtoriam, in libris numero xx. De laudibus quoq; B. Mariæ ſemper Virginis lib. 1. Sermones inſuper de Tempore & de Sanctis compoſuit plures, & qnædam alia, quibus memoriam ſui Nominis tranſmiſit ad poſteros.

Petrus Comeſtor. Scholaſtica Hiſtoria

Richardus etiam Monachus apud S. Victorem Pariſ. vir undecunque doctiſſimus hæc tempora moribus ſanctis & lucubrationibus multis reddidit clariora. Inter cujus ſynthemata nos legimus ſubjecta. De SS. Trinitate libros 6. De contemplatione lib. 5. In Cantica Canticorum. lib. 1. De exterminatione mali libr. 1. De promotione, boni lib. 1. Contra Judaizantes. lib. 1. De Tabernaculo fœderis lib. 1. De xl. manſionibus filiorum Iſrael in deſerto, lib. 1. De Sacerdotio Melchiſedech lib. 1. De profectu Monachorũ lib. 1. De xii. apparitoribus. lib. 1. De ſtudio ſapientiæ. lib. 1. De Triplici holocauſto lib. 1. De oratione mentali lib. 1. De Authoritate S. Petri Apoſtolorum principis lib. 1. De poteſtate Judiciaria lib. 1. De ſpiritu Blaſphemiæ lib. 1. De Officijs Eccleſiæ lib. 1. De diverſis affectionibus lib. 1. Epitome, hoc eſt Breviariũ totius Bibliæ lib. 1. In Apocalypſin Joannis lib. 1. In Danielem Prophetam lib. 1. Chronicon breve ab origine mundi uſque ad tempora ſua lib. 1. De gemino paſchate lib. 1. Diviſionum ſive Exceptionum opus magnum lib. xxiv. De viſione Nabuchodonoſor Regis Babylonis lib. 1. De Sacrificio Abrahæ lib. 1. De quatuor ventis lib. 1. De verbis Eſaiæ lib. 1. De verbis Apoſtoli Pauli lib. 1. De Actibus Apoſtolorum lib. 1. De Charitate violenta lib. 1. De Novitate vitæ lib. 1. Epiſtolarum ad diverſos lib. 1. alia inſuper multa compoſuit, quæ ad nos minimè pervenerunt.

Richardus S. Victoris Doctor.

Gilbertus Pictavienſ. Doctor.

Circa hæc tempora invenitur claruiſſe Gilbertus cognomento Porreta Pictavienſis in Gallia Epiſcopus, homo in omni genere ſcientiarum doctiſſimus qui & ipſe nonnulla ſcripſit opuſcula, in quibus novitate quâdam terminorum uſus, lucubrationes ſuas multis fecit in parte non modica ſuſpectas. Verùm in Remenſi Concilio per S. Bernardum Clarevallis Abbatem ſingulari diſputatione ſuperatus, Patrum ſe determinationi ſubjecit; è cujus opuſculis iſta feruntur: in totum Pſalterium Commentariorum Opus magnum. In omnes epiſtolas Apoſtoli Pauli lib. XIV. In Evangelium S. Joannis lib. I. ſuper Boëtium de S. Trinitate lib. V. Cætera ejus ſcripta necdum videre potui.

wilhelmus Abbas in Gallia Doctor.

Wilhelmus quoque Abbas S. Theodorici Abbatis Ordinis noſtri, ſed poſtea Monachus ut dicitur, Ciſtertienſis in Cœnobio Clarevallis ſub magiſterio D. Bernardi factus: hæc tempora ſuis lucubrationibus ac vitæ meritis illuſtravit. Qui ſcripſit inter cætera ejuſdem S. Abbatis Bernardi, anno Volmari XXIII. pridem defuncti inſigne volumen. Speculum quoque fidei lib. I. Ænigma fidei lib. I. Sententiarum fidei lib. I. Ad quendam amicum, quem Theophilum nuncupat. De Natura animæ lib. I. De contemplando Deo lib. I. De Natura & dignitate amoris lib. I. De Sacramento Altaris lib. I. Meditationes pro Novitijs lib. I. Contra Petrum Abelardum lib. I. In Cantica Canticorum opus imperfectum. In Epiſtolam Pauli ad Romanos lib. I. Et alia quædam.

Hartwig⁹ Abbas XVI. moritur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, videlicet. MCLVII. die XXII. Aprilis circa primã noctis vigiliam mortuus eſt Dominus Abbas Hartvvigus hujus Cœnobij Hirſaugienſis XVI. Abbas in die prælationis ſuæ LVII. & in abſide majoris Eccleſiæ meridionali ante altare Omnium Sanctorum non ſine multis fratrum lachrimis ſepelitur. Exaudierat, preces ejus Altiſſimus quoniam ſic in electione ſua oraverat, ut ſi regimẽ animarum ſuarum ſaluti ſuæ foret contrarium, brevi tolleretur è medio. Nam frequenter honores mutant ſtatum mentis, & qui ſubjectus eſt humilis, ſæpe in ſuperbiam erigitur prælatus. Bonum ergo eſt mori quando in meliori ſtatu eſt homo.

De Manegoldo hujus Monaſterij Hirſaugienſ. XVII. Abbate, qui præfuit annis VIII. menſibus III. diebus VIII. Et geſtis illius temporis.

Manegold⁹ Abb. XVII. eligitur.

POſt mortem, & ſepulturam Venerabilis viri Domini Hartvvigi XVI. Abbatis, convenientes ad locum Capitularem fratres manè circa horam diei tertiam, hoc eſt XXIII. die menſis Aprilis, anno prænotato Dominicæ Nativitatis MCLVII. Manegoldum Priorem Conventûs in Abbatem unanimiter elegerunt, virum moribus & eruditione ſcripturarum inſignem, annos ætatis non minus quam ſexaginta complentem: qui precibus filiorum poſt longam tandem excuſationem conſentiens onus paſtoralis curæ humiliter aſſumpſit, in qua ſtrenuè præfuit annis VIII. menſibus III. diebus VIII. Qui munus benedictionis in quintum menſem diſtulit, propterea quod ſe fratribus bene probandum offerre ſtatuiſſet. Quorum precibus tandem importunis nimiùm devictus, ad civitatem Spirenſem cum quinque & viginti

Monachis

Monachis ſuis ordinandis circa Exaltationem S. Crucis deſcendit: ubi ordinatis fratribus in Sabatho Quatuor Temporum, ut moris eſt, à Guntherо de Lyningen, Epiſcopo ejuſdem civitatis; ipſe alterâ mox die Dominicâ munus ab eodem benedictionis cum magna ſolemnitate accepit ſex Abbatibus ſuis ornamentis indutis adſtantibus. Acta ſunt hæc Spiræ in majori Eccleſia die XXII. menſis Septembris, quæ fuit S. Mauritij feſto celebris. Vir iſte venerabilis, gente Francus fuit orientalis honeſtis parentibus ortus, & ut fertur de cognatione Hartvvigi natus Abbatis, de quo ſupra diximus, qui ad ſcholas in juventute poſitus, ſatis cum tempore profecit. Timere Deum à parentibus ſuis didicit, & ideò literis applicatus, puerorum luſus facilè declinavit. Naturâ quippe conſecutus ingenium bonum, haud parum diſcendo temporis ſucceſſu profecit. Operam dedit literis in civitate Babenbergenſi ubi & copioſum ſtudendi invenit exemplum, ſimul & multitudinem magiſtrorum; Nec dum erant apud noſtrates Gymnaſia graduata. Cumque ad ætatem perveniſſet virilem, conſiderans hujus vitæ brevitatem, quidquid in mundo habuit, pro Chriſti amore deſeruit, & veniens ad Hirſaugiam ſub regimine Brunonis Abbatis, ſanctæ converſationis habitum ſuſcepit: Monachus autem factus, in omni Religione vivere ſtuduit, & in ſemitis diſciplinæ Regularis innocenter, & humiliter ambulans, nunquam à præceptis ſeniorum declinavit. Corporis quidem ſtaturâ brevis erat, ſed mentis integritate magnus atque longanimis, quem nec elevabant proſpera, nec deprimebant adverſa. In ſemetipſo novit conſiſtere, qui Deum ſcit amare. Poſt annos primævæ inſtitutionis in Monachatu laudabiliter exactos per Volmarum Abbatem, qui Brunoni ſucceſſerat, Manegoldus adjutor Cantoris conſtituitur, qui hodie Succentor apud noſtros appellatur. In eo denique officio poſitus, cum eſſet divinarum ſcripturarum cultor & & amator ſtudioſiſſimus ac ſacræ Bibliothecæ Monaſterij Cuſtos, numerum librorum ſibi commiſſorum non ſolum non minuit ſed per ſuam induſtriam & labores valde augmentavit; Nam per illud tempus quo Bibliothecæ præfuit, non minus quam ſexaginta volumina pretioſa in pergameno pro fratrum utilitate ſcribi fecit. Ad quod ſanctum opus & propria devotio ipſum impulit, & amicorum ſuorum pia ſubventio impenſarum adjuvit. Verùm utilem ſe communitati exhibere curans, pro viribus magnâ illum benevolentiâ fratres proſecuti ſunt, & ut verum Dei ſervum omni tempore honorabant; mortuo namque Dietone, qui Prior fuit Clauſtralis, Volmarus Abbas de conſilio Seniorum Manegoldum Priorem conſtituit, quem utilem & ſatis idoneum ad talé Officium novit. Quo humiliter ſuſcepto miniſterio, in cunctis ad puritatem Regularis diſciplinæ converſari ſtuduit, & ſe fratribus non minùs exemplo, quàm ſermone imitabilem oſtendit. In monendo dulcis fuit & efficax, in perſuadendo facilis, in corrigendo neceſſariâ diſcretione pius ſimul & auſterus. Bonis & humilibus corde per manſuetudinem ſocium ſe præbuit, duris verò & negligentioribus ut metuendum Judicem oſtendere curavit. Unde factum eſt ut omnes Deum timentes maximo illum complecterentur affectu amoris, deſidioſi verò & qui ſalutis propriæ videbantur obbliti, non aliter quàm ſævum correctorem vitiorum metuerent. In omnibus actionibus ſuis ſemper fuit providus, in conſilijs facilis & promptus, in Judicijs & correctionibus fratrum diſcretus. Et quia vir

Manegoldꝰ Spiræ benedicitur.

Vita & patria Manegoldi Abb.

Manegoldꝰ ſubcantoris in Conventu habet Officiū.

Ad Prioratūs Officiū fuit utilis.

Manegold⁹ fit Cellarius.

erat ad omnia claustralium officia naturâ simul & ingenio dispositus, ut probatus per singula inveniretur fidelis, Volmarus Abbas fratrum usus consilio, eum Cellarium Monasterij majorem constituit, & Adelhelmum Priorem in ejus locum ordinavit. Factus autem Cellarius, magnam curam & solicitudinem rebus sibi commissis adhibuit, & prælati sui mandatis humiliter in omnibus semper obediens, juxta puritatem Regularis observantiæ ambulavit. Et quamvis in disponendis rebus mundialibus multipliciter esset occupatus, studiū tamen internæ compunctionis propterea non deseruit; sed quasi Ayoth ambidexter, sic erat intentus temporalibus curis, ut spiritualia non negligeret; sic intendebat istis, ut illa providè gubernaret. Post annos deinde aliquot Adelhelmus Prior ad Monasterium in oppido Amorbach Herbipolensis Diœcesis Abbas eligitur, & Gerlacus in Priorem hujus Monasterij per Volmarum Abbatē ordinatur. Quo intra paucos annos mortuo, rursum Prior fit Manegoldus, & suo more intendens observantiæ Regulari, gratum Deo & hominibus bonis impendit obsequium, primus chorū semper intravit, ultimus exivit, quippe qui divinæ servitutis obsequium cunctis negotijs præposuit. Volumina divinarum scripturarum pene semper in manibus habuit; quibus conscribendis & coëmendis pro fratrum ædificatione, sicut antea diximus, omnem diligentiam impendit. Ordinatus autem hujus Monasterij Abbas, anno & die præscriptis, conversationem suam ardentiore feruore sanctis exornare moribus studuit; & quicquid boni prædicabat subditis, factis & operibus in semetipso imitabile ostendit. Fuit enim homo conversatione integer atque devotus, benignus placidus, & mansuetus; sub cujus magisterio disciplina Regularis observantiæ integra semper viguit, & rei familiaris substantia non mediocriter aucta fuit, sicut in libro Donationum patescit. Eodem anno quo Manegoldus in Abbatem fuit ordinatus, terræ motus in Asia maximus extitit qui subversis ædificijs, & domibus multa millia hominum interfecit. Multæ civitates & oppida funditùs corruerunt, in quorum numero Tripolis & Damascus Syriæ cecidisse memorantur. Civitas verò Catanensium totaliter ex terræ motu subversa corruit, & plusquam viginti millia hominum miserabiliter oppressit.

Manegold⁹ iterum fit Prior.

Manegold⁹ Abbas ordinatur.

Viginti millia hominū terræmotu perierunt in Asia.

MCLVIII.

Anno Manegoldi Abbatis primo nondum completo mortuus est Sigefridus Episcopus Herbipolensis, & Franciæ Orientalis Dux, vir multâ pietate insignis, cujus jussu & permissione S. Raffoldus ex Monacho Hirsaugianæ Congregationis v. Abbas D. Protomartyris Stephani Würzburgense pauperum Hospitale transtulit, & ex eo Cœnobium Ordinis nostri pro monialibus in suburbano apud S. Affram fundavit; quemadmodum supra diximus anno Volmari Abbatis trigesimo primo.

Sigefridus Episcopus Herbipolensis obijt.

Post Sigefridum Ecclesiæ Peapolitanæ præsul electus est Gebhardus, qui Romam profectus, ab Adriano Papa IV. in Episcopum solemni ordinatus ministerio, cum benedictione & honore ad Sedem suam remittitur, qui præfuit annis tribus & mensibus VI. diebus XV.

Gebhardus fit Episcopus Neapolitanus.

His temporibus claruit in Hollandia Sophia Theodorici Comitis Hollandiæ quondam uxor, tunc verò relicta vidua, mulier sancta, & in Christi amore devotissima; orationibus jejunijs, eleemosynis & sanctis vigilijs

Sancta Sophia Comitissa Hollandiæ devotissima.

vigilijs semper intenta, quæ multis & in vita & post mortem miraculis coruscavit. Quâdam vice cum ad S. Jacobum in Galiciam cum quibusdam familiaribus suis proficisceretur, sæviſſimos latrones incidit, qui non solùm rebus sed etiam vitâ eam privare intendebant. Quos ut illa vidit mox ad orationum præsidia se convertit; confestim verò ut orationum suarum precamina ad Dominum protulit, omnis virtus latronum annihilata fuit; stabant miseri ac si fuissent, catenis ligati, nimiùm stupefacti admirantes quod se movere de loco nullâ ratione, vel conatu potuissent. Veniam postremò rogantes, iterum oratione soluti sunt. Tandem post multa pietatis opera, cum jam tertiò ad terram Sanctam ultra mare Hierosolymam esset profecta, omnia Dominicæ passionis loca cum summa devotione visitavit, & præ nimio desiderio intimi amoris quo mente ferebatur in Christum, oravit dissolvi & esse cum ipso quem toto semper corde coluit & amavit. Exaudivit eam Dominus & per infirmitatem vocata, septimâ atque vicesimâ die mensis Septembris obijt, & in Hospitali Fratrum Sanctæ Mariæ Theutonicorum cum lachrymis suorum sepulta fuit.

Tertiò ad terram sanctam profecta, ibidem moritur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato Fridericus Imperator circa Festum Pentecostes, cum multis Regni Principibus & magno exercitu pugnatorum rursus intravit Italiam ad coercendam, & debellandam Longobardorum rebellem contamacémque superbiam. Et in primis Brixiam civitatem Episcopalem in Mediolanensi Provincia constitutam obsidione cingens expugnavit, & cœpit, simul & in circuitu oppida, castelláque multa & munitiones Longobardorum plures in deditionem accipiens, compulit obedire. Postea movens exercitum quinquaginta millium pugnatorum ad Mediolanensem civitatem, obsidionem ejus ordinat, & eam per multos dies fortiter inpugnat. verùm postea quam se Mediolanenses arctâ se circumquáque vallatos obsidione cernerent, & auxilium à nemine sperarent, consilio habito urbem Cæsari tradiderunt. Urbe captâ Imperator Mediolanensibus annuum censum sive tributum sibi solvendum imposuit: & majorem partem exercitûs in patriam remisit. Ipse autem cum sufficienti militia, positis in urbibus præsidijs, ne quid novi tumultûs consurgeret, ibi remansit.

Imperator Lombardiam devastat.

Mediolanū ab Imperatore capitur.

Anno etiam Domini prænotato Gotfridus Abbas Monasterij sancti Jacobi prope Moguntiam, Burchardus S. Petri extra muros Præpositus, & major, sed non sanior, pars civium, unâ cum universo ferme Clero Moguntinæ civitatis, Arnoldum Archiepiscopum suum nimis exosum habentes, gravissimam in illum persecutionem suscitârunt, multas contra eum querelas Imperatori deferentes. Soli creopolæ homines, id est macellarij carnisicidæ partes Archiepiscopi sequentes tuebantur cum quibusdam civibus, qui sanum & rectum sapiebant. Qui postea pro eorum in Pontificem benevolentia non paucis ab Imperatore privilegijs donati sunt.

Conspiratio contra Archiepisc. Moguntinum.

MCLIX.

Anno Manegoldi Abbatis II. Fridericus Imperator adhuc in Lombardia cum exercitu positus Cremam urbem munitissimam per menses septem continuâ obsidione vallavit, tandémque in deditionem accepit pro vita civium intervenientibus Rege Bohemorum, Lupoldo quoque

Crema Lombardiæ urbs capitur.

Austriæ

Auſtriæ Duce, Einhardo Epiſcopo Bambergenſe, Ottone Palatino in Witelbach, & Reinaldo Cancellario, poſtea ut dicemus, Colonienſium Archiepiſcopo.

Eodem anno Moguntinenſium Archiepiſcopus Arnoldus in eadem civitate poſt Feſtum S. Remigij Epiſcopi, Synodum ex more cum ſuis Clericis celebravit. Et ecce, conſpirantes in unum adverſarij ejus, manu armatâ Synodum ingrediuntur, animo & intentione ipſum interficiendi Pontificem. Comites autem & familiares, qui cum eo fuerunt præſentes, fortiter pro ſuo Domino ſtantes, arma confeſtim arripiunt, & latrones illos nequiſſimos turpiter fugere compellunt. Qua de cauſa ipſe Arnoldus Archiepiſcopus circa Feſtum Omnium Sanctorum Lombardiam petit, Imperatori querimoniam facturus; quem & ipſi adverſarij ejus non ſegniter mox ſequebantur gratiâ non minùs inculpandi Pontificem quàm ab ipſo accuſandi. Imperator auditis ambarum partium querelis, pacem habere præcipit, donec in patriam reverſus, omnem cauſam quæ inter eos vertebatur judicio Principum debitè queat inquirere.

Conſpirantes Archiepiſcopum Moguntinum invadunt.

Anno prænotato Fridericus ejus nominis II. Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, de cujus ordinatione diximus tempore Hartvvigi Abbatis, anno ſeptimo & quinquageſimo ſupra centeſimum atque milleſimum; qui Imperatorem fuerat ſecutus in Longobardiam, ibidem mortuus eſt. Cujus corpus in patriam relatum à ſuis inquodàm Aldenburgenſi Monaſterio ſepultum eſt.

Fridericus Archiepiſc. Colonienſ. moritur.

Poſt mortem Archiepiſcopi Friderici memorati Clerus populúſque Colonienſis in unũ convenientes Reynaldum Imperatoris Cancellarium virum inſignem ſibi Pontificem unanimi conſenſu delegerunt miſſíque legatione in Lombardiam ad Imperatorem electum ſibi deſtinari Archiepiſcopum poſtulabant. Gaviſus Imperator quod locum honoris ei deferendi reperiſſet, grato poſtulantibus animo conceſſit. Nec multo poſt Reynaldus acceptâ Imperatoris licentiâ, fines Lombardorum egreditur: veniénſque ad Coloniam ut Archiepiſcopus ſuſceptus eſt: negotiiſque Archiepiſcopatûs breviter diſcuſſis, cum 300. equitibus ad Imperatorem redijt.

Reynaldus fit Archiepiſcopus Colonienſ.

Anno etiam prænotato Conradus Epiſcopus Eichſtatenſis in Bavaria locum quendam ſub Caſtello ſuo propè memoratam civitatem quam Dryopolim græcitantes moderni nuncupant, ab Imperatore primo Friderico precibus obtinuit: in quo Præpoſituram Canonicorum ſecundùm Regulam S. Auguſtini viventium conſtituit, in qua & mortuus poſtea ſepultus fuit. Deinde Gebhardus quidam Comes de Hisberg ipſum Monaſterium à Conrado Pontifice inceptum perficiens magnificè dotavit & ſimiliter in eo ſepultus fuit. In quo Cœnobio fratres hodie vivunt Regulares de obſervantia nuncupati Windeshemenſi Omnipotenti Deo ſine intermiſſione famulantes. Hujus nomen Monaſterij Rebdorff ab incolis terræ vocatum eſt.

Monaſteriũ in Rebdorff fundatur.

Eodem anno cum Adrianus Papa IV. Fridericum Imperatorem propter legitimæ uxoris repudium ſæpiùs monuiſſet, ut eam reciperet, & illicitè ſuper inductam Burgundiæ Principis filiam, quam nuper acceperat, ſicut diximus ſupra, dimitteret: ſed monentis ſcripta contemneret:

neret: statuit eum in proximo Pontificum Concilio Patrum cõmuni sententia anathematis vinculo alligare. Quod Imperatorem minimè latuit: quamvis dissimulaverit. Verùm priusquam tempus adveniret præfiniti Concilij Adrianus Papa moritur in mense Octobri: & Romæ in Ecclesia S. Petri sepelitur. Post cujus mortem, magna in Eccelsia Dei turbatio secuta fuit. Cardinales inter se parum consentientes magnum scandalum populo Dei suscitârunt. E quibus duo & viginti Rolandum Cancellarium Romanæ Sedis elegerunt: qui Alexander tertius in sua obedientia dictus, præfuit annis ferme duobus & viginti, & ab omnibus verè Catholicis viris pro indubitato Pontifice habitus est, vir certè laudabilis conversationis, & in agendis rebus prudentissimus. Contra quem tres profani Cardinales Octavianum quendam in Romanum Pontificem eligentes victorem quartum nuncupârunt. Qui confugit ad Imperatorem Fridericum, & ab eo susceptus honorificè pro vero Christi Vicario pernicioſum schisma peperit, & nutrivit. Quo mortuo, primò Paschalem, post Calixtum, ac deinde Innocentium in summos Pontifices imò in idola creavit, qui omnes in sua pertinacia & execratione unus post alium turpiter perierunt è medio sublati.

Alexander fit Papa tertius.

Contra Papam alius eligitur.

MCLX.

Anno Manegoldi Abbatis tertio, indictione Romanorum octavâ Imperatori Friderico Alexander Papa per literas & nuntios electionem suam probauit canonicè fuisse celebratam, rogans & contestans eum per districtum DEI judicium, imo per illud quod in cornatione sua Romanæ Ecclesiæ fecerat juramentum, ne Schismaticis manum porrigeret, nec Victori favorem impenderet. Concilio itaque suorum habito Imperator diem conveniendi apud Ticinum Lombardiæ oppidum, quod nunc Papiam appellant, in octavas Epiphaniæ Domini statuit, ad quam Alexandrum Papam similiter, & ejus Antilogum victorem pro disceptionis inter eos causa examinanda, per literas & nuntios vocavit. Adveniente autem die mensis Januarij tertiâ decimâ, quam Cæsar pro Concilio statuerat, Victor cum suis Episcopis & Cardinalibus affuit: sed Alexander sibi tutum inimicis credere non judicans, comparere cum suis recusavit. Unde Cæsar Victori in Concilio præsenti honorem summi Pontificatûs detulit, Alexandrum verò non auditum sed absentem condemnavit. Missis denique per totum ferè Germaniam Imperialibus litteris cunctis mandavit Victorem suum ut verum Papam susciperet: Alexandrum verò tanquam Schismaticum & condemnatum à sancta Ecclesia refutare. Arnoldus autem Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopus memorato Concilio apud Ticinum peracto de licentia Imperatoris ad Moguntiam reversus est. Nec diu postea cum in die Nativitatis B. Joannis Bapt: cum paucis servitoribus causâ orationis ad Monasterium S Jacobi Apostoli, quod juxta muros civitatis in colle situm est, nihil mali suspicatus exivisset, Godfridus ejusdem loci Abbas & Burchardus Præpositus S. Petri unâ cum reliquis conspirationis eorum socijs latentes sicarios atque latrones, quos conduxerant, de insidijs emiserunt: in mortem Pontificis jam ante præparatos. Qui facto in eum impetu crudeliter occiderunt in Ecclesia ejusdem Monasterij orantem. Cæde practâ sceleris authores mox se præcipiti cursu in civitatem receperunt: exspectantibus illos principibus con-

Imperator Papas vocat ad audientiam.

Cæsar Victorem ut Papam suscipit.

Arnoldus Moguntin. Archiepisc. à civibus occiditur.

jurationis ad valvas civitatis. Et hunc finem Archipræsul bonus accepit; Comites verò & ministeriales interempti Pontificis adjuvantibus se creopolis Monasterium S. Jacobi, fugatis Monachis, ingressi spoliaverunt diripientes quidquid poterant invenire. Ac postremò immittentes ignem in Ecclesiam cum omnibus, habitationibus Monachorum in favillam illam redegerunt. Abbas verò Godfridus cum reliquis impietatis suæ complicibus in civitate manebat, sceleris immanissimi conscientiam habens sauciatam. Monasterium itaq; S. Jacobi funditus destructum est, & per annos quatuordecim sine Monachis sine habitatore & sine laudibus divinis desolatum permansit. Verùm quemadmodum authores hujus sceleris ab Imperatore puniti fuerint postea dicemus.

Cœnobiũ S. Jacobi combustũ destruitur.

Post Arnoldi Præsulis crudelissimam mortem Clerus populúsque Moguntinus Rudolphum filium Conradi Ducis de Zeringen in Archiepiscopum Moguntinæ Metropolis elegerunt, immemores juramentorum quibus se Imperatori ante triennium obligaverant, quòd mortuo Arnoldo, nullum sine Cæsaris consensu Pontificem deberent eligere. Rudolphus igitur à conventu malignantium electus, consilio suorum persuasus cogitabat sibi Imperatorem placare muneribus, sed minus habens, unde suo Ecclesiam spoliavit ornatu. Erat in Ecclesia majori Moguntina aurea Crux pretiosissima, quam olim temporibus Imperatoris Ottonis tertij Willegisus æternâ memoriâ celebrandus Archipræsul ad Dei honorem & Ecclesiæ suæ ornatum mandaverat fabricari: cujus patibulum erat cypressinum laminis aureis, & pretiosis lapidibus desuper opertum & circumductum. Imago autem Crucifixi magna erat de auro purissimo habens libras auri pondo sexcentas quemadmodum demonstrabat versiculus in ea sculptus hujus tenoris:

Anrea crux pc. librarũ pondere in Moguntia fuit.

Auri sexcentas tenet hæc crux aurea libras.

Hujus pretiosissimæ imaginis alterum pedem olim abstulerat Marcolphus Arhiepiscopus, & cum eo Romani Pontificis favorem sibi comparaverat simul & pallium Archipræsulatûs: alterum verò diripuerat Arnoldus memoratus præsul, & cum eo apparatum conduxit exercitûs contra Hermannum Comitem Palatinum. Totum quod reliquum fuit Rudolphus iste de Moguntinensium consensu abstulit, cum eo placaturus Imperatorem Fridericum adhuc in Lombardia constitutum accedens, negotium pro ut potuit melius proposuit. Verùm *spretus* ab Imperatore atque contemptus tristis quidem, abijt, sed *aurum in* suos usus expendens Ecclesiæ non restituit. Interea verò quo Rudolphus in Lombardiam proficiscitur, Conradus ex Ducibus Suevorum Comes Palatinus Rheni frater Imperatoris in Archiepiscopum Moguntinum, quendam nobilem virum nomine Christianum constituit: & revertentem ab Italia Rudolphum de patria fugavit. Imperator autem refutatis ambobus Rudolpho scilcet, atque Christiano III. in Archiepiscopum substituit Conradum fratrem Ottonis Palatini Comitis de Witelinsbach, ut suo post hæc ordine plenius dicetur.

Hæresis pauperum de Lugduno incipit.

His temporibus fuit quidam civis Lugdunensis in Gallia dives, qui venditis omnibus, & in usus pauperum distributis Evangelicam professebatur inopiam. Libros tamen sacræ Scripturæ maximè novi Testamenti, priùs sibi in linguam Gallicam fecit transferri: quos malè intelligens,

ligens, & perniciosè in angulis prædicans, hæresin novam & detestandam suscitavit. Nam propriâ sibi auctoritate officium usurpans Apostolorum tam per se quàm per suos in errore complices multos fictâ humilitate suis erroribus implicavit. Romanum Pontificem, Episcopos, cæterósque Ecclesiarum Prælatos tanquam Pharisæos contemnebat: eorúmque constitutiones ac mandata spernenda prædicabat. In brevi tempore plurimos seduxit, quos pauperes de Lugduno vulgus nuncupavit. Quoties admonebantur, ut ab errore pernicioso resipiscerent, dicebant: Deo magis obedire nos oportet, quàm hominibus. Contumaciter tandem in suis erroribus persistentes ab Ecclesia sancta justâ severitate condemnati sunt: & vinculo perpetuæ excommunicationis innodati. Postremò cum nec sic ad pœnitentiam ab errore suo vellent emolliri, ut pertinaces, & dæmonum vasa ignibus cremati sunt: Et licèt multi eorum ignibus incensi perierint: error tamen eorum tot millia hominum infecit, ut vix magno labore, & per multum tempus vix tandem potuerint extirpari: verumtamen hujus erroris reliquiæ, necdum ex toto sunt extinctæ, sed in Boemiam translatæ videntur.

Hæc hæresis condemnata.

Anno Manegoldi prænotato S. Hildegardis Monialium nostri Ordinis Præposita in monte D. Ruperti juxta Bingios divini spiritûs inpulsa jussionibus Cœnobium suum cum bono testimonio egreditur, & per certa loca sibi divinitus ostensa discurrens verbum Domini pluribus ad quos missa fuerat, prædicavit. Annunciabat enim mortalibus citò ventura pericula, nisi à peccatorum suorum contagione cessarent. Fuit in civitate Trevirorum personaliter, in Colonia quoque & Moguntia, & in alijs locis permultis futura quædam annuncians, sibi ostensa. Missa denique à Spiritu Sancto in Sueviam, cum plura audisset bona de sancta Congregatione hujus Monasterij Hirsaugiensis præterire non voluit: sed locum hunc & in eo famulantes Domino personaliter visitavit. Quam Manegoldus Abbas cum universo fratrum Conventu summa cum devotione suscipiens, ultra quàm dici potuit lætatus, quod illam videre in Cœnobio suo præsentem meruit, quam Dei Spiritus tot charismatum benedictionibus adimplevit. At illa post consuetas ad Dominum orationes factas, in medióque fratrum sedens adventûs sui causam luculenter aperuit, & quòd non venerit auctoritate propriâ, sed imperio jussa divino referavit. Loquente in ea Spiritu S. sermonem ignitum, facta sunt corda fratrum subitò in divino amore flammántia: quoniam qui verbum dicenti foris contulit, auditorum mentes intus fortiter inflammavit. Inter cætera sermonis sui alloquia spiritu procul dubio illustrata divino, tribulationem fratribus prænunciavit in proximo futuram, nisi cautè ambularent, dicens: *Lux divina negligentias filiorum suorũ valde odit, & detestatur, quia nemo rectè servit Deo, qui spiritum torporis & negligentiæ non penitus à corde suo repellit. Et ideo dicit vobis lux illa quæ omnia potest. Considerate semitas vestras, & nolite declinare à via recta, quoniam expetivit vos Satanas ad tentandum: & nisi cautè ambulaveritis in timore Domini citò & velociter suscitabit vobis gravem in medio vestri perturbationem.* Dixit & salutatis fratribus ivit, quo Dei vocabatur spiritu. Et ecce anno sequenti suscitavit malitia diaboli tribulationem quam prædixerat Fratribus. Ab Hirsaugia digrediens sponsa Christi religiosissima Hildegardis ad Cœnobium Zwifaltense nostri Ordinis

S. Hildegardis verbum Dei prædicat.

S. Hildegardis venit in Hirsaugiam.

Dissensionem futuram prædixit.

proficiſcitur, & tam Monachis quàm Virginibus Chriſti tunc ibidem commorantibus verbum à Domino ſibi commiſſum fideliter annunciavit. In multis quoque Sueviæ Monaſterijs & locis viam Domini ſub brevitate ſermonis in veritate docuit: integritatem prædicationis ſuæ miraculorum oſtentatione comprobavit, & multos ad melioris vitæ ſemitas revocavit.

Imperator cum ſuo Antipapa excomunicatur.

Item anno prænotato Fridericus Imperator adhuc in Italia conſtitutus pro Victore ſuo Antipapa verum Pontificem Alexandrum III. perſequitur, & omnem Eccleſiæ ditionem occupavit. Papa verò Alexander metuens à facie ejus declinavit in Galliam: convocatóque in Claro-monte Concilio, Fridericum Imperatorem cum ſuo Pontifice & cunctis eorum fautoribus anathematis & excommunicationis vinculo innodavit.

MCLXI.

Henricus fit Epiſcopus Herbipolenſ.

Anno Manegoldi Abbatis IV. mortuus eſt Gebehardus Herbipolenſis Epiſcopus: cui electione Canonicorum ſucceſſit Henricus ejus nominis II. & præfuit añis ſex, menſe uno, diebus quatuordecim: qui mox ab Imperatore Friderico vocatus in Lombardiam cum certis militibus in auxilium proficiſcitur. Eodem anno gravis diſſenſio inter Manegoldum Abbatem & Conventum hujus Monaſterij diabolo inſtigante fuit exorta: quam anno præcedente S. Hildegardis, cum eſſet iſthic, prænunciavit, ſicut jam ante diximus non ſine turbatione & ſcandalo multorum. Cujus quidem diſſenſionis, & diſcordiæ materia iſta fuit: Videbatur tam homini quàm fratribus penè cunctis quòd Manegoldus nimis liberâ & amplâ uteretur in omnibus poteſtate, quódque eorum conſilia contra normã Monaſticæ inſtitutionis parvi penderet: & familiaribus ſuis pluſquam oportuerat condeſcendens, pacem confunderet. Unde cum ſuper his & alijs quibus fratres gravabantur, crebriùs moneretur à Senioribus cum debita humilitate ſe nihil aut parum emmendare videretur, major quotidie ſeipsâ turbatio coaluit. Contigit autem die quâdam in abſentia Manegoldi Abbatis unum è familiaribus ſuis quidpiam agere perperam contra communem Monaſterij profectum & utilitatem. Quod videns quidam è fratribus, malè operantem verbis corripuit, qui furore ſuccenſus pugno monentem percutiens in terram eliſit. Motus hinc Prior ſimul & Conventus percuſſorem retruſerunt in carcerem, quod uſque adeo Abbati, cum didiciſſet factum, diſplicuit, ut reverſus ad Monaſterium, mox ſervum de carcere liberaverit, reponens in locum fratrem, quem ille percuſſit. Factum eſt igitur ut parva ſcintilla incendium grande produceret, & inchoata ſemel diſſenſio, quotidie ſumeret augmentum. Nam quidquid Abbas vel dixit vel egit fratribus diſplicuit, & ſibi in contumeliam fieri exiſtimabant. Pari ſuſpicione Paſtor cum ovibus laborabat, erátque inter eos nuſquam tuta fides, ſed etiam in pace, nulla pacis fiducia. Cernens autem Abbas Manegoldus quod Fratres nullâ poſſet ratione ad concordiam reducere: ut propriam non impediret ſalutem, deliberavit Abbatiam reſignare. Verùm ne oculos divinæ majeſtatis inconſultè cedendo offenderet, per literas & nuntium deſuper conſilium S. Hildegardis ſtatuit requirendũ. Scripſit ergo epiſtolam ei, hunc tenorem ſermonis continentem.

Inter Abbatem & Conventũ diſcordia.

Monetur Abbas à ſenioribus.

Ex parvis cauſis turbationes magnæ.

Sanctiſſ-

Sanctissimæ Dominæ ac Matri venerandæ suæ Hildegardi, Manegoldus Abbas indignus de Hirsaugia orationem cum obsequio. Audivi quidem & apud Cyrenem quandam aquarum venam vino effluere. Et te scio, & expertus sum apud Alemannos bona Mater ingredientium & egredientium venam virtutum atque sinum specierum rebus sicut pupillam visui esse. Hauris enim ô Domina mea, & effundis, informas & specificas: practicisque in theoriam vis & motus existis. Ea propter mihi impetus fuit, & diu est diligere te, honorare te, mirari te, servire tibi tuisque & in omnibus verbo & opere tuus esse atq; tuarum orationibus in quantũ mihi fas est, & obsequijs. Rogo te mea mater & Domina memento mei in tuis sanctissimis orationibus, dilige humilẽ te diligentem, recognosce te in Christo reverentem, & literas mihi ad interrogata rescribe, in Deo rogata. Vale cum tuis omnibus. His Manegoldi literis D. Sponsa Christi susceptis, atque commissis ab eo nuncijs latori auditis, more suo ad secretas orationes se contulit, & divini susurri gratiam cum summâ devotione imploravit. Et ecce in visione Domini sancto docetur à spiritu, quid respondere ad interrogata debeat: & ecce omnia quæ fuerunt in corde Manegoldi Abbatis nubila turbationis sponsæ suæ Dominus clarè manifestat. Divinitus itaque dulciter informata hujuscemodi epistolam rescripsit. Divinum ab ea responsum petit.

O Dulcissime Pater, & in amore Christi frater. Ollam video circumdatam tam magnâ claritate, ut vix videre possim si olla sit. Sed & ibi video aliquantulum amari gustus contritum tamen magnâ contentione, & postea turbinem, qui tamen ad præmium Dei destinatur. Vigila ergo strenuè, quia causa populi in moribus hoc tempore talia postulat. O mitissime Pater ego paupercula fœmina in vera luce non video, ut omninò de officio tuo movearis. Memorare autẽ quia homo es in terra, & ne valde timeas: quoniam Deus in te diversa non requirit. Tu enim in præsentia Dei es sicut fumus myrrhæ & thuris. Unde mons Sion quærit, ut sis esca in domo Jacob. Sed siquis columnam, quæ totam domum sustentat abscinderit, domum dejcit. Quapropter septem fenestras prospice considerans ubi accipiter veniat, & cave ne ille te decipiat. Pasce ergo oves tuas in mansuetudine correptionis, quia dies salutis à te non fugit, & nondum cinis eris. Respice in eum, qui mori pro ovibus suis non dubitavit, & tuis quoque vitæ speculum esto in speculo vitæ. Vale. Exemplar epistolæ S. Hildegard. ad Manegold.

Has Manegoldus Abbas de sancta Virgine literas cum recepisset animo confortatus est, & ejus consilio humiliter acquiescens, quantâ potuit mansuetudine ac lenitate mentes fratrum sauciatas lenire simul & revocare in concordiam sollicitè curavit. Nec fefellit eum ad Christi Sponsam semel mente concepta fiducia: cujus orationibus sanctis pax fuit constituta dissentientibus. Denique Prior & Conventus magnam in orationibus & consilijs D. Sponsæ Christi Hildegardis spem habentes & confidentiam, epistolam ad eam simili devotione destinavere subjectam.

Dominæ Hildegardi ad ædificationem divinitus electæ.

Monachorum grex pauper & pusillus in Hirsaugia, sic divinâ pietate adornari, ut noverit humiles Christi in tribulatione consolari. Benedicta gloria Domini, quæ de excelso solio suo mirabili & inusitato ordine prospexit, dum tantum lumen gratiæ suæ mundo per vos illucescere voluit. Inde omnes Ecclesiæ filij jucundantur, sed præcipuè nos qui spiritales novâ exultationis luce perfundimur, dum in mœrore, quem pro defectu nostri Ordinis toleramus, divinâ consolatione per vos lætificari speramus. Quæ igitur sint, quæ summam nobis sollicitu- Exemplar epistolæ fratrum ad S. Hildegard.

dinem pariunt, maximeq; mentes nostras remordent, paucis animadvertite. Deo teste, Domino nostro Abbati in nullo detrahimus, quem tamen paternæ benignitatis per multa nobis immemorem, & quibusdam familiaribus suis laxiùs indulgentem, liberâ quoque potestate in omnibus immoderatiùs utentem ingemiscimus. Siquidem maximis calumnijs & infamijs opinionem nostram super hoc lacerari perpendimus. Et præcipuè pro lacrymabili discordia, pridem inter nos orta, & nihilominus inter ipsum Abbatem nostrum & Priorem nuper commota Religionem nostram quàm maximè contemptui à secularibus haberi deflemus. Quapropter incerti, quid agamus, ut vestris orationibus divina voluntas nobis aliquatenus super his eluceſat, humillimè imploramus. Quod si literis consolatorijs, quid potißimũ Deo in his sit placitum, per vos certificari meruerimus, id quod solũ possumus, vestræq; charitati gratißimum fore scimus, precum nostrarũ remunerationẽ huic beneficio rependere semper studebimus. Valete feliciter. Ad has Fratrũ Hirsaugiensium literas venerabilis Christi Sponsa, quid esset divinæ voluntatis præceptum informata per revelationem divinitus, epistolam eis hanc formam continentem remisit: *Serena lux dicit! O plangens ovile, & ornatum in signo ligaturæ obedientiæ. Esto stabile in tuis cogitationibus, & desideria tua anhelent ad amorem Dei. Tu ergo considera ubi sit prosperitas vel adversitas. Audi mensuram vallium; valles interdum virent, & florent de rore cæli & calore solis, & interdum arescunt & deficiunt in vicissitudine tempestatum. Sed tamen valles istas, quæ propter diversitatem tempestatum aliquando pulchritudinem suam perdunt, non habeo omninò in tali oblivione quasi à modo in pulchritudinem suam non resurgant. Sic etiam non obliviscar loci hujus, in quo tu stas, quia sapientia non carebit in eo materia sanctitatis, ut ipse primùm in rectitudine processit. Tu autem esto lucidum ovile, in victoria conculcans vitia, quæ in inquieto tempore concutiunt te, & non erubesce, quod te propter mala opera tua accuses, quoniam Deus omnia vulnera in pœnitentia ungit & tergit. Sed tamen vivens oculus notavit præteritam causam in dolore illo, quo tu commotus es in contumacia Superiorum Prælatorum tuorum, quia dulcedo unguentis matris scilicet misericordiæ subtracta fuit à quibusdam ovibus tuis in culpa jacentibus, quæ non rectè dijudicatæ sunt, in pœna quam habuerunt in pœnitentia sua. Incongrua pluvia facit terram aridam, sic homo qui peccaverit, si non habuerit illum, qui eum ungat, protinus in desperationem fugit, & arescit; quoniam nulla medicina exhibetur ei: secundum quod ipse sustinere potest à Medico. Nunc autem autem chari filij audite vocem viventis lucis. Apprehendite misericordiam, quæ non ex vobis orta, sed quæ ex Deo venit. Et ideo non abstrahite eam ab illis, quibus impendenda est. Retrahite ergo illos in sanitatem animarum suarum, & nolite venenum dare infirmantibus, quod est peccantem confortare in concepta malitia sua.*

Exemplar epistolæ S. Hildegard ad Hirsaugienses.

Postea verò quàm fratres has â B. Hildegarde literas suscepissent, non parùm in Domino gavisi sunt, & mentibus compuncti de pace inter se tractare unanimiter cœperunt, Manegoldus quoque Abbas monita virginis secutus, omnem de corde amaritudinem expulit, & se Patrem filijs juxta Regulam deinceps pientissimum pro viribus exhibiturum in omnibus repromisit. Unde fratres dulcedine verborum ejus compuncti se ut humiles, & obedientes Patri subjectos perstare in cunctis pollicentur. Per misericordiam itaque Omnipotentis Dei, & orationes S. Hildegardis pax inter dissidentes reformata est, & finis optatus turbationi impositus.

Ad pacem cum Abbate redeunt.

His

His temporibus Imperatore adhuc in Lombardia constituto, Mediolanenses juramentorum immemores, fidéque simul, & conditionibus fractis, denuò rebellare præsumunt. Nam oratores quos Imperator Mediolanum pro tributo annuo, quod promiserant, exigendo destinaverat, contumelijs affectos de civitate satis injuriosè projecerunt, omnem Imperatori & censum, & obedientiam, vel subjectionem temerè, & contumaciter negantes. Quibus Imperator auditis graviter commotus est, & nihil aliud quàm interitum Mediolanensium cogitabat. Ad consilium tamen Principum uxorem suam Agnetem filiam Principis Burgundiæ, ut bene notam, simul & gratam civibus Mediolanum pro pace firmanda, cum literis, quibus monebat illos juramentorum esse debere memores, destinavit. Quæ ad Mediolanum ut pervenit, sine honore à civibus fuit suscepta, & multis afflicta injurijs. Convenientes enim majores natu, & maximum quod contra Imperatorem habebant odium palàm volentes ostendere Imperatricem mulæ transversâ sessione imposuerunt, faciem ejus ad posteriora bestiæ retorquentes, datáq; in manibus sedentis caudâ bruti pro fræno per medium civitatis eam flentem & lacrymantem irridentes & subsannantes cum maxima confusione & ignominia circumducebant, & postea sic in mula sedentem de civitate ejecerunt: familiares quoque ejus pari contumeliâ affectos, flagellis cæciderunt. Reversa tandem ad Cæsarem Imperatrix coram multitudine Principum in castris eventum rei præstolantium injuriarum suarum historiam lacrymando exposuit, & quantas à Mediolanensibus fuerit contumelias perpessa, declaravit. Unde nimiùm irati sunt Principes Regni, qui aderant omnes, & unanimi consensu belli perseverantiam statuerunt in hostes. Cæsar enim uxoris suæ contumeliam graviter ferens per Dei potentiam coram optimatibus jurejurando firmavit ad Germaniam se nunquam reversurum, nisi priùs Mediolanum funditus evertisset, quod etiàm postea factum est.

Mediolanenses contra Imperatorem recalcitrant.

Imperatrix quomodo illusa.

Imperatrix conqueritur contumelias.

MCLXII.

Anno Manegoldi Abbatis V. Indictione Roman. X. Fridericus Imperator cum exercitu in Lombardia constitutus quosdam Moguntiæ Francorum Metropolis optimates atque Prælatos ad se vocari fecit: cum quibus consilium habuit, atque tractatum super ordinatione statûs ejusdem Ecclesiæ simul & Præsulis. Abrogato igitur Rudolpho & spreto Christiano, quos supra diximus; alterum à Clero & populo Moguntino, alterum verò per Conradum Rheni Palatinum Comitem promotos, Imperator Moguntinensibus Archiepiscopum designavit fratrem Ottonis Comitis Palatini de Witelinsbach virum strenuum, qui annis præfuit quinque tantùm.

Eodem anno Mediolanum Longobardorum Metropolis à Friderico Imperatore primo expugnata & capta est, atque sicut priùs juraverat funditus destructa, muros namque ipsius civitatis per circuitum in gyro cum turribus omnes dejecit, ædes domos & cuncta ædificia, præter Sanctorum Ecclesias, igne succendit, destruxit & in pulverem redegit, ac solo æquavit, & ad perpetuam hujus victoriæ memoriam aratrum per medium urbis in modum Crucis circumduci diutius præcepit, & sal desuper in modũ sementis spargi mandavit. Omnem civium substantiam

Mediolanũ funditus evertitur.

mili-

militibus in prædam concessit. Optimates verò civitatis, Principésque factionum, & qui contumeliarum in Reginam fuerunt authores primò ficus ex posterioribus asinorum compulit fugendo comedere, ac deinde omnes laqueo fecit suspendi. Reliquum populum extra urbem decimo milliario partim habitare compulit, partim exules in Germaniæ diversa loca destinavit.

Corpora triũ B. Magorũ transferuntur Coloniam.

Sanctorum Reliquias repertas inter Principes distribuit, & quasi pro stipendio militiæ singulis postulantibus singulas concessit. Inter quos Reinoldus Colonienſium Archiepiscopus corpora Sanctorum trium Magorum, qui olim primi ex gentibus Filium Dei hominem factum in cunis adoraverunt, suis precibus ab Imperatore obtinuit, & Coloniam transferens in majori sua Ecclesia cum summa reverentia collocavit.

Pisani & Brixienses Imperatori jurant ob sequium.

Eodem quoque anno destructo Mediolano Imperator cum uxore & Principibus suis Papiæ Dominicum Pascha celebravit. Secundâ feriâ post Dominicam Resurrectionis Pisanorum Legati venerunt ad Imperatorem cum literis, & mandatis se, & sua omnia, civitatem Pisanam cives & dominia sua cuncta ejus ditioni humillimè subijcientes: Insuper cum juramento Cæsari promiserunt, auxilia se laturos in Apuliam, Calabriam, Siciliam, Sardiniam & Corsicam ac deinde contra Græcos & Constaninopolim. Idem Brixienses Imperatori tertiâ feriâ spontaneâ similiter voluntate se facturos juraverunt.

Conventus fit Imperatoris & Galli.

Anno etiam prænotato Ludovicus Gallorum Rex oratores suos cum literis misit ad Imperatorem qui rogarent illum, quatenus diem conveniendi, & locum statueret negotio aptum, simul & ambobus accessu congruum ad consultandum pro pace totius Ecclesiæ, quæ haud parum ex schismate duorum Pontificum videbatur conturbari. Annuit Cæsar, diem & locum conveniendi statuit ad festum Decollationis S. Joannis Baptistæ in muncipio quodam Leona dictum, juxta Saonam fluvium in Diœcesi Bisuntina Burgundiæ. Convenerunt ergo Imperator Fridericus cum Victore suo: & Rex Ludovicus cum Papa Alexandro III. in die S. Joannis decollati ad locum præfinitum tentoria figentes, alter ab ista parte Saonæ fluminis, alter verò ab altera: & sibi per internuntios mutuò loquebantur. Verùm Papa metuens Cæsaris insidias in proximo quodam Castello Regis Ludovici Gallorum permissione manebat. Aderant ex Germania Lombardia & Gallia plures Episcopi, & multa fuerunt inter dissidentes pro pace tractata: quamvis concordiæ nullus sequebatur effectus. Rex etenim Gallorum cum suis Alexandrum ut verum Romanæ Sedis Pontificem venerabatur. Fridericus autem Imperator cum Episcoporum, Abbatum, & Principum copiosa frequentia Victorem suum Papam universalem nominabat. Unde rebus in turbatione positis sine concordia pacis ab invicem discedunt.

Rex Daniæ Regni coronam ab Imperio suscepit.

Eodem quoque anno Waldemarus Rex Danorum se Romanorum Imperio jure sciens subjectum, ad Imperatorem Fridericum venit in Lombardiam & flexis in terram genibus coronam Regni Daniæ de manibus illius suscepit. Tributum solvit, & feudalem subjectionem, & fidelitatem Imperio ex more antiquo juravit: exemplo magni Regis quondam Danorum qui Lothario Imperatori secundo in Conventu

Princi-

Principum apud Halberſtat in Saxonia celebrato ſubjectum ſe recognovit, ſicut anno Volmari XIV. diximus.

MCLXIII.

Imperator ad Germaniam de Italia revertitur.

Anno Manegoldi Abbatis ſexto Imperator tandem aliquando rebus in Longobardia compoſitis ad Germaniam noſtram cum certis Principibus revertitur: reliquis ad præſidium & defenſionem ſuorum dimiſſis in Italia. Veniénſque in patriam feſtum Reſurectionis Dominicæ in Wormatia celebravit. Unde ad Moguntiam deſcendens ad Octavas videlicet Paſchæ Curiam ſolemnem habuit, & cauſam ſimul & authores necis Arnoldi Archipræſulis Moguntinenſium, de quo ſupra diximus, diligentiſſimè inquiſivit. Cives autem Moguntini audientes reditum Cæſaris de Longobardia, quotquot contra Epiſcopum conſpiraverunt, magno terrore perculſi ſunt: & penè omnes (paucis de inferioribus exceptis) ne comprehenderentur de civitate clam & publicè fugiendo receſſerunt. Unus quidem ſolus de tanta multitudine ſceleratorum inventus & captus nomine Beringerus coram Imperatore adducitur, & acceptâ ſententiâ capite truncatur, cæteris omnibus, ut dictum eſt, effugientibus. Porro Godefridus Abbas ſancti Jacobi unus ex principibus conjuratæ necis in Archiepiſcopum captus & Imperatori præſentatus, juſſus eſt ſe purgare de objecto ſcelere ſi poſſet, aut crederet ſe innocentem. Qui conſcientiæ remorſu pavidus inducias octo dierum petijt ad deliberandum & impetravit. Quibus evolutis de cuſtodia rurſus ad Imperatorem ducitur, & reſpondere ad ſibi objecta teſtimonia jubetur. Qui cum ſe nequaquam poſſet purgare de conjurata nece ſæpe dicti Archiepiſcopi, decreto Imperatoris & Principum de Abbatia pulſus patriam abjurare, & extra Moguntinam recedere provinciam jubetur, ſed quò abierit, in hunc diem neſcitur. Monachi autem memorati Cœnobij S. Jacobi juſſu Imperatoris omnes in una domo per miniſteriales incluſi, videntes ſe in malo poſitos, & jam de vita omnino deſperantes, alij per feneſtras, alij quocunque poterant ingenio fugam captabant. Reliqui autem ſenes infirmi & debiles qui fugere non poterant juſſu Imperatoris abire permiſſi ſunt, in omnem terram quocunque unuſquiſque eorum voluiſſet. Et memoratus locus montis & Cœnobij S. Jacobi Monachis cum Abbate, ſicut diximus, expulſis per annos 14. manſit ſine habitatore deſolatus & deſtructus, ita ut nulla in eo fierent divina obſequia. Annis tandem in deſolatione 14. tranſactis, à Chriſtiano Archiepiſcopo Moguntino permiſſione Imperatoris reſtauratum eſt.

Cives Moguntini à conſpectu Imperatoris fugiunt.

Abbas S. Jacobi de patria proſcribitur.

Cœnobiũ S. Jacobi deſolatur.

Anno prænotato Fridericus Imperator adhuc Moguntiæ conſtitutus de conſilio Principum muros civitatis per gyrum in toto mandavit deſtrui ac funditus everti ad comprimendam inſolentiam civium, & impetum reproborum, ne ſimilia in Epiſcopum aliquem perpetrare de cætero præſumerent. Ac deinceps Moguntia ſine muro ſtetit annis 37. & tunc primò iterum munitio fuit reſtituta. Anno etiam prænotato 4. Calendarum Junij die mortuus eſt S. Raffoldus ex Monacho Hirſaugianæ Congregationis V. Abbas Monaſterij S. Protomartyris Stephani in civitate Herbipolenſi, fundator Cœnobij Monialium S. Affræ Martyris in ſuburbano ejuſdem civitatis Orientali. Vir certè multarum in Chriſto virtutum de cujus inſtitutione diximus anno Volmari 31.

Muri Moguntinæ urbis deſtruuntur.

S. Raffold. Abbas moritur.

Corpora 11000. Virginum Coloniæ reperiuntur.

His temporibus Gerlacus Abbas Monasterij S. Archipræsulis Heriberti Tuitiensis prope Coloniam divinâ revelatione admonitus multa corpora SS. Martyrum de collegio undecim millium Virginum temporibus Hunnorum, ut fertur, apud Coloniam pro fide Christi interemptarum, in suburbano, quod nunc est intra urbem, fodiendo reperit: & cooperantibus incolis cum magna reverentia & devotione de terra elevavit. Quorum corporum multa in sarcophagis reposita cum nominibus, & titulis suarum dignitatum fuerunt inventa, plura etiam sine aliqua inscriptione reperta sunt. Ex quorum numero complurium nomina,

Egbertus Abbas Schonaugiens.

S. Elisabeth Monialis nostri Ordinis in Schonaugia, revelatione divinâ didicit, & per epistolas memorato Abbati Gerlaco Tuitiensi ad interrogationes uniuscujusque ostendit. Claruit his temporibus in diœcesi Trevirorum Egbertus Abbas Monasterij S. Florini Martyris in Schonaugia, de cujus fundatione diximus anno Volmari Abbatis v. vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, & sæcularis literaturæ non ignarus, frater S. Elisabeth Monialium Christi apud Schonaugiam Magistræ & Abbatissæ. Qui cum Bunnensis Ecclesiæ esset Canonicus epistolis sanctæ Sororis crebrò pulsatus mundum pro Christi amore deseruit, & sub Hillino dicti Cœnobij primo Abbate sanctæ conversationis habitum suscepit, ipsóque Hillino postea mortuo, in eum locum fratrum electione succedere promeruit. Qui cum vir esset undecunque doctissimus, scripsit nonnulla præclara opuscula de quibus nos vidimus subjecta. Adversum hæreses lib. 1. In principium Evangelij Joan. lib. 1. Super Missus est Angelus. lib. 1. Super Magnificat lib. 1. De vita & morte S. Sororis suæ lib. 1. Meditationes de JESU & Maria, lib. 1. De laudibus nostri Salvatoris lib. 1. Sermonem quoque more antiquorum sine cicatricibus allegationum lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Cætera quæ scripsit ad nos minimè venerunt.

Cathari hæretici pessimi.

Anno prænotato memoratus Abbas Egbertus per Clerum vocatus ad Coloniam ad disputandum contra quosdam novos hæreticos ibidem repertos, qui se græco vocabulo Catharos, id est mundos muncupabant, magnam eruditionis suæ gloriam reportavit, & hæreticos confutavit. Fuerunt autem Catharorum hæretici pernicioſissimis erroribus pleni apud Coloniam inventi mares octo & fœminæ tres, qui de Flandriæ partibus in quodam horreo prope civitatem habitabant. Qui cum latitarent in abditis, & neque Dominicis, neque festis Sanctorum diebus intrarent Ecclesiam, à circummanentibus Christianis notati, quod essent infideles, mox comprehensi, & in civitatem perducti sunt. Inter quos ad disputandum acutiores fuerunt Arnoldus Marsilius & Theodoricus: qui etsi essent laici, latini tamen sermonis satis fuerunt periti, & divinæ scripturæ voluminibus plurimùm legendo intenti, nisi quod sanum scripturarum pervertentes sensum ad sui erroris propositum retorquebant, quorum isti fuerunt articuli:

Cathari venerunt ex Flandria.

Primus eorum fuit error, quod se Catharos, solósque mundos & puros ab omni peccato & iniquitate profitebantur, séque solos Christianos & verè Catholicos arbitrantes cæteros omnes qui non essent in secta eorum hæreticos, schismaticos & infideles Deóque odibiles prædicabant.

Romanum Pontificem, Episcopos, Ecclesiarúmque Prælatos & omnem

omnem penitus Clerum deceptores animarum & laqueos diaboli nomibant, eorúmque Jurisdictionem, censuras, doctrinam, constitutiones, ritus & mores ut fatuitatem stultorum irridentes & blasphemantes contemnebant.

Omnia Sacramenta Ecclesiæ spernentes subsannabant, se solos fidem habere veram & rectam, se esse Dei Ecclesiam, & Spiritu Sancto plenos dogmatizabant: cæteros autem omnes mundi homines, & in æternùm damnandos.

Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis nihil esse dicentes, Missarum celebrationem irridebant, & execrandis nominibus appellabant; & ideò nunquam intrabant Ecclesiam, nec sermones audiebant.

Confessionem peccatorum pari temeritate ridebant, dicentes soli Deo secreta cordis vel actionis esse revelanda, & nequaquam hominibus. Unde & Indulgentias simul & pœnitentiam contemnebant, allegantes illud Prophetæ: *in quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit, nec recordabor amplius peccatorum ejus, dicit Dominus.*

Luxuriam inter se quocunque modo vel cum quacunq; persona commissam hoc est, cum matre, cum sorore, aut cum filia, dicebant non esse peccatum, allegantes illud Apostoli: *Omnia munda mundis.* Ob id quoque se mundos, & Spiritu Sancto plenos, quidquid facerent, non peccare dicebant.

Plures alios habuerunt errores.

Alios quoque multos ad destructionem Christianæ fidei plenos profitebantur errores: quorum detestanda hæresis originem habuit ex fœcibus nefandi hominis illius Tauchelini, qui olim Antuerpiam, & omnem in circuitu regionem suo intoxicaverat veneno erroris, quemadmodum anno Volmari v. supra dictum est. Quamvis enim per S. Norbertum & Fratres ejus Prænonstratensis Ordinis eadem hæresis in illa fuerit provincia pro majori parte, ut plurimùm extincta, toties tamen postea diabolo seminante in diversis regionibus repullulavit, maximè in Bohemia, Thuringia, & Alsatia, ut usque in præsentem diem ejus professores minimè desint.

Egbertus confutavit hæreticos tamē in sua pertinacia durârunt.

Itaque veniens ad Coloniam Egbertus Monachus præfatus postea Schonaugiensis Abbas, ut suo loco dicemus, disputationis publicum certamen cum prædictis hæreticis habuit anno prænotato, secundo videlicet die mensis Augusti Coloniæ in conspectu totius Cleri & multorum de populo civitatis. Et licèt memorati tres hæresiarchæ diabolo pleni essent in disputando acutissimi: tamen adjuvante gratiâ Christi, authoritate, ratione & exemplo per Egbertum fuerunt confusi, victi tamen superati & vi argumentorum usque adeò constricti & concluși; quod nihil amplius poterant respondere: magno conatu omnes viri docti pro eorum conversione ad rectam fidem studiosissimè rogando, monendo, & exhortando diutiùs laborabant, sed frustra. Nullis enim authoritatibus, nullis rationibus, vel admonitionibus poterant induci, quatenus suo renuntiarent errori, sed in concepta semel hæresi pertinacissimè omnes permanserunt. Unde cum persuadere eis nemo posset ut pernicioſum revocarent errorem, de Ecclesia tanquam hæretici contumaces projecti sunt: & à judicibus ad hoc deputatis ad ignem per sententiam condemnati. Qui ducti foras extra civitatem istâ die men-

Omnes in ignem positi concremati sunt.

sis Augusti anno præscripto ignibus traditi sunt, & in cinerem redacti, viri, ut diximus, octo, & fœminæ tres mortem cum exultatione suscipientes. Erat inter eos juvencula una satis pulchra & morigerata, super quâ judices, & qui adstabant incendio misericordiâ moti sunt: & cupientes eam salvare, si forsan aliorum viso interitu, ac territa consilio vellet acquiescere saniori, commiserunt eam quibusdam propè astantibus tenendam in manibus atque servandam. Ardentibus jam alijs, & multis exhortantibus atque rogantibus puellam, ut ab errore malo discedens vitam sibi servaret concessam, illa tacens & nulli quidquam respondens, tandem subitò de manibus tenentium elapsa, in medium se flammarum præcipitem dedit & perijt.

Puella hæretica saltat in igne.

MCLXIV.

Anno Manegoldi VII. Fridericus Imperator I. negotijs & rebus in Gemania compositis, in Italiam reversus est: & Longobardiam totam suo subijciens imperio, exercitum contra fautores Papæ Alexandri traduxit in Apuliam. Multa commisit prælia, munitiones rebellium plurimas cæpit, funditúsque destruxit: & omnes in Italia gentes suo adventu nimiùm perterruit.

Imperator Italiam denuo ingreditur.

Hoc ipso anno Ecclesiæ Saleburgensis Archiepiscopus à ministerialibus Abbatis Monasterij S. Ruperti ibidem crudeliter occisus est, propter cujus necem multæ turbationes fuerunt subsecutæ.

Archiepisc. Saleburgensis occiditur.

Hoc etiam anno mare Oceanum in finibus Holandiæ XVI. die mensis Februarij terminos suos per milliaria ferme XII. egrediens multa millia hominum utriusque sexûs & ætatis consumpsit, & maximè circa fluvium Weseram, qui Bremenses Saxones præterfluit, & ab Hollandia milliaribus ferme 40. ad Orientem haud procul à Ducatu Holsteinensi in Oceanum labitur. Anno prænotato cum Alexander Papa III. in VI. feria Paraseeves, quæ fuit X. die mensis Aprilis, ejusdem diei celebraret officium in Ecclesia Senonensi apud Gallos, subitò factæ sunt tenebræ nimium horribiles dum Passio Domini per quendam Diaconum Cardinalem, ut moris est, legeretur. Cúmque adeum locum perveniss̃et legendo ubi Salvator dixerat pendens in Cruce: *Consummatum est.* Subitò fulgur tam horrendum decidit, ac tantus mox fragor intonuit, quod Papa dimisso altari, & Diaconus lectione Passionis similiter intermissâ cum cæteris omnibus qui aderant, se fugâ salvandos judicarent, & nimiùm perturbati discurrerent.

Mare suffocat multa millia hominum.

Tonitrui horribilis coruscatio.

Anno etiam prænotato non diu post eam, quam diximus, tonitrui Senonensis mirabilem coruscationem, Victor Antipapa in Longobardia apud Lucensem urbem moritur, & ibidem sepelitur, Friderico Imperatore cum multis copijs præsente atque Principibus.

Victor Antipapa in Italia moritur.

Mortuo autem Octaviano, qui & Victor, convenientes, hi quos Cardinales creaverat, mandato Imperatoris XXII. die mensis Aprilis, Guidonem Episcopum Cremensem in Antipapam elegerunt, qui XXVII. die ejusdem mensis ab Henrico Leodiensium Episcopo consecratus Paschalis III. in sua obedientia est nuncupatus. Eodem anno Alexander Papa III. qui à facie Imperatoris & ejus Antipapæ fugiens in Galliam declinaverat, ut dictum est supra, ad multorum preces & instantiam D. Bernardum quondam Abbatem Clarevallensem Cistercienſis Ordinis, qui

Guido fit Antipapa Paschalis.

S. Abbas Bernardus Canonizatur.

qui ab hac vita decesserat anno Volmari Abbatis xxxiii. Sanctorum Catalogo mandavit inscribi, & ejus festum solemniter jussit venerari quemadmodum in Bulla Canonicationis ejus patet Anagniæ oppido data.

Dissensio inter Palatinum & Colonienses orta.

Ano etiam prænotato Conradus Comes Palatinus Rheni frater Imperatoris Friderici i. gravem adversum Colonienses discordiam habuit. Unde per suos prædas & incendia multa commisit in Diœcesi contra Colonienses, bellum eis indicens ad secundam feriam in Rogationibus in campo Andernacensi. Sed Colonienſibus die constitutâ in memorato campo prope Andernach cum centum viginti quinque millibus (ut eorum sonat historia) ad certamen præparatis convenientibus, misit exploratores suos Comes ipse qui bellum indixit & recognoscens tantam eorum multitudinem venire contempsit, quamquam ab eis per xii. dies fuerit expectatus.

Eodem anno Calend. Octobris Fridericus Imperator iterum de Italia reversus in Germaniam, ad octavas B. Martini conventum Principum in Babenberg convocavit, ubi inter Conradum Comitem Palatinum Rheni fratrem suum & Reinoldum Archiepiscopum & cives Colonienses pacem & concordiam reformans, banno suo stabilivit.

MCLXV.

Inter Palatinum de Thuwingen & Bavaros contentio.

Anno Manegoldi Abbatis viii. Indictione Romanorum xiii. Hugo Comes Palatinus de Thuvvingen Brigantiæ & Rhetiæ Curiensis Princeps & Dominus, quosdam milites Guelffonis Bavariæ Ducis pro malefactis cæpit, suspendique laqueo fecit, & eorum Castellum Möringen dictum, funditus evertit. Quod factum Dux Guelffo graviter ferens, sibique ad contumeliam ascribens vindicare pro viribus cogitabat. Itaque Guelffonem filium suum cum Imperatore Friderico existentem de Italia revocavit, cui vindicandi munus committens & Ducatum: ipse in locum ejus ad Imperatorem profectus est.

Dux Bavariæ obsedit Thuwingen.

Guelffo igitur Dux Bavariæ junior contractis auxilijs quorumdam Principum & amicorum ad numerum pugnatorum duorum ferè millium castrum Comitis Hugonis Thuvvingen sexto die mensis Septemb. obsidione vallavit. Cumque diem solemnizare festum Guelffo Dux cum suis Papilionibus decrevisset, ac pro concordia & pace facienda tractarent: quidam suorum quietis impatientes & ad muros oppidi propiùs accedentes: ad exeundum inclusos verbis ut fieri solet contumeliosis, & cachinno provocare cœperunt. At isti concitatiores facti & pervocati contumelijs de oppido erumpunt, insultantibus Bavaris occurrunt, & atrociter mutuò confligunt. Subitò in castris Bavarorum tumultus exoritur, ad pugnam omnes sine ordine armantur.

Dux Bavariæ à Suevis vincitur.

Comes etenim de Veringen Guelffonis ex parte Dux belli, cum Episcopis tribus Augustensi, Spirensi & Wormatiensi & Bertholdo Duce Zaringensi contra occurrentes Thuvvingenses mox suis in periculo constitutis subvenire properant, & eos, ut resistant fortiter, magnis vocibus inclamant, ordinatísque aciebus & in unum confluentibus cunctis bellum ex inopinato committitur. Supervenerant nocte transactâ Fridericus Dux de Rottenburgo super Neccarum filius Conradi quondam Regis Romanorum & Comes de Zolere cum mille quingentis equitibus qui nescientibus Bavaris à retro in castrum Thuvvingen

fuerant intromissi. Qui cum impetu de oppido erumpentes facto congressu Bavaros in fugam convertunt ex quibus non pauciores nongentis tenuêre captivos. Ipse verò Dux Guelffo fugâ lapsus ad castrum Achelm duobus eum comitantibus duntaxat pervenit. At senior Guelffo cum Imperatore in Italia constitutus audiens filium succubuisse in bello, & negotium ejus malè prosperatum, literas mittit ad Fridericum Imperatorem qui jam pridem de Lombardia in Germaniam redierat petens, ut dimittere captivos Hugoni præciperet. Imperator itaque treugis factis pacem inter eos reformavit & jussit dimitti captivos. Verùm pace inter dissidentes constitutâ Guelfo Bavariæ Dux junior injuriarum memor & damni, quod susceperat, spretis conditionibns pacis per Imperatorem conclusis vindicare se de Hugone penitus cogitabat. Restaurato itaque suorum exercitu terram Comitis Hugonis in manu valida rursum ingreditur, prædásque & incendia faciens hostili animo grassatur: ac duo illius castella Kilminz & Wilar obtinuit & funditus destruxit. Quibus gestis cum præda in propria revertitur.

Imperator pacem inter eos constituitur.

Guelfo iterum devastat Sueviâ.

Anno quoque prænotato Fridericus Imperatot conventum Principum celebravit in oppido Geslarienſi habens secum Antipapam suum Paschalem cui & solitam Romano Pontifici ac debitam præstitit obedientiam cujus imperio pariter & exemplo Pontifices Trevirensis, Colonienſis, Magdeburgensis, Bremensis & Bambergensis, cum alijs multis Paschalem ut verum Christi vicarium cum summa reverentia suscipientes obedientiam cum subjectione illi ex more præstiterunt. Idem fecerant Henricus Dux Bavariæ & Saxoniæ nepos Lotharij quondam Imperatoris. Conradus quoque Comes Palatinus Rheni Frater Imperatoris Friderici: Lantgravius Thuringiæ & penè Teutonici Principes & Episcopi omnes.

Convêntus Principum in Geslaria.

Eodem anno S. Thomas Archiepiscopus Cantuarienſis cum pro libertate & viribus Ecclesiæ suæ fortiter staret, per tyrannidem Regis fugere de Anglia compellitur: qui veniens in Regnum Gallorum primò in Monaesterio Pontiniaco aliquanto tempore commoratus est: ac deinde in Monasterio S. Columbæ Senonensi regijs impensis sustentatus, mansit Domino serviens in medio Monachorum ut Monachus.

S. Thomas Archiepisc. Cantuariæ fugere compellitur.

Hoc ipso anno natus est Imperatori filius nomine Henricus in oppido Gelriæ Novomagum, sive Græco nomine Neomagum appellato, ex Agnete filia Principis Burgundiæ, qui patri postea in regno successit. Eodem quoque anno Fridericus Imperator Pentecosten celebravit in Herbipoli civitate Francorum Orientalium, & Curiam solemnem tenuit in qua tam ipse Imperator quàm Principes cæteri omnes cum juramento confirmârunt, quod Papam suum Paschalem nunquam desererent, nec ab eo recedentes ad Alexandri partes declinarent: ibi Reinoldus electus Colonienſis Sabbatho quatuor temporum cum alijs multis noviter electis in Præsbyterum ordinatus est. Qui Postea in Ecclesia sua Colonienſi 2. die mensis Octobris per manus Philippi Osnaburgensis Episcopi in præsentia Imperatoris Archiepiscopus ordinatus est. Anno etiam prænotato XVIII die mensis Junij mortua est S. Elisabeth Abbatissa sanctimonialium in Schonaugia nostri Ordinis Trevirensis Diœcesis, soror Egberti Schonaugiensis Abbatis viri doctissimi de quo paulò antè dixi-

Henricus Rex VI. nascitur.

Conventus fit Principũ Herbipoli.

S. Elisabeth in Schonaugia obijt

diximus. Hæc sanctissima Christi sponsa Elisabeth cum esset annorum ætatis trium atque viginti Angelicâ visitatione atque allocutione crebriùs meruit consolari & exinde revelationes & visiones multas cœpit habere divinitus, quas partim latino partim sermone patrio conscripsit ad ædificationem plurimorum. Verùm Egbertus frater ejus tunc quidem Monachus postea verò Abbas sororis suæ scripta & revelationes ornatiore stylo in eam formam, quâ hodie leguntur redegit: de quibus nos vidimus subjecta. Opus pulchrum & non inutile quod prænotavit librum viarum Dei in quo triplicem viam Sanctorum describit ad regnum cœlorum tendentium videlicet, Martyrum, Confessorum, & Virginum. Ad Gerlacum Abbatem Tuitiensem scripsit de nominibus titulis & meritis quorundam Sanctorum ex collegio undecim millium Virginum, quarum ipse corpora reperit in Colonia, ut anno priore diximus, librum unum. Revelationum suarum omnium lib. 2. Ad S. Hildegardem apud Bingas prophetantem epistolam unam. Ad diversos quoque alios scripsit epistolas plures lib. 1. Moritur anno prænotato XIV. Kalend. Julij ætatis suæ anno XXXVI. conversionis suæ ad religionem quarto & vicesimo, cujus venerabile corpus in absside Aquilonari Ecclesiæ Monachorum cum honore sepelitur. Claruerunt enim hæc duo luminaria magna uno eodémque tempore in Ecclesia Dei, Hildegardis videlicet præposita Monalium in monte S. Ruperti juxta Bingen ad Rheni litus in Diœcesi Moguntina, de qua supradiximus, & Elisabeth memorata Sanctarum Virginum Christi Magistra in Schonaugia Trevirensis Diœcesis, ambæ Ordinis nostri, ambæ Deo dilectæ, ambæque divinis revelationibus mirabiliter illustratæ: quæ sibi mutuò in amoris Christi vinculo vinctæ literis & orationibus amicitiæ & consolationis ministraverunt exempla. Quarum Cœnobia vix tribus ab invicem milliaribus distant Teutonicalibus. S. verò Hildegardis post dormitionem Elisabeth annis supervixit XV. de cujus morte suo tempore commemoratio fiet. Anno Dominicæ Nativitatis prænotato primâ die mensis Augusti horâ circiter quartâ post meridiem mortuus est Manegoldus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis XVII. anno ætatis suæ nono & sexagesimo completo. Abbatiæ verò nono incompleto & ante altare S. Michaëlis Archangeli cum devotione sepultus, vir quidem bonus, & tam in spiritualibus exercitijs quàm in disponendis sæcularibus negotijs singulari prudentiâ venerandus.

Revelationes multas habuit.

Opuscula hujus S. Virginis.

Hildegardis contemporanea.

Manegoldi Abbas moritur.

De Ruperto hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XVIII. qui successit Manegoldo, & præfuit annis X. & mensibus XI.

ANno ingitur Dominicæ Nativitatis supra scripto MCLXV. Indictione Romanorum XIII. die mensis Augusti IV. manè circa horam diei secundam, convenientes in unum fratres hujus Monasterij Hirsaugiensis, ut sibi de novo providerent Abbate, necessarium habuêre inter se tractatum. Consultatione igitur ex more præhabitâ & orationibus consuetis ad Deum præmissis, Rupertus Prior in Schönrein hujus Cœnobij Monachus professus in Abbatem XVIII. eligitur,

eligitur, cujus non facilè poterant impetrare consensum propterea, quòd dum in Abbatia Gotzaugiensi fuerit expertus plus periculi regimini Monachorum inesse quàm honoris. Timuit ergo hujus insignis Monasterij & magni Prælaturam suscipere, qui minorem in Gotzaugia cum salutis profectu se meminit non potuisse gubernare. Victus tamen precibus fratrum post diutinam excusationem consensum tandem præbuit, & onus curæ pastoralis impositum humeris suis humiliter suscepit: sub quo fideliter pro Christi amore annis x. præfuit, & mensibus XI. quibus transactis Abbatiam spontaneus resignavit. Hic patriâ Francus Orientalis extitit, & de honestis parentibus natus fuit. Qui puer ad literas positus tam in bonis moribus, quàm in scientia scripturarum, cum tempore non segniter proficiendo studuit, & multos ex coætaneis suis ingenij vivacitate superavit. Crescentibus cum ætate studijs disciplinæ divino tandem munere inspiratus venit ad Hirsaugiam quosdam invisere compatriotas, quorum sermone pariter & exemplo provocatus pro Christi amore mundum deseruit, & sub Volmaro Abbate sanctæ conversationis habitum suscepit, cum annorum esset unius & viginti. Monachus autem factus in omnibus laudabiliter se habuit, & vitam suam ad integritatem Regulæ studiosiùs ordinavit. Quantum ad dispositionem pertinet corporalem staturâ procerus admodum fuit, & pulchrâ longitudine decorus, vultu speciosâ quâdam temperantiâ jucundus, incessu gravis atque maturus, vocem habens sonoram atque tubalem, sermone succinctus, & quâdam auctoritate reverendus. In moribus singulari fuit maturitate compositus, eloquio disertus, consilio providus, & in cunctis actionibus suis prudens & circumspectus. Conversatione sua fuit mitis, tranquillus atque pacificus, quippe qui plenus charitate fraternâ pacem in Christo tenebat cum omnibus.

Rupertus Abbas annis præfuit x.

Rupertus fit Monachus in Hirsaugia.

Ad serviendum omnipotenti Deo semper diligens fuit, ac studiosus, cujus obsequio nihil omnino præposuit, sed in vera humilitate spiritûs quantâ potuit promptitudine in choro primus & ultimus fuit. Denique post annos aliquot cum se virtutum ejus fama circumquaq; diffunderet Gotzaugiensis Cœnobij fratres, quod ferme quatuor ab Hirsaugia distat milliaribus, de cujus fundatione anno Brunonis quinto dictum est, ejus nomine provocati cum essent pastoris auxilio destituti, eum sibi in Abbatem unanimi consensu elegerunt. Qui per Episcopum Spirensem ordinatus curam dicti Monasterij suscepit, & diligentiam suam studiosè adhibuit, quatenus Monachos sibi comissos verbo & exemplo ad Regularis disciplinæ observantiam erudiret. In disponendis rebus Monasterij, multùm fuit sollicitus, & in coercendis delinquentibus justâ severitate zelosus. Post annos enim aliquot cum in profectu spiritualis conversationis Monachos suos nimiùm videret deficere seriosiùs cœpit eos corripere & verbis sanctæ prædicationis pœnas & regularias necessarias adhibere. Cúmque, protervià eorum crescente, suis medicámentis aut nihil aut parum proficeret, metuens peccatis involui alienis, dignitatem Abbatiæ sterilis humiliter deposuit, & in manus eorum, qui eam per electionem dederant, resignavit, malens cum suis in Hirsaugia humilis & abjectus in pace consistere, quam inter alios imò extraneos jam inutiliter perturbari. Dimissâ igitur Abbatiâ Gotzaugiensis

Rupertus fit Abbas in Gotzawe quam etiâ resignat.

Mona-

Monasterij quam per aliquot annos rexerat libens ad Hirsaugiam revertitur, & charitativè susceptus, atque in locum suum, quem prius habuerat restitutus, humiliter atque, pacificè in medio Fratrum, sicut antea fecerat, conversatur. Nec multò post consilio seniorum ad Prioratum hujus Monasterij in Schönrein Herbipolensis Diœcesis per Volmarum Abbatem missus est, & ejusdem loci Prior localis constitutus. Ubi per annos ferme decem satis utiliter præfuit, & ipsum Prioratum non minùs in temporalibus sub obedientia Manegoldi Abbatis ampliavit. Unde memorato Abbate viam universæ carnis ingresso, Pastor, sicut diximus, in ejus locum Hirsaugiani gregis Fratrum unanimi voto substituitur, & annis undecim minùs uno mense curâ animarum oneratur. Erat sanè vir in observantia regulari satis admodum zelosus & fervidus; sed quia dies erant mali, fuitque necessarium dissimulare in multis, non sicut voluit, sed ut potuit, mores subditorum sibi Monachorum instituit. Cœperant enim jam tunc à primævæ institutionis fervore haud modicùm tepescere, nec facilè nimium labentes erat subitò ad observantiæ puritatem revocare. Multos ergo labores pro instauratione regularis disciplinæ tam hic quàm in alijs locis adhibuit; nec paucas propterea carnalium Monachorum injurias sæpe toleravit. Unde compulsus necessitate temporum quatenus ex infirmis non fierent deteriores, prudenter aliquando tacuit, & quod emendare non potuit, cum amaritudine mentis quantum licuit, pro pace dissimulavit. Quantum enim pertinet ad statum rerum temporalium, satis providè in Abbatia præfuit, & proventus Monasterij non minuit sed augmentavit. Plures etenim donationes fidelium suo tempore pro Fratrum sustentatione obtinuit; sed & ipse redditus & prædia non pauca per suam industriâ pro pecunia prompta diversis in locis comparavit. Nam singulari quodam naturæ influxu ad regimen & ordinationem rerum temporalium fuit idoneus, nec tamen ob id ad spiritualia otiosus. Inter alia plura solicitudinis suæ constructa ædificia, Capellam novam in majori Monasterio Hirsaugiensi ad septentrionalem plagam satis pulchro tabulatu construxit, quam sub honore S. Nicolai Archipræsulis quondam Myreorum consecrari fecit: in qua missarum sacrificium frequentiùs celebrare consuevit. Quam quidem Capellam Wolfranus Abbas post annos tandem ducentos septuaginta octo de concessu Reinhardi ex Helmstat Spirensis Episcopi nimiâ vetustate penè collapsam omnino deposuit: & ipsum altare in Ecclesiam Monasterij ad sinistrum latus aræ S. Crucis transferens, in honore S. Petri Apostoli, Nicolai quoque Udalrici & Aurelij Pontificum, Sanctique Galli Abbatis consecrari fecit. Anno Prænotato hyems fuit asperrima, quam anno sequenti fames & pestilentia gravis subsequitur, & mala in terris multiplicantur.

Rupertus ad Hirsaugiam revertitur & fit Prior.

Regularis disciplina hic tepuit.

Bona Monasterij Rupertus ampliavit.

Capellam S. Nicolai construxit.

Hiems fuit dura.

MCLXVI.

Anno Ruperti Abbatis Hirsaugiensis primo Hugo Palatinus de Thubingen, violatæ pacis & damni priore anno accepti, sicut ibidem retulimus, non immemor, ad ulciscendum se de Guelfonis Bavariæ Ducis perfidia, Fridericum Ducem de Rotenburgo Bavaris infestissimum hostem in auxilium vocavit. Qui ad preces Comitis Hugonis Bohemorum Regis filium cum ejus ferocissima gente per Bavariam & Sueviam omnia deso-

Bohemi devastant Bavariam.

desolantem & fœdantem conduxit. Unde commotus ad ista Fridericus Imperator generalem conventum Principum apud Ulmam oppidum Sueviæ indixit, ubi Comitem Hugonem, ut se Guelfonis potestati traderet, persuadendo induxit. Quod cum fecisset, à Guelfone ad Castrum Nuenburg Rhetiæ Curiensis destinatur captivus ubi aliquanto tempore durum toleravit exilium. Claruit his temporibus Arnoldus Abbas Bonæ-Vallis in Gallia Ordinis Cisterciensis ac D. Patris Bernardi quondam familiaris amicus, vir tam in divinis scripturis quàm in sæcularibus literis haud mediocriter eruditus, ingenio promptus, & clarus eloquio, nec minùs vitæ merito quàm eruditione scripturarum venerandus, qui vitam ejusdem S. Abbatis Bernardi in libris quatuor digessit. Alia etiam nonnulla composuit, quæ in manus nostras non venerunt. Ganfredus etiam ejusdem Ordinis Monachus Altisiodorensis Petri Abelhardi quondam auditor atque discipulus, vir in omni genere scientiarum doctissimus hæc tempora scriptis & lucubrationibus suis reddidit clariora. Hic præceptori suo memorato in Concilio Remensi argumentatione sancti Bernardi Abbatis superato, ne fieret imitator erroris malè sapientis ad Clarevallens. se philosophiam contulit, & Monachus factus Domino in humilitate militavit. Scripsit contra errores Magistri sui Petri Abelardi satis instructum volumem librum unum. In Apocalypsin quoque Joannis lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Cætera quæ conscripsit ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt. Joannes quoque Mesue medicus & philosophus sui temporis doctissimus, filius Mesue, qui fuit alterius Mesue nepos, qui Hanech, qui Hali, qui Abdele Regis Damascenorum filius, & ipse hâc tempestate in medendis corporibus clarissimus effulsit. Qui scriptis inter cætera ingenij sui opuscula de medicinis solutivis lib. 1. Antidotarium quem Gradatin prænotavit lib. 1. De curis morborum corporis humani grande opus inchoavit, quod morte præventus non complevit. De reliquis lucubrationibus ejus nihil vidimus.

Hugo Palatinus de Thubingen capitur.

Ganfredus Monachus Doctor.

Joannes Mesue medicus.

MCLXVII.

Año Ruperti Abbatis secundo mortuus est Henricus ejus nominis II. Herbipolensis Ecclesiæ Præsul & Dux Francorum Orientalium, vir quietus & vita tranquillus. Post quem Heroldus electione communi fratrum Episcopus ordinatus, præfuit annis septem, mensibus quinque, diebus tribus, vir strenuus & jurium Ecclesiæ suæ dilatator, conservator & defensor accerrimus. Cui Fridericus Imperator 1. Ducatum Franciæ orientalis cum omni jurisdictione & justitia confirmavit, ut postea dicemus.

Henricus Episc. Herbipolensis obijt.

Eodé año Conradus Archiepiscopus Monguntinus Paschalem ut Antipapam & schismaticũ arbitratus, quod erat, juramento se Alexandro Papæ III. confœderavit, &ab obedientia Paschalis memorati recessit. Quod posteaquam Imperatori Friderico innotuit, mox illum de Archiepiscopatu simul & provincia expulit, & fugere ad Alexandrum, qui tunc Romæ fuit necessariò coarctavit. Cui sic expulso Romanus Pontifex in beneficium Sabiensem Episcopatum contulit, in quo se gratum amico exulanti meritò ostendit. Unde Conradus deinceps utriusque titulo usus Ecclesiæ, & Moguntinum Archiepiscopum scripsit, & Sabiensem Episcopum, tandémque revertitur.

Heroldus fit Episc. Herbipolensis.

Con-

Conrado itaque per Imperatorē expulso, Christianus qui ante illum fuerat electus, ut supradiximus anno Manegoldi Abbatis quinto, in Archiepiscopum Ecclesiæ Moguntinæ substituitur, & præfuit annis sedecim. Quo mortuo Conradus ad Moguntiam reversus est, ut suo loco inferiùs dicetur. Qui quidem Christianus, quum esset homo in omni genere doctrinæ multùm eruditus & ob id Imperatoris Friderici Archicancellarius, scripsit quædam præclara opuscula, quibus memoriam sui nominis ad notitiam succedentium transmisit. E quibus nos legimus de gestis Friderici Imperatoris I. non spernendæ authoritatis volumen, epistolas etiam & pulchras & varias ad diversos. Hujus Christiani Præsulis Leo Tuscus, Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris Notarius, de quo postea dicemus, mentionem facit in libro de prævaricationibus Græcorum.

Christian⁹ fit Archiepiscopus Moguntinus.

Opuscula hujus Archiepisc.

Anno prænotato quinto die mensis Decembris Hillinus Schönaugiensis Monasterij Trevirensis Diœcesis, nostri Ordinis primus Abbas, de quo supra diximus anno Volmari Abbatis v. moritur, & in medio fratrum choro sepelitur. Post quem unanimi consensu fratrum electus est in Abbatem ejus Monasterij secundum Egbertus Monachus frater S. Elisabeth Monialis tunc quidem defunctæ, & præfuit annis decem & octo: de cujus ingenio & scriptis dictum est anno Manegoldi Abbatis sexto, similiter & octavo ubi soror ejus moritur.

Egbertus fit secund⁹ Abbas Schonaugiensis.

Fuit his diebus quidā hæreticus patriâ Mosellanus ex villa quæ Cardona dicitur oriundus, perniciosus & nimium astutus, quippe subtilitate ingenij & linguæ volubilitate cunctis etiam doctissimis viris erat formidabilis. Hic de venerabili Sacramento Corporis & Sanguinis Dominici malè sentiens & peius dogmatizans, omnes sibi congredientes virtute argumentorum facilè superabat. Vocatus tandem Egbertus prænominatus Abbas Schonaugiensis in publico doctorum conventu apud Confluentiam hæreticum disputationibus paucis aggreditur, & in primo certamine victum ab errore ad professionem veritatis revocavit.

Cardonensē Hæreticum superavit Egbertus.

MCLXVIII.

Anno Ruperti Abbatis III. Indictione Romanorum I. in mense Julio Fridericus Imperator I. conventum Principum solemnem in civitate Francorum Wirzburg celebravit, in quo isti Principes proprijs comparuerunt personis cum ipso Imperatore sentientes. Christianus Archiepiscopus Moguntinus, Udo Cienſis Episcopus, Gerangus Mysnensis Episcopus, Hugo Verdensis Episcopus, Rudolphus Leodiensis Episcopus, Albertus Laudensis Episcopus, Therentius Placentinus Episcopus, Reymundus Ipporiensis Episcopus, Thiemo Ratisponensis Episcopus, Burchardus Abbas Fuldensis, Hildebaldus Abbas Hirsfeldensis, Nicolaus Abbas Segebergensis, Engelhardus Abbas S. Burchardi, Christianus Abbas S. Jacobi Herbipolensis, Conradus Palatinus Comes Rheni frater Imperatoris, Otto Marchio Mysnensis, Theodoricus Marchio frater ejus, Henricus comes de Wittin & fratres ejus Otto & Fridericus, Otto Comes Palatinus de Wittolinospach, Bertholdus Marchio de Voheburg, Bertholphus Comes de Andesse, Rudolphus Comes de Phillendorff, Ludovicus Comes de Lone, Rabotho Comes de Auensperg, & Fridericus filius ejus, Boppo Wirzburgensis Burggravius, Burchar-

Convent⁹ Principum in Herbipoli.

dus Magdeburgensium Burggravius. Udalricus filius Ducis Bohemiæ, Albertus filius Ducis Poloniæ, Albertus Comes de Dilingen, Otto Comes de Kirchberg, Manegoldus Comes de Veringen, Bertholphus Comes de Berga, Gerardus & Hermannus Comites Wertheim. Conradus Burggravius de Nurenberg, Rupertus Comes de Castele, alij quoque multi convenerant quorum omnium isthic recensere nomina foret tædiosum.

Inter hos Duces Saxoniæ fit concordia.

In hoc Principum conventu Fridericus Imperator consilio eorundem discordantes Saxoniæ Principes ad plenum reconciliavit, de quorum dissensione simul & reconciliatione antea per Imperatorem in parte facta etiam supradictum est anno Volmari Abbatis xxxiv. causa verò dissensionis fuit originalis ex rebellione Henrici Ducis Bavariæ cognomento superbi quondam orta, ut patet in superioribus.

Orientalis Franciæ Ducatus Ecclesiæ Herbipolensi confirmatur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato x. die mensis Julij in præscripto conventu Principum apud Herbipolim celebrato Fridericus Imperator I. Heroldo Episcopo ejúsque successoribus & Ecclesiæ Wirzburgensi Ducatum Orientalis Franciæ, quem Conradus qnondam imperator Magnus contulerat Ecclesiæ memoratæ, confirmavit firmitérque stabilem & incorporatum perpetuò sub aurea bulla sancivit cum omni jurisdictione & potestate faciendi justitiam per dictum Episcopatum totum & Ducatum, & per omnes Comecias in eodem sitas, de rapinis & incendijs, de allodijs & beneficijs, de hominibus &. vindicta sanguinis, quemadmodum in literis Imperialibus plenius continetur.

Bramberg Castellum & Frankenberg destruitur.

Eodem quoque anno castrum Bramberg dictum, de quo per latrones quies pacis totius provinciæ sæpe turbabatur, ipsius præcepto Imperatoris destructum est funditus; & mons ipse in quo fuerat situm Herbipolensi Ecclesiæ in jus proprietatis perpetuò traditur, sub ea videlicet conditione, quod nec munitio nec castrum in eo deinceps erigatur. Aliud insuper castrum Frankenberg dictum, quod Abbatiæ Amorbach nostri Ordinis adjacebat, simili est imperio destructum, & mons in quo steterat, S. Kyliano ab Imperatore datus est in perpetuam possessionem, ne latrones deinceps Wirzburgensem perturbarent Ecclesiam.

MCLXIX.

Soles visi tres.

Anno Ruperti Abbatis IV. tres soles simul visi sunt in Occidente, quintâ die mensis Septembris, & post duas horas deficientibus cæteris, qui medius videbatur solus in occasum tendebat. Simili modo quoque tres lunæ annis proximis apparuerunt.

Hugo Etherianus Tuscus Doctor

Claruit his temporibus apud Constantinopolim in Græcia Hugo Etherianus patriâ Tuscus, græcè simul & latinè peritissimus & tam in sæcularibus literis quàm in divinis scripturis egregiè doctus, Emanuelis Imperatoris Græcorum Protonotarius, quem tota Græcia mirabatur scribentem, cujus paulò priùs breviter in Archiepiscopo Moguntinensium Christiano fecimus mentionem. Qui scripsit ad Arduvvinum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de hæresibus & articulis, quos in latinos Græci devolvunt lib. IV. De Deo quoque immortali lib. I. Epistolarum ad diversos. lib. IV. Reliqua ejus opera ad nostram lectionem non venerunt.

Leo Tuscus Doctor Constantinopolitan⁹.

Leo quoque patriâ Tuscus Imperatoris præfati Græcorum interpres Epistolarum, vir multæ lectionis & excellentis doctrinæ tam græcè quàm

quàm latinè peritissimus hâc ipsâ tempestate in pretio habebatur. Scripsit de prævaricationibus,& erroribus Græcorum libros 2. In quib⁹ Christiani Archiepiscopi Moguntinorum cum laude meminit. Contra hæreses quoque Græcorum libellum composuit. Alia denique nonnulla scripsisse fertur, quæ ad manus nostras necdum pervenerunt.

Terræ motus horrendus nimiũ.

Anno quoque prænotato maximi terræ motus cum horrendis coruscationibus fuerunt in Syria & in Insula Sicilia, & multa millia hominum terræ hiatibus devorati, miserabiliter perjerunt. Nam ad terribiles coruscationes terra subitò & crebriùs aperta homines vivos deglutiens traxit in profundum. In Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis in Antiochia homines CXL. se aperiens terra rapuit in abyssum. Unus autem solus civis Vienensis Hermannus nomine cum post coruscationes & tonitrua terram in Ecclesia videret apertam miseros clamantes deglutisse, sibique simile jam imminere periculum, ut pote, qui medius jam cerneretur immersus, auxilium Dei parentis semper Virginis MARIÆ imploravit & salvatus est. Abbas etiam de Mileto in Sicilia cum XL. Monachis, & omnis populus circiter quindecim millia subito terræ motu absorpti miserè perjerunt. Plura denique castella & oppida per Siciliam eâdem horâ corruerunt: & multa hominum millia vel ab ædificijs obruta, vel à terra sunt absorpta.

Hiatu suo terra homines devorat.

MCLXX.

Mediolanũ reædificatur hic.

Anno, Ruperti Abbatis quinto. Gualugnus Comes Angleriæ Mediolanensium Princeps, quem Fridericus Imperator captivum tenebat in Germania, ruptis, nescitur cujus suffragio, compedibus, clàm de carcere fugit: & sub rustici habitu veniens in Lombardiam cives suos hinc inde dispersos in unum convocavit, ipsam civitatem Mediolanensem, adjuvantibus vicinis civitatibus simul & Emanuele Græcorum Imperatore, mœnibus firmatis ad integrum restituit, fortiorémque fossatis, muris & turribus quàm ante fuerat communivit. Qui mox pristinam renovantes perfidiam cum reliquis Lombardis conspirationem denuo contra Imperium suscitârunt, omnésque Cæsaris judices, & locum in Lombardia tenentes uno die cum Imperialibus cunctis aut expulerũt aut laqueo fecerunt suspendi. Alios autem spoliatos omnibus nudos ad Germaniam remiserunt. Imperator his cognitis furore succensus magno suorum Principum congregato exercitu, quintâ jam vice in Italiam proficiscitur: & auxilio Marchionis Montis-ferrati ut adventum accelleret suum invitatur. Veniénsque in Lombardiam quædam oppida Mediolanensibus confœderata capit, funditúsque subvertit. Deinde Alexandrinam arcem, quam Mediolanenses in honorem Alexandri Papæ tertij noviter erexerant, obsidione vallavit. Sed amissis nonnullis suorum cum illam obtinere non posset, infecto negotio ad Papiam tristis declinavit. Cujus infortunij causam fuisse non modicam constat Henricum Saxoniæ Ducem, qui cum esset in exercitu Friderici Imperatoris sumens occasionem recedendi ab amico in necessitate constituto, dixit se illi militare non posse, imò nec velle nec debere: qui ut Schismaticus à vero Pontifice Romano excomũnicatus esset simul & maledictus. Unde non sine perfidiæ nota cum exercitûs partem haberet majorem in tanta necessitate constitutum Imperatorem deseruit: & in

Imperator in Lombardiam proficiscitur.

Henricus Dux Saxoniæ Imperatorem deserit.

Humiltas Cæsaris. Pertinacia Ducis.

Saxoniam revertitur. Quem aliquantulum secutus Imperator cum magna humilitate, ut se in tam periculoso non desereret articulo, instantissimè rogavit, in tantámque se humilitatem dejecit, ut Ducis se pedibus provolueret, & ut manere dignaretur vel parvo tempore cum lacrymis obsecraret. Quod cum facere Dux pertinacissimè recusaret, quidam ex familia ejus adulator dixit: Sinite Domine ut corona Imperialis ad pedes vestros jam veniat, quoniam quod citò perveniat etiam ad caput vestrum, denotans eum futurum Regem, sed fefellit illum opinio. Imperator itaque desertus à Duce perfido in angustiam mentis non parvam decidit: qui propter exercitûs sui notabilem diminutionem, nec pugnare contra Lombardos jam potuit, nec redire in Germaniâ cum paucis per medium perfidorum sibi tutum fore judicavit. Dimisso igitur exercitu sub potestate capitanei, per montem Jovis transiuit in Burgundiam: sed in plerisque locis usque adeò fuit angustiatus, ut acceptâ famuli tunicâ servum se esse, & curam facere equorum in hospitijs cogeretur. Insperatus tandem venit in Germaniam.

Imperator occultè fugere compellitur.

MCLXXI.

Anno Ruperti Abbatis sexto mortuus est Beringerus nobilissimus Comes de Sulzbach in Bavaria Princeps Dives & potens, cujus filiam Græcorum Imperator Emanuel habuit uxorem, post quem filius ejus gener Ducis Poloniæ comitatum paternum suscepit.

Beringerus Comes in Sulzbach moritur.

His temporibus post Guntherum ex comitibus de Lyningen Neometensis Ecclesiæ Pontificem Udalricus ejusdem Ecclesiæ ordinatur Episcopus: cujus scientiâ & consensu, ut dicit Fridericus Imperator Romanorum I. cives Spirenses à capitali jure, quod Episcopo existenti pro tempore solvere tenebantur, in perpetuum deinceps exemit.

Udalricus fit Episcopus Spirensis.

Idem Fridericus Imperator pro salute & remedio animarum tàm suæ quàm parentum suorum castrum Bernvvartstein Ecclesiæ memoratæ Spirensi liberâ donatione contradidit sub Gunthero Episcopo, ut ad usus ejus successorúmque suorum cum omnibus proventibus deserviat.

BernWartstein Ecclesiæ Spirensi donatur.

Guidone quoque mortuo, qui & Paschalis in sua obedientia dictus est, de quo plura in præcedentibus per occasionem dicta sunt; partis suæ Cardinales Principes Imperatore favente quendam Joannem Sarimensem Ordinis nostri Abbatem & Cardinalem in Romanum Pontificem contra Alexandrum III. imò in Antipapam elegerunt, qui se in sua obedientia Calixtum tertium jussit appellari, quem & Fridericus Imperator manu tenuit, & contra Alexandrum defensavit.

Calixtus Antipapa ex Monacho.

MCLXXII.

Anno Ruperti Abbatis VII. Fridericus Imperator memor contemptûs & perfidiæ Henrici Saxonum Ducis, quam ei pridem in Lombardia exhibuerat, ab eo recedens, sicut Anno Ruperti Abbatis quinto diximus, Conventum Principum tenuit, in quo illum læsæ Majestatis reum publicè declaravit. Quo Dux Henricus audito, quoscumque potuit sibi conciliavit amicos, cum quibus contra Imperatorem Fridericum conspirationem faciens ad rebellandum se totis viribus præparavit, qui habuit secum in sua parte conspirantes Comitem de Zolre, & Comitem de Veringen.

Henricus Dux Saxoniæ condemnatur.

Verùm Imperator videns Ducem Henricum in tantam pertinaciam elevatum, quod se ad resistendum præpararet, nec veniam commisso-

Ducatus Bavariæ datur Palatino de Witelspach.

missorum dignaretur expetere, decreto Principum ab eo Ducatum Bavariæ abstulit, quem Ottoni Palatino Comiti de Witelispach possidendum assignavit. Qui fretus auxilio fratrum suorum Conradi Archiepiscopi Salzburgensis, & Ottonis Palatini Comitis Ducatum Bavariæ armorum virtute obtinuit, & omnes, qui fuerant ex parte Ducis, inde fugavit. Porrò Ducatum Saxoniæ Imperator Comiti ex Anhalt contulit, quem Henrico Duce violenter expulso, sibi vendicaret quantocius mandavit. Qui vocans in adjutorium sibi Christianum Archiepiscopum Moguntinum, Archiepiscopum etiam Colonienſem, Landgravium Thuringiæ, & plerósque alios, exercitum in Saxoniam contra Henricum duxit, ipsúmque in unius mensis spatio de sedecim firmissimis castellis & munitionibus expulit, & fugere in oppidum Brunonis-vicum appelatum, potenter inimicum coëgit. Libet isthic parumper hujus Henrici Ducis dicti Leonis, historiam altiùs repetere, & mirandorum causas, quæ de ipso conscripsit antiquitas vel paucis referare. Cujus pater fuit Henricus Dux, cognomento superbus, Bavariæ simul atque Saxoniæ, mater verò Gertrudis filia Imperatoris Lotharij II. quemadmodum diximus anno Volmari Abbatis XIV. superiùs. Hic Patri tandem in solo Ducatu Saxonum judicio Principum succedens, Bavarico, propter Patris rebellionem, privatus, non satis recto in Regnum oculo mentem deinceps vibrare potuit, ob id, quod paterno spoliatus Ducatu Bavariæ, materno duntaxat Saxoniæ cogeretur esse contentus, cum nihil ipse commiserit.

Historia Ducis Henrici Brunsuicensis.

Anno igitur memorato Ruperti Abbatis V. cum Imperatore Friderico primo in Longobardia constitutus, sicut diximus, illum deseruit existimans in dubiè ab hostibus intercipiendum, quo sibi postea licenter vendicaret Imperium, cum majore parte exercitûs in Saxoniam reversus est. Deinde transacto ferme biennio superatur ab Imperatore, sententiâ quoque Principum depositus à Ducatu, extra Imperium proscribitur, & Saxoniæ Ducatus Bernardo Comiti de Anhalt in perpetuum donatur. Henricus igitur per Imperatorem Fridericum à à Ducatu Saxoniæ, ut dictum est, depositus, & extra Regnum proscriptus, cum in Provincia nusquam tutò posset consistere, peregrinationem in remotiores Insulas navalem proponit animo & corpore subire. Navibus itaque dispositis, & omnibus necessarijs importatis, quæ ad longæ navigationis continuationem videbantur sufficere, uxorem cum liberis in oppido Brunonis-vico valedicens reposuit, & ipse navigaturus, quò fors duceret ignorantem, cum socijs sibi amantissimis, atque fidelissimis navem intrans mari se comisit.

Causa depositionis & proscriptionis.

Henricus Dux proscriptus patriam deserit.

Ratibus itaque Saxonico littore solutis per mare Germanicum citò in Oceanum rapitur,; & per mille pericula navigans in incertum pluribus annis, mari terræque expositus instabilis vagatur. Grandia & stupenda toto septennio in hac sua peregrinatione fuit expertus pericula, multa vidit miranda, & magnam partem orbis in sua desolatione perlustravit. Socijs tandem omnibus in peregrinatione amissis, septennio exacto solus & incognitus in Saxoniam revertitur, Friderico Imperatore jam mortuo, & Henrico ejus filio regnante; à quo in gratiam susceptus Ducatum Brunsuicensem recepit, & uxorem quam dimisit. Hæc Ducis miranda peregrinatio materiam carminibus dedit. Et ab hoc tempore

Mare septennio exul penetrat.

Septennio exacto in patriam revertitur.

pore Ducatus Brunsuicensis de expulsis à Saxonia Ducibus sumpsit exordium, Comite uno de Anhalt Bernardo sibi & hæredibus suis Ducatum Saxoniæ Imperatoris concessione usurpantibus. Et sic protervia Ducis Henrici nimis durâ animadversione fuit punita.

Henricus sextus coronatur Rex.

Anno prænotato Imperator Fridericus Pentecosten cum uxore & multis Principibus Moguntiæ solemniter celebravit. Ibi Henricus Imperatoris Filius puer septem annorum in Monasterio S. Albani, tunc nostri Ordinis, à Christiano Moguntino Archiepiscopo ipso die sancto in Regem Francorũ Orientalium sedium juxta consuetudinem coronatus est. Mansit ibi Cæsar cum Principibus diebus octo, multa disponens & ordinans pro Regni pace communi. Ibi inter multa Imperij negotia Hemino Comes

Hemino Comes Flandriæ nota.

Flandriæ & seipsum & comitatum suum Imperatori Friderico subiecit, obedientiam ex more præstitit, eique fidelitatem meditante juramento promisit. Constituit ex matura quoque deliberatione idem Comes spontaneâ voluntate, & non aliquâ inductus necessitate, ut si ipse sine liberis vitâ decederet, ejus comitatum cum omnibus appendicibus suis Henricus Rex Filius Imperatoris memoratus jure testamentario possideret.

Eodem quoque anno moritur Ludovicus II. Thuringorum Marchio, vir magnificus Dives & inclitus, magnarum operationum, in

Ludovicus Marchio II. Thuringiæ obijt.

bello strenuus, in pace providus, consilio cautus, cujus corpus in Monasterio Fontis Reinhardi fuit sepultum.

MCLXXIII.

Anno Rupertí Abbatis VIII. S. Thomas in Anglia Cantuariensis Ecclesiæ reverendissimus Archiepiscopus interventu Romani Pontificis Alexandri III. & Ludovici Regis Gallorum, ad suam Ecclesiam revocatus est: & simulatâ pace, iterum à Rege Anglorum susceptus, quod rei probauit

S. Thomas Archiepisc. Cantuarien sis martyrizatur.

eventus. Nam tricesimâ die post reditum ejus in Angliam Rex impius suis comisit militibus ut illum occiderent. Qui ad Ecclesiam venientes armati sanctum Pontificem coram sumo Altari stantem crudeliter occiderunt, cerebrum cum sanguine & ossibus in pavimento hinc inde spargentes. Cujus sacrum corpus per Monachos & Clericos traditum sepulturæ mox infinitis cœpit coruscare miraculis.

Claruit his temporibus S. Anselmus ex Priore septimo Carthusiæ

Anselmus Episcopus Blesensis ex Monacho.

Blesensis Episcopus, vir tam in divinis scripturis quàm in sæcularibus literis egregiè doctus: qui magnâ sanctitate clarus & multis virturibus insignis, non minùs exemplo quàm sermone Pastorem se utilem semper exhibuit. Unde fama nominis & sanctitatis ejus longè latéque diffusa multos boni odoris fragrantia respersit in vitam æternam. Consumaro tandem sexto Calendas Julij migravit ad Christum, anno ætatis suæ plus septuagesimo, Pontificatûs verò quinto decimo, cujus gesta habentur.

Basilius Carthusiæ Prior octavus obijt.

Basilius quoque Prior Carthusiæ octavus anno prænotato post multa virtutum studia plenus operibus sanctitatis ad Dominum coelí transivit in senectute bona. Vir tam eruditione scripturarum quàm integritate morum valde reverendus, qui verbo simul & exemplo multos ad melioris vitæ semitas revocavit. Inter quos ejus hortatu conversus ad Ordinem fuit sanctissimus ille Pater Hugo Prior de Withai in Anglia, & po-

& postea Lincolnienſis Eccleſiæ Præſul, de quo latiùs ſuo loco dicemus. Præfuit autem Carthuſiæ majori Beatus hic Baſilius annis tribus & viginti, in qua ſepultus poſtea multis coruſcavit miraculis & virtutibus.

MCLXXIV.

Anno Ruperti Abbatis IX. mortuus eſt Heroldus Eccleſiæ Wirzburgenſis Epiſcopus, vir magnificus & jurium ſedis ſuæ propagator & defenſor vigilantiſſimus: poſt quem electione Fratrum ſucceſſit Reinhardus & præfuit annis quatuor, menſibus x. diebus xv.

Reinhardus fit Epiſcopus Herbipolenſis.

Eodem anno Romanns Pontifex Alexander III. Sanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum anno præcedente, ſicut diximus, crudeliter occiſum propter infinita ejus miracula Sanctorum catalogo fecit inſcribi. Hujus rei gratiâ idem Pontifex duos Cardinales miſerat in Angliam, qui & miraculorum ſancti Martyris veritatem inquirerent, & ſanctam Sedem Apoſtolicam de ſingulis plenius informarent. Qui cùm perveniſſent in Angliam non ſolùm facta S. Thomæ infinita audierunt ab alijs, ſed ipſi proprijs quóque oculis multa quotidie fieri ad ejus tumbam ſtupenda nimis cernere meruerunt. Sancto autem Thomâ in Eccleſia Cantuarienſi occiſo & tot miraculis coruſcante, Rex Angliæ ſenior de morte illius ſe cupiens probare innocentem, pro eâdem causâ Nuncios ſuos & Oratores miſit ad Papam. Quibus cùm Pontifex minùs duceret eſſe credendum, memoratis Cardinalibus negotium commiſit diligentiùs examinandum. Cauſam illis diſcutientibus Rex ſe juramento probavit innocentem, cùm aliter minimè potuiſſet. Promiſit tamen aliquam pœnitentiam agere propterea, quòd necis Sancti cauſam dediſſe videretur nonnullam, quia illum viventem non honorâſſet. Injungitur ergo illi ut ducentos milites Jeroſolymam mitteret, qui ſuis impenſis ibi per annum Domino militarent, atque ipſe bellum triennio contra Barbaros gereret, & Eccleſiæ omnimodam libertatem reſtitueret, nec appellantibus ad curiam obſiſteret, ab hoc tempore Angliæ Regnum Romanæ Eccleſiæ feudum eſſe cœpit.

S. Thomas Cantuarienſis canonizatur.

Pœnitentia Regis Angliæ propter necem S. Thomæ.

MCLXXV.

Anno Ruperti Abbatis Hirſaugienſis hujus Monaſterij X. Indictione Romanorum VIII. menſis Maij die XXVIII. mortuus eſt Dominus Craffto ex Comitibus in Spanheim 2. Abbas Cœnobij D. Præſulis Martini Spanheimenſis Ordinis noſtri, in medio chori Fratrum cum prædeceſſore ſuo in uno tumulo ſepultus, anno ætatis ſuæ LVIII. Prælaturæ autem quarto & viceſimo, ſuper cujus ſepulchrum nominibus amborum ad caput præmiſſis in pede hoc diſtichon Prior Anſelmus inſculpſit. Abbates clari quibus accidit huc tumulari, Ambo Deo chari ſunt modò pace pari. Hoc eſt Bernhelmus ipſi Crafftoni conſepultus ibidem. Poſt hunc Adelgerus patriâ Moguntinus præfati Cœnobij Monachus à Fratribus in Abbatem electus, & Moguntiæ in Eccleſia S. Albani ordinatus, præfuit annis VI. menſe uno, & III. diebus, & Monaſterium in utroque ſtatu gubernavit. His temporibus per totum Regnum Teuthonicorum turbatio fuit exorta propter excommunicationem Friderici I. Imperatoris, qui Alexandro Papæ rebellis Romanam perſequebatur Eccleſiam, & omnes cum illa ſentientes nimiùm habebat exoſos, quibus tam per ſe, quàm per ſuos miniſteriales multa intulit damna ſimul & incommoda. Nec minùs ipſe

Craffto Abbas in Spanheim moritur.

Regni Teuthonici pcg. turbatio.

multis paulatim fieri cœpit exosus propter suam contra Deum & Ecclesiam nimis præsumptuosam & protervam contumaciam, atque ob id quotidie se minor factus infortunatus evasit.

Hirsaugienses cũ Ecclesia Roma senserunt.

Interea verò Rupertus Abbas cum sancta Congregatione sua Hirsaugiana secundùm antiquam & laudabilem hujus Monasterij à S. Wilhelmo introductam consuetudinem partes sanctæ Romanæ Ecclesiæ, illiusq; Pontificis Alexandri obedientiam fideliter sequebatur, & multa propterea in rebus & personis à schismaticis sustinuerunt incommoda. Omnes enim qui Deum timebant, & Romani Pontificis obedientiam sequebantur, varijs ab æmulorum importunitatibus tribulabantur incommodis. Atque boni viri ob id, cùm dies abundarent malitiæ, aut se fugâ saluabant, aut latitabant in Monasterijs.

Imperator sextò exercitum ducit in Italiã.

Anno igitur prænotato Fridericus Imperator jam sextò cum exercitu in Italiam profectus est. Nam Mediolanenses cum Romano Pontifice Alexandro fideliter contra Schismaticos sentientes, resumptis viribus & jam Urbe in integrum restituta, agros Papiensium & Comensium, qui partes Cæsaris sequebantur hostili depopulabantur incursu. Ad quorum defensionem Imperator exercitum duxit in Lombardiam, bellum moturus contra quosdam rebelles. Verùm Mediolanenses, qui se jam dudum præparaverant ad rebellandum, unà cum cæteris in Lombardia populis exercitui Imperatoris occurunt, ubi commisso prælio plures eorum in primo congressu vulnerati ceciderunt. Verùm postea mutante instabilem fortunâ vultum Imperator à Mediolanensibus superatus est, & clam fugere compulsus. Namque cùm in principio totum exercitum misisset hostem, signifer ejus qui aquilam Imperialem ex more ferebat, ardore pugnandi festinans in adversarios, ab eis confossus est statim, & vexillum quod manu gestabat, in hostium potestatem devenit. Unde mox clamor exortus Mediolanensibus audaciam dedit, Cæsarianis verò metum, & in perturbatione diffidentiam. Ipse quóque Imperator Fridericus impetu in hostes facto cùm multos suâ manu interfecisset, equo tandem suffosso in terram prolapsus mortuus credebatur: cujus casus Germanis, dum post fugam in hostes prosiliunt, exitij materia fuit. Nam in amne Ticino multis submersis, plurimis & cæsis, & reliquis in captivitatem abductis, pudor Imperio, hostibus victoria cessit, in dedecus non parvum Germanorum. Quintâ dehinc die post actum prælium Fridericus Imperator, qui putabatur occisus in bello per urbem Papiensem habitu simul & comitatu incessit Cæsareo, mirantibus ac stupentibus oppidanis, quoniam ambulantem priùs Imperatorem viderent, quàm scirent viventem. Cùm sucepta incommoda coram suis deplangeret Imperator, Ecclesiastici viri quos in oppido reliquerat Comano iturus ad prælium, sumptâ ex necessitate fiduciâ in faciem ei dicebant, persecutionem Ecclesiæ, quam tot annis jam miserabiliter afflixerat esse in causa, quòd tantus Germanorum perisset exercitus. Adquorum verba Principes cæteri penè omnes facti audentiores publicè Imperatori protestari sunt sese, nisi brevi Rom: Pontifici & Ecclesiæ pacem daret, eum omnino deserturos, imò se nec velle deinceps schisma fouere, nec posse. Quod Imperator audiens territus est, pacémque dare promisit.

Exercitus Imperatoris vincitur.

Imperator cadens de equo mortuus putatur.

Imperator vixit, cùm mortuus putabatur.

Principes Imperatorem coarguunt.

MCLXVI.

MCLXXVI.

Anno Ruperti Abbatis XI. die mensis Martij XXI. obijt B. Virgo Clementia sanctimonialis in Horreo Trevirensi, filia nobilissimi Comitis de Hoemberg in Alsatia, sponsa quondam Domini Crafftonis de Spanheim Comitis, & postea, ut supra dictum est, Abbatis Cœnobij Spanheimensis. Hæc devotissima Christi famula singularis vitæ merito veneranda in amore Christi fervens extitit, quæ diebus ac noctibus lectioni, meditationi seu contemplationi diviniorum intenta, omnia hujus mundi solatia simul & honores fortissimâ perseverantiâ contempsit, & in omnibus placere soli Domino Deo studiosissimè curavit. Ad ejus tumbam lampades per custodem extinctæ, divino lumine reaccensæ fuisse memorantur. Transijt anno ætatis suæ LVIII. conversionis autem XXVII. in Ecclesiæ S. Hirminæ apud Treviros tumulata.

S. Clementia Trevirisi moritur.

Eodem Anno Rupertus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis XVIII. jam senio gravatus, & laboribus multorum annorum exhaustus, considerans se ad regimen animarum & curam rerum temporalium deinceps non posse sufficere, deliberavit Abbatiam Conventui amore quietis regularis & pacis voluntate spontaneâ resignare. Convocatis itáque Fratribus ad locum Capitularem animi sui consilium aperuit, & suam insufficientiam humiliter proclamavit. Qui auditis causis animum suum justè moventibus postulanti præbuerunt consensum, licèt maluissent illum suum tenere officium. Cessit igitur officio curæ Pastoralis Dominus Rupertus anno Dominicæ Nativitatis prænotato MCLXXVI. Indict. Rom. IX. die verò mensis Julij IX. posteaquàm præfuerat huic Monasterio annis X. & mensibus XI. Cui fratres unanimi consilio ad vitæ quod reliquum erat, sustentationem & mansionem quietis Præposituram Rothensem assignârunt, in qua paucis supervivens annis in magnâ devotione cordis & tranquillitate mentis tandem ad Deum migravit. Corpus verò suum jam moriturus ad introitum Ecclesiæ in limine sepeliri mandavit, ut pedibus omnium ingredientium & egredientium pro Christi amore calcaretur.

Rupertus Abbas Hirsaugiens. resignat Abbatiam.

Rupertus Exabbas Præpositus fit Rothens.

De Conrado secundo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XIX. qui præfuit annis XII. mensibus III. diebus VIII.

POst resignationem Domini Ruperti Abbatis liberam, spontaneam, & ex propriâ voluntate diutiùs optatam, altero mox die, hoc est, tertio Nonarum Julij, anno suprà scripto, convenientes ad locum Capitularum Fratres unanimi consensu tandem in Abbatem hujus Monasterij XIX. elegerunt venerabilem Monachum quendam ejusdem Congregationis nomine Conradum ejus vocabuli secundum, Hermanni Comitis de Kilhberg fratrem, virum genere nobilem, sed virtutibus nobiliorem: qui ab eo die Monasterio in Abbatia præfuit annis XII. menses tres, & die octo, providè gubernans utriusque statûs familiam. Et quia sicut ante paulò diximus, Hirsaugiana Congregatio Fratrum nunquam fuit schismatiorum polluta consortio, sed cum Ecclesia Romana & ejus Pontificibus legitimis consentiens, pura

Conradus fit Abbas.

Ordinatur ab Episcop. Bambergense.

semper & incontaminata permansit: noluit Conradus memoratus Abbas electus ordinari ab Udalrico Episcopo Neometensi, vel alio quocunque Apostolicæ Sedis Communionem & gratiam non habente. Consilio igitur suorum habito ad Episcopum Bambergensem, qui cum Papa sensit Alexandro profectus est, & ordinationem sui ab eo suscepit.

Conradi patria educatio & conversatio, &c.

Conradus iste venerabilis Abbas patriâ Suevus erat de nobili Comitum ex Kilhberg prosapia ortus, frater sicut diximus, Hermanni Comitis & nobilissimi principis, qui multa huic Monasterio beneficia contulit, effectu simul & affectu Hirsaugiensium se Monachorum semper fidelem ostendens amicum, qui ab infantia penè ad studium litterarum positus, cum tempore crevit tam ætate annorum, quàm scientiâ scripturarum. Et quamvis summitatem doctrinæ universalis non attigerit, pro suo tamen statu in scripturis satis profecit. Evadens tandem cum tempore in virum, qui novit verum à falso, & bonum à malo discernere, cœpit de salute animæ crebriùs cogitare. Fuerunt eâ tempestate, sicut etiam ab exordio in congregatione hujus Monasterij plures viri nobiles genere & doctrina insignes, Comitum, Baronum, Militum nobilium simul & ignobilium filij sub Monastica Regula omnipotenti Deo in vera humilitate famulantes, quorum famâ Sanctitatis excitatus Conradus noster, cùm esset Ecclesiæ Argentinensis Canonicus, mundum cum suis divitijs & honoribus vanis pro Christi amore deseruit, & eorum se collegio devotè sociavit, Monachus ita factus in hoc Hirsaugiensi Cœnobio sub Manegoldo venerabili Abbate, conversationem suam ad Regulæ tramitem semper instituit, & quantò genere fuit altior, tantò se in medio Confratrum majore obedientiâ & humilitate omnium imperio subjecit. Neminem ex eis verbo contristavit aut facto: neminem læsit, neminem offendit. Ingenio mitis erat & promptus ad obediendem, non solùm Prælatis atque majoribus, sed æqualibus simul & infimis. Sæpe namque fecit ex humilitatis amore opus abjectum, quod rustici filius dedignabatur contingere. Quantùm verò ad corporis dispositionem pertinebat, staturâ fuit mediocris, ut nec longa esset nimiùm proceritas, nec hominibus curiosis contemptibilis brevitas. Facie niger apparuit, ad complexionem choleræ tendens adustæ, unde febribus frequenter succubuit. Macilentiâ satis extitit temperatus: incessu gravis, nec multâ levitate dispositus ad ambulandum. In habitu suo nunquam fuit curiosus, sed vestitu simplicissimo utens mentis pulchritudinem amavit, non corporis. Non fuit garrulitatis pernicioſæ amator, sed communitate fratrum suorum contentus, nil amplius quæsivit. Ordinatus verò in Abbatem formam se gregi suo præbuit exemplo simul & verbo, & humilitatis modum quem Monachus habuit, etiam Abbas omni tempore custodivit: Nam & bonis mansuetisque se per humilitatem præbuit socium, discolis autem & duris corde, sicut Regula præcipit, se dirum præbebat Magistrum. Sermone fuit dulcis & mixtâ maturitate affabilis: convictu placidus, & seriosâ quâdam temperantiâ reverendus. In consilio promptus, & cautâ providentiâ circumspiciens, omnia prudenter disposuit, & nihil sibi commissorum unquam temerè neglexit. Hospitibus & peregrinis juxta Regulam D. P. N. Benedicti semper charitatem exhibuit, & omnes in Christo venientes humanissimè tractavit. Coram quibus in mensa

Exemplo simul docuit & verbo.

mensa satis longus & dapsilis extitit, & quidquid poterat charitatis omnibus hilariter impendit. Monasterij jura & libertates observare diligentissimè studuit, substantiámque temporalem prudenter disponens, Fratribus suis omnia præsentis vitæ necessaria secundùm instituta Regularia copiosè providit. Honestissimæ conversationis tam in Monasterio, quàm foris extitit, & in eo bonæ vitæ tramite, quem semel ire didicerat, usque ad mortem perseveravit.

MCLXXVII.

Anno Conradi Abbatis I. Cœnobium S. Jacobi Apostoli in monte speciosо prope Moguntiam, anno Manegoldi sexto, propter necem Arnoldi Archiepiscopi destructum, sicut ibidem diximus, permissione Friderici Imperatoris & cooperatione Christiani Archiepiscopi Moguntini ædificari cœpit, & in paucis annis consummatum fuit. Ad quod Monachi antea metu Cæsaris dispersi revocati sunt, quibus memoratus Archiepiscopus novum constituit Abbatem, quia Godfrido quondam Abbati proscripto non licebat redire in patriam. Hujus Monasterij primus fundator Luthboldus olim Moguntinus Archiepiscopus extitit, qui anno Dominicæ Nativitatis MLI. Sancto Bardoni Archiepiscopo in Pontificatu successit, quemadmodùm dictum est anno Monasterij vacantis quinquagesimo, & Scoticæ nationis Monachos primos introduxisse ferebatur.

Monasterium S. Jacobi Moguntiæ denuo constituitur.

Anno prænotato xv. Calendarum Decembrium obijt S. Christi famula Hiltrudis apud S. Rupertum prope Bingiones Monialis nostri Ordinis, filia Meginhardi Comitis de Spanheim, & soror secundi Abbatis Spanheimensis Domini Crafftonis, de quo diximus anno Volmari Abbatis xxix. Cujus sanctitati B. Hildegardis ejus Magistra atque Præposita coram multis perhibuit testimonium.

S. Hiltrudis Monialis obit.

Anno etiam prænotato Fridericus Imperator I. amicorum consilio importuno simul & continuo impulsus de pace & concordia cum Alexandro Papa III. per internuntios & oratores suos plures habuit tractatus, & toto penè anno pro eodem negotio multipliciter fuit laboratum. Verùm quia Imperator Antipapam suum Innocentium, qui Calixto successerat, non potuit ad cedendum inducere, optata inter Regnum & Ecclesiam concordia in annum differtur sequentem.

Concordia tractatur inter Papam & Imperatorem.

His quoque temporibus Bertholdus Dux de Zäringen Friburgum in minori Burgundia, quam vulgariter Nüchtland appellamus, à fundamentis construxit. Sunt autem qui eam Provinciam ob id Burgundiam minorem vocatam existiment, quòd Trevirensibus olim contra Romanos & auxilium miserint indigenæ terræ, simul & præsidio fuerint, qui per Burgos, id est Castella, manentes rectè Burgundiones sint nominati. Dicunt enim magnam in ea regione Comitum, Baronum, atq; Nobilium priscis diebus habitâsse multitudinem.

Friburgum in Minori Burgundia.

MCLXXVIII.

Anno Abbatis Conradi II. mortuus est Richardus Episcopus Wirzburgensis Dux Franciæ Orientalis, & in sua majori Ecclesia ex more sepelitur. Post quem Godfridus de Pistenberg in Pontificem ejusdem Ecclesiæ consecratus præfuit annis octo, mensibus totidem, diebus quatuor & viginti, vir magnificus, prudens, & in Chri-

Godfridus fit Episcop. Herbipol.

stianam Religionem devotissimus: qui tandem pro Christi amore profectus in terram Sanctam in auxilium Christianorum contra Saracenos in Syria moritur, & in Ecclesia majori S. Petri Antiochiæ, ut suo loco dicemus, cum honore sepelitur.

Papa Romanus fugit ad venetos.

Eodem anno reformata est concordia inter Alexandrum III. & Fridericum Imperatorem I. post multas placitationes, quam tali contigit occasione firmari. Cùm Imperator esset in Italia constitutus & per internuntios, ut supra diximus, cum Papa super pacis negotio tractaret, veritus Pontifex, ne sibi ab eo ponerentur insidiæ ad Venetos clam fugiens declinavit. Quod Imperatori nuntiatum cùm fuisset, oratores suos destinavit ad Venetos; jubens, sibi transmitti Pontifiem: quod cùm facere omnino contemnerent, bellum indixit. Classem igitur contra Venetos armavit, cui Ottonem filiũ suum præfecit, & ad reposcendum Pontificem in adversarios misit. Congressione autem navali comissâ Otto filius Imperatoris capitur & Venetijs captivus introducitur, & vinctus Pontifici Romano præsentatur. Volens Imperator liberare filium suum pacem dare compellitur. Unde ferocitate in mansuetudinem necessariò commutatâ, Imperator Venetias pacificus ingreditur, & conditiones pacis & concordiæ sibi propositas, quas eatenus contempserat, jam libenter admittit, rogat, petit, acceptat, litterarúmque suarum testimonio confirmat. Istæ autem fuerunt pacis & concordiæ Principales conditiones.

Imperator pacem petit à Papa & accipit certis conditionibus.

Imprimis abjuravit Cæsar Fridericus omnem hæresim, & schismaticam factionem, in qua fuerat eatenus pollutus, reus, diffamatus, & ob id excommunicatus, & reversus est ad Ecclesiæ sacrosanctæ unitatem.

Deinde promisit obedientiam & subjectionem Rom. Ecclesiæ, & ejus Pontifici Alexandro III. successoribus suis regulariter intrantibus, & quod nihil deinceps velit attentare juravit.

Tertiò restituit Romanæ Ecclesiæ & ejus Pontifici Romam, & omnia ad ejus jurisdictionem pertinentia, simul & universa, quæ Imperij sui tempore in Italia vel extra per violentiam abstulerat.

Quartò consensit & promisit omnem se pœnitentiam impleturum, quam sibi Pontifex pro malè commissis & transgressionibus suis imposuisset, & quod omnia vellet patienter ferre, injuriásque cunctis hominibus ex corde remittere, & nihil de aliquo vindicare.

Imperator prosterrit se ad pedes Papæ.

Alterâ dehinc die Romanus Pontifex ad Ecclesiam sancti Marci procedens, & stans in eminentiori gradu ascensûs Imperatorem se jussit in terram prosternere, & denuò veniam postulare. Quo in crucis modum prostrato, collum ejus dextro pede calcans Pontifex dixit, scriptum est: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Cui Imperator dixit: *Non tibi, sed Petro.* Ad quem Pontifex: *Et mihi*, inquit, *& Petro.* Jussus deinde surgere à vinculo excommunicationis absolvitur, & quia tamdiu fuit Ecclesiam Christi persecutus, iter sibi Jerosolymitanum pro pœnitentia injungitur, ut exercitum quem contra Ecclesiam tanto tempore duxerat, nunc in subsidium fidei Christianæ destinaret.

MCLXXIX.

Christian⁹ Abbas Herbipol. mo-itur.

Anno Conradi Abbatis III. mortuus est Christianus Monasterij mei S. Jacobi Herbipolensis Abbas secundus, Beati Macharij quondam discipulus,

discipulus, & in Abbatia successor: homo certè moribus, & eruditione scripturarum insignis, cujus vitæ meritum varijs documentis virtutum cenituit, & plures ad normam justitiæ convertit: transijt autem die Martij 14. anno ætatis suæ 66. Regiminis autem Monasterij 26. Postquem Eugenius constituitur Abbas, & præfuit annis 18.

Claruit his temporibus Joannes Episcopus Carnotensis, Patriâ quidem Salisberiensis B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi quondam minister atque discipulus. Vir in divinis scripturis eruditus, & in sæcularibus literis suo tempore omnium penè judicio doctissimus, qui scripsit insigne opus de nugis curialium & philosophorum, quod Polycraticon prænotavit, lib. VIII. De pœnitentia opus confessionale lib. I. Vitam & passionem sancti Thomæ jam dicti Archiepiscopi lib. I. Epistolarum ad diversos lib. I. Ad Richardum Regem Angliæ de veneratione Sanctorum lib. I. Alia quoque multa composuit, quæ ad nostræ lectionis notitiam non venerunt.

Petrus Blesensis Gall. Doctor.

Petrus etiam Blesensis Archidiaconus Ecclesiæ Bathenensis in Gallia his temporibus claruit memorati Carnotensis Episcopi familiaris amicus, ad quem multas conscripsit epistolas; cùm esset in omni genere doctrinæ doctissimus, multa lucubravit opuscula, quibus memoriam sui posteris commendavit. Equibus nos legimus subjecta. De amicitia Christiana lib. I. De pœnitentia salutari lib. I. De accelerando passagio ad terram Sanctam lib. I. De qualitate pœnitentiæ lib. I. De studio sapientiæ lib. I. Contra quendam depravatorem lib. I. De periculo Prædatorum lib. I. Exhortatoriam ad quendam Abbatem lib. I. De officio Episcopi lib. I. De vita Clericorum Curialium lib. I. De præstigijs fortunæ lib. 2. Epistolarum CLXXXIIII. librum. I. De cæteris nihil vidi.

MCLXXX.

S. Hildegardis moritur.

Anno Conradi Abbatis IV. Indictione Romanorum XIII. in die S. Lamperti, hoc est, XV. Kalend. Octobris moritur sanctissima Christi famula beata Hildegardis Præposita & Magistra Sanctimonialium in monte Divi Ruperti prope oppidum Bingen, quod in descensu Rheni fluminis quatuor distat à Moguntia milliaribus, anno ætatis suæ octogesimo secundo: cujus corpus in eadem Ecclesia, quam ipsa dudum à fundamentis construxerat, ante majus altare fuit cum reverentia populi magna sepultum. Cujus vitam miraculis & virtutibus plenam Theodoricus quidam Abbas nostri Ordinis in quatuor libris descripsit: de quo inferius loco suo & tempore dicemus.

Patriarcha de Hierusalem venit ad Papam.

Anno prænotato Patriarcha Hierosolymitanus, & magni hospitalis Theutonicorum Ordinis Minister, captâ jam prius Hierusalem ab infidelibus Saracenis, rebus consulturi transmarinis Romam venerunt ad Papam Alexandrum III. postulantes consilium pariter & auxilium propter a quòd Pagani & sanctam obtiniussent civitatem & multas in circuitu mansiones, quibus nisi citò fieret resistentia, brevi Christianos omnes de terra sancta exterminaturi essent, quos Pontifex apud Veronam audiens de causis fidei perorantes consilio habito ad Philippum Regem Gallorum direxit, scribens multis in Europa Regibus atque Principibus ut negotio subveniant.

MCLXXXI.

MCLXXXI.

Anno Conradi Abbatis V. Fridericus Imperator I. convocatis Regni Principibus, Episcopis, Abbatibus, Civitatibus, Marchionibus atque Comitibus multis, curiam apud Moguntiam solemnem celebravit, ubi plura pro pace reipublicæ Regni constituit. In eo conventu Principum Guelfo Bavariæ Monasterio nostri Ordinis quod Wingarten appellatur, Constantiensis Diœcesis, quod progenitores sui fundaverant, Imperatore consentiente tradidit duas curtes, Berg & Wilar, cum omnibus attinentijs suis in perpetuam possessionem pro salute & remedio animarum omnium parentum suorum.

Baldemar⁹ fit Abbas in Spanheim.

Eodem anno secundâ die mensis Julij mortuus est Adelgerus III. Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis, & in choro Fratrum ante gradus Presbyterij sepultus, cui Baldemarus ex oppido Stauronensio natus vicino in Abbatia succedens præfuit annis XVII. mensibus undecim, diebus XVII. Vir bonus & regularis disciplinæ amator, qui recluforium sanctimonialium ampliavit.

Lucius fit Papa ejus nominis tertius.

Anno prænotato Alexander Papa III. Romæ moritur, anno Pontificatûs sui primo atque vicesimo, cui Lucius ejus nominis III. succedens præfuit annis quatuor & mensibus duobus. Hic Lucensibus suis unde fuerat oriundus à Friderico Imperatore signandi pecuniam licentiam impetravit. Suis etiam Epistolis multos Principes in subsidium terræ sanctæ provocavit; & plures à Romanis contumelias tulit.

MCLXXXII.

Imperator exercitum ducit in Italiam.

Anno Conradi Abbatis VI. Fridericus Imperator expeditionem fecit in Italiam cum exercitu valido, rogatus per Lucium Papam contra Romanorum insolentiam, qui Pontificem cum multis injurijs fugere ex urbe compulerant, propterea quòd Consulum nomen & dignitatem concedere nollet postulantibus. Quo fugato & apud Veronam existente Romani fautoribus Papæ quotquot invenire poterant, occulos eruerunt. Unde Pontifex Veronæ Præsulum celebrato Concilio, Romanos Anathematis vinculo innodavit. Imperator autem Papam in Lombardia conveniens, rebúsque ibidem pro tempore dispositis in Germaniam revertitur.

MCLXXXIII.

Christian⁹ Archiepisc. Moguntin⁹ obijt.

Anno Conradi Abbatis VII. Christianus Archiepiscopus Moguntinus obijt, post cujus mortem Conradus (quem Imperator Fridericus de Pontificatu Moguntino dudum expulerat, propterea quód schismaticis consentire nollet, quemadmodùm anno Ruperti Abbatis II. diximus) & ab Alexandro Papa III. Sabinensis Episcopus fuerat constitutus, permissione ipsius Cæsaris ad Sedem suam Moguntinam revocatus est, & præfuit ibidem añis adhuc deinceps XVII. qui titulum suum in literis talem præposuit: Conradus Dei gratiæ Sabinensis Episcopus, & S. Sedis Moguntinæ Archiepiscopus. Retinuit autem hunc titulum cum Sabinensi Pontificatu quamdiu vixit in humanis. Erat sanè vir magnanimus & Romanæ Ecclesiæ semper fidelis, pro cujus defensione multa sustinuit adversa toto tempore, quo schismatis pernicioſa tempestas contra Papam Alexandrum duravit.

Couradus revocat ur.

Conradus Archiepisc. Moguntinorum.

His temporibus duo Canonici Ecclesiæ Collegiatæ in Oppido Aschaffen-

schaffenburg Moguntinæ Diœcesis, de cujus fundatione longè supra diximus, anno Sigeri Abbatis XXIII. qui fuit Dom. Nativit. DCCCCLXXIV. devotionis causâ descenderunt ad Coloniam, loca & Ecclesias invisêre Sanctorum. Qui multis precibus obtinuerunt duo capita duarum Christi Martyrum ex collegio undecim millium Virginum, quæ tempore Hunnorum ibidem pro Catholica fide martyrizatæ leguntur, & cum summa devotione ad memoratam Asschaffenburgensem detulerunt Ecclesiam. Quorum adventum cum sanctis reliquijs mox ut Clerus & populus Asschaffenburgensis oppidi recognoverunt, omnes pariter congregati obviam venientibus processerunt laudes Domino in jubilo concinentes: & sancta Sanctarum capita in Ecclesiam supradictam cum reverentia locaverunt, earum se patrocinio submissâ devotione commendantes. Communi deinde voto statuerunt eum diem, quo Capita Sanctarum Ecclesiæ fuerunt illata, inter præcipuas festivitates quot annis venerandum, atque pro honore tantarum hospitum laudes Omnipotenti devotissimas celebrandas. Hujus consuetudo laudabilis instituti per annos aliquot summa cum devotione servata est, & festum singulis annis in honorem memoratarum Christi Martyrum solemne cunctis lætantibus devotissimè celebratum. Verùm charitate multorum tepescente, tandem cœpit in filijs devotio sancta progenitorum paulatim minui atque deficere, in tantum quod festum illud solemne à senioribus institutum, nomen & cultum simplicis duntaxat obtinuit: quoniam prisca fidelium ad Sanctas devotio in junioribns extincta fuit. Rursúmque festum simplex novem lectionum, tribus honorari cœpit: ac deinde magis deficiens hominum tepescente studio, in commemorationem unius tantùm antiphonæ simplicis transivit. Postremò fervore devotionis tam Cleri quàm populi ad sanctas reliquias totaliter extincto, nulla jam memoria earum habebatur, sed omnia in oblivionem hominum transierunt. Annis dehinc haud pluribus elapsis, dies illuxit in oblivionem omnium deducta, quâ reliquiæ dudum advenerant sæpius memoratæ, quarum tunc memoriam nemo curavit. Et ecce dum Clerus in Choro ex more constitutus *Invitatorium* ad Matutinas laudes feriale cantaret, & nulla penitùs, ut olim de sanctis Virginibus memoria haberetur, duæ Virgines supra omnem æstimationem speciosissimæ de retro altare procedentes per medium Chorum canentium transierunt, quarum altera versùs dexterum, altera verò ad sinistrum quasi stantibus valedicens inclinavit caput, & sic ambæ cœpto itinere per Chori januam exeuntes subitò disparverunt. Mirantibus qui aderant cunctis & disquirentibus diu quænam essent Virgines illæ, nec scire nec intelligere potentibus, tandem ex senioribus quidam priscæ consuetudinis festi Sanctarũ Virginum eum esse diem reminiscentes, rei mysterium, cæteris, ut erat, aperiunt: simúlque omnes ad capsulam, in qua sancta servari capita consueverant, accedentes referant, & vacuam intuentes recessisse reliquias earum & mirantur & ingemiscunt. Hoc ingratudinis vitium promeruit ut amitteret, quod honore suo spoliavit. Missi fuerunt postea de eodem Collegio duo Canonici ad Coloniam causâ subtiliter inquirendi, si aliquod possent reperire indicium de reversione duorum capitum. Et factâ inquisitione à Custode reliquiarum in Ecclesia S. Ursulæ audiverunt duo capita super

Miraculum Sanctorum in Ecclesia factum Asschaffenburgensi.

Festum Sanctarum Virginum institutur.

Sancti in oblivionẽ hominum devenerunt.

Capita Virginum redeunt Coloniam.

altare majus fuisse inventa eâ nocte, quâ duæ Virgines per medium Chorum Asschaffenburgensem, sicut diximus, videbantur egressæ. Cúmque duo illi missi Canonici rem gestam dixissent Custodi, & illa retulisset Abbatissæ, tota congregatio Sanctimonialium jubetur ad esse audire mirabilia Domini. Instabant Canonici multis precibus, ut eis eadem redderentur capita, promittentes illis debitum numquam defuturum honorem: sed non impetrârunt.

MCLXXXIV.

Imperator Curiam magnam habet in Constantia

Anno Conradi Abbatis VIII. Indict: Roman: secundâ, promulgata fuit pax Constantiæ nuncupata, quam Imperator Fridericus anno proximè præcedente in magna convocatione Principum Regni constituerat in civitate Constantiensi, unde & nomen accepit, per totum Imperium, quod nostris temporibus ignoratur à multis, servatur à paucis, quanquam nemo sit qui dignetur, & possit malis, quæ hodie fiunt in Regno contra pacem occurrere. Eam pacis constitutionem Baldus Doctor utriusque Juris insignis excellenti quondam commentario clariorem fecit. Initium verò hujusmodi constitutionis de pace Constantiæ tale est: *Imperialis Clementiæ servitus, &c.* In qua nomina etiam ponuntur civitatum, quæ pacem constitutam sub juramenti confirmatione susceperunt: cujus forma sequitur:

Juramentum Pacis Constantiæ.

In nomine Domini juro ego. N. quod à modò ero fidelis Domino Friderico Imperatori, & ejus filio Regi Henrico. Non ero in consilio vel facto, quod ipsi vitam perdant aut membrum seu coronam Imperij sui vel Regni, aut capiantur. Et si scivero aliquem fecisse, aut facere volentem per me vel per alium Domino Imperatori vel Regi, vel nuntio ejus sine fraude manifestabo & eum adjuvabo. Insuper pacem Domini Friderici Imperatoris & filij ejus Regis Henrici, & suæ partis, factam cum societate Lombardiæ, sicut scriptum est: & inde sine fraude infra quindecim dies postea jurata bono intellectu & sigillo Domini Imperatoris sigillata observabo bonâ fide & sine fraude. Et hoc jurare faciam omnes masculos mecum habitantes à sedecim annis & supra usque ad septuagesimum ætatis, infra XV. dies postquam juratum habuero exceptum. Et qui per me jurare noluerint infra tertium diem Imperatori vel Regi, vel suis per breve manifestabo. Sic me, &c.

Omnes cõpelluntur ad pacem.

In hanc pacem Constantiæ omnes totius Imperij Romani Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Nobiles, Communitates, Cives, Castellani, Oppidani, Rustici & Villani jurare sunt compulsi coram deputatis ab Imperatore ipsique juratis. Si verò quispiam hanc pacem jurare contempsisset, vel juratam violâsset, erant constituti executores justitiæ, qui statim armatis aut bellum, aut capitis vindictam in rebelles omnes exercerent. Quâ quidem occasione multæ latronum munitiones fuerunt destructæ.

MCLXXXV.

Egbertus Abbas in Schonawe obijt.

Anno Conradi Abbatis IX. die mensis Martij octavâ atque vicesimâ obijt Egbertus Schonaugiensis Monasterij nostri Ordinis secundus Abbas in Diœcesi Trevirensi, vir doctus & vitæ merito valde reverendus, qui plura scripsit non parvæ authoritatis opuscula, de quibus dictum est anno Manegoldi Abbatis VI. & de institutione ejus ad Abbatiam anno Ruperti secundo. Cujus corpus in Ecclesia S. Florini, cui præfuerat, est sepultum.

Eodem

Eodem anno Godfridus de Piſtenberg Epiſcopus Herbipolenſis, de quo diximus anno Conradi Abbatis II. Chriſti amore compunctus cum alijs multis in auxilium Chriſtianorum ad terram Sanctam profectus eſt; & pro fide Catholica ut verus Dei famulus atque fidelis in mortem ſemetipſum dare non dubitavit. Exercitus namque fidelium eo tempore in Syria Chriſto militans valde fuerat imminutus, & Saraceni multa Chriſtianis damna intulerant. Unde Rom: Pontifex Lucius ejus nominis tertius Veronæ conſiſtens ſuis literis & nuntijs totam Eccleſiam contra infideles excitabat.

Epiſcopus Herbipol. Jeruſalem proficiſcitur.

Anno prænotato Fridericus Imperator Conventum quorundam Principum in Auguſta civitate Vindelicorum habuit; ubi inter multa Regni negotia Henrico filio ſuo Regi Conſtantiam Regis Siciliæ filiam, in uxorem deſponſavit, cum qua totum Regnum Apuliæ poſtea obtinuit: fugatis vel extinctis omnibus qui illud occupabant. Hoc ipſo quoque anno Rex Henricus pro certis Regni negotijs venit in Erfurdiam Thuringiæ oppidum non ultimum, Comitibus Baronibus & Nobilibus multis ex more ſtipatus: ubi quodam die cum ſtaret inter plures ſuper trabes cujuſdam cloacæ, ſubitò ædificium illud corruit, & omnes in cloacam ceciderunt, è quibus octo lutulentiâ ſtercorum ſuffocati & mortui perierunt. Ipſe verò Henricus Rex cum reliquis vix mortis periculum evaſit.

Henrico Regi Uxor deſponſatur.

Henricus Rex cùm alijs cecidit in cloacam.

Anno etiam prænotato Lucius Papa III. dum pro mittendo Chriſtianis auxilio in Syriam eſſet ſolicitus, Veronæ moritur, & ibidem cum honore ſepelitur. Cui Urbanus Papa III. ſuccedens præfuit anno uno, & menſibus ferme undecim. Qui Principes Chriſtianitatis magno enixu conatus eſt revocare ad pacis concordiam, & exercitum ordinare in terram Sanctam contra ſpurciſſimos Saracenos. Cujus reigratiâ primo Pontificatûs ſui anno Venetias venit ad præparandas naves pro his, qui eſſent ituri. Sed auditâ Hieroſolymorum captivitate ac Chriſtianorum miſeriâ ex dolore animi apud Ferrariam in itinere deficiens mortuus eſt.

Urban⁹ fit Papa III.

MCLXXXVI.

Anno Conradi Abbatis X. Februarij die ſextâ obijt Godfridus ex Comite Palatino hujus Cœnobij Hirſaugiani Monachus. Vir quondam in ſæculo potens & ſtrenuus in Religione monaſtica humilis & devotus: nunc autem quod minimè dubitamus in cœleſti patria glorioſus. Ex illo enim tempore quo ſemel Monachum profeſſus eſt, ſemper ad Regulæ puritatem ambulavit, tantæque humilitatis & charitatis in Deum & in fratres exitit, quod ejus ſancta converſatio intuentibus cunctis perfectionis exemplum dedit.

Godfridus ex Comite Monachus Hirſaugienſis moritur.

Anno præſcripto hyems temperatiſſima fuit, & adeò calida, quod in Januario & Februario in pleriſque locis arbores floruerunt, ſed & corvi cæteræque aviculæ ipſis his menſibus fœtus ſuos procreârunt. Eodem quoque anno Henricus Rex Caſtrum Briſach conſtruere cœpit.

Hyems temperatiſſima.

Anno præſcripto Godfridus de Piſtenberg Epiſcopus Herbipolenſis vir morum integritate venerandus, quem anno præcedente cum alijs multis in auxilium Chriſtianorum ad terram Sanctam profectum diximus, apud Antiochiam moritur, & in Patriarchali Baſilica S. Petri Apoſtolorum Principis cum honore debito ſepelitur. Pro cujus memoria lapis nomine ejus inſcriptus, etiam Herbipoli ponitur. Cui ſucceſſit in

Godfridus Epiſcopus Herbipol. moritur.

Pontificatu Wirzburgensi Henricus ejus nominis III. & præfuit annis xv. vir & ipse in Christo devotus.

Henricus fit Episcop. Herbipol.

Anno etiam prænotato XXVII. die mensis Januarij Henricus Rex Francorum Orientalium sextus, filius Friderici Imperatoris primi, cum desponsata sibi priori anno Constantia Rogerij Siciliæ Regis filia, nuptias Mediolani solemniter celebravit, anno ætatis suæ XXI. Regni autem XIV. quem pater toti Lombardiæ præfecit.

MCLXXXVII.

Christianorum. 30000. occisa sunt in Syria.

Anno Conradi Abbatis XI. Saladinus Saracenorum Rex cum Tyberiadem urbem obsidione vallare cogitaret, intelligerétque Christianos cum magna multitudine armatorum in arido quodam loco fixisse tentoria, nocte super eos siti laborantes irruit, & cædem in eos grandem perpetravit; nam triginta Christianorum millia miserabiliter occidit, & reliquos in fugam convertit, vel captivavit. Eodem anno in mense Martio magna aëris inclementia fuit, & algoris horrenda asperitas, quæ usque ad Calendas ferme Junij duravit. Ita quod in sancto Pentecoste nix magna cecidit: quod illo anno ad Maij mensis medium occurrit, unde vineta frigore perierunt.

Hyems asperrima.

Hirusalem capitur ab infidelibus.

Anno etiam prænotato Saladinus supra jam dictus Saracenorum Princeps per Christianorum discordias vires adeptus, post maximam nostrorum, ut dictum est, stragem Hierosolymam tandem cæpit, quam urbem Christiani à temporibus Godfridi Regis de Bulion per annos possederant LXXXVIII. non absque sanguine multorum. Saladinus autem victor civitatem ingressus campanas primùm ex turribus dejecit, dehinc Basilicas omnes, præter templum Salomonis profanavit, quod priusquam ingrederetur aquâ lavari præcepit. Eodem anno Urbanus Papa III. audiens stragem Christianorum, quam Saladinus in Syria fecerat simul Hierosolymam ab eo captam, animi dolore tactus apud Ferrariam obijt, ibique sepultus fuit. Post quem Gregorius VIII. succedens communi Patrum electione præfuit mensibus duntaxat duobus, vir optimus, qui mox ut creatus Pontifex extitit pro Hierosolymæ recuperatione cogitare cœpit. Mortuo itáque Gregorio Pontifice optimo, & in Civitate Pisana non sine magno luctu sepulto, Clemens Papa III. concordi Patrum electione successit, & præfuit annis duobus, diebus sexdecim, qui & ipse statim ut creatus est de classe in Saracenos mittenda laboravit.

Urbanus Papa obijt.

Gregorius successit.

Clemens P. P. III.

MCLXXXVIII.

Anno Conradi Abbatis XII. Indictione Romanorum sextâ, mensis Martij die vicessimâ mortua est Hildegundis Virgo quædam vitæ mirabilis in Monasterio Schonaugiensi Cistertiensis Ordinis in Diœcesi Wormatiensi haud procul ab Heidelberg quæ cum patre suo ex Colonia sub virili habitu profecta Hierosolymam, & illo ibidem mortuo ad Spiram reversa, in forma Scholaris operam literis dedit, & præ inopia panem cum pauperibus mendicavit. Inde veniens ad Schonaugiam inter novitios suscepta: ignorantibus cunctis quod esset fœmina, & pro susceptione Ordinis probatur. Sexum igitur occultans muliebrem se Josephum nuncupavit, & masculus ab omnibus æstimata fuit. Verum Omnipotens Deus volens & Monachorum prævenire periculum, & inopis fœmellæ durum remunerare laborem, eam in ipso probationis anno

Beata Hildegundis Virgo mirabilis novitia moritur.

de

de medio vocavit: cujus historiam Cæsarius in prima dialogorum distinctione conscripsit.

Eodem anno Fridericus Romnaorum Imperator, Philippus Rex Gallorum, Richardus Rex Anglorum, atque Romanus Pontifex Clemens magnum Christianorum exercitum præmiserunt in terram Sanctam pro recuperatione Regni & urbis Hierosolymitanæ, simul & in eorum subsidium qui ex nostris in tribulatione fuerant positi. In quo exercitu fuerunt Fridericus Dux Suevorum, Otto Dux Burgundiæ, cum multis Archiepiscopis atque Episcopis, Veneti quoque & Pisani cum Januensibus, Frisones etiam Dani & Flandrenses, quorum numerus omnium fertur equitum fuisse octoginta millium, peditum verò centum & quadraginta millium: quos Imperator anno sequenti prosequitur. Anno præscripto Conradus Abbas hujus Monasterij nonus decimus quædam expediturus negotia; ad cellam sancti Gregorij in Richenbach profectus est, ubi rebus navans operam pro quibus venerat, crebris febrium cœpit doloribus urgeri: & lecto decumbens protractâ ægritudine laborabat. Infirmitate autem crescente quotidie, totum se in manus Domini humili devotione resignavit, præmissâque confessione peccatorum suorum ac sumptis more Christiano Sacramentis vivificis, quartâ decimâ die mensis Octobris, anno ætatis suæ LVII. beato fine in Domino quievit. Cujus corpus relatum in Hirsaugiam ad introitum Ecclesiæ coram altari omnium Sanctorum debita cum reverentia Fratrum & honore sepultum fuit. Eodem quoque anno mortuus est Udalricus ejus nominis II. Ecclesiæ Spirensis primus & quadragesimus Episcopus, anno Pontificatûs sui octavo. Huic in Episcopatu fratrum electione successit Otto quidam nomine quietæ conversationis & præfuit annis XI.

Exercitus in Syriam mittitur.

Fridericus Dux Suevorum inclitus.

Conradus Abbas XVIV. moritur.

Otto fit II. piscopus Spirensis XLII.

De Henrico hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XX. qui præfuit annis VIII. mense I. diebus XV. & gestis illius temporis.

COnrado Abbate XIX. in Cœnobio Sancti Gregorij de Richenbach mortuo, sicut diximus, & in Ecclesia Hirsaugiensi sepulto, celebratisque ex ritu Christiano pro ejus salute Missarum & Vigiliarum obsequijs, vacavit interim Abbatia diebus V. Anno igitur Dominicæ Nativitatis præscripto mensis Octobris die XX. convenientes ad locum Capitularem Fratres curâ pastoralis moderaminis destituti; invocatâque gratiâ Spiritûs Sancti Henricum quemdam Seniorem, qui Cantoris gerebat officium in Abbatem hujus Monasterij vicesimum unanimi voto elegerunt, qui deinceps præfuit annis VIII. mense I. diebus verò XV. Qui natus ex Orientali Francia parentes habuit ad præsentis sæculi conditionem honestos; quorum curâ & solicitudine ad studium est positus literarum, cum incremento annorum scientiæ quoque fuit assecutus profectum. Ingenium docile natura illi contulit, quo cum tempore ætatis sumente vires exercitij, paulatim seipso doctior evasit. Nec solùm ad scientiam scripturarum capescendam sollicitum semper impendit studium, sed etiam ad virtutes & bonos mo-

Henricus Abbas hic XX.

Henricus patriâ Francus erat.

res accepit continuum à ſuis præceptoribus documentum. Unde in utroque adhuc puer ſatis proficiens, bonæ converſationis futuræ ſpem dedit. Divinâ poſthac inſpiratione commotus vanitatem inſtabilis vitæ præſentis in animo ſuo frequentiùs cœpit revolvere, & de mortis vicinæ periculo crebriùs cogitare. Cupiens ergo animam ſalvare ſuam, mundum cum ſuis vanitatibus pro Chriſti amore tandem deſeruit, & veniens ad Hirſaugiam ſchema Monaſticum ſuſcepit. Erat enim illis temporibus nomen Hirſaugienſium Fratrum pro Regularis inſtitutionis obſervantia per totum Regnum Teutonicum apud omnes Deum timentes celebre, & glorioſum, quia conſuetudines B. Patris Wilhelmi Abbatis adhuc laudabiliter ſervabantur. Hâc illectus famâ diſciplinæ Henricus Domino cupiens famulari non alibi quàm in Hirſaugiana congregatione voluit profiteri. Factus autem Monachus in medio fratrum ſine querela converſabatur, vitámque ſuam ad mores reformans meliorum, qui ad puritatem Regulæ ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti videbantur ambulare, cæteris brevi totius norma & exemplar virtutis eſſe promeruit. Semper otium fugit, ſciens illud animæ peſtem eſſe pernicioſiſſimam, memor ſcripturæ dicentis: *quoniam in deſiderijs eſt omnis otioſus.* Ad obſequium divini cultûs fuit ſtudioſus atque ſolicitus in laboribus manuum diligens & fervidus: corpore mobilis, mente quietus. Unde cum circa divinum officium non ſolum eſſet diligens & ſolicitus: verùm etiam quâdam naturali diſpoſitione aptus & idoneus: quippe qui muſicus erat ante peritus ac ſonóritate vocis bonæ adornatus: Cantor in Choro principalis conſtitutus eſt. Quod quidem concinatoris officium per aliquot annos non minùs alacriter quàm ſtudiosè adimplevit, ac ſine reprehenſione continuavit. Bonis etiam ſtudijs à pueritia plenè imbutus & probè ſatis in muſica doctus, Cantoris miniſterium optimè perficere potuit. Laboribus quoque manuum non ſegniter fuit pro temporum ratione intentus, ſciens legiſlatorem noſtrum S. Benedictum præmoniſſe in Regula: quoniam Clauſtrales tunc veri ſunt Monachi, cum de laboribus manuum ſuarum vivunt: propter quod ſtudiosè laborans pro Fratrum utilitate communi, hortulos, arboréſque & olera coluit & vineas de novo ſimiliter plantavit. Suâ quoque induſtriâ & ſtudio ſingula Eccleſiæ altaria lampadibus cum oleo illuminans decoravit. Enim verò quidquid ad honorem Dei potuit conducere, quidquid domum ejus videlicet Eccleſiam valuit per amplius & decentius exornare, & quidquid ad communem utilitatem fratrum novit poſſe proficere: hoc totis ſemper viribus & ſummo ſtudio curavit promovere. Cúmque in omni virtute Religionis Monaſticæ de die in diem proficeret, omnibus charus atque dilectus fratribus, cœpit ſe paulatim fama ſanctæ converſationis ejus longè latéque diffundere, & cum laude nominis ampliare. In diebus illis mortuus eſt Abbas Monaſterij ſancti Nicolai in Bruvviler Colonienſis Diœceſis & fratres paſtore viduati Henricum Cantorem hujus Cœnobij, de quo loquimur, in Abbatem ſuum unanimi conſenſu elegerunt. Eſt autem Bruvviler Monaſterium inſigne à Palatino Rheni Comite Hezelino fundatum, ut longè ſuprà diximus anno Chriſtianorum MXIV. & poſtea ex Hirſaugiana congregatione reformatum: atque ob id conjunctio quædam antiqua familiariſque amicitia diutius continuata,

Henricus fit Monach. hic.

Henricus fit Abbas Bruwilenſ.

Hir-

Hirsaugienses notos fecerat Bruvvilerensibus. Ordinatus verò Abbas memorati Cœnobij Henricus omni studio curavit monachos ad observantiam Regularis disciplinæ reducere, & cuncta eorum vitia secundùm Regulæ districtionem emendare. Sed cum sit nimium difficile in mente veteri nova cogitare, quantum voluit vir bonus proficere cum eis non potuit, propterea quod laxioribus assueti, consuetudo, quam introduxit primæva corruptio morum, in quandam similitudinem videbatur commutata naturæ. Proinde cum essent aliquantulum animis indurati cœperunt odisse corripientem, & cujus mores imitari debuerant, ejus doctrinam quamvis necessariam despiciebant. Cúmque suis improbis moribus animum ejus cruciarent quotidie, nollèntque ad salutaria sequi monentem: decrevit tandem vir Domini Abbatiam deserere, in qua se videbat inutiliter & sine fructu boni operis eatenus laborâsse. Maluit enim in humilitate suam operari salutem, quàm in dignitate pastoralis curæ vitam sine utilitate agere inquietam. Maturâ itaque deliberatione præhabitâ onus curæ pastoralis spontaneâ voluntate deposuit, & ad Hirsaugiam reversus est unde venit. Rediens cum charitate Fratrum magna recipitur, & in priorem locum suum restitutus, denuo cantor chori principalis ordinatur. Qui prioris vitæ humilitatem & mansuetudinem semper custodiens, quotidie in melius proficere studuit: & dilectus pro vitæ merito à cunctis fratribus fuit. Unde post mortem Conradi Abbatis communi voto omnium in Pastorem hujus Monasterij Hirsaugiensis eligitur, & cum singulari benevolentia honoris veneratur. Qui ordinatus ex more Abbas præfuit annis octo, mense uno & quindecim diebus, vir bonus, mitis, & nihilominus regulari districtione metuendus: licèt cum tempore feruor disciplinæ paulatim defecerit. In principio námque promotionis suæ per aliquot annos satis modestè & regulariter vitam & suam & subditorum suorum instituit, atque in utroque statu pastorem se exhibere utilem curavit. Sed prô dolor: nihil est stabile in humanis, & nimium facilis ad inferiora descensus. Cœpit homo cum tempore solicitis rerum sæcularium curis animo depressus, rigorem mentis remittere, & monastici fervorem propositi nimium relaxare. Unde annis tandem octo in Abbatia exactis ad memoriam reduxit vitæ peractæ negligentias, metuénsque divinæ ultionis vindictam, & per pœnitentiæ remedium cupiens invenire misericordiam, Abbatialis dignitatis officium, ut suo loco dicemus, resignavit. Fuit autem homo quantum ad corporis dispositionem pertinet, mediocris staturæ, corpore tenuis, viribus gracilis & non multùm fortis, raros habens in corpore pilos, incessu gravis, sermone aliquantulum diffusus. In conversatione sua multùm fuit humanus; & singulari quâdam inclinatione morum cunctis socialis simul & affabilis; qui & citò movebatur ad iram, & citò placabatur. Ejus tempore observantia regularis disciplinæ haud parum in Hirsaugiana Congregatione tepuit, & paulatim in deterius profecit. Nec solùm apud Hirsaugienses Monasticæ puritatis fervor his diebus deficere cœpit, sed in toto quóque Ordine jacebat extinctus.

Henricus corrigit delinquentes.

Henricus Abbatiam resignat.

Henricus fit Abbas in Hirsaw.

Fervidè cæpit, sed tepidè finivit.

Henrici Abbatis dispositio corporis.

MCLXXXIX.

Anno Henrici Abbatis I. Fridericus Imperator I. magno stipatus exercitu, per Ungariam & Græciam in auxilium Christianorum

Fridericus Imperator Jerusalem proficiscitur.

rum ad terram Sanctam profectus est; habens in comitatu suo istos Principes: Henricum Ducem Saxoniæ, Fridericum Ducem Sueviæ, Bertholdum Marchionem Moraviæ, Hermannum Marchionem de Baden, Fridericum de Berg item Baronem, Conradum de Dornch Baronem, Henricum Episcopum Würzburgensem Orientalis Franciæ Ducem. Item Episcopum Tharentasiensem, Episcopum Monasterienſem, Episcopum Patavienſem, Episcopum Osnaburgenſem, Episcopum Misnensem, cum multis alijs Episcopis, Principibus, Comitibus atque Nobilibus. Hi omnes cateruatim progredientes cum perveniſſent in Ciliciam circa Philomenam urbem atque Iconij agrum in campis patentibus, ducenta millia Saracenorum occiderunt in bello, urbem etiam prædictam Philomenam cæperunt occisis habitatoribus cunctis, & agros Iconij depopulati sunt, Christo præstante auxilium.

Ducenta millia Saracenorum occisa.

Anno item prænotato cum Fridericus Imperator multos in Armenia minore Civitates, munitiones, Villas & Castella obtinuisset, & Syriam totam pene teneret in sua ditione pacatam, multáque Saracenorum millia interemisset, reversus est in Ciliciam. Ubi dum otio vacaret, die quâdam recreationis animi causâ venaturus in campum egreditur, & nimio æstuans calore solis lavandi gratiâ ad quendam fluvium rapidum sibique inexploratum descendit, ubi aquarum impetu raptus & submersus interijt anno Regni sui XXXVII.

Fridericus Imperator primus moritur.

Quo mortuo, Henricus Rex dudum creatus filius ejus Monarchiam Imperij solus tenuit annis X. qui cum patre annis ferè XXII. regnaverat. Uxorem habuit Constantiam Rogerij Siciliæ Regis filiam, ut supra diximus anno Conradi Abbatis X. Hæc autem Constantia Monialis fuit Ordinis nostri, & unica memorati Regis filia: cum qua per dispensationem Romani Pontificis Regnum Apuliæ simul & Siciliæ obtinuit: quæ etsi annorum esset quinquaginta, uxor tamen facta etiam mater evasit, peperítque filium nomine Fridericum, qui post Ottonem IV. Imperium obtinuit.

Henricus Rex Monarcha fit.

Claruit his temporibus Guntherus Ligurinus inter Curiales Friderici Imperatoris I. non ultimus, vir in omni genere scientiarum doctissimus, metro exercitatus & prosâ: qui scripsit inter cæteras ingenij sui lucubrationes opus pulchrum & arduum heroico carmine de vita, moribus, gestis & bellis ipsius Friderici Imperatoris I. Item ad Conradum Ducem Suevorum Rhenique Comitem Palatinum fratrem Imperatoris Friderici scripsit opus *Solimarium* prænotatum. Alia denique plura scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras minimè pervenerunt.

Guntherus Ligurinus Pœta.

MCXC.

Anno Henrici Abbatis II. Indictione Romanorum octavâ, Rex Henricus defuncti, & apud Tyrum sepulti Imperatoris Friderici filius Italiam cum multis Nobilibus ingreditur & Romam profectus à Clemente summo Pontifice, civibúsque cunctis cum magna reverentia & honore susciputur. Qui Pontifex assensu omnium tam ipsum Regem Henricum quàm ejus uxorem Constantiam imperiali benedictione simul & coronâ solemni ministerio decoravit.

Henricus fit Imperator sextus.

Eodem anno Comitissa de Spanheim nomine Ida, marito suo Comite Eberhardo vitâ defuncto, cum esset mulier Christo devotissima, eleemo-

Sancta Ida ex Comite Monialis.

eleemosynis & sanctis operibus à puerilibus annis semper intenta considerans instabilem hujus vitæ brevitatem jam à lege viri soluta, omnem hujus mundi vanitatem pro DEI amore deseruit, & ingressa Monasterium Divi Ruperti apud Bingios sanctæ conversationis habitum accepit. Quæ vivens deinde in magno rigore, mentis orationibus, jejunijs, vigilijs & lectionibus divinarum Scripturarum penè semper intenta: cæteris exemplar totius Sanctitatis & virtutis evasit.

S. Margaretha Monialis.

Claruit in eodem Cœnobio tunc temporis Margaretha soror ejus, virgo sanctissima, quæ sub Divæ Hildegardis magisterio diu Priorissæ gessit officium erátque in omni puritate mentis Deo castissimè conjuncta per desiderium amoris, & multis coruscavit miraculis: ob cujus dilectionem & mutuam charitatem memorata Comitissa intravit idem Cœnobium, secum inferens illi pro sustentatione monialium non parvam hujus mundi substantiam. Ambæ istæ Domino dilectæ sorores filiæ fuerunt Theodorici Comitis de Hohenfels, ambæ Christo fideliter in summa vitæ sanctimonia servierunt úsque ad mortem, ambæ tàm in vita quàm post obitum miraculis claruerunt. Quarum Ida senior ætate plena bonis operibus tandem ab hac luce transivit VI. Calendas Martij, Margaretha verò junior IV. Calendas Novembris in Domino quievit: cujus Sacrum Caput in Monasterio quondam meo Spanheimensi continetur, quod ego precibus multis olim à Guda Magistra obtinui.

Comitis filiæ de Hohenfels.

MCXCI.

Anno Henrici Abbatis tertio in Vigilia Festi Nativitatis Sancti Joannis Bapistæ magna fuit obscuratio solis, quam Ecclypsin Græci appellant: & secuta est fames ingens in omni terra.

Eodem anno cum Imperator Henricus ejus nominis VI. pro disponendis Regni Apuliæ rebus moram faceret in Italia, Philippus Coloniensium Archiepiscopus ibidem una constitutus infirmari cœpit; qui morbo tandem ingravescente ad Dominum migravit. Postquem Bruno III. majoris Ecclesiæ præpositus succedens præfuit annis tribus: vir bonus & Deum timens, pro cujus amore tandem Archiepiscopatu resignato Monachus Cistertiensis Ordinis factus est, ut suo inferiùs loco dicemus.

Bruno fit Archiepisc. Colonienſ.

Anno prænotato Fridericus Dux Suevorum in terrâ Sanctâ moritur, & in Civitate Acon ibidem sepelitur. Mortuus autem fuit in obsidione memoratæ urbis Acon: quam Christiani mox postea potenter obtinentes ejus cadaver in eadem Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderunt. Porrò Ducatum Sueviæ frater ejus accepit nomine Conradus, Henrico Imperatore consentiente, cujus & consanguineus erat.

Fridericus Dux Suevorum.

Qui Conradus homo fuit naturæ ferocis & agrestis, sed juxta magnificentiam Ducalem animo constans simul & liberalis, qui multa in vita sua peregit notatu digna,

Anno etiam prænotato in mense Majo Bertholdus Dux junior de Zeringen Princeps magnificus & potens oppidum Bernense à fundamentis novum construxit contra insolentiam quorundam nobilium in territorio, quod Vulgari vocabulo Nochtland nuncupamus: cujus cum perfecisset ædificium muris fossatis & turribus munitum annis septem & viginti tàm illi quàm suo Ducatui præfuit: & multa satis utiliter gessit. Annis viginti septem exactis memoratum oppidum Romano Imperio

Oppidum Berna conſtruitur novum.

tradidit: & non diu poſtea in Domino quievit. Eodem anno Philippus Rex Gallorum & Richardus Rex Anglorum conjunctis in unum exercitibus ſuis multa in Syria contra Saladinum bella proſperè geſſerunt, unde Chriſtianis eorum præſentia in gaudium facta eſt, Saracenis verò in luctum. Quod cognoſcens omnis boni adverſarius diabolus invidit, & pernicioſam inter eos diſcordiam ſuſcitavit. Quâ nimiùm creſcente Rex Philippus cum ſuorum exercitu in Galliam reverſus eſt: Richardus verò incœptum contra impios bellum hoc ipſo quidem anno ſtrenuè proſequitur: qui & ipſe anno ſequenti non ſine luctu Chriſtianorum in Angliam reverſus eſt cum difficultate & periculo maximo, ut ibi dicemus. Anno etiam præſcripto Clemens Papa III. moritur, & in Lateranenſi Baſilica ſepelitur. Poſt quem Cæleſtinus Papa III. ſuccedens præfuit annis VI. menſibus VII. diebus XI. vir optimus, & ad regimen Univerſalis Eccleſiæ ſatis idoneus. Sunt qui ſcribant Henricum Regem VI. ab iſto Pontifice imperiali Coronâ coronatum, & non à Clemente, quemadmodum paulò ante jam commemoravimus.

Diſſenſio inter Gallos & Anglos.

Cæleſtinus fit Papa III.

MCXCII.

Anno Henrici Abbatis IV. gravis inter ipſum & Conventum fuit exorta diſſenſio, quæ multorum animos non mediocriter perturbavit. Cujus turbationis cauſa fuit quorundam inſolentia famulorum ipſius Abbatis qui nimiâ importunitate, nè dicam improbitate pacem Fratrum crebriùs perturbabant; cúmque Prior & Seniores Abbatem ſæpius fuiſſent cum debita reverentia, & humilitate obnixius deprecati, quatenus pravos & inquietos familiares ſuos, aut de Monaſterio expelleret, aut certè in meliùs reducendo coërceret, & nullus emendationis ſequeretur effectus, indignati poſtremò graviter ferre omnes ejus negligentiam cœperunt. Unde factum eſt, ut die quodam nonnulli ex junioribus Monachi ſimul & Converſi ferociores animis effecti, ſuffragium ſecularium amicorum implorantes quoſdam de Abbatis familia extra Monaſterium violenter & cum injuria ejecerunt. In quo tumultu unus famulorum Albertus nomine, gravi accepto vulnere, poſt dies octo obijt, hinc major facta eſt inter Paſtorem & oves turbatio, non ſine periculo animarum, quoúſque tandem Otto Spirenſis Epiſcopus vices ſuas interpoſuit, eóſque amicorum conſilio ad pacem, & concordiam revocavit.

Diſſenſio inter Abbatem & Conventũ.

Albertus famulus Abbatis occiditur.

His temporibus Ordo Fratrum B. Mariæ Teutonicorum in terra Sancta per quoſdam Cives Bremenſes, & Lubicenſes ſumpſit exordium, qui cum Adolpho Comite de Holſtein ſub Friderico Imperatore I. ut dictum eſt, in exercitu, per Ungariam & Græciam in Syriam fuerant profecti. Hi cum viderent plures in exercitu Chriſtianorum infirmos pauperes præ inopia fame & ſiti perire, miſericordiâ moti ſunt, & ſe juramento ſimul pro Chriſti amore conſtrinxerunt votivaliter obligantes quod pauperibus deinceps pro viribus perpetuò ſervirent. Et primò quidem hujus ſancti propoſiti votum exequentes infirmos & pauperes peregrinos in curam ſuſcipientes, prout poterant, ſub papilionibus miniſtrando eis neceſſaria ponebant: poſtea parvam Eccleſiam in Accaron conſtruentes eam in honorem Beatæ Mariæ ſemper Virginis dedicârunt: à qua Fratres Beatæ Mariæ Virginis Teutonici originaliter ſunt nuncupati. Nam juxta eandem Eccleſiam domos pro infirmis neceſſarias in modum Hoſpitalis

Ordinis Teutonici initium ejúſque officium.

ſpitalis ædificârunt : in quibus magnam multitudinem ægrotantium pauperum diætim ſuſcipiebant. Quorum devotionem & ſanctum in pauperes Chriſti miniſterium nobiles cernentes & divites multa eis beneficia eleemoſynarum in ſuſtentationem ægrotantium contulerunt, & quotquot ſe morituros quâlibet occaſione cernebant, res ſuas vel omnes vel magnam illarum partem huic ſancto miniſterio legaverunt. Quo factum eſt ut brevi tempore fierent divites: & tam numero ſervientium infirmis perſonarum plures, quàm rerum temporalium ſubſidio locupletes. Unde plures in diverſis Syriæ locis ejuſdem ſancti miniſterij ſive Ordinis domus & Congregationes brevi tempore in relevamen & ſuſtentationem infirmantium pauperum conſtructæ ſunt. Elapſis poſt hæc annis plurimis terra Sancta peccatis hominum id promerentibus rurſus totaliter in poteſtatem infidelium Saracenorum devenit, & multis Chriſtianorum millibus interfectis reliqui omnes fugerunt. Inter quos Magiſter Ordinis Teutonicorum cum Fratribus ſuis in Germaniam, unde venerant, reverſi ſunt: & Ordinis ſui domus in diverſis locis authoritate Apoſtolicâ ſuffulti conſtruere incipientes, brevi tempore numero & rebus valde profecerunt.

Quomodo venit in Germaniã.

In diebus illis Sarmatæ Gentes ferociſſimæ cum ingenti multitudine fines ſuos egreſſæ cædibus & rapinis primò Græciæ provincias invaſêre: mox inde per Pannoniam deprædantes: poſtremò in Germanos imbrium procella feruntur & multis & maximis cladibus Saxonum & Polonorum cum adiacentibus provincijs affecerunt. Contra quorum incurſus Fratres Ordinis memorati Teutonicorum milites viri armis & zelo Religionis Chriſtianæ potentes pugnaturi fortiter occurrebant: qui ſicut diximus, illis temporibus ex Syria pulſi noviter advenerant. Unde ut illorum inſultibus faciliùs poſſent reſiſtere, Pruſſiam provinciam, quæ ſita eſt ad Aquilonem media inter fines Chriſtianorum átque Gentilium prædictorum in perpetuam poſſeſſionem ab Imperio ſuſceperunt. His quóque temporibus Ordo Sanctæ Trinitatis nuncupatus de redemptione captivorum exordium ſumpſit, cujus potiora Monaſteria habentur in Regno Gallorum: qui omnes ſub unius Generalis Miniſtri obedientia Chriſto militant. Hujus Ordinis officium eſt pro Chriſtianorum redemptione, qui apud infideles detinebantur captivi ſubſtantiam ſuam hilariter impendere: eiſque miniſtrare.

Ordo Sanctæ Trinitatis initiũ ſumpſit.

Anno prænotato Archiepiſcopus Colonienſis Bruno & quidam alij Principes Imperij contra Henricum Regem ſe contumaciter erigunt: & propterea quòd ſine eorum conſenſu Imperium ſibi uſurpâſſet, ei obedire contemnunt. Hujus occaſione rebellionis Epiſcopus Leodienſis à facie Henrici Regis fugiens, dum in quadam munitione lateret ab Henrici complicibus dolo captus, & occiſus eſt. Cujus interitu perterriti cæteri Principes ne ſimilia paterentur in concordiam cum Rege redierunt. Anno item præſcripto Richardus Rex Anglorum factis treguis cum Saracenis de terra Sancta cum valido ſuorum exercitu per Græciam & Ungariam in Europam reverſus eſt. Cúmque perveniſſet in Auſtriam Lupoldus Dux injuriarum memor quas ab eo ſuſceperat in terra Sancta, vicem illi modò poſſet reddere ſemper cogitabat. Quod ille præſentiens ac metuens futurum, veſtem mutavit: & in habitu ruſticano, ut non cognoſceretur, in-

Epiſcopus Leodienſis interfici-tur.

Richardus Rex Angliæ de terra Sancta revertitur.

cessit. Qui cum die quodam apud Viennam Austriæ carnem ferventendo sederet: à quodam Lupoldi servo agnitus est. Quod mox huic Domino secretissimè studuit intimare: qui suorum armata multitudine stipatus Villam in qua Richardus latitabat potenter occupat, eúmque captum arctissimæ custodiæ mancipavit. Quod factum multis non absque ratione de Lupoldo displicuit: quod eum Regem vinculis alligaverit crudeliter, qui omnem cum corporis fortuna in Saracenos pro Christi nomine substantiam consumpsisset. Unde Romanus Pontifex factum nefarium audiens Ducem Lupoldum excommunicavit, Imperator autem Henricus Regem sibi præsentari captivum mandavit. Itáque Richardus Rex de carcere squalidus extrahitur, & Imperatori Henrico Curiam Wormatiæ tenenti vinctus præsentatur. Tandem verò pro magna pecuniarum summâ taxatus Rex memoratus liber abire permittitur: cujus pars altera Lupoldo, altera verò Imperatori Henrico contra justitiam assignatur; quod quidem aurum de Calicibus & Clenodijs Ecclesiæ Anglicanæ raptum esse asseritur.

Rex Angliæ in Austria capitur.

MCXCIII.

Anno Henrici Abbatis V. Henricus Cæsar contracto exercitu in Italiam proficiscitur, ingressúsque Capuam Richardum de Sterræ Comitem ditissimum cepit, & in patibulo capite deorsum suspendit: propterea quod Imperatricem in Apulia jam pridem captivaverat. Post hæc Imperator Henricus omnes Apuliæ Campaniæque civitates aut destruxit aut in deditionem accepit: nec aliqua fuit munitio vel civitas tam fortis, quæ impetum ejus sustinuerit, non statim confracta. Totam quippe Apuliam & Campaniam in Provinciam redegit: & suis obedire nutibus compulit, sicut leo concitatus in iram rugiens, & devastans omnia incessit: cujus Imperio nullus omnino resistere potuit. Castra posthæc movit in Siciliam, & brevi tempore totam Insulam cum universis habitatoribus ejus in suam potestatem & uxoris revocavit. Eâ tempestate Constantia Imperatrix gravida filium ante civitatem Panormitanam peperit in tentorijs publicè erectis cernentibus multis, cui Friderici nomen imposuit: qui postea secundus imperavit. Hoc ipso quoque anno in vico Sueviæ, qui Lavvingen dicitur, natus est Albertus postea magnus appellatus, de quo suo tempore dicemus.

Henricus Imperator Italiam ingreditur.

Fridericus Imperator II. nascitur.

Albertus magnus in Suevia nascitur.

Eodem anno solis defectio, quàm Ecclypsin nuncupant Græci, facta est. Item eodem anno Rupertus Prior Monasterij quondam mei de Spanheim vir timens Deum visionem mirabilem vidit de gaudijs Regni cælorum & pœnis inferni: quam cùm minùs consultè revelâsset in publicum, mox paralysi tactus, quasi ad anni spatium integri pœnas dedit.

MCXCIV.

Anno Henrici Abbatis VI. Henricus Imperator Salernum Siciliæ urbem atque Archisolium ærariúmque thesaurorum Regni obsidione vallavit, effractísque tandem regalis horti muris cives animositatem Cæsaris & impetum Teutonicorum militum ferre metuentes sine pugna deditionem offerunt; quibus Imperator consentiens, urbem cum suis ingreditur, & cum summa reverentia exceptus multis in auro & argento muneribus & varijs donis à civibus honoratur. In ærario denique regio thesaurum reperit inæstimabilem, tam in auro quàm in argento

Imperator debellat Siciliam Insulam.

&

& lapidibus pretiosis: quem per fideles suos misit in Germaniam: & in ærario Regni Teutonici, publico quod tunc erat in castello munitissimo Trifels nuncupato in finibus Alsatiæ collocavit. Et sic divitiæ Regnorum Apuliæ, Siciliæ & Calabriæ Germanis sunt traditæ Regibus, & Regna locupletissima in Provinciam redacta sunt.

Archiepisc. Colonienf. fit Monachus.

Eodem anno Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus Bruno ejus nominis III. divino spiritu inflammatus, & soli Deo servire cupiens Pontificatum suum in manus Henrici Imperatoris VI. spontaneâ voluntate resignavit, dispositisque rebus suis mundo valedixit, & ad Cœnobium Cistertienſis Ordinis, quod Mons-antiquus vulgariter zu dem Altenberg/ nuncupatum est, famulaturus Domino profectus est; ibi monasticum suscipiens habitum reliquum vitæ suæ servitio Christi applicuit, & in medio Monachorum usque ad obitum Monachus permansit. Post cujus resignationem frater ejus nomine Adolphus de Altenae majoris Ecclesiæ Canonicus imperiali promotione Archiepiscopus factus est, & præfuit annis ferme duodecim, vir consilio cautus & providus, actione strenuus, & singulari prudentiâ in agendis circumspectus.

Adolphus fit Archiepiscopus Colonienſ.

Anno prænotato Saladinus Rex Saracenorum post longam persecutionem ac nostrorum cædes apud Damascum infirmari cœpit ad mortem. Qui ubi se moriturum conspexit, vexilliferum suum ad se vocavit, cui tradi jussit lineum pannum vilem, in quo debebat sepeliri dicens: *Sicut ferre consueveras vexillum meum in prælio, ita nunc feras hunc pannum super lanceam expansum per totam Damascum ita vociferans: ecce magnus Rex Orientis moritur, & præter hunc pannum nihil secum potest auferre.* Mortuus est ergo & ejus filij inter se Regnum diviserunt. Quapropter Saphadinus Saladini frater graviter ferens nimiùm, quod nullam Regni partem sibi frater assignâsset, ejusdem filios nepotes videlicet suos de Regno expulit, & ipse sibi Regnum usurpans totum, solus deinceps regnavit.

Saladini factum memoriâ dignum.

Saladinus moritur.

MCXCV.

Anno Henrici Abbatis VII. Henricus Imperator VI. totam Siciliam suæ ditioni potenter subjecit, & omnes sibi contradicentes aut fugavit, aut crudeliter interfecit. Rebus igitur pro suo arbitrio dispositis in Germaniámque reversurus Tancredi filium adhuc puerum cum cæteris Apuliæ Siciliæque Nobilibus præmisit captivos. E quibus Tancredi filium apud Rætiam Curiensem cum pervenisset, exoculari fecit, ac deinde perpetuæ custodiæ in castello Amso vulgariter Emps dicto, mancipavit. Cujus pueri sponsam Imperatoris Constantinopolitani filiam fratri suo Philippo matrimonialiter uxorem copulavit. Reginam verò Apuliæ Tancredi, quem interfecerat uxorem nomine Sibyllam ejúsque unicam filiam ad Monasterium sanctæ Othiliæ nostri Ordinis in Homberg Alsatiæ moniales fieri coëgit, quæ tandem inspiratæ divinitus ex necessitate fecêre virtutem, & reliquum vitæ Domino cum bona voluntate immolantes in omni Religionis observantia consummârunt. Vades autem sive obsides, quos Siculi prius Imperatori tradiderant, quoniam promissam fidem non servaverant malè tractavit, ob Siculorum perfidiam. Nam Comitibus duobus lumen oculorum extinxit: Episcopum verò Salernitanum propter Ecclesiastici Ordinis reverentiam non ex-

Henricus Imperator totam obtinuit Siciliam.

Regina cũ filia fit Monialis Christi.

cæcavit, sed unà cum alijs in Germaniam perducens carceribus inclusit.

Anno prænotato Conradus Rex, Comes Palatinus Rheni, frater quondam Imperatoris Friderici I. de quo plura in præcedentibus dicta sunt, Heidelbergæ suum tenens domicilium jam senescens & proximum expavescens moriendi tempus & horam: transgressiones suas in amaritudine mentis suæ revocavit ad memoriam, mutatúsque in virum alterum interni judicis faciem condignis pœnitentiæ fructibus studuit prævenire. Enim verò sicut olim devastator fuit bonorum Ecclesiæ, pauperúmque sine miseratione oppressor, ita jam cœpit in senio cunctis ablata quondam restituere, & pauperes in omni mansuetudine miserationis deinceps gubernavit. Inter cætera verò pietatis suæ studia Contorali suâ Irmengard cooperante Præposituram Sancti Bartholomæi in Noviburgo vulgariter Nüvvenburg juxta Neccari fluenta propè Heidelberg Monachorum nostri Ordinis Laurisheimensi Abbatiæ subjectam de consensu Abbatis Sigehardi, in Cœnobium Sanctimonialium, ut est hodie, commutavit. Primam verò ejus Monasterij Abbatissam instituit filiam suam nomine Cunegundem Christo devotam valde sanctam Virginem, cujus non pauca eidem Cœnobio bona pro sustentatione famulantium Christo famularum contulit: & loci patronus pientissimus fuit.

Conradus Comes Palatinus Rheni vitam mutat.

Cœnobiũ Monialiũ in Nouoburgo.

MCXCVI.

Anno Henrici Abbatis octavo. Conradus Suevorum Dux bellum movit contra Bertholdum Ducem de Zeringen propter eundem Ducatum Sueviæ, quem sibi usurpare idem Bertholdus conabatur juxta factam sibi desuper provisionem ab Imperatore Henrico. Verùm priusquam finem acciperet Ducum ista pernicioſa dissensio: Conradus ipse Dux Suevorum in oppido Durlach constitutus diem subitò clausit extremum, cujus corpus in Monasterio nostri Ordinis, quod Lorch nuncupant in Augustensi Diœcesi fuit sepultum. Fuerunt, qui dicerent illum à quodam satellite interemptum, cujus uxori suo more intulerat violentiam. Erat revera homo luxurijs, stupris & immundis actionibus nimiò nimiùm deditus: quippe qui parum aut nihil de salute videbatur curare animæ suæ, ob idque vitam citiùs amisit. Post cujus interitum Henricus Imperator Philippum fratrem suum, quem in Sicilia Gubernatorem & Vice-Regem dimiserat per nuntios & literas evocans Ducem Suevorum instituit, quod Bertholdum Ducem de Zeringen ad indignationem non modicam provocavit, nam sicut diximus, Conrado adhuc vivente promissionem Ducatûs Suevorum ab ipso Imperatore susceperat: quem illo mortuo donatum alteri molestum nimis ferebat. Sed ordinationem Imperatoris nequaquam potuit infringere, cujus tyrannidem & vim potentiæ cogebatur potiùs formidare. Frater itáque Imperatoris Henrici Philippus ad possidendum Sueviæ Ducatum relictâ Siciliâ cum desponsata sibi Herena venit in Germaniam, qui convocatis per fratrem Principibus multis ad Augustam civitatem Vindelicorum in campo magno, qui vocatur Contiolegis nuptias cum memorata Imperatoris Constantinopolitani filia solemnes, sed infaustas celebravit, fuerat enim, ut dictum est, eadem Herena filio Tancredi prius desponsata, quam habere Philippus quo jure potuerit, nostrâ non interest.

In Lorch sepelitur idem Conradus.

Philippus frater Imperatoris fit Dux Suevorum.

Philippus Dux nuptias celebrat.

Anno

Anno etiam prænotato Henricus Abbas hujus Monaſterij Hirſaugienſis XX. vitæ tranſactæ negligentias ad memoriam ſedulò revocans ad pœnitudinis lamenta compungitur: metuénſque vindictam ſibi divinæ ultionis in proximo venturam non parùm anxiatur. Unde cupiens miſericordiam invenire, in tempore oportuno vitam ſuam ad privatæ actionis inſtitutionem cogitavit reducere: & ſarcinâ paſtoralis curæ depoſitâ ſibimetipſi deinceps in vitæ ſimplicitate ſoli militare. Cúmque ſuper his quorundam amicorum requiſiviſſet conſilia, omnes unâ ſententiâne Abbatiam dimitteret ſuam ei perſuadere laborabant. Sed non admiſit eorum conſilia, quæ ſaluti ſuæ contraria reputabat. Duabus enim cauſſis movebatur ad reſignandum, quarum prima fuit: quod ſe multas in ea dignitate negligentias, ſicut diximus, occaſione rerum temporalium commiſiſſe meminerat, unde conſultum eſſe ſtatuit Abbatiam potiùs reſignare. Alia fuit cauſa, quoniam vivere cum pace in medio Fratrum deinceps non ſatis commodè potuit, quorum animos tam graviter ſuis moribus offendit; ſenio denique gravatus ad regimen animarum non ſatis jam videbatur idoneus, cui requies neceſſaria omnem laborandi excluſit facultatem. Itaque corde compunctus dolénſque ac pœnitens de culpis ſuis ac negligentijs præteritis, ut vitam in pace ac tranquillitate deinceps poſſet emendare ſuam, poſt longam maturámque deliberationem anno Dominicæ Nativitatis præſcripto MCXCVI. indictione Romanorum quartâ decimâ, die verò Decembris quartâ, Abbatiam ſuam in manus Conventûs ſpontaneâ voluntate reſignavit, poſteaquam illam gubernaverat annis VIII. menſe uno, diebus XV. Reſignatione autem factâ ut præmittitur, ne vel inopiâ vel tædio vitæ laboraret, Fratres ei Præpoſituram in Rothe pro ſuſtentatione ſua, quoad viveret, aſſignárunt, in qua per VI. menſes in mœrore ſpiritûs & amaritudine mentis lachrymíſque ferme continuis ſupervixit; memoriam agens omnium iniquitatum ſuarũ. Unde brevi mœrore tandem conſumptus, anno ſequenti moritur quarto videlicet nonarum Junij, ad introitum Eccleſiæ Rothenſis juxta Ruperti Abbatis tumbam, ſepultus.

Henricus Abbatiam ſuam cogitat dimittere.

Duabus cauſis movebatur ad cedendum.

Henricus reſignavit Abbatiam.

Henricus præpoſituram accepit Rothenſem.

Claruit his temporibus Joachim Abbas Monaſterij Florenſis in Calabria Ordinis noſtri, vir in divinis ſcripturis continuâ lectione ſtudioſus & eruditus, qui ut propheta ſuo tempore habitus etiam futura prædicere conatus eſt. Sed mihi videtur (ut cum venia loquar omnium) quod magis locutus fuerit ex conjecturis ſcripturarum, ſi quid futurum dixit, quam ex ſpiritu Prophetiæ. Multa enim futura dixit quæ nec tunc quidem nec poſtea evenerunt, nam ut vel unum in medium proferamus è multis Fridericum Imperatorem III. hoſtem Eccleſiæ futurum ſomniavit, quem omnes uſque ad mortem ſuam ſemper novimus Romanis Pontificibus obedientem fuiſſe & voluntarium defenſorem Eccleſiæ. Scripſit autem plura inventionis ſuæ opuſcula in quibus penè omnibus tamquam conſcius futurorum inter miſcuit prognoſtica. In Hieremiam Prophetam lib. I. In Danielem opus magnum. In Evang. Chriſti ſecundum Joannem lib. I. In Apocalypſin Joannis lib. VII. Ad Henricum Imperatorem VI. plura conſcripſit opuſcula. De ſeptem ſigillis in Apocalypſi, lib. I. Pſalterium decem chordarum lib. III. Opus quod prænotavit *Concordiæ temporum* lib. V. De quindecim Pontificibus lib. I. De futuris tem-

Joachim Abbas Florenſis doctor.

Opuſcula ejus quæ compoſuit.

temporibus lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 2. Alia insuper multa compposuit maximè contra Judæos & alios Catholicæ fidei adversarios, quæ ad notitiam nostræ lectionis adhuc minimè venerunt. Opusculum verò quod scripsit contra Petrum Lombardum Parisiensem Episcopum in Concilio generali damnavit Ecclesia sine tamen injuria maculæ ipsius Abbatis.

Godfridus Witerbien. sis Historiographus

His temporibus claruit in humanis Godfridus Witerbiensis Presbyter, vir in scripturis lectione continuâ exercitatus, Friderici quondam Imperatoris I. Capellanus, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula ad Gregorium ejus nominis Papam VIII. carmine simul & solutâ oratione, mixtum opus historiarum ingens ab origine mundi usque ad memoratum Cæsarem Fridericum, quod in particulas xxxiii. divisum *Pantheon Godfridi* prænotavit: de reliquis lucubrationibus ejus nihil vidimus.

Mauritius Episcopus Parisiens. moritur.

Anno etiam prænotato moritur venerabilis ille Mauritius Parisiensis Episcopus pater paupernm & patientissimus Advocatus orphanorum, qui inter plurima pietatis suæ studia quatuor Cistertiensis Ordinis Abbatias de novo suis impensis construxit & dotavit. Fuit enim vir Sanctissimæ conversationis & in divinis scripturis multùm eruditus, qui verbo & exemplo multorum corda hominum convertit ad Christum. Scripsit pro informatione simplicium sacerdotum de animarum cura librum unum. Sermones quoque multos & ante & in Pontificatu suo valde utiles scripsit, & declamavit ad populum.

Albertus Patriarcha Hierosolymitanus.

Albertus quoque Hierosolymitanus Patriarcha vir doctus & sanctus hæc tempora suis moribus & eruditione reddidit clariora. Hic fratribus B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli suo tempore adhuc in monte Carmeli & in partibus transmarinis commanentibus institutionis Regulam præscripsit, secundùm quam ijdem nunc in Europa constituti per Sedem Apostolicam declaratam conversantur. Scripsit etiam de statu terræ Sanctæ longam & plenam eruditione epistolam ad Romanum Pontificem, & alia nobis incognita.

Helmand' Monachus.

Claruit etiam circa hæc tempora Helmandus Monachus Cœnobij Frigidi-montis nostri Ordinis, vir in omni genere doctrinæ longo studio exercitatum habens ingenium, nec minùs vitæ merito, quàm eruditione scripturarum venerandus. Qui multa præclara lucubravit opuscula, de quibus feruntur subjecta: Historiarum ab Origine mundi usque ad suam ætatem opus magnum, in libros octo & quadraginta divisum, comportavit, quod tamen nusquam integrum reperitur. Commodaverat enim quosdam sexterniones ejusdem operis cuidam Episcopo & alijs amicis; qui hominum injuriâ fuerunt amissi: & sic opus illud insigne mancum & imperfectum, Authore tandem vitâ defuncto, relictum est. De reparatione quoque lapsi edidit librum unum. Sermones & epistolas plures ad diversos conscripsit, & alia quæ ad notitiam meam non venerunt.

Gilbertus Abbas Cistercienſis Ordinis.

His etiam diebus floruit in Gallia Gilbertus Abbas de Hollandiâ in Anglia Cistertiensis, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus literis egregiè doctus: ingenio subtilis & multùm diserтus eloquio, moribus integer & conversatione devotus: qui scripsit post mortem sancti Bernardi Abbatis de Clarevalle super Can-

Canticorum Salomonis ab eo loco, ubi ille morte præventus, dimiserat, homilias vel sermones octo & quadraginta, Stylum & Spiritum ejusdem Sancti de vicino secutus. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras minimè venerunt. Sed nunc ad Ordinationem Abbatis primi & vicesimi oportet properemus.

De Marquardo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXI. Qui præfuit annis VIII. Mensibúsque II. minùs diebus XVII.

POst resignationem Domini Henrici Abbatis hujus Monasterij Hirsaugiensis in Ordine Prælatorum xx. quemadmodum supra diximus, quæ facta est quartâ die Decembris anno Dominicæ Nativitatis MCXVI. alterâ mox die fratres in unum convenientes præmissâ invocatione Spiritûs Sancti ad novi Pastoris electionem processerunt. Habitis itáque tractatu & consilio necessarijs unanimi tandem consensu Marquardum Monachum hujus Cœnobij, tunc Conventualem & Professum, sibi in Abbatem eligentes præficiunt: cui mox obedientiam juxta constitutiones Monasticas promittunt. Qui præfuit in Abbatia Hirsaugiensi satis strenuè annis VIII. mense uno, & diebus numero sedecim: vir certè multarum virtutum & magnarum actionum, qui multa bona fecit, & mala plura propter justitiam sustinuit, utpote qui jura Monasterij contra tyrannorum incursus fortiter defendit. Marquardus fit Abbas XXXI.

Huic patria fuit Alemannia, quam usitato vocabulo Sueviam nuncupamus, qui natus ex parentela notabili atque honestissima, de prosapia Comitum Sonebergensium vitæ originem duxit. In Pueritia more nobilium ad studium literarum ponitur & non minùs disciplina morum honestatis quàm eruditio scientiæ salutaris in eo cum tempore ampliatur. Nam ab adolescentia sua in timore Domini laudabiliter institutus, cum ad annos discretionis pervenisset, mundi vanitates jam in animo suo, ut Philosophus cœpit contemnere. Patria Marquardi Suevia.

Unde præventus gratiâ Sancti Spiritûs, qui ubi vult spirat, omnia hujus sæculi blandimenta, parentes, fratres, cognatos, amplámque mundi substantiam, & clari generis nobilitatem pro Christi tandem amore deseruit: & sub Conrado hujus Monasterij venerando Abbate avunculo suo sanctæ conversationis habitum suscepit. Qui Monachus factus vitam suam ad Regulæ puritatem instituit, & in medio fratrum humilium ipse humilimus jam existens sine querela conversatus fuit. Ab initio siquidem fundationis Hirsaugianæ semper nobiles & ignobiles propter Deum in hoc Monasterio, sicut & in cæteris omnibus, ad Monachatum secundùm Regulam suscepti sunt & humiliter conversati. Marquardus fit hic Monachus.

Fuit autem Marquardus iste vir prudentissimus, & quâdam prærogativâ naturæ ad ardua natus: corpore quidem robustus, sed animo multùm fortior atque constantior. Cujus statura corporis pulchra fuit proportione moderatâ, ut mediocritatem longitudo parumper excedens, aspectu & incessu maturitas ingenium prudens ostenderet. Caput erat sanum nec parvum nimis, medium tenens inter extrema, Marquardus homo prudentissimus. Marquardi statura corporis.

multísque in circuitu capillis ad nigredinem tendentibus circumfulsum. Vox illi fuit sonora & tubalis, quâ vel solâ repercutere improbas & inimorem aliquotiens mittere potuit cum rei necessitas expostularet.

Marquardi mores & vita.

In dicendo satis fuit promptus átque disertus, sive latinè sive Teutonicè sermo proferendus occurreret. Ingenio mitis erat, & qui non facilè movebatur ad iram, ratione verò commotus non citò poterat oblivisci. In omnes munificus & largus extitit, tantæque benevolentiæ ac mansuetudinis fuit in subditos, ut quoties jubendum quippiam occurreret, obsecraret crebriùs quàm juberet. Plenus etenim charitate, nihil aliud quàm verba proferre mansuetudinis & fraternæ dilectionis consuevit. Circa disciplinæ regularis observantiam in principio sui regiminis satis diligens extitit, sed curis temporalium negotiorum distentus nimiùm, successivè aliquantulum tepescere cœpit, multas enim continuáisque in re familiari solicitudines toto prælationis tempore habuit: persecutiones quoque injurias & adversitates pro libertate Monasterij sui plurimas toleravit. Adelbertus etenim Comes qui Advocatus Monasterij esse debuerat in tyrannum conversus: divini timoris officijque rationem oblitus sui servos & familiam Abbatis contra libertatis privilegia per Romanos Imperatores atque Pontifices Hirsaugienſi Monasterio in perpetuum concessa, gravare tentans, multas inquietudines Marquardo & Monachis suscitavit. Nam, ut longè supra dictum est, constitutio Advocati pertinet ad voluntatem Abbatis & pro tempore existentium Monachorum: qui ad hoc officium eligere poterunt liberrimè & destituere quemcunque voluerint: qui constitutus familiam Monasterij non habebit in sua potestate.

Advocatus injuriatur Monasterio.

Advocati factum temerarium.

Comes autem prædictus per Abbatem & Conventum institutus Monasterij Advocatus familiam eorum suæ volebat subijcere potestati, cupiens in quoslibet pro suo arbitrio correctionis imò tyrannidis exercere vindictam. Qui libertates Monasterij usque adeò contempsit ac violare præsumpsit, ut Camerarium Marquardi Abbatis die quâdam ante portam Cœnobij stantem caperet, ligatúsque manibus posttergum ipso Domino Abbate vidente simul & reclamante captivum contra jus abduceret.

Abbas Marquardus Romam pergit contra Comitem.

His contumelijs & injurijs simul & innumeris alijs provocatus ipse Abbas Marquardus pro defensione jurium Ecclesiæ suæ, Romam in propria persona profectus causam suam Apostolico examini proposuit, & contra tyranni violentiam justitiæ suffragium humiliter & constanter invocavit. Marquardo autem Romam profecto Comes nimiùm commotus est, & cum vindicare in pastorem se non posset procul absentem, furorem suum in oves domi remanentes exercuit: & quosdam è Fratribus de Monasterio contra omnem æquitatem juris tyrannicè fugavit.

Causam obtinet contra Comitem.

Verùm Abbas Marquardus causam suam in Romana curia justè prosecutus victoriam tandem contra invasorem libertatis obtinuit, eum ut excommunicatum, jubente Apostolico, sententiâ judicis condemnavit. Comes verò excommunicatum se non ferens pacem & concordiam postulat, se pro injurijs & damnis Abbati & Monasterio satisfacturum postremò repromittens. Duravit hæc tribulatio fermè ad quinquennium, & Deo miserante finem postea consequitur optatum.

MCXCVII.

MCXCVII.

Anno Marquardi Abbatis primo, Indictione Romanorum decimâ Henricus Imperator VI. maximum apud civitatem Sueviæ Vindelicorum Augustam conventum Principum Regni celebravit. In quo quidem conventu Imperator magnâ usus industriâ Principum vota simul & literas obtinuit, quibus promiserunt quod filium ejus parvulum annos habentem ætatis quatuor Fridericum nomine in Regem assumerent eique fidelitatem jurarent. Verumtamen mortuo Imperatore tandem Henrico, secus quàm ipse ordinaverat, cum filio actum est. Principum conventus in Augusta.

Eodem anno mortuus est Henricus ejus nominis II. oriundus de castello Bibelrith haud procul à Kizingen oppido Franciæ Orientalis Episcopus Herbipolensis, vir magnificus & Christo devotus, pro cujus amore in terra Sancta, ut suprà dictum est, contra Saracenos aliquamdiu militavit. Post cujus obitum Godfridus ex Comitibus de Hoënloë communi electione & assensu Canonicorum dictæ Ecclesiæ omnium Episcopus Wirzburgensis ordinatus est, vir morum integritate, sapientiâ, scripturarúmque divinarum simul & humanarum eruditione venerabilis: morte satis immaturâ præventus, Deo sic volente, præfuit mensibus tantùm qnatuor, diebus novem. Godfridus fit Episcop⁹ Herbipol.

Anno prænotato quarto Non. Junij obijt Henricus quondam Abbas hujus Monasterij vicesimus, Marquardi Abbatis immediatus prædecessor, de quo præcedenti anno diximus, in introitu Ecclesiæ Præposituræ in Roth, cum Ruperto similiter hic olim Abbate, humiliter sepultus, mense post resignationem sexto. Acceperat enim pro sustentatione sua memoratam Præposituram à Conventu simul & Marquardo electo, quæ jurisdictioni & ordinationi Hirsaugiensium immediatè subijcitur.

MCXCVIII.

Anno Abbatis Marquardi II. mortuus est Godfridus ex Comitibus de Hoënloë Wirzburgensis Episcopus & Dux Franciæ Orientalis, patriæ pater & unicum decus Pontificum: quem Omnipotens Deus idcirco mori tam citò voluisse creditur, ne anima jam illi dudum placita, hujus mundi curis & solicitudinibus forsan inquinaretur. Cui mox in Pontificatu Francorum successit Conradus imperialis aulæ Cancellarius, & præfuit annis IV. mensibus II. Vir prudens & justitiæ cultor insignis pro cujus etiam defensione postea occubuit. Henricus olim hic Abbas moritur.

Eodem anno Henricus Imperator ad instantiam Cœlestini Papæ III. subsidiarium exercitum Christianis misit in terram Sanctam pro recuperatione Jerusalem. In quo isti Principes fuerunt quorum nomina tenemus potiores: Conradus videlicet Archiepiscopus Moguntinus, Otto Saxoniæ Dux, Henricus Saxoniæ Dux, Conradus Episcopus Wirzburgensis imperialis Cancellarius, Hermannus Lantgravius Thuringiæ, Conradus Marchio Badensis, Gerlacus Comes in Spanheim, Pataviensis Episcopus, Halberstatensis Episcopus, Ratisponensis Episcopus, cum alijs multis, &c. Conradus fit Episcop⁹ Herbipol.

Qui venientes in Syriam Treugas ab Richardo Anglorum Rege pridem firmatas & à Saracenis violatas armis de medio sustulerunt, pro fide Christi fortiter dimicantes. De quorum adventu magnum Exercitus mittitur in terram sanctam.

Christianis in terra Sancta constitutis gaudium fuit exortum, quod non diu duravit. Nam anno sequenti cum Henricum audivissent vitâ defunctum, omnes in Germaniam reversi sunt. Quapropter Christiani, qui remanserant in Syria omni auxilio destituti, reliquum id Dominij, quod in ea Provincia possidebant, superati & contriti à Saracenis totum penitus amiserunt.

Innocentius fit Papa III.

Anno prænotato Cœlestinus Papa III. moritur, & Romæ in Ecclesia S. Petri sepelitur: postquem Innocentius Papa III. patriâ Campanus ex infima plebe natus, Patrum communi electione succedens præfuit annis XVIII. mensibus IV. diebus XXIV. qui ante Pontificatum Lotharius fuerat nuncupatus. Vir certè bonus & in omni genere vitæ probatissimus atque doctissimus: qui ab infantia penè bonis literis institutus & multo tempore in Gymnasio Parisiorum conversatus, plura ingenij sui præclara conscripsit opuscula, de quibus extant subjecta. De vilitate & miseria conditionis humanæ lib. 2. In septem Psalmos pœnitentiales lib. 1. Super officio missæ lib. 2. De Sacramento Baptismi lib. 1. De claustro animæ lib. 1. Decretales antiquæ lib. 1. Sermones plures edidit & varias ad diversos epistolas, in quibus omnibus se doctissimum demonstrat.

Opuscula Innocentij Papæ.

MCXCIX.

Henricus Imperator VI. moritur.

Anno Marquardi Abbatis III. Henricus Imperator Romanorum VI. in Sicilia Insula constitutus apud Messanensem urbem graviter fuit infirmatus. Qui cum mortem sibi adesse conspiceret, uxorem suam Constantiam unà cum parvulo filio suo Friderico misit ad Innocentium Papam, eosdem sibi commendans & obnixiùs postulans per literas quatenus suâ illos miseratione ab injurijs defenderet. Fratri verò suo Duci Suevorum Philippo gubernationem Romani Imperij simul & Regni Siciliæ, donec parvulus adolesceret filius comisit, licèt Principes ordinationem ejus, quantùm ad Imperium pertinebat, non attenderent. Mortuus est post hæc anno prænotato XXII. die mensis Aprilis in Ecclesia Panormitana Siciliæ cum honore sepultus.

De moribus ipsius Imperatoris Henrici.

Fuit autem Henricus Imperator iste VI. vir prudens, ingenio subtilis, ore facundus, animo varius, staturâ mediocris, facie satis decora, corpore tenuis, promptus & acer nimis ad iram, multùm audax, & plus quàm deceret Imperatoriam Majestatem crudelis interdum, unde non facilè ad miserationem animus ejus flectebatur. Cujus morte nuntiatâ in partibus transmarinis, exercitus, quem anno miserat præterito illuc in auxilium Christianorum, ad propria redijt.

Otto Dux Saxoniæ ab una parte eligitur.

Anno prænotato gravis inter Principes Electores dissensio fuit de Imperatoris ordinatione suborta; quæ magnæ turbationis Regni Seminarium fuit. Adolphus námque Archiepiscopus Colonensis, Theodoricus quoque Archiepiscopus Trevirorum, & quidam alij Principes atque Pontifices inferioris Germaniæ apud Andernacum convenientes Ottonem Saxoniæ Ducem, Henrici Ducis filium, in Regem sublimârunt: quem Papa Innocentius fovebat contra Philippum, ut suo loco pleniùs dicetur. Porrò Conradus Archiepiscopus Moguntinus, & sibi consentientes Episcopi & Principes Germaniæ superioris apud Erfurdiam convenientes, Philippum Ducem Sueviæ in Regem Romanorum unanimiter elegerunt, qui frater fuerat Henrici defuncti Imperatoris VI.

Philippus Dux ab alia parte eligitur.

qui

qui Moguntiæ se ungi & coronari fecit per Episcopum Tarentasiensem. Nullus enim Teutonicæ nationis Episcopus id facere præsumpsit, sed nec ipsi qui fuêre præsentes Pontificalibus erant induti, præter solum Episcopum Sutrinum, qui ad aliud fuerat nuntius in Germaniam à Papa destinatus cum Abbate Sancti Athanasij. Scripserat enim Papa Innocentius Philippo Duci Suevorum præcipiens & mandans, quatenus Salernitanum Episcopum & duos comites dimitteret liberos: quos frater ejus Imperator defunctus de Sicilia captivos educens, ut supra dictum est, vinculis mancipaverat. Quod facere dissimulans ab eo fuit excommunicatus. Veniens ergo memoratus Præsul Sutrinus in Germaniam missus pro liberatione captivorum Legatus, Philippum denuntiavit à Romano Pontifice anathematis vinculo publicè innodatum, Philippus verò, ut erat homo mansuetus, cum se audivisset excomunicatum territus est, & petivit humiliter ab eodem Legato absolutionis beneficium, promittens se mox captivos Papæ Romam destinaturum. At Legatus precibus Ducis, presentium Episcoporum instantiâ persuasus illum à sententia excomunicationis absolvit, coronationi ejus interfuit, & postea cum Episcopo & Comitibus, qui fuerant captivi, ad Romanam curiam reversus est. Verùm Innocentius Papa contra Sutrinum Episcopum iratus, quod fines mandati transgressus absolvisset Philippum, eum privat Episcopatu, & in exilium relegavit, quo cæteris obedientiæ daret exemplum. Non enim favebat Philippo Innocentius Papa propterea, quòd & Henricus frater, & Fridericus pater ejus Imperatores multa priùs per tyrannidem contra Ecclesiam Romanam & Apostolicam Sedem comisissent mala. Ob id quantum in eo fuit totis viribus illi obviavit ne Romanum consequeretur Imperium. Qui ut omnem illorum progeniem cunctis redderet exosam, captivos illos Comites, quos Henricus Imperator, ut dictum, & priùs exoculari fecerat, multis in Romana curia existentibus & undecunque advenientibus demonstravit. Causas verò propter quas Innocentius Papa repudiavit Philippum ne consequeretur Imperium, si quis scire plenius desiderat epistolam ejus quam scripsit ad Bertholdum Ducem de Zeringen, monens quatenus ab illo recedens Ottoni adhæreat quem recognovit Imperatorem Ecclesiæ, legat: cujus exemplar in primo decretalium libro, licèt truncatum titulo: De Electione habetur rescriptum: Capit. *venerabilem*. Hujus autem dissensionis materia tali sumpsit occasione initium. Morte Imperatoris Henrici denunciatâ Regni Principes, Adolfus Colonienſis Archiepiscopus, Theodoricus quoque Trevirensis Archiepiscopus, & quidam alij Principes apud Andernacum oppidum cis rhenanum, ut suprà diximus, convenientes habito inter se consilio generalem conventum Principibus indicunt apud Coloniam ad Dominicam *Oculi mei*, pro novi Regis electione proximè celebrandam, quam literis & nuntijs suis publicantes omnibus Regni Principibus denuntiant. Verùm instante jam termino memorati conventûs, Dux Philippus missis ad Coloniam Oratoribus suis Principes commonebat rogans simul & seriosiùs contestans, quatenus memores juramentorum & promissionum, quibus se ante paucos annos obligaverant Henrico Imperatori, neminem electuros in Regem nisi filium ejus Fridericum nihil innovarent: sed exequerentur quod literis

Philippus excomunicatur à Papa.

Legatus absolvit Philippum electum.

Legatus Pontificatu suo privatur.

Iñocentius Papa non favet Philippo.

Causas vide de electione cap. *Venerabile*.

Pars Principum unà prævenit aliam.

Philippus monet servare promissa.

simul & jurejurando firmaverant. Adjecit insuper tam Regni curam, quàm Friderici tutelam sibi commissam à fratre: quare si aliter pergant facere quàm literis & juramento apud Augustam Imperatori fuerant polliciti: se boni Principis acturum officium & jus debitum conservare nepoti. At illi precibus ejus non attentis, indicto comparentes termino apud Coloniam Bertholdum suprà dictum Ducem de Zeringen absentem in Regem unanimi consensu elegerunt, cui mox per Oratores solemnes mandârunt rogantes ut sine mora veniret ad Coloniam Imperij coronam apud regium oppidum ex more susceperus. Sed Bertholdus Duci Friderico dudum confœderatus, ejus tutori Philippo communicavit arcanum: monens ut sanum non tardaret in periculo captare consilium. Nuntijs autem respondit se brevi venturum, quò vocabatur, Coloniam, quamvis aliud mente tractaret. Itaque Philippus audiens se à Principibus Alemanniæ inferioris contemptũ & Bertholdum in Regem electum, sibi convocavit faventes: quibus locum conveniendi quantocius Thuringiæ oppidum Erfurt, sive, ut quibusdam placuit scriptoribus, Mülhausen assignavit. Ubi convenerunt Conradus Archiepiscopus Moguntinus, Conradus quoque Palatinus Rheni, Bernardus Dux Saxoniæ, Archiepiscopus Magdenburgensis & plures alij Episcopi & Principes: qui habito inter se tractatu, ipsum Ducem Sueviæ Philippum in Regem elegerunt. Bertholdus autem Dux de Zeringen, quem in Colonia electum ab alia parte diximus, acceptis à Philippo duodecim millibus marcis argenti cum Ducatu Suevorum, jus illi suum quod habuit ad Regnum voluntariâ cessione resignavit. Itáque Philippus jam electus magnum congregavit exercitum & Regnum in superioribus terris potenter occupavit: nihil minus quàm quod secutum fuerat malum suspicans. Quæ res posteaquam innotuit Principibus, qui Bertholdi apud Coloniam præstolabantur adventum, nimiùm indignantes Ottonem Pictavienſ. Comitem, Filium quondam Henrici Ducis Saxonum, contra Philippum elegerunt in Regem; qui illo tempore apud Richardum Regem avunculum suum in Anglia morabatur. Mittentes itáque solemnes ad illum nuntios, & Oratores suos, Adelbertum videlicet Comitem & Emichonem de Lyningen, cum quibusdam alijs ut venire quantocius & coronam Regni suscipere festinet. Otto autem consentiens electioni de se factæ venit in Coloniam ubi Principes Electores suos reperit exspectantes: quem susciplentes cum honore magno suorum adunato exercitu pro coronationis officio adimplens versùs Aquasgrani oppidum Imperiale omnes pariter profecti sunt. Sed Philippus audiens electionem contra se factam Ottonis, ne coronaretur Aquisgrani prior oppidum præoccupavit mittens in illud Walramum filium Ducis de Lymburg & Henricum Dapiferum de Waltburg cum trecentis militibus ad pugnandum exercitatissimis, qui oppidum custodirent. Verùm subveniens Otto cum Adolpho Colonienſium Archiepiscopo alijsque Principibus multis & exercitu magno statim oppidum obsidione vallavit, quorum multitudini resistere non valentes qui erant in præsidio, corporum securitate simul & rerum acceptâ, reseratis oppidi portis abierunt. Intrantes itáque palatium adversarij memoratus Archiepiscopus Colonienſium Ottonem inungens & coronans in Regni Sedem collocavit, quem & Romanus Pontifex Imperatorem

Bertholdus Dux de Zeringen eligitur.

Philippus ab alia parte eligitur.

Conradus Archiepisc. Moguntinus.

Bertholdus Dux cessit Philippo Duci.

Otto ex Ducibus Saxoniæ eligitur.

Philippus Aquasgrani præoccupat.

Otto coronatur Rex apud Aquasgrani.

rem postea coronavit. Coronationis autem officio ritè peracto committens oppidum Aquense sibi fidelibus, Rex Otto recessit ad alia Regni negotia. Erat autem messis tempus. Interea Philippus quem legatus Apostolicus Sutrinus, sicut dictum est absolvit & coronari consenserat apud Moguntiam commissionis suæ mandatum excedere, adunato exercitu Alsatiam intravit & contradicentium sibi agros & vicos potenter devastans omnes ditioni suæ compulit obedire. Et quia messis in proximo erat ventura, omne frumentum quod fuit in agris, equorum multitudo penè consumpsit. Philippus peragravit Alsatiam.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, x. Kalendarum Julij obijt Baldemarus Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis, cui Rupertus Prior conventualis Fratrum electione succedens, præfuit annis xiv. & mensib. duobus; Vir in omni genere scripturarum doctissimus, & non minùs integritate morum, quàm scientiâ reverendus. Rupertus fit Abbas Spanhei-mensis.

Eodem anno inter Episcopum & cives Wormatienses exortæ fuerant gravissimæ dissensiones propter multas & varias causas, illo Ecclesiasticam libertatem prout jure potuit & debuit allegante, his verò insolentiam Clericorum accusantibus. Ex qua turbatione multa secuta fuerunt mala. Comites námque de Lyningen Enicho, Wernherus de Bolandia, Gerlacus junior de Spahem, Henricus de Hôenfels & alij plures, his se turbationibus immiscentes discordiam inter dissidentes auxerunt. Dissensio inter Episc. & Wormatienses. Bellum inter Ottonẽ & Philippũ.

Eodem quoque anno commissum est prælium inter Ottonem Regem & Philippum Ducem Sueviæ similiter Regem haud procul à Confluentia juxta Mosellam fluvium, in quo tamen nihil memoriâ dignum est actum præter incendia & rapinas pauperum: & desolationem in circuitu villarum.

Anno etiam prænotato mortuus est Otto Ecclesiæ Neometensis sive Spirensis Episcopus, cui Conradus de Scharffenegg Regis Philippi memorati Cancellarius succedens præfuit annis quinque & viginti: homo expertus in multis & magnæ prudentiæ, qui Ecclesiæ memoratæ satis utiliter præfuit; cujus & redditus ac censum auxit, & structuras ædificiorum reparavit. Sunt qui scribant illum Ecclesiæ Metensis in Lotharingia prius fuisse Episcopum.

Item anno præscripto Rex Philippus Argentinam cum Ottone sentientem obsedit. Rubiacum & multa præsidia Episcopi Argentinensis & Adelberti Comitis de Daxburg in manu capiens valida subvertit, & solo coæquavit. Tandem Dux Bertoldus de Zeringen vices suas amicè interposuit, & concordiam inter partes tali conditione reformavit, quòd Episcopus & Cives Argentinenses unà cum Adelberto de Daxburg & omnes illis adhærentes, vel in hac rebellione consentientes, relictis mox partibus Ottonis, Philippo ad retinenda gubernacula Regni favorem pro suo posse simul & auxilium deberent impendere. Quam quidem pacis conditionem suscipientes fidem & obedientiam Regi Philippo promiserunt. Argentina obsidetur à Philippo.

Hoc ipso anno Rex Philippus conventum suorum Principum magnum celebravit apud Moguntiam in die Assumptionis Beatissimæ DEI Genitricis intactæ Virginis Mariæ, Conrado ejus loci Archiepiscopo tunc quidem absente, & ut nonnulli scribunt, Hierosolymis existente. Cujus Philippus Coronatur Moguntiæ

loco

loco Tharentaſienſis Præſul, ut prius eſt dictum, ipſum Philippum in Regem unxit & coronavit aſtante Legato Apoſtolicæ Sedis Sutrino videlicet Epiſcopo, qui illum in malum proprium abſolvit, ut diximus.

Ottochar⁹ Rex Bohemorum.

Aderat in eodem conventu Principum Ottocharus Dux Bohemorum unà cum uxore ſua: quem Philippus ut ſibi conciliaret obſequio, pariformiter in Regem Bohemiæ fecit coronari per eundem Pontificem à quo fuerat & ipſe coronatus. Quibus ſolemniter peractis, omnes qui aderant Epiſcopi, Principes, Comites & nobiles fidem, obedientiam & adhæſionem novo Regi ſuo Philippo, ſe in omni tempore ſervaturos⁹ juraverunt.

Philippus devaſtat Colonienſ.

Poſt hæc initio menſis Octobris Rex Philippus unà cum prædicto Bohemorum Principe coronato, magno ſuorum convocato exercitu, flumem Moſellæ traijciens in manu valida contra fautores Ottonis fines Colonienſium ingreditur, & hoſtili ubique incurſu debachatur. Ryxmagen Buxam & multas in circuitu villas incendio conſumpſit, & Archiepiſcopo Colonienſium in omni regione damna fecit.

MCC.

Conſtantia Imperatrix moritur.

Anno Marquardi Abbatis IV. Conſtantia Henrici Imperatoris quondam VI. relicta vidua in Sicilia moritur, & juxta maritum in Eccleſia Panormitana cum honore ſepelitur. Cujus filius Fridericus annos habens ætatis ſeptem poſt multos ſuorum labores, anxietates & pericula Regnum maternum, Apuliam videlicet & Siciliam, vix tandem retinere potuit: incolis magno illum odio perſequentibus propter tyrannidem Patris, quam in nobiles Regni oſtenderat.

Lotharingi ab Ottone deficiunt.

Eo tempore Otto Rex Lotharienſes in auxilium contra Philippum vocavit ad partes Rheni bellum ſtatuens indicere adverſus illum. Qui cum ad Rheni fluenta cum exercitu ſuorum veniſſent: circa opidum Andernach nuncupatum, conſederunt, fixiſque in campo tentorijs adventum adverſariorum præſtolabantur. Audientes verò Philippum Regem cum exercitu magno venturum & pedibus metuentes ſuis, nuntios ad eum miſerunt occultos, & ab Ottone recedentes Philippo confœderati ſunt: occultè tamen propter Colonienſes in quorum proximo erant. Hinc priuſquam voluiſſent eam ab Ottone defectionem in publicum fieri, adeſſe Philippum cupiebant, qui ſe venturum in proximo nuntiaverat.

Rex Philipus parat exercitum.

Nefandum ſcelus Lotharienſiũ.

Interim itáque circa Andernach concordantes in papilionibus ſub nomine quidem Ottonis, ſed revera jam ab eo deficientes Philippi præſtolabantur adventum, & multa circa perpetrabant nefaria. E quibus unum poſuiſſe ſatis ſit per quod cætera queant penſiculari. Monialem quandam de vicino Monaſterio S. Thomæ propè Andernacum, quidam de exercitu rapientes omnibúſque indumentis ſpoliatam melle toto corpore perungunt, & in plumis de lecto excuſſis volutant ſicque monſtruosè hirſutam caballo impoſuerunt faciem illius ad beſtiæ poſteriora vertentes: ac miſeram nimis plorantem riſum movendi gratiâ per exercitum circumduxerunt. Cúmque ridiculoſum hoc, imò inauditum apud Chriſtianos & miſerabile ſpectaculum per aliquot dies circumduxiſſent, res tandem Regi Philippo innotuit, qui zelo Chriſtianæ honeſtatis ſuccenſus omnes illius nefandi ſceleris reos aquæ bullienti juſſit tradi ut

di ut pœnas tanti criminis morte caperent dignas. Rex itáque Philippus quemadmodum pollicitus fuerat cum veniſſet, Lotharienſibus ſibi cunjunctis memoratum oppidum Andernach imprimis obſidione vallavit, & cæpit ac ſubmiſſo igne funditus ſubvertit: Nam oppidani partes Ottonis ſequebantur. Eſt enim oppidum illud in Diœceſi Archiepiſcopi Trevirorum: ſed dominium ad juriſdictionem reſpicit Archiepiſcopi Colonienſis uſque in præſentem diem. Interea cum hæc agerentur circa Rhenum Otto Rex coadunato ſuorum exercitu de Saxonia oppidum Archiepiſcopi Moguntini in finibus Thuringiæ ſitum, quòd Goſlaria nominatur & nunc ſpectat ad Imperium, expugnare cœpit: & in cæteris pariformiter oppidis quæ partes ſequebantur Philippi furorem ſuum oſtendit. Sed Philippo mox cum exercitu ſuo appropinquante in auxilium obſeſſorum Otto recedere conpulſus fuit.

Andernach oppidum incenditur.

Otto partes Philippi perſequitur.

Anno prænotato Conradus Archiepiſcopus Moguntinus, Henricus Comes Palatinus Magdenburgenſis frater Ottonis Regis, de Syria in Europam reverſi ſunt, rebus Chriſtianorum, ut dictum ſuprà, in malo ſtatu relictis. Verùm præfatus Archiepiſcopus audiens inter Philippum & Ottonem pro Regno diſcordiam apud Sabinenſem Eccleſiamm ſuam in Italia ſtatuit aliquamdiu moram trahere; ne præſens alteri favere partium cum detrimento vel ſui vel Eccleſiæ Moguntinæ cogeretur: maximè propterea quod Philippum ab Innocentio Papa cognoverat excomunicatum. Cui ſi adhæreret ſuam contaminaret conſcientiam: ſi contradiceret Moguntinam cui præerat deſolationi videretur expoſuiſſe Eccleſiam. Unde Papa Innocentius fidem & devotionem illius erga Romanam Eccleſiam collaudans quo modo abſentandi ſe à Regno cauſam videretur habere legitimam Legatum Apoſtolicæ Sedis eum in Ungariam deſtinavit, ut pacem inter diſſidentes fratres Hemmeradum & Andream, qui pro Regno contendebant ſuâ induſtriâ reformaret. Qui veniens in Ungariam diſſentientes reduxit ad concordiam, & largiente Domino pacem toti Regno, quod videbatur prope interitum, reſtituit. Eodem igitur anno Conradus præfatus Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, factâ inter fratres duos pace de Regno Ungariæ diſſidentes, cum ad Eccleſiam ſuam rediret Domino vocante in itinere graviter infirmari cœpit, & morbo creſcente in quodam oppido Latavienſis Diœceſis in Ducatu Auſtriæ moriens ad cæleſte Regnum tranſmigravit. Cujus corpus Wolfherus Patavienſis Epiſcopus, celebratis religioſiſſimè defunctorum officijs, ad Eccleſiam Moguntinam deſtinavit. Quo honorificè ſepulto non parva de ſucceſſore ſubſtituendo fuit exorta turbatio. Denique Rex Philippus audiens mortuum Archiepiſcopum feſtinanter deſcendit ad Moguntiam, metuens ne fortè Ottoni conſentaneus eligeretur ſucceſſor. Cum igitur dies ſtatuta adveniſſet eligendi, vota ſua Canonici bifariam diviſerunt: Nam una pars eorum Diepoldum Wormatienſem Antiſtitem in Archiepiſcopũ elegit, Philippo Regi conſentientem. Quod factum improbans pars altera Sedem Apoſtolicam compellavit dicens: electionem non poſſe fieri liberam in præſentia Regis Philippi, propterea quod eligentes illi perſonam non placentem exponerentur periculo. Unde mox de civitate Moguntina hi qui Diepoldo contradicebant cum ſibi adhærentibus, clam exeuntes navi deſcenderunt ad oppidum quod

Conradus Archiepiſc. Moguntinus.

Conradus Archiepiſc. in Ungariã mittitur.

Conradus Archiepiſc. Moguntin. obijt.

Duo in diſcordia fuerunt electi.

Sifridus apud Bingen eligitur.

Bingen dicitur, per alveum Rheni ubi sine metu Regis congregati Sifridum majoris Ecclesiæ Præpositum contra Diepoldum in Archiepiscopum Moguntinum unanimiter elegerunt. Quod audiens Diepoldus cum magno exercitu Philippi Regis descendit ad Bingen Sifridum cum suis inde fugavit & oppidum cæpit. Mox Sifridus ad Ottonem confugiens clementer ab eo susceptus est, & Regalibus ex more donatus, accepto post hæc Ottonis exercitu, memoratum oppidum Bingen obsidione cinxit, & tandem in suam potestatem recepit ex parte Diepoldi captis plurimis, ipso etiam vix per fugam elapso cum paucis. Cujus dissensionis turbatio multa Ecclesiæ Moguntinæ mala intulit, eámque graviter læsit. His diebus Papa Innocentius Guidonem Prænestinum Episcopum pro diversis Ecclesiæ negotijs Legatum misit in Germaniam: qui de singulari mandato Sedis Apostolicæ, reprobato Diepoldo & ejus electione cassatâ, Sifridum confirmans Moguntinæ Sedi ordinavit Archiepiscopum: qui ordinatus Archipræsul præfuit annis xxv. sed quamdiu Philippus Rex fuit in humanis nec Moguntiam intrare potuit, nec administrationem Pontificatûs obtinuit. Item his temporibus Adolphus Colonienſium Archiepiscopus, Ottone quem elegerat in Regem & manibus suis coronaverat, ut suprà diximus, deserto, ad Philippum se contulit & in gratiam ab eo susceptus partes ejus secutus est, & contra Ottonem constantissimè quoad vixit defensavit, quæ mentis ejus mutatio, quantum Innocentio Papæ displicuerit, non diu postea in sua depositione expertus fuit: de quibus omnibus suo loco per ordinem inferiùs mentionem faciemus.

Diepoldus fugavit Sifridum.

Sifridus confirmatur à Papa.

Archiepisc. Colonienſ. adhæret Philippo.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato Conradus Comes de Zolre Burgrafius in Nurenberg in præsentia Regis Ottonis constitutus, castrum Rietburg quod ab Ecclesia Spirensi tenuit in feudali beneficio, in manus Conradi Spirensis Episcopi liberum restituit: & ejus Ecclesiæ totum resignavit.

Rietburg Castrum Ecclesiæ Spir. datur.

Hoc ipso anno muri civitatis Moguntinæ, quos Fridericus Imperator I. propter necem Conradi Archiepiscopi quondam dejecerat, sicut dictum est anno Manegoldi Abbatis VI. jubente Philippo reformantur.

Muri Moguntinenſ. reædificantur.

Anno prænotato multi Principes, Episcopi, Duces, Comites, Nobiles & ignobiles in magna multitudine ad terram Sanctam ultra mare profecti sunt in subsidium Christianorum, qui anno priore illò transierant ad recuperandum sepulchrum Domini, quod Saraceni, ut suprà diximus, occupaverant; per totum quippe orbem Christianorum Innocentius Papa III. crucem eodem tempore contra infideles prædicari mandaverat. Unde innumerabilis hominum multitudo utriusque sexûs, divites & pauperes, claustrales quoque Abbates, Monachi & Moniales divino spiritu compuncti, in remissionem peccatorum suorum arduum & durum peregrinationis laborem ad Hierosolymitanum iter pro Christo subierunt. Inter quos fuit zelo devotionis non ultimus Bertholdus de Novocastro vulgariter Neuenburg in Brisgavio Argentinæ Diœcesis, qui acceptâ pecuniâ comitatum suum cum omnibus attinentijs ejus Ecclesiæ Argentinenſi vendidit & tradidit in perpetuam possessionem: ipse autem cum unico filio suo & familia multa Hierosolymam profectus est, & ibidem in militia Domini nostri Jesu Christi usque ad mortem devotissimè perseveravit: coronam sine dubio fœlicitatis æternæ in cœlo consecutus.

Peſſagium multorum ad Hieruſalem.

Bertholdus Comes noviCaſtrum.

tus. Cujus exemplo & alij complures provocati nobiles & ignobiles prædia sua pro pecunia commutantes ad terram Sanctam cum uxoribus & liberis transierunt, in obsequio Salvatoris fidelium usque ad mortem permanentes.

Eodem anno moritur Otto Comes de Hoenburg Alsaticus in civitate Burgundiæ Bisuntina cum honore sepultus. Hic Gubernator citerioris Burgundiæ constitutus ab Imperatore quondam Friderico I. justitiam maximè coluit, pacem tenuit, & pauperes ab omni violentia & oppressione potentium cuncto tempore defensavit: unde ab incolis terræ maximo honore, & non sine multorum lachrymis in terram sepultus, ut pater patriæ, quamvis alienigena, deploratus fuit.

Otto Comes de Hoenberg Rector Burgundiæ obijt.

Hoc ipso anno prænotato Lutholdus Episcopus Basilienſis, Raldevinus Comes Flandriæ, Adelbertus Comes de Spanheim & plures alij Principes Germaniæ, unà cum Gallicanis Comitibus multis profecturi ad terram Sanctam in subsidium Christianorum per Græciam iter facere instituerunt. Eo tempore quidam tyrannus Imperium Constantinopolitanum legitimis Imperatoribus aut occisis aut in carcerem retrusis, tenebat: cum ergo nostri pervenissent ad Constantinopolim, filium captivi & exoculati Imperatoris, qui ad Philippum Regem Germanorũ & sororem suam fugerat, habentes in comitatu, urbem capiunt & fugato tyranno captivum Imperatorem educunt de carcere: qui cùm cæcus esset, filium ejus, quem abduxerant Imperatorem faciunt, qui non diu postea in bello fuit occisus. Quo mortuo Raldeuinus Flandriæ Comes omnium Principum consensu Imperator Constantinopolitanus factus est, & imperavit VII. annis. Quo procurante Græcorum Ecclesia Romanæ se authoritati subdidit, & primatum universalis convocationis Christianorum Papæ Innocentio & ejus Sedi debitum recognovit. Raldeuinus verò Imperator Græcorum factus cupiens Germanicæ nationis homines plures habere secum, quorum fide & constantiâ levitas coërceretur Græcorum: propositis muneribus per nuntios & literas multos in brevi congregavit.

Constantinopolis capitur à nostris.

Raldevinus fit Imperator Græcorum.

Anno item prænotato sancta Cunegundis Virgo, D. Henrici Imperatoris quondam ejus nominis II. æstimata conjux, Sifridi Comitis Palatini Cisrhenani filia, per Innocentium Papam III. canonizata catalogo inscribitur Sanctorum, anno ab ejus transitu ferme CLXX. cujus festum V. Nonas Martij colitur.

S. Cunegundis canonizatur.

Anno quoque præscripto XV. Calend. Decembris obijt Hugo ex Priore de Witsaq in Anglia Carthusianæ Religionis, Episcopus Linconiensis; vir in divinis scripturis doctissimus, Minister Christi fidelis devotus & Sanctus, qui virtutum decoratus ornatu magnus coram Deo & hominibus effulsit; Episcopi officium operibus & bonis & sanctis jugiter adimplevit, pro quibus æternæ fœlicitatis gaudia recepit: Christi Matrem semper intactam Virginem MARIAM, ejusque Genitricem sanctissimam Annam summo devotionis fervore in omni vita sua coluit. Quorum suffragium sibi affuisse in cunctis necessitatibus expertus fuit.

Hugo Episcopus Linconiensis obijt.

MCCI.

Anno Marquardi Abbatis V. Philippus Rex magno suorum coadunato exercitu rursus terras Archiepiscopi Colonienſis invadit omnésque

Rex Philippus obsedit Coloniam.

ſibi contradicentes potenter ſubijcit, & cuncta devaſtans, uſque ad Coloniam pervenit. Urbem obſidione cingens victor tandem intravit, Archiepiſcoqum cæpit, & tam ipſum quàm cives in ſua jurare verba coegit. Deinde ſubactâ ſibi Provinciâ illâ totâ, cum multa proſperitate ad ſuperiores Regni partes revertitur & creſcens de die in diem contra ſuos adverſarios valde roboratur. Quo ad partes Alſatiæ reverſo, Rex Otto cum magno exercitu inſecutus pervenit uſque ad imperiale oppidum Wiſenburg, ſed audiens Philippum ſibi cum valida manu ſuorum velle occurrere ulteriùs progredi timuit, ſed retracto pede in Saxoniam reverſus eſt.

Rex Otto venit ad wiſenberg

Anno prænotato circa feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli venit ad Coloniam Guido Cardinalis Prænestinus Apoſtolicæ Sedis Legatus, qui de mandato Romani Pontificis Innocentij III. Regem Philippum publicè denunciavit excommunicatum, & omnes cum illo ſentientes. Omnibus denique ad quos vel præſentia ejus pervenire potuit vel Epiſtolæ deferri, authoritate Apoſtolicâ, & ſub excomunicationis pœna mandavit, quatenus Ottonem pro indubitato Rege ſuſciperent, & Philippum ut rebellem Eccleſiæ & hoſtem publicum refugerent. Univerſos etiam imprimis ipſos Colonienſes à fidelitate, ſubjectione & juramentis, quibus Philippo fuerant obnoxij, confeſtim abſolvit. Ibi tunc primùm Sifridus Moguntinus electus in Sabbato Quatuor Temporum menſis Septembris ab eodem Legato Presbyter fuit ordinatus, ac Dominicâ ſequenti in Archiepiſcopum conſecratus, ac deinde cum literis commendatitijs tam ipſius Cardinalis, quàm Regis Ottonis ad Papam Innocentium Romam directus pallij honore donatus eſt. Verumtamen quamdiu vixit Rex Philippus ad quietam poſſeſſionem Moguntinæ Eccleſiæ, ut ſuprà diximus, pervenire non potuit.

Rex Philippꝰ excomunicatus denuntiatur.

Sifridus Mogntinꝰ ordinatur Archiepiſc.

Eodem anno Rex Philippus magnum Principum & Epiſcoporum átque Nobilium ſibi faventium conventum habuit in Babenbergenſi civitate Francorum Orientalium, ad cujus Imperium multi Pontifices, Abbates, Duces, Marchiones, Comites & Nobiles convenerunt. Quibus cum Rege Philippo in eadem urbe perſeverantibus & negotia Regni ex more tractantibus, oſſa Sanctorum Henrici Imperatoris & Cunegundis Imperatricis de terra levata ſunt, infinitis ſtupendíſque miraculis coruſcârunt. Ubi innumerabilis multitudo fidelium utriuſque ſexûs hominũ etiam de remotioribus locis convenit, quæ Dominum Jesum in Sanctis ſuis noviter canonizatis collaudavit.

Rex Philippus curiam habuit in Bamberg.

Corpora S. Henrici & Cunegundis de terra levantur.

His temporibus ſanctus Dominicus Hiſpanus ex oppido ſeu pago, qui dicitur Calaroga, oriundus, vir multarum virtutum Ordinem fratrum Prædicatorum inſtituit, quem Innocentius Papa confirmavit.

Ordinis Prædicatorum initiũ.

Claruit his quoque temporibus Cyrillus Presbyter & Monachus Montis Carmeli in partibus tranſmarinis, natione Græcus, ejuſdémque Ordinis in terra Sancta priúſquam veniſſet in Europam tertius Prior Generalis. Vir magnæ ſanctitatis & prophetico ſpiritu illuſtris: cui Omnipotens per Angeli miniſterium plura ſecreta revelâſſe dicitur, dum argenteis tabulis divinitus ſcriptis honoratur. Scripſit ergo ex Angelica revelatione informatus de futuris prognoſticon lib. 1. qui ſic incipit: *Tempore Annorum Chriſti.* Epiſtola verò, quam ad Abbatem Joachim de Calabria

Cyrillus Prior Generalis Ordinis Carmelitarũ.

bria præmisit sic incipit: *Domui totius divinæ sapientiæ Abbati Joachim, &c.* Scripsit etiam de origine & progressu Ordinis sui lib. unum. Epistolas quoque plures & varios tractatus composuit, quos necdum vidimus. Adelredus quoque Abbas Cistercieusis Ordinis (cujus nomen Monasterij invenire non potui) hæc tempora tum eruditione scripturarum, tum integritate morum illustrans nimiùm reddidit clariora. Qui scripsit ad utilitatem fratrum suorum non spernendæ lectionis plura opuscula, quibus & illis mirificè profuit: & nominis sui memoriam posteris comendavit. E quibus nos vidimus opusculum viris claustralibus multùm conducibile, quod *Speculum charitatis* prænotavit lib. I. Homilias & sermones ad fratres plures composuit: & alia multa, quorum exempla ad nostræ lectionis memoriam minimè venerunt. Claruit etiam his temporibus Papias natione Lombardus homo sæcularis literaturæ non ineptus doctor græcè simul & latinè peritus. Grammaticus insignis & Rhetor: qui scripsit de ordine dicendi. lib. I. Dictionarium quoque linguæ latinæ, quod ejus nomine Papiam vocant Grammatici, opus meo judicio non inutile. Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur quæ ad nostræ lectionis notitiam hactenus non venerunt. Floruit his quoque temporibus Petrus Cantor Ecclesiæ Parisiensis in Gallia vir in divinis scripturis eruditissimus & in sæculari Philosophia non infimè doctus, qui scholæ Theologorum apud Parisios gloriosè docendo multis annis præfuit: & bonæ conversationis exemplum non minùs opere quàm sermone cunctis demonstravit. Scripsit ingenij subtilis plura opuscula: è quibus nos vidimus subjecta. Volumen unum quod prænotavit: *Verbum abbreviatum.* Aliud quoque prætitulavit: *Distinctionem.* De Sacramento quoque Altaris lib. III. De varijs miraculis sui temporis lib. I. Sermones & epistolas varias. De cæteris verò, quæ multa feruntur, nil vidimus.

Adelredus Abbas & Doctor.

Papias Grammaticus Doctor.

Petrus Cantor Parisiensis Doctor.

His etiam diebus adhuc claruit in humanis Theodoricus Abbas Monasterij S. Disibodi Præsulis in Comitatu Spanheimensi Moguntinæ Diœcesis, quod eo tempore adhuc fuit Ordinis nostri, sed postea Cistercienſibus donatum fuit, ut suo tempore dicemus: Vir doctus & multâ Religione præclarus, qui scripsit ad ædificationem fidelium nonnulla opuscula: de quibus pauca ad nostræ lectionis notitiam pervenerunt. Vidimus enim duntaxat opusculum ejus de vita & miraculis S. Hildegardis Monialis & Præpositæ Monasterij D. Ruperti Ducis juxta Bingen oppidum Ecclesiæ Moguntinæ, quod in libros quatuor partiens distinxit. Petrus Abbas Cluniacensis in Burgundia Ordinis nostri Beato Bernardo Clarevallensi contemporaneus, vir doctus & morum integritate ac vitæ sanctimoniâ præclarissimus, ingenio placidus, sermone luculentus, regularísque disciplinæ zelator præcipuus, scripsit de vita & conversatione eremitica ad petitionem cujusdam amici lib. I. Item revelationes in miracula suo tempore facta lib. II. Epistolarum ad S. Bernardum & alios diversos lib. I. Sermones & Homilias plures habuit ad fratres & varia composuit adhuc nobis incognita.

Theodoricus Abbas nostri Ordinis.

Petrus Abbas Cluniacensis.

Opuscula ejus.

Claruit his etiam temporibus Stephanus Anglicus Gymnasij Parisiensis quondam moderator & decus, in scripturis divinis exercitatum habens ingenium, qui scripsit super quinque libros Moysi totidem præclara volumina. In librum Josue commentariorum volumen insigne.

Stephanus Anglicus Doctor.

In Iudicum lib. I. In quatuor libros Regum volumina totidem. In duodecim Prophetas minores totidem libros sive volumina. Multa denique & alia lucubrasse dicitur, quæ ad nostræ lectionis notitiam necdum pervenerunt. Wernherus S. Blasij Martyris Abbas in Nigra silva Constantiensis Diœcesis nostri Ordinis, vir in divinis scripturis longo & continuo studio eruditus, & sæcularis literaturæ non ignarus, ingenio promptus, & clarus eloquio: scripsit ad ædificationem legentium opus præclarum, ex dictis SS. Patrum super Evangelia per circulum anni quod prænotavit: *Defloration um sivè Decerptionum SS. Patrum.* Sermones etiam ad plures ad instructionem Monachorum & pleráque alia composuit, quibus nomen suum immortalitati dedit.

Wernherus Abbas S. Blasij.

MCCII.

Rex Otto colloquiũ suorum habuit.

Anno Marquardi Abbatis VI. Indictione Romanorum quintâ, Otto Rex colloquium suorum Principum átque Nobilium habuit apud S. Servatium in superiori Trajecto super Mosam, ubi multos & varios contra Philippum & sibi adhærentes habuêre tractatus. Ubi pro confirmatione suæ partis Rex Otto pacem inter Ducẽ Brabantiæ & Comitem Geldriæ reformavit: qui undecunque contractis copijs non sine partis utriúsq; damno & incommodo jam se mutuò ad bellum paraverant. Eodem anno XIII. die mensis Maij, quæ fuit dies ante Domini Ascensionem III. terræ motus factus est in Syria magnus, vocésque in aëre nimis terribiles auditæ sunt, & timuit omnis homo magnáque pars Urbis Archonensis cum Palatio Regis corruit; & populus interijt multus, Tyrus etiam penè omnino subvertitur. Archas oppidum munitissimum ad solum cum muris, turribus, & cunctis ædificijs diruitur. Tripolis quoque eodem terræ motu corruit; & multa millia hominum perierunt. De hinc sterilitas terræ secuta est, & maxima hominum mortalitas.

Terræ motus civitates subvertit.

Anno prænotato moritur Conradus Episcopus Argentinensis; cui Henricus ex Comitibus de Veringen successit: vir bonus, religiosus & multùm devotus, amator pacis, Cleri defensor & pauperum Advocatus pientissimus; qui tandem anno post electionem suam quarto vix potuit obtinere consensum ab Innocentio Papa, ut munus consecrationis à Senonensi Archiepiscopo susciperet. Cujus retardationis causa Rex Philippus erat, cujus sequi partes omnino cogebatur invitus, nisi Ecclesiam suam & totam Alsatiam desolationi voluisset exponere. Quod Innocentio Papæ non parùm displicuit, qui Ottoni consentiens Philippum totis viribus tam per se quàm per alios quantùm potuit persecutus fuit.

Henricus fit Episc. Argentin.

Hoc ipso anno Tartari cum uxoribus & filijs ab Indiæ montibus egressi per vicinas provincias ingentes prædas egerunt; quibus cum tempore assueti, Parthos deinde petunt, & pari terrore Mediam, Assyriam, Persiam, Armeniámque & Sarmatiam longo tempore pervagantes, demum circa litora Mæotidis paludis mansiones acceperunt. Hæc gens ferocissima in maximam multitudinem brevi tempore crescens, fuit ante hac sub ditione unius Regis constituta, cui nomen erat Priamus. Qui cum esset potens & dives vidit eos multiplicari & in pascuis commorari; unde fiebant divites valde: cum inter eos esset alienigena timuit quòd vel sibi vel filijs aliquando fierent rebelles, consilio igitur inito mandavit eos dividi & dispergi per Regnum, ut conspirandi nullam omnino invenirent

Imperij Tartarorũ initium.

rent opportunitatem. At illi mandatum Priami graviter ferentes indignati sunt exeuntésque de Regno ejus in loca montuosa, ubi essent tutiores in unum omnes convenerunt, sibique de suis Regem eligentes proprium, nomine Cingnis virum sapientem, probum, justúmq; & in armis strenuum solemniter coronârunt; qui congregans infinitam multitudinem Tartarorum super eos potenter imperavit, & multa cum alijs nationibus prælia gessit. Post coronationis peracta solemnia nuntios misit ad Priamum Regem postulans sibi unam ex filiabus suis dari uxorem. At ille nimiùm indignatus preces ejus arrogganter contempsit, vocans eum servum fugitivum; minabatur se gravem de illius temeritate sumpturum ultionem, nuntiósque injurijs & contumelijs affectos adeum remisit. Quibus Cingnis Rex novus Tartarorum auditis iratus est valde, & cogitans in animo suo magnam contra Priamum exercere vindictam, maximum suorum congregavit exercitum: & paravit se contra illum potenter ad bellum. Convocatis verò Magis & Astrologis suis, sciscitabatur ab eis quem finem esset in bello habiturus, & quis victor evaderet. Qui arundinem per medium scindentes in duas partes æquales diviserunt; in quarum altera nomen Priami, in altera verò Cingnis descripserunt dicentes ad Regem: considera has partes, & illa, quæ nobis conjurantibus super aliam nullo contingente ascenderit; illius Rex victoriam obtinebit. Incantatione itáque Magorum peractâ, particula, quæ nomen Cingnis continebat inscriptum, nullo movente super aliam quæ Priami dicebatur, ascendit: & victoriam Tartaris futuram ostendit. Factum est anno Conradi II. Abbatis undecimo, Dominicæ verò Nativitatis MCLXXXVII. indictione quintâ.

Cingnis primus Rex Tartarorum.

Cingnis Rex filiam petit Priami.

Priamus noluit postulata cõcedere.

Victoriam Regi Magi promittunt.

Cingnis itaque Rex I. Tartarorum jam de victoria certus bellum contra Priamum adoritur, ipsum superans interfecit & omne illius Regnum suo dominio in paucis annis totaliter subjecit. Vixit autem Rex Cingnis postquam Priamum devicerat annis VII. & multa prælia gerens cum victoria, in magna gratia & amore Tartarorum propter probitatem & justitiam, quam tenebat, & postea mortuus est, & in quodam monte altissimo sepultus est: cum hominibus emptitijs & servis, quos Tartari ejus amore occiderunt, æstimantes quod ei obsequium exhibituri sint mortuo in vita futura.

Cingnis Rex Tartarorum superat Priamum.

Post hunc regnavit Mangu Chaan sub quo Tartari primùm fines suos egressi sunt Assyriam, & alias Regiones, quas diximus pervagantes. Quo mortuo regnavit Chyri Chaan; post quem Cachim Chaan, post quem secundus Mangu Chaan; & post illum tertius Mangu Chaan; post quem Cabhay Chaan Rex Magnus, qui Imperium Tartarorum valde ampliavit dilatans illud in longitudine ab oriente in occidentem à montibus Indiæ usque ad fines Germaniæ per milliaria M. & CCC. Qui mortuus cum primo Rege Cingnis & alijs in eadem monte, qui dicitur Altayn, sepultus est: cui Ergovil Chaan in Imperio successit.

Successio Regum Tartarorũ.

MCCIII.

Anno Marquardi Abbatis VII. in die S. Nicolai Pontificis Conradus Episcopus Herbipolensis justitiæ cultor & executor infatigabilis, & ob hoc impijs & sceleratis hominibus odiosus, à Bodone & Henrico militibus, altero de Ravensburg, altero verò de castro Reinstain, in platea pubilca

Conradus Episc. Herbipol. occiditur.

blica memoratæ civitatis crudeliter occiſus eſt. Conrado venerabili Pontifice mortuo atque ſepulto, Magiſter Henricus Doctor Pariſienſis natione Francus Orientalis in Pontificatu Herbipolenſi Eccleſiæ ſucceſſit; & præfuit annis IV. menſibus VII. diebus IX. Hic de humili proſapia ortus, in pueritia ſua ad literas à parentibus poſitus fuit: qui totum deſiderium ſuum ad ſcientiam ſcripturarum applicuit, & cum tempore in omni genere eruditionis doctiſſimus evaſit. Doctor tandem ſacræ Scripturæ promotus, in Gymnaſio Pariſiorum apud Gallos Theologorum ſcholæ multo tempore præfuit: & plures in ea facultate diſcipulos egregios informavit. Poſt hæc reverſus in patriam memoratæ Eccleſiæ Canonicus & Scholaſticus factus eſt, & poſtremò Epiſcopus. Fuit autem vir undecúnque doctiſſimus, & non minùs vitæ merito quàm eruditione ſcripturarum reverendus. Hunc homines elatione & ſuperbiâ pleni, qui mundana ſapiunt, & carnis ſpurca ſecuti caſei agnomine per deſpectum notantes: **Biſchoff Käß vnd Brodt** vulgariter nuncupabant, propterea quod vel caſeum habebat in delicijs, vel de humili ac paupere mendico ſcholari creverat in Principem. Porrò crudeliſſimi paricidæ memorati, peracto ſcelere, mox, quos habebant ad manum, aſſenſis caballis de civitate fugerunt. Qui tandem pœnitentiâ ducti, Bodo videlicet & Ravensburg miles & Henricus de Reinſtain ejus Vaſallus, cum ſervitoribus ſuis Heroldo & Conrado Romam profecti biennio poſt factum elapſo: gravem ab Innocentio Papa III. ſed neceſſariam & pro demeritis dignam pœnitentiam ſuſceperunt, cujus modus & forma in literis ejuſdem Pontificis pleniùs exprimuntur: quarum exemplar his libuit annectere.

Henricus fit Epiſc. Herbipol.

Quare dictus fuerit caſeus.

Interfectores Epiſc. pro pœnitentia Romam vadunt.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI univerſis Chriſti fidelibus has literas inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quàm excerabile facinus & piaculare flagitium perpetraverint, qui auſu temerario atque ſacrilego manus impias in Chriſtum Domini nequiter injecerunt, bonæ memoriæ Conradum Herbipolenſem Epiſcopum, Imperialis aulæ Cancellarium crudeliter occidentes fierè potiùs libet quàm referre. Verùm cum divina pietas humanam impietatem excedat, & miſerationibus Domini miſeriæ hominum comparari non poſſint: cum nolit Dominus mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat, utpote qui patiens & multùm miſericors eſt & præſtabilis ſuper malitia: Nos qui licèt indigni vices ejus exercemus in terris, ſcientes quod majus gaudium eſt Angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente quàm ſuper nonaginta novem juſtos, qui non indigent pœnitentiâ, quantumcumque deliquerint hujuſmodi homicidæ, non potuimus, nec debuimus pœnitentibus aditum veniæ denegare; cum noverimus dixiſſe Dominum per Prophetam: in quacúmq; hora peccator converſus fuerit & ingemuerit omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. Bodonem igitur, Henricum quóque Vaſallum ejus milites, cum Heroldo & Conrado ſervientibus ſuis ad noſtram præſentiam venientes & confitentes ſe prædictum Epiſcopum occidiſſe; cum de ſuis exceſſibus lachymabiliter pœniterent, & humiliter poſtularent pœnitentiam à nobis pro tanti ſceleris immanitate injungi; quia pœnitentibus non eſt indulgentiæ janua præcludenda, de fratrum noſtrorum conſilio, dilecto filio Hugoni, tituli S. Martini Presbytero Cardinali, commiſimus audiendos, &c.

Exemplar Epiſtolæ Innocentij Papæ de illorum pœnitentia.

Qui confeſſione illorum auditâ, fecit eos nudos coram nobis in bracis, tortas habentes in collo diebus aliquot in frequentia populorum aſtare, de mandato noſtro

Hugo Cardinalis eos audivit.

talem

talem pœniteniam illis injunxit: ut nunquam de cætero nisi contra Saracenos vel ad defensionem vitæ armis utantur. Varium, griseum, ermelinum, & pannos colo-

Hierosolymam ire jubentur.

ratos non portent. Ad publica spectacula non accedant, & conjugati non contrahant matrimonium post mortem uxorum, eántque quàm citò poterunt in Hierosolymitanam provinciam per quatuor annos ibi contra Saracenos Domino servituri. Bodo verò, qui major extitisset, tres vel duos vel unum saltem in suis expensis adducat, & donec ipsi quatuor execrabiles homicidæ iter Hierosolymitanum arripiant, sicut publicè pœnitentes, discalciati & laneis induti vestimentis, incedant. Secundam, quartam, & sextam feriam, quatuor tempora, vigiliasque Sanctorum solemnes in pane & aqua jejunabunt. Tres in anno Quadragesimas, videlicet ante Resurrectionem, Pentecosten, & Nativitatem Domini faciant. Carnibus nisi tantùm in eisdem festivitatibus tribus non vescantur. Eaque die quâ prædictus Episcopus fuit occisus, carnes non comedant in æternum. Orationem Dominicam decantent centies inter diem & noctem & genuflectiones faciant quinquaginta. Corpus & Sanguinem Domini nisi in ultimo articulo mortis non sumant. Cùm fuerint ultra mare quartam & sextam feriam, Sanctorum vigilias & quatuor tempora, sicut dictum est, in cibo quadragesimali jejunent. Carnes comedant die Dominicâ & quintâ feriâ tantùm. Orationem Dominicam dicant & genuflectiones faciant prætaxatas. Quandocunque aliquam civitatem Alemannicam poterunt securè intrare, ad majorem Ecclesiam nudi procedant tantùm in braccis cum torta in collo & virgis in manu, & à Canonicis ejusdem Ecclesiæ recipiant disciplinam. Si verò quæsitum fuerit cur hoc faciant, dicant se hoc facere pro sceleris perpetratione jam dicti satisfactione. Si quando fortè in civitate Herbipolensi poterunt esse securi, in Resurrectione, Pentecoste, Nativitate Domini ac in solemnitate majoris Ecclesiæ videlicet sancti Kiliani, exeant civitatem & nudi inde cum braccis tantùm, tortam in collo & virgas deferentes in manu: & sub missæ celebratione majoris, ad Ecclesiam Cathedralem accedant, & ante Episcopum & Canonicos se prosternentes in terram, petant humiliter & recipiant ab eis disciplinam. Cum autem de partibus redierint transmarinis ad Apostolicam Sedem accedant, recepturi consilium & mandatum. Datum Laterani XIV. Kalendas Martij Pontificatûs nostri anno VI. Domini verò 1204. Amen fiat. Hugo denique Presbyter Cardinalis Tituli sancti Martini supradictus, cui Papa Innocentius Pœnitentiarij suprà homicidas illos commiserat officium, literas absolutionis eorundem scripsit ad memoratum Magistrum Henricum Ecclesiæ Herbipolensis Electum Antistitem quarum tenor iste est:

Tres quadragesimas faciant.

Quomodo interra Sancta jejunent.

Quomodo in Herbipoli pœniteant.

Hugo Cardinalis.

Venerabili Fratri & speciali amico Magistro Henrico DEI gratiâ Wirzburgensi Electo: Hugo miseratione divinâ tituli sancti Martini Presbyter Cardinalis cum sincera dilectione salutem. Latores præsentium Bodonem & Henricum milites, Heroldum & Conradum servientes ad Sedem Apostolicam accedentes de mandato Domini Papæ à vinculo, quo tenebantur, excommunicationis absolvimus: eósque ad vos remittimus absolutos. Quibus de mandato summi Pontificis pœnitentiam injunximus, quam ipse Dominus Papa literis Apostolicis per totam Teutoniam scribit. Quapropter Apostolicâ authoritate mandamus quatenus omnes illos de eorum familijs, quos consilium, auxilium, aut favorem ad maleficium perpetrandum ipsis præstitisse inveneritis, ad Romanam Curiam absolvendos remittatis. Mulieres autem de illorum familijs, quæ ad scelus jam dictum consilium & favorem ipsis dederunt absolvatis, eisdem pœnitentiam secundùm qualitatem delicti & personarum imponentes quam videritis expedire, & postea illas ad Ecclesiastica

Exemplar Epistolæ Cardinalis ad Episc. Henricum.

Mulieres absolvat ipse Episc.

siastica Sacramenta, & non priùs admittatis. Valete in Domino semper. Datum Romæ duodecimo Kalendarum Maij.

Philippus devastat Thuringiã.

Anno prænotato Philippus Rex in manu suorum valida intravit Thuringiam contra Hermannum provincialem Comitem, quem sermone patrio Landgravium appellamus, ejus Imperio eatenus inobedientem atque rebellem: in eo vel maximè quòd Sifrido Moguntino Archiepiscopo adhærēret simul & Romano Pontifici Innocentio, recedens ab ejus fide, quam priùs juraverat. Propterea quoque redditus & proventus memoratæ Ecclesiæ Moguntinæ in Thuringia cedendes in usus sui hostis, hoc est, Regis Ottonis simul & ipsius Archiepiscopi convertisset. Considerans autem quòd Rex Odocharus cum Bohemis & Palatinus Comes cum suis in magna multitudine armatorum Hermanno venisset in adjutorium, congredi cum eis timuit: sed ferro & incendio consumens omnia in circuitu, se cum suis in Erpfurdiam recluſit. Quo Comes Provincialis comperto, exercitum tam suum quàm auxiliariorum propiùs jussit accedere, & Philippum Regem in oppido fortiter obsidere. Obsessa est igitur Urbs illa novem diebus.

Erpfurt obsidione vallatur.

Philippus exivit de oppido nocte.

Philippus igitur in oppido clausus mediâ nocte cum paucis exiens ad Marchionem Misnensem se contulit, & ejus auxilium pro liberandis de obsidione militibus imploravit. Quibus oppidum fortiter defendentibus, nihil obsidentium machinamenta nocuerunt; audientes tamen Principes adversarij Philippum non esse cum militibus in oppido, sed illum ad Marchionem refugisse, obsidionem, quæ diebus novem duraverat, solverunt, sicque milites Philippi abierunt. Interea supervenit Rex Otto cum suo exercitu & convocatis Principibus sibi faventibus Conventum Generalem in Urbe Mersburg in mense Augusto celebravit. Ibi Hermannus Landgravius & Odocharus Rex Bohemorum qui à Philippo jam pridem defecerant propter excomunicationem & mandatum Innocentij Papæ, Regi confœderati sunt, & in ejus fidem juraverunt. Aderat & Guido Prænestinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus, qui Ottonem vice & nomine Innocentij Papæ in festo sancti Bartholomæi Apostoli denuo in Regem coronavit.

Otto coronatur in Mersburg.

Theodoricus Comes Hollandiæ obijt.

Anno etiam prænotato mortuus est Theodoricus Hollandiæ Comes, qui filium Principatûs sui non habuit: sed filiam duntaxat unicam reliquit, quam, patre mortuo, Comes quidam de Lo mox sibi uxorem rapuit, & Comitatum Hollandiæ suæ ditioni subjugavit. Quod molestè ferens Wilhelmus frater Comitis defuncti, magnum amicorum congregavit exercitum & consertis manibus Lohensem Comitem de Hollandia potenter expulit, & fratris sui filiam reduxit.

Libri Decretalium publicantur.

His temporibus Innocentius Papa III. quinque libros Decretalium composuit, quos legi publicè in scholis & Gymnasijs omnibus mandavit: ex illo tempore facultas juridica multùm ampliata est, & cœperunt viri in utroque jure multiplicari doctissimi & varia scribere. E quorum numero fuere præcipui Henricus vir illustris & spectabilis, qui primùm Romæ postea Bononiæ leges docuit & multa in jure scripsit. Pileus quoque Modocensis, qui scripsit de ordine judiciorum. Item Bargorotus qui & ipse plura scripsit. Placentinus, similiter Rofredus Beneventanus. Azo Bononiensis, Ægidius de Fucarijs. Bonaginda Aretinus, & plures.

res alij cum eis, & post eos, elimata conscripserunt opuscula. Ab isto tempore & deinceps Capitulum triennale, sive generale, quod provinciale vocamus, Abbatum Ordinis nostri cœptum est celebrari, quemadmodum in 30. libro memorati opusculi Decretalium continetur sub Titulo de statu Monachorum C. quod incipit, *in singulis*. Capitulum Ordinis nostri provinciale.

MCCIV.

Anno Marquardi Abbatis VIII. cum Lupoldus, sive ut alij volunt Diepoldus, Ecclesiæ Wormatiensis Episcopus, qui se, ut suprà diximus, contra Sifridum pro Archiepiscopo Moguntino gessit, Philippo Regi excomunicato pertinaciter adhærens, omnibus bellis interesset personaliter, manu suâ pugnaret ut miles, spoliaret Monasteria & Ecclesias, opprimerétque sine miseratione pauperes, & plura in Deum & homines committeret mala, per literas monebatur Papæ Innocentij à tam nefandis sceleribus desistere, & mandatis Apostolicis, ut decebat Episcopum, humiliter obedire, quem monita salutis spernentem Papa tandem excommunicavit, & postremò per sententiam deposuit. Hic nimis contumelioſus & datus in reprobum sensum plura Monasteria, & Ecclesias suo spolavit ornatu, & familiares suos semper ad nefanda provocavit. Cui cum dicerent: Domine, non licet nobis spoliare Ecclesias, ille respondebat: cum ossa mortuorum tollitis, tunc Ecclesias, & cœmiteria spoliatis. Temeraria hominis locutio, de meritis suis condignam ultionem non evasit. Depositus & excommunicatus nihil curavit, in sua pertinacia, ut antea permansit. Nihilominus mortuo Rege Philippo, in displiccentiam Ottonis ad Episcopatum restitutus est. Episcopus Wormatiensis deponitur. Temerariũ dictum hujus Episc.

Anno prænotato in mense Julio Philippus Rex magno suorum congregato exercitu Thuringiam denuo contra Hermannum Landgravium ingreditur, & in primis oppidum Wizense obsidione vallavit, & in deditionem accepit. Deinde Regem Bohemiæ Odocharum cum magna multitudine in auxilium Hermanno cum Comite Palatino properantem primo aspectu fugavit: omniáque per circuitum oppida & præsidia capit, spoliat, incendit ac funditus destruens subvertit. Videns Provinciæ Comes sui desolationem Principatûs, & quod Regis Philippi animositatem & impetum ferre nullatenus posset, maximè quia Bohemi, quos in auxilium sui vocaverat relictis castris nocte aufugerant, animo fractus est: acceptóque suorum consilio, pedibus Philippi Regis provolvitur, gratiam petijt, & impetravit: sed & sua omnia illius Imperio humili voto submisit. Post hæc Adolphum Colonienſem Archiepiscopum ad se vocatum in oppidum Andernach juxta Rhenũ cum multa industria sibi reconciliat, & ut Ducem Brabantiæ ac reliquos Lotharingiæ Nobiles sibi efficiat fideles, decem millia Marcharum ei donat, & Salveld dudum ab Ecclesia Colonienſi alienatum ei restituit: ac plurima se daturũ repromisit. His promissionibus ac muneribus allectus præfatus Archipræsul Adolphus Sacramentum, quod dudum fecerat Ottoni parvipedens, perjurium non metuens, nec sententiam excommunicationis magnificiens, circa Festum S. Martini cum Duce memorato Brabantiæ ad eum secundò venit in oppido Confluentino: ubi ambo in ejus arma jurantes fidem promiserunt. Quibus ut optaverat ritè per actis, Rex Philippus cum toto suorum & noviter sibi confœderatorum exercitu de- Rex Philippus devicit Hassones. Hermañus se Regi submittit. Adolphus Coloniæ Archiepiſ. Philippo cõfœderatur.

Philippus coronatur Aquisgrani.

scendit ad Aquasgrani & in Ecclesia B. MARIÆ semper Virginis à præscripto Archiepiscopo magna cum solemnitate denuo coronatur in Regem sub frequentia populorum.

MCCV.

Philippus denuo eligitur & coronatur.

Anno Abbatis Marquardi XI. inchoato Philippus Rex magnum conventum Principum Aquisgrani celebravit: ubi consilio suorum accepto ut libera Principibus permaneret electio secundùm consuetudinem antiquitus laudabiliter observatam, nomen Regium, & Coronam deposuit: & quatenus concorditer denuo eligeretur ab omnibus qui aderant petijt, & impetravit. Quem secundò electum Archiepiscopus Colonienſium Adolphus, ut antea diximus, in magna solemnitatis pompa, unà cum uxore sua nomine Maria Constantinopolitani Regis filia, congaudentibus qui aderant cunctis, denuò coronando sublimavit.

Rex Otto infirmatur & deseritur

Dum hæc agerentur in Palatio Aquensi circa Regem Philippum, Otto Rex apud Saxoniam gravi detinebatur infirmitate, & quod morbo intolerabilius videbatur omnium penè auxilio Principum fuit destitutus. Guido autem Prænestinus Episcopus qui legatione Sedis Apostolicæ fungebatur pro Rege Ottone cum audisset factum in Aquisgrani per Adolphum Colonienſium Archiepiscopum, ad Innocentium Papam literas mittens & nuntios de perfidia illius plenam direxit informationem. Cui Papa rescribens Adolphum jussit ab Archipræsulatu suo deponi.

Marquard⁹ Abbas moritur.

Anno prænotato Marquardus hujus Monasterij Reverendissimus Abbas quartanarũ febrium gravissimo cœpit dolore vexari. Quibus diætim crescentibus tandem ad mortis extrema deveniens susceptis SS. Ecclesiæ Sacramentis, vicesimâ die mensis Januarij in Domino quievit, ante altare S. Nicolai Episcopi non sine lacrymis Fratrum suorum debito cum honore sepultus: multis, ut supra dictum est, tribulationibus omni tempore sui regiminis fuit afflictus: & magnos ab Advocato suo Comite Adelberto sustinuit persecutiones. Philippo námque Rege per Innocentium Papam, ut sæpe diximus, excommunicato, Marquardus Abbas & Hirsaugiana Congregatio tota Romanæ partes Ecclesiæ in omnibus sequebantur præcessorum suorum confirmati instituto pariter & exemplo: qui Romanis Pontificibus semper obedientes, nulla schismaticorum vel excommunicatorum consortia admiserunt. Hac de causâ memoratus Comes Adelbertus, qui Philippo Regi excommunicato pertinaciter adhæsit, eò magis persequebatur Marquardum, quod neminem noverat ejus protectorem, quódque scierat illum Romano Pontifici consentientem, unde factum est, ut Romam in propria persona semel cogeretur adire crebriùs autem per nuntios & literas Dominum Apostolicum pulsare: quatenus paternâ miseratione subveniret filijs, pro honore & obedientia Romanæ Sedis miserabiliter afflictis.

Multa vivens sustinuit adversa.

Monachi pelluntur de Monasterio per Comitem Adelbertũ.

Comes etenim memoratus maligni spiritûs instinctu seductus plurimam partem fratrum probris, & contumelijs affectam exulare à Monasterio tempore aliquanto compulit, & loco multa damna in substantia rerum temporalium fecit. In hac miseria fratres pane arcto & aquâ brevi alijsque pluribus incommodis afflicti sunt, præter Deum neminem habentes consolantem. Tandem divina miseratio pauperes suos non deseruit, sed auctore malorum è medio sublato, pacem oran-

tibus

tibus dedit. Marquardus autem pacem bonam consecutus duo ambitûs clausträlis latera vetustate nimiâ penè collapsa cum alijs ædificijs pluribus in Monasterio magnificè reparavit. Murum quoque ante fores Monasterij præclaro & insigni opere inchoavit: quem morte præventus cosummare non potuit.

Ambitûs duo laterâ instaurantur.

Fuit etenim vir sanguine, moribus, ingenio, & sapientiâ clarus, Regibus & Principibus notus, qui tempore confusi & perturbati Imperij Philippo & Ottone dissidentibus Romanæ partes Ecclesiæ, ut verus obedientiæ filius semper secutus, impiorum tyrannidem sustinuit, pro quibus multimoda sibi præmia in cœlo comparavit.

De Lutfrido hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXII. qui præfuit annis xi. diebus xv. & varijs gestis illius temporis.

Lutfridus hujus Monasterij Abbas XXII

MOrtuo Reverendissimo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate Marquardo, anno & die præscriptis, ejúsque cadavere debito cum honore ac reverentia tradito Ecclesiasticæ sepulturæ; Prior & Conventus, ne tanquam oves sine Pastore dentibus paterent lupi rapacis, tertium de hinc diem, hoc est tertiam & vicesimam mensis Januarij pro novi electione Abbatis de communi consilio statuerunt. Quo adveniente, vocatísque intereà jure vocandis, manè omnes ad locum Capitularem convenerunt, & invocatâ ex more gratiâ Spiritûs Sancti necessariísque tractatibus præmissis, Lutfridum suæ Congregationis Monachum tandem unanimiter in secundum, & vicesimum hujus Monasterij Abbatem elegerunt; virum ingenio mitem, Religiosum & profectæ ætatis, qui ab eo die huic insigni Cœnobio præfuit annis xi. & xv. diebus.

Verùm quia Conradus Ecclesiæ Spirensis Antistes Regi Philippo, necessitate compellente, fuit consentaneus, & ob id gratiam Sedis Apostolicæ illa tempestate non habuit, noluit ab eo munus benedictionis accipere, quem noverat favorem summi Pontificis Innocentij non habere. Volens ergo Prædecessorum suorum inhærere vestigijs, qui munus benedictionis à nullo unquam receperunt schismatico, vel extra Sedis Apostolicæ gratiam constituto; præsertim cùm Privilegium adhoc sufficiens habeant Hirsaugienses, ad Guidonem Prænestinum Episcopum supra dictum, Apostolicæ Sedis Legatum se contulit, & donum ab eo consuetæ benedictionis apud Saxoniam in Lutherensi Monasterio suscepit.

Lutfridus à Legato benedicitur.

Fuit autem Lutfridus iste homo, sicut diximus, ingenio mitis, tranquillus, atque pacificus, qui curans interna quantùm potuit, se à curis mundi superfluis prudenti ratione subtraxit. Noverat enim dixisse in S. Evangelio Dominum: *Primùm quærite Regnum DEI, & omnia*, quæ necessaria sunt ad præsentis vitæ substentationem, *adijcientur vobis.* Hanc Domini pollicitationem continuè gerens in memoria studiosiùs æterna temporalibus præposuit, & vanas mundi occupationes libenter declinavit. Quæ per alios expedire potuit, non sibi sed alijs commisit.

Oriundus fuit ex Francia Orientali, honestis liberísq; parentibus procreatus;

Lutfridus fuit patriâ Francus.

creatus; qui puer ad literas positus cum ætatis incremento scientiâ quoq; hausit scripturarum. Factus deinde profectior ætate, cum se morum aliquando minimè dubitaret, judicium Dei cœpit salubri timore in mundo sæpius cogitare. Divinâ igitur miseratione præventus, mundum cum suis oblectamentis pro Christi amore tandem deseruit, & in hoc Hirsaugiensi Cœnobio habitum Monasticum suscepit, sub Conrado ejus nominis II. Abbate. Qui Monachus factus in medio fratrum sine querela conversatus est, probatúsque in omnibus & per diversa officia Monachorum fidelis inventus, onus curæ Pastoralis postremò, sicut diximus, omnium consensu obtinuit: utilitérque ministravit.

Lutfridus fit hic Monachus.

Archiepisc. Colon. excommunicatur.

Anno prænotato Dominicæ Nativitatis, MCCV. qui fuit primus Lutfridi Abbatis, venerunt ad Coloniam Sifridus Archiepiscopus Moguntinus & alius quidam Episcopus Cameracensis ab Innocentio Papa III. Commissarij & Judices constituti, qui in majori Ecclesia S. Petri coram omni Clero & magna Populi multitudine Adolphum memoratæ Ecclesiæ Archiepiscopum, à prædicto Romano Pontifice excommunicatum publicè denunciaverunt; propterea, quod Regem Ottonem deseruit; & Philippo contra Sedis Apostolicæ decretum, & juramentum fidelitatis, quod Ottoni priùs fecerat, adhæsit.

Singulis diebus festis denunciatur.

Denuntiatione hujusmodi sententiæ per eos factâ, omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus in dicta civitate per obedientiæ virtutem mandaverunt, quatenus ipsum Adolphum per omnes tam Conventuales, quàm Parochiales Ecclesias, singulis diebus Dominicis, & festis publicè denuntiarent anathematis vinculo innodatum.

Sententia depositionis & excommunicationis.

Hoc etiam sententia summa continebat, ut si Adolphus Archiepiscopus intra unius mensis spatium post denunciationem hujusmodi factam, ad satisfaciendum summo Pontifici, se ad iter versùs curiam Romanam non disponeret: officio mox Pontificali destitueretur per difinitivam Comissariorum sententiam: & alius in locum ejus ordinaretur Archiepiscopus per liberam electionem Canonicorum ipsius Ecclesiæ.

Adolphus deponitur ab Episc.

Verùm Adolpho in sua sententia, nè dicam pertinacia perseverante, & comminationem simul & censuras Romani Pontificis contemnente, memorati Comissarij denuo in majori Ecclesia S. Petri Apostoli apud Coloniam convenientes, coram Clero & populo in præsentia quoq; Regis Ottonis anno prænotato in festivitate Sanctorum Martyrum Gervasij & Prothasij, quæ fuit XIX. dies mensis Junij, Adolphum per sententiam diffinitivam, authoritate Domini Papæ Innocentij III. ab omni officio & dignitate Pontificali deposuerunt, Canonicis, ut alium eligant Pontificem, seriosiùs mandantes.

Bruno fit Archiepisc. Colonienſ.

Qui mandatis Apostolicis obedientes, Brunonem ex Comitibus de Seyna Bonnensis Ecclesiæ Præpositum in Archiepiscopum unanimi concordique voluntate elegerunt: qui tamen ad plenam administrationem Episcopatûs quamdiu Rex Philippus fuit in humanis non pervenit. A quo etiam posteà captus & diræ mancipatus custodiæ fuit, ut suo loco inferiùs & tempore, largiente Domino, plenius dicemus. Adolphus verò tantam injuriam vindicare satagens ad Regem Philippum tunc Spiræ commorantem cum suis se contulit: consilium pariter & auxilium contra Brunonem & cives Colonienses imploravit.

Com-

Communi ergo Principum decreto Rex Philippus magnum congregavit exercitum: & post festum Nativitatis Beatæ MARIÆ semper Virginis Mosellæ fluenta transivit: atque in festo sancti Archangeli Michaëlis Coloniam arctissimâ obsidione vallavit. Cernens autem quod eam capere non posset, obsidionem post dies aliquot soluit: & circumducens per regionem exercitum: non sine contritione pauperum, Nussiæ oppidū quod in descensu Rheni fluminis sex ferme à Colonia distat milliaribus, obsedit, cæpit & Adolpho resignavit. Quibus peractis, omnem provinciam incendio, ferro & prædâ vastavit, & multas in circuitu munitiones vel cæpit vel destruxit: castrum quoque illud amœnissimum Provinciæ Corona dictum, quod in nostro idiomate Landskron appellamus, propter ejus pulchritudinem ad domandum Colonienses suo tempore fortissimum Rex ipse construxit.

Rex Philippus devastat Colonienses.

Landskron à Philippo construitur.

MCCVI.

Anno Lutfridi Abbatis II. moritur Henricus Episcopus Herbipolensis anno Pontificatûs sui v. nondum completo: cujus corpus in Ecclesia principali debita cum solemnitate fuit sepultum. Hic fuit Magister sacræ scripturæ doctissimus, qui multo tempore cathedram Theologicæ facultatis apud Parisienses legendo & docendo magnificè illustravit: & illuminati ingenij sui famam celebrem acquisivit. Cui in Pontificatu memoratæ Peapolitanæ Ecclesiæ successit Otto de Ladenburg, & præfuit annis XVI. & mensibus V. vir certè nobilis atque magnificus: qui singulari sapientiâ præditus Ecclesiæ satis utiliter præfuit.

Otto fit Episcopus Herbipol. Ecclesiæ.

Eodem anno mortuus est in Græcia Balduinus ex Comitibus Flandriæ Constantinopolitanus Imperator, Princeps per omnia Christianissimus, qui multa pro fidei Catholicæ defensione prælia contra infideles commisit: huic in Imperio Græcorum successit Henricus frater ejus, Comes de Flandria & annis XI. strenuè imperavit.

Henricus fit Imperator Græcorum.

Año prænotato Philippus Rex fines Colonienſium denuo ingrediens occurrente sibi Adolpho, priore quidem anno, sicut diximus, deposito, sed Archiepiscopum se nihilominus gerente, cum Comitibus & magno exercitu totum Episcopatum percurrendo suo pro libitu, Imperio suo subjugavit.

Rex Philippus iterum devastat Colonienſ.

Rex autem Otto & Bruno Colonienſium Archiepiscopus in locum depositi Adolphi, priori anno electus & istic per Sifridum Moguntinum consecratus duobus Episcopis per Angliæ Regem de Britannia missis astantibus, cum id nemo Teutonicorum præsumeret metu Regis Philippi: intra muros Colonienses cum suis se continebant. Qui accepto consilio tandem cum quadringentis equitibus & duobus peditum millibus de Colonia exeuntes, cum Rege Philippo pugnare statuerunt, quod eis non cessit in prosperum.

Otto Rex in Colonia moratur.

Congredientes igitur hi duo Reges Otto & Philippus cum exercitibus suis apud Wassenburg, Rex Otto & sui terga verterunt: & Philippus Rex obtinuit campum: qui inter multos nobiles de parte Ottonis etiam Brunonem memoratum Archiepiscopum cæpit: quem manicis ferreis constrictum, captivum abduxit: & plusquam ad anni spatium in arcta custodia vinctum detinuit. Donec tandem interventu Principum absoluitur. Interea cives Colonienses deteriora sibi futura metuentes cum vide-

Bruno Archiepisc. in bello capitur.

viderint res suas in malo positas & sibi totum penè adversari Teutonicum Regnum, accepto consilio Ducis Brabantiæ Regem Philippum Bopardiæ commorantem accedunt: commissorum in illum veniam humiliter postulant: & quam optaverant gratiam cum indulgentia consequuntur. Rex autem Philippus Conradum Spirensen Episcopum postea destinavit ad Coloniam: qui Regis nomine juramentum fidelitatis à civibus cum alijs & quidem necessarijs cautionibus acciperet: quod totum factum est. Per idem tempus Otto Rex qui de bello fugiens intra muros se Colonienses cum suis receperat, inde discedens intravit Saxoniam, & in oppido Brunonis vico, rebus suis utcunque ordinatis navigavit in Angliam: ubi ab avunculo suo Rege Albionis honorificè susceptus, aliquanto tempore cum eo mansit. Videbat enim à se defluxisse Principes, & æmulum suum prosperare in omnibus: se autem præter nomen nihil habere in Regno. Unde latere ad tempus apud suos in Anglia maluit, quàm res simul & corpus tot periculis & discriminibus vitæ subijcere.

Rex Otto secessit in Angliam.

Anno etiam prænotato Philippus Rex Colonienſibus iterum in arma sua compulsis, ut sibi Regnum cognatione amicorum firmaret filiam suam natu majorem Regi Bohemorum dedit uxorem. Aliam verò ætate minorem filio Ducis Brabantiæ matrimoniali fœdere copulavit.

Hinc viribus non parùm auctus fortis in Regno factus est: in tantum ut etiam Romano Pontifici Innocentio jam esset suspectus. Eodem quoque anno, ultimâ die mensis Februarij facta est circa horam fermè diei tertiam solis defectio, quam Ecclypsin Græci nuncupant, & multi quidem, humanum se caput in sole vidisse, testabantur.

MCCVII.

Anno Lutfridi Abbatis tertio, indictione Romanorum decimâ Conradus Episcopus Spirensis Ecclesiam Dominici sepulchri in suburbano ejusdem civitatis, in qua Moniales antea fuerant, cum omnibus, attinentijs & proventibus ejus Præposito de Denckendorff in perpetuam tradidit proprietatem & possessionem, ut monialibus, quæ tunc erant in ipsa, vitâ defunctis, aut alicubi provisis, conventum virorum suæ possessionis instituerent; qui tamen jurisdictioni Pontificis pro tempore existentis in Neometensi Ecclesia subjaceret. Igitur Præpositus in Denckendorff locum acceptans sui Ordinis viros in eo reposuit, quibus Priorem secundùm Religionis suæ consuetudinem præfecit.

Prioratus Ordinis S. sepulchri in Spira erigitur.

Eodem anno Principes Imperij longâ Regum discordiâ fagitati communi inter se consilio, Rege Philippo annuente, habito, miserunt Legatos ad Romanum Pontificem Innocentium, qui pro pace laborarent duorum Regum dissidentium. Fuerunt autem Legati Wolffgerus Aquileiensis Patriarcha, Gebhardus quoque Magdburgensium Burgrafius, & Ministeriales nonnulli de curia Regis Philippi. Qui assumptis secum de Cremona viris in jure peritis Romam veniunt, & Papam ut Regni jura Philippo administranda permittat multis rationibus inducunt. Verùm Papa constitutionem satis peregrinam interponit negotio, toris laborans conatibus, ut filia una Regis Philippi in uxorem nepoti suo desponsaretur; futurum indubitanter existimans, Tusciam, Spoletum, atque Marchiam Anconitanam propter hujusmodi nuptias in potestatem ejusdem, sui nepotis oportere cedere. Respondere legati hujus se rei nullam

Legati Principum Romam missi.

Conditionem Papa interponit.

lam habere commissionem, consulere tamen Pontifici, ut aliquos mittere de suis in Germaniam Legatos ad Regem non judicaret indignum; se quoque pro viribus daturos operam, ut res consequatur effectum, quorum consilijs Papa facilem præbens consensum, Legatos suos eis consociat, se posse consequi matrimonium nepoti confidens, quod quærebat. Mittuntur itaque cum oratoribus Principum Apostolicæ Sedis Legati ad Germanos, Hugolinus videlicet Episcopus Hostiensis, Episcopus quoque Veltrensis, & Leo tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis.

Legati Papæmittuntur ad Principes.

Anno igitur prænotato circa festum S. Andreæ Apostoli Philippus Rex cum quibusdam Regni Principibus apud Augustam Sueviæ Urbem colloquium habuit: ubi memoratus Aquileiensis Patriarcha comparuit, & Regem super conditionibus à Papa propositis avisavit, atque Legatorum illius adventum, quos ipse prævenerat, in proximo fore præsentem dixit. Risêre Principes unà cum Rege Pontificis Romani petulantiam, quod homo Christi Vicarius legem Domini sui temerare audeat.

Legati Regem accedunt in Augusta.

Venerunt Legati ad Augustam.

Interea venerunt Sedis Apostolicæ Legati ad Augustam; quibus honorificè susceptis, Rex cum eis Spiram descendit: & per literas suas publicas Conventum Principibus apud Northusen Saxoniæ oppidum in proximo Dominicæ Nativitatis festo celebrandum, solemniter indicit. Quibus interim Neometi cõmanentibus multa proponuntur media pacis; sed nil erat exomni parte conveniens eorum quæ tunc ibidem fuêre proposita.

Anno igitur prænotato circa festum Dominicæ Nativitatis Rex Philippus unà cum prænotatis Apostolicæ Sedis Nuncijs atque Legatis, juxta conditum Principibus apud Northusen occurrit; & solemne colloquium celebravit. Multa ibi pro cõmuni pace & concordia inter duos Reges instauranda Principum ac Legatorum consilio tractata sunt; & in eam sententiam postremò convenerunt: ut Regis Philippi filiam unam (habebat enim plures.) Otto in uxorem duceret: cedénsque interea Regno, quàm diu socer viveret: post ejus mortem si haberetur superstes, licitè regnaret. Verùm ne matrimonium contrahendum impediret gradus consanguinitatis, Apostolicæ Sedis pro communi pace subveniret authoritas.

In hac solemni convocatione Principum sæpe dicti Apostolicæ Sedis Legati ad instantiam Regis Philippi, Adolphum depositum Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopum à vinculo excommunicationis, quo tenebatur ligatus, absolverunt, quem tamen pro satisfactione commissorum ad Apostolicæ Sedis examen remiserunt. Ecce quid meruit! qui Regi excommunicato pertinaciter adhærens, contra mandatum Apostolicæ Sedis in propriam perniciem recalcitravit. Ad instantiam pariformiter Legatorum & Principum Rex Philippus Brunonem Archiepiscopum Colonienſem, quem anno priore, sicut diximus, captum vinculis mancipaverat è custodia liberum dimisit; qui solutus cum dictis Legatis Romam profectus Pallium & gratiam à Papa obtinuit.

Adolphus de excommunicatione absolvitur.

MCCVIII.

Anno Lutfridi Abbatis quarto Philippus Rex cum suorum exercitu de Saxonia reversurus in Sueviam in itinere ad civitatem Babenberg

tulum quieturus divertit. Qui die quâdam ibidem consistens sanguinem de vena per incisionem emisit; & ob id jucundior factus inter nobiles hilari vultu incedens, peracto prandio pausaturus cameram cum paucis intravit. Quod animadvertens Otto Comes Palatinus de Wittelspach, qui odium contra Regem occultum portabat in corde, assumptis secum Egberti Bambergensis Episcopi militibus ad ostium Cameræ Philippi Regis propiùs accedens pulsavit; qui mox, Rege nihil mali suspicante, intromissus est. Introgressus homo perditionis cùm præter Regem & Conradum Spirensem Episcopum, qui Cancellarius erat, Henricúmque Dapiferum de Walpurg, neminem adesse videret: gladium, quo erat accinctus, latenter extraxit; & irruens in Regem parvum vulnus in ejus collum dedit, venam illi organicam, clamore Dapiferi perterritus, abscindens. Dapifer etenim crudele facinus intuitus cum nimio clamore cucurrit ad januam, cupiens eam occludere, ne truculentus homicida posset aufugere. Concussus pavore latro, ut Dapiferum audivit clamantem, retrorsum convertitur, vibratóque in maxillam obstantis gladio, fores cameræ illo cadente aperit: & priusquam sciretur, equis de civitate cum suis aufugit. Quo extra Palatium prosiliente oritur subitò clamor, fitque ad Cameram Regiam plenus perturbatione concursus; Rex jacet in pavimento sanguine respersus: & spiritum jam vitæ ultimum trahit. O miserabile spectaculum! sic perit Rex Philippus, qui pacem consecutus vitam amisit, quam semper in bello servavit. Corpus occisi Principis, non sine lachrimis multorum primò in majori Ecclesia Bambergensi fuit sepultum; cujus ossa post aliquot annos, per Fridericum Imperatorem II. ejus de fratre nepotem Spiram translata sunt; & in majori Ecclesia cum funerali solemnitate inter alios Reges tumulata.

Rex Philippus à Palatino Comite interficitur.

Philippus Rex occiditur.

In quorum illatione prædicta Fridericus memoratus Rex Siciliæ Apuliæque Dux Suevorum & hæres Regni Jerusalem, Ecclesiam Parochialem in oppido Sueviæ imperiali Eslingen cum omnibus justitijs & proventibus suis ac jure patronatûs Ecclesiæ Spirensi liberè donavit. Quam donationem postea factus Imperator II. innatam banno imperiali confirmavit. Occisus est autem Rex Philippus anno Dominicæ Nativitatis præsignato, XXI. die mensis Junij. Otto verò Comes nefarius peracto scelere fugit ad Episcopum Egbertum & fratrem ejus Henricum Marchionem de Anderse consprationis suæ conscios & socios. Qui postmodum Ottone IV. imperante criminis sui vindictam accepit. Nam Henricus de Kalidin Philippi Regis quondam Marscalcus ob necem domini sui non insidiosè, sed gloriosè illum non procul à Ratisbona in quadam curte sive grangia repertum interfecit.

Ecclesia in Eslingen datur Spirensi.

Anno igitur prænotato post mortem Regis Philippi miserabilem, Conventus Principum apud Franckenfurt factus est magnus, ubi Otto Saxoniæ Dux, qui diu pro Regno contra Philippum bellaverat omnium consensu denuo in Regem fuit electus: & annis paucis regnavit in pace: quia per Romanum Pontificem, ut suo dicemus loco, fuit depositus: & Fridericus Dux Suevorum, Henrici Imperatoris VI. quondam filius, Apuliæ ac Siciliæ Rex in locum ejus à Principibus ordinatus. Eodem anno Philippo Rege occiso, Sifridus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, qui metu illius biennio exul à patria Romæ in Ecclesia S. Sabinæ titulum Car-

Otto Rex IV. Rex constituitur.

Sifridus Archiepisc. Moguntiã venit.

Cardinalatûs tenuerat, jubente Papâ Innocentio ad propriam Sedem revertitur: ejectóque Diepoldo sive Lupoldo Wormatiensium Episcopo, qui Archiepiscopatum, ut suprà diximus, invaserat, civitatem cum honore magno ingreditur: & tam à populo quàm à Clero cum lætitia susciptur. Lupoldus etenim Philippi Regis potentiâ fretus Ecclesiam Moguntinam, expulso Sifrido, violenter occupans multa commisit mala, contemnens Romani Pontificis mandata omnia, & sententiam excommunicationis irridens.

Anno etiam prænotato Bruno Colonienſium Archiepiscopus, quem Romam iviſſe cum Apostolicis Legatis jam antea diximus, mortuo Rege Philippo, qui Adolphum manutenuerat, in Germaniam cum Sifrido Archiepiscopo revertitur Moguntino: qui Coloniam ingressus in die Sanctorum Martyrum Prothi & Hyacinthi cum honore ac tripudio totius Cleri & populi susciptur. In cujus adventu pax est reddita provinciæ & latronum prædonúmque insatiabilis multitudo procul mox fugatur: cui omnes Ecclesiæ Vasalli, Comites & nobiles terræ obedientiam consueto subjectionis homagio juraverunt. Adolphus etiam quondam Archiepiscopus, sicut Romæ promiserat in manus Papæ, adveniens obedientiam & subjectionem, ut Papa voluit, juravit. Item anno præscripto circa festum sancti Martini, conventu Principum apud Franckenfurt durante, Conradus de Scharffeneck Spirensis & Metensis Ecclesiarum Episcopus & Philippi Regis olim Cancellarius in castrum munitissimũ Trifels se contulerat, metuens nimirum à facie Regis Ottonis: & nec venire ad ejus conspectum voluit, nec Regalia præsentare insignia quæ secum habuit, nisi Cancellarium se facturum Otto suum promitteret: quemadmodum Regis Philippi priùs extiterat. Quod cùm Rex Otto libenter admitteret, Regalia illi restituit insignia: & Cancellariatûs officium, quod ambierat homo superbiâ plenus, acceptavit.

Bruno Archiepiscop' Coloniam ingreditur.

Conradus Episcopus Spirensis Cancellarius.

Castellum Trifels fortissimum.

MCCIX.

Anno Lutfridi Abbatis V. Innocentius Papa III. audiens, quòd Principes Imperij electores Ottonem concorditer sublimâssent in Regem, factum laudavit; mitténsque denuo Hugonem Hostiensem & Leonem Sanctæ Crucis Cardinales supradictos in Germaniam Legatos, Regem ad Coronam Imperij Romam amicabiliter vocavit. Venientes autem in partes Teutoniæ memorati Cardinales, matrimonium inter ipsum Regem Ottonem & filiam quondam Regis Philippi Apostolicâ sanctione confirmârunt, pacis intuitu communis super consanguinitatis impedimento dispensantes, justitiam ministrârunt postulantibus.

Papa Legatos misit ad Regem.

Eodem anno Rex Otto conventum Principum apud Herbipolim urbem Francorum Orientalium solemnem celebravit, ubi venientes ad se memoratos Apostolicæ Sedis Legatos cum debito honore susceptit. Ibi quæ diximus facta sunt: nec erit inutile denuo si dicantur. Sedebat in medio Principum Rex Otto throno sublimi Cardinalium alterum à dextris alterum verò à sinistris habens consedentem. Deinde silentibus cunctis aperiens os suum alter Legatorum Hugo Episcopus Hostiensis, injunctum sibi Legationis declaravit officium: contractúmque Regis cum nepte matrimonium, authoritate Romani Pontificis ratificando confirmavit. Peractis autem pro pace Regni necessarijs, missi revertun-

Conventus Principum Herbipoli.

tur ad urbem. Post hæc Otto Rex Franciâ discedens Orientali, Sueviam, peragratis tamen priùs Rheni partibus, ingreditur: ubi magnum prædonibus ac sceleratis incussit timorem; quoniam sententiam in eos justitiæ quam demeruerant sine personarum delectu promulgavit: omnes etenim latrones vias insidijs obsidentes, atque prædones, quotquot invenire potuit, sive nobiles sive ignobiles sine aliqua remissione laqueo fecit suspendi.

Rex Otto prædonum persecutor.

Anno quoque prænotato circa festum Epiphaniæ Domini factus est conventus Principum in civitate Augustana, in quo Rex Otto interfectorem quondam Regis Philippi, Ottonem videlicet Comitem Palatinum de Wittelspach & Henricum Marchionem de Anderse fratrem Episcopi Bambergensis Egberti cum eorum complicibus & conjurationum socijs juxta legem Bavaricam de patria proscripsit, eósque omni beneficio dignitate & bonis cunctis per imperiale decretum privavit, & in alios transfudit.

Conventus Principum Augustæ.

In mense post hæc Martio generale colloquium in oppido Hagenavve cum certis Principibus habuit: ubi futuram in Italos expeditionem intimavit. Inde progressus in Saxoniam revertitur: ubi filiam Regis Philippi sibi desponsatam in oppido Brunsuich, donec reverteretur ab Italia, mansuram collocavit. Interea Principes tam Ecclesiastici quàm mundani ad imperium Regis & se disponunt, & suos ad iter Italicum.

Colloquiũ in Hagenaw fuit.

Anno igitur prænotato in principio mensis Julij, Rex Otto & Principes Regni convenerunt apud Augustam Sueviæ civitatem, & cum valido exercitu iter conceptum instituunt in Italiam. Consilio igitur habito, Rex per vallem Tridenticam Triumphator in pace gloriosus intravit; omnes enim totius Lombardiæ Comites, Nobiles & civitates cum ingenti apparatu illum suscipientes oppida, civitates, & munitiones Provinciæ omnes ejus Imperio subdiderunt: infinitam quoque pecuniã vectigalium & tributorum à tempore Henrici Imperatoris apud illos repositam ei ad manus voluntariè tradiderunt. Quàm diu enim dissensio duravit in Regno, census & annuæ subventiones Imperij per Italiam ubique reponebantur.

Rex Otto Romam proficiscitur.

Regi Ottoni tributa soluunt Itali.

Post hæc ultra cum exercitu valido progrediens tandem pervenit Romam occurrente sibi Papâ cum universo Clero & populo civitatis, qui magno cum honore ad Ecclesiam illum sancti Petri duxerunt. Valde námque desideratus Pontifici ejus videbatur adventus, & multo illum tempore præsentem videre cupiebat, cujus partes contra Philippum tanto tempore támque studiosè libens fuerat prosecutus: licèt magnus hic amor in odium fuerit majus postea commutatus.

Rex Otto Romam cum suis ingreditur.

Anno igitur Domini prænotato, die mensis Octobris quartâ, quæ tunc erat Dominica post festum S Michaëlis prima, Rex Otto quartus Imperij coronã de manibus Innocentij Papæ III. Romæ in Basilica sancti Petri cum benedictione suscepit: licèt multi ex parte Regis Gallorum Philippi hoc impedire molirentur, propter odium ipsius Ottonis. Rex etenim Gallorum memoratus partes demortui Regis Philippi contra Ottonem dum viveret ille fovebat, sperans tali occasione Comitem Flandriæ suo Imperio fore subjugandum. Rege autem Ottone imperiali diademate, sicut diximus, Romæ per Innocentium Papam solemniter coronato,

Otto Coronãm Imperij suscipit.

Inter Romanos & nostros seditio.

ronato, factus est inter Romanos & Teutones mox alterâ die tumultus propter debitum coronationis. Concurrunt utrinque ad arma: fit bellum atrox in quo multi fuerunt occisi, plures quoque ad mortem vulnerati: cujus indignitate facti permotus Imperator cùm in ea congregatione, quam posterâ die fecerat, Romanorum de resarciendis damnis rationem exegisset (nam centum & mille suorum in illo tumultu se amisisse dicebat) insolentiæ dans locum urbe discessit.

S. Franciscus Ordinem Minorum instituit.

Claruit his temporibus in Italia S. Franciscus vir Evangelicæ perfectionis prædicator & factor omnium ferventissimus, qui Ordinem fratrum Minorum instituit: quibus brevissimam quidem, sed consummatæ perfectionis Regulam vivendi constituit, quam Honorius Papa II. postea confirmavit. Hic sacer Ordo Minorum plures deinceps viros doctos atque sanctissimos protulit: & cum tempore per totum orbem Christianum valde crescens & proficiens multiplicatus est.

Æstas intemperata & Hyems dura.

Æstas hoc anno fuit tonitruis, fluminibus & imbribus valde impetuosa: hyems quoque nimis dura & asperrima, quæ diutius solito duravit: unde in multis Germaniæ locis alimenta defecerunt jumentis: & inopia diu pressit mortales: & eos maximè quibus copia defecit auri.

MCCX.

Otto Imperator devastat Apuliam.

Anno Lutfridi Abbatis VI. cùm Otto Imperator offensus Romanorum insolentiâ, sicut diximus, Papam Innocentium de subordinatione peracti tumultûs vehementer haberet suspectum, cupiens irrogatam sibi vindicare contumeliam: terras Ecclesiæ Romanæ hostili peragrabat incursu, nam exiens de Roma aliquamdiu Mediolani remansit: ubi dimissis imperialibus insignijs cum maximo favore Mediolanensium per Tusciam & Marchiam Anconitanam circumduxit exercitum terrásque Pontificis hostiliter invasit. In primis quidem Romandiolam penè totam occupavit: deinde ad Neapolitani Regni Provincias conversus eas-dem suo subjugavit Imperio.

Inter Papam & Imperatorem dissensio.

Hinc motus Papa Innocentius Ottonem, quem priùs dilexit, odisse cœpit. Fuerunt, qui scriberent causam dissensionis inter Papam & Imperatorẽ propter Apuliæ Regnum hanc extitisse principalem: quòd Mechtildis filia quondam Rogerij Siciliæ Regis, uxor videlicet Henrici Imperatoris VI. & mater Friderici postea II. moritura Provinciam cum filio Romano Pontifici, & per eum Ecclesiæ donavit in feudum perpetuum. Quam fœminæ donationem Papa memoratus acceptans confirmavit, in quam tamen Principum nullus consenserit: ideóque invalida censeretur. Imperator metuens dissimulationem Imperio nocituram, Papæ constanter restitit: Capuam & alias munitiones plurimas in Regno sæpe dicto per potentiam suo Imperio subjecit.

Otto Imperator excomũnicatur & deponitur.

Quamobrem à Pontifice primò quidem per literas & nuncios ad restitutionem ablatorum monitus est, deinde non advertens scripta monentis excomũnicatus: & postremò in Concilio Præsulum Romæ habito ab Imperio per sententiam depositus: & Fridericus, ut suo dicemus ordine, contra eum electus.

MCCXI.

Anno Lutfridi Abbatis VII. Indictione Romanorum XIV. Otto Imperator prosperis utens successibus totam Apuliam & Calabriam suo imperio subjecit, oppida & civitates in deditionem accepit, castella & mu-

nitiones suis militibus comisit: & Fridericum Apuliæ Siciliæque Regem Henrici Imperatoris VI. filium exterminare penitus cogitavit. Unde Papa Innocentius per literas Archiepiscopo Moguntinensium Sifrido mandavit: quatenus Ottonem excommunicatum & ab Imperio depositum per totum Regnum Teutonicum publicè & in omnibus civitatibus denunciaret: quod & factum est. Quibus auditis Henricus Comes Palatinus Rheni, Dux quoque Brabantiæ & alij Principes, Comites, Barones, Nobiles, cum civitatibus, qui partes tuebantur Ottonis, magno suorum coadunato exercitu circa festum S. Michaelis Archangeli contra Sifridum Archiepiscopum procedentes ejus Episcopatum hostiliter invadunt: totámque Ecclesiæ Moguntinæ ditionem incendio & rapinâ crudeliter vastantes: nihilque præter civitates & castella munita intactum relinquentes, villas incendio destruxerunt, Monasteria, Ecclesias, & quælibet loca Diœcesis rapinis exposita sine misericordia spoliârunt, nulli omnino loco parcentes. Archiepiscopus autem Sifridus, qui omnia hæc mala propter Apostolicæ Sedis reverentiam, honorem, & obedientiam fideli constantiâ sufferebat, cùm incursantibus ex æquo non posset resistere: coactus est cum patientia tolerare. Et quia nusquam tuta fides, nemini suorum audebat confidere: utile sibi visum est ad tempus iram furentium declinare. Secessit ergo in partes Thuringiæ: & apud Hermannum Provinciæ Comitem cum Romana Ecclesia fideliter sentientem mansit.

Ecclesia Moguntina tribulatur.

Archiepisc. fugit in Thuringiam.

Anno etiam prænotato Imperator Otto intelligens Romani Pontificis sententiam tam excommunicationis quàm depositionis ab Imperio contra se per totam Germaniam esse publicè denunciatam, & veritus ne quis novus in Regno tumultus contra se oriretur in absentia, relictâ Italiâ, in Teutoniam reversus est. Qui Regnum invenit perturbationibus plenum, & multos ab ejus fidelitate recessisse. Papa námque Innocentius, qui illum publicum Ecclesiæ hostem declaraverat, & ob id depositum ab Imperio pronunciavit, Prælatos omnes Ecclesiæ Regníque proceres & Imperio subjectos à juramento fidelitatis & obedientiæ, quo illi tenebantur obstricti, absolvit, mandans omnibus & singulis sub horribilibus pœnis censuram, ne quis Imperatorem illum deinceps nominare præsumeret.

Imperator de Italia revertitur.

Omnes à fidelitate ejus absolvuntur.

MCCXII.

Anno Lutfridi Abbatis VIII. Imperator Otto, licèt abrogatus per Papam, nihilominus se gerens Imperatorem, circa Festum Pentecostes conventum Principum partes ejus sequentium in oppido Nürnberg celebravit: in quo multiplices contra Romanum Pontificem querelas deposuit, & quàm injustè ab illo infectaretur, exposuit: Ad vos, *inquit*, pertinet ô Principes Teutonici dispositio regni: vestrum est Regem ex vobis, quem volveritis, eligere: vestríque juris esse fatemur, non Romani Pontificis, Imperatorem creare simul & destituere. Jus igitur vestrũ defendite: & unà nobiscum destructorem Imperij deserite, aut si dissimulando Imperatoris depositionem permiseritis: brevi de vestra potestate actũ scietis. His atque similibus Otto Imperator sermonibus animos quorundam Principum sibi conciliavit, quamvis in finem non perseveraverit. Congregato post hæc magno suorum exercitu Imperator memoratus Otto expeditionem movit in Thuringiam adversùs Hermannum Land-

Conventus Regis & Principum apud Nürnberg.

Imperator devastat. Thuringiam.

Landtgravium, qui cum Ecclesia Romana fideliter sentiens ab ejus se fide subtraxerat, & in primis quidem duas illius munitiones fortissimas Rotenburg & Salzungen cepit, ac funditus destruxit. Inde progrediens oppidum Wizense obsidione vallavit: quod etiam præter arcem capiens, simili furore subvertit: ibi tunc primùm cæpit haberi usus instrumenti bellici quod vulgariter triboch nuncupatur, quoniam bombardarum usus illo in tempore necdum erat inventus. Devastavit ergo Thuringiam Imperator vastatione crudeli: & multa contra Deum & homines in propriam perniciem mala commisit.

Leodium capitur & spoliatur miserè.

Anno prænotato civitas Leodiensis ab Henrico Duce Brabantiorum in die Ascensionis Dominicæ capta est, Episcopo Huardo per fugam lapso, in qua maxima præda & inæstimabiles divitiarum thesauri à militibus & Scariantis cum damno multorum diripiuntur. Sed nulli pepercere tali loco raptores, non Ecclesiæ, non Monasterio, sed omnia quæ invenire poterant sine misericordia rapientes violenter aufferebant.

Concursus fit populi ad mare.

Eodem anno maxima utriusque sexûs multitudo hominum ex omni Germania, Burgundia, Gallia in unum convenientes, juvenes & senes, conjugatæ simul & virgines, Monachi & Moniales crucémque authoritate propriâ sibi assumentes, multis contradicentibus Presbyteris & prudentibus viris, ad iter se Hierosolymitanum sine ordine, sine Romani Pontificis vel cujusdam alterius Principis authoritate, sed propriâ præsumptione ducti ad mare veniunt, atque transire contra Saracenos & recuperare terram Sanctam se velle magnâ voce dicebant. Cúmque venissent ad mare & neminem, qui eos navigio traduceret, haberent, serò imprudenter se fecisse intelligunt, atque divisi ab invicem alij fame & inopiâ perierunt, alij rapti à pyratis venditi sunt aut in mari submersi: cæteri cum damno rerum & confusione redierunt.

Multi ex eis miserabiliter perierunt.

Anno etiam prænotato magna Christianorum expeditio facta est, ex mandato Innocentij Papæ cum prædicatione crucis contra Hæreticos Albigenses, qui Ruptarij sive Coterelli dicebantur, in terra sancti Ægidij. Ad quod negotium Lupoldus Dux Austriæ cum quibusdam Baronibus atque Comitibus magnam hominum multitudinem ex Austria, Saxonia, Francia Orientali & omni Germania sub se habens collectam audacter processit. Audientes Hæretici tantam contra se hominum venire multitudinem, alij relictis civitatibus & castris inierunt fugam: ad unitatem alij Catholicæ convocationis reversi, obedientiam Apostolicæ Sedis Legato ad hoc negotium missò jurantes præstiterunt.

Expeditio Christianorũ contra Albig.

Victoria fidelium contra Saracenos.

Quibus Domino largiente peractis idem Dux Lupoldus, Comes quoque de Montfort, cujus principalis causa fuit contra Albigenses, & reliqui Comites cum toto exercitu fidelium contra Saracenos à Massanuto Rege Marroth in Hispaniam per mare missos processerunt, ubi prælio cum perfidis commisso, Christiani obtinuerunt victoriam, infinitam Saracenorum multitudinem occidentes, reliquis in mari submersis.

Otto Imperator nuptias celebrat.

Eodem anno Otto Imperator IV. in oppido Saxoniæ Imperiali Northausen desponsatam sibi dudum neptem, Philippi Regis filiam duxit uxorem, nuptias ibidem Regio apparatu celebrans solemnes. Quartâ de hinc die nova uxor subitò infirmata rebus excessit humanis: variam interitûs sui opinionem, ne dicam suspicionem posteris relinquens: Vin-

dictam

dictam omnipotentis DEI ratione duplici æstimantibus prævaluisse, quòd & neptem duceret suam, & Ecclesiam contemneret.

Fridericus contra Ottonem eligitur.

Anno prænotato Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, Rex quoque Bohemiæ, Archiepiscopus Trevirensis, Hermannus Landgravius Thuringiæ, & plerique alij Principes cum Romano Pontifice sentientes in unum convenientes & ad memoriam reducentes juramentum, quod olim fecerunt Friderico Henrici Imperatoris VI. filio, cùm esset adhuc puer infantulus, quemadmodum anno Marquardi Abbatis I. diximus, decreverunt illum, in Regem loco abrogati Ottonis assumere. Consultatione itaque ex more præhabitâ Ottone abjurato; Fridericum in Regem unanimiter elegerunt; mittentes ad illum cum electionis decreto nuncios solemnes Henricum de Nysen & Anselmum de Justingen viros Nobiles, strenuos atque prudentes cum quibusdam alijs; quorum nuntio informatus & instantia persuasus ad capescendum Imperij jura quantocius veniret in Germaniam.

MCCXIII.

Fridericus II. Regnum sumit, Electus à Papa commendatur.

Anno Lutfridi Abbatis IX. Fridericus Rex Siciliæ, & Apuliæ Henrici Imperatoris VI. ut dictum est, filius ex Ducibus Suevorum annos agens ætatis XX. missos ad se oratores Principum Germaniæ cum Decreto electionis ad Imperium cùm audivisset, diu consentire negavit uxore simul & multis Siciliæ optimatibus animum ejus in aliud mutantibus. Postremò tamen persuasus dedit consensum, & uxore cum filio parvulo in Sicilia relictâ sese ad iter cum honesta comitiva & apparatu necessario in Germaniam properavit. Et primò quidem venit Romam ad Innocentium Papam, qui cum eo unum ex Cardinalibus destinavit Legatum scribens per illum, & mandans universis Principibus & Imperio subjectis, quatenus Ottone depositò simul & excommunicato, sicut diximus, relicto, Fridericum ab optimatibus Regni electum suscipiant, eique obediant, & in omnibus fideliter assistant. Itaque Fridericus Italiam cum Legato & exercitu suorum exiens venit per alpium loca asperrima in Sueviam & Rhetiam Curiensem: ubi honorificè ab Episcopo & nobilibus terræ susceptus ad Constantiam usque perducitur: cui Principes Regni exercitûs copiam miserunt.

Otto in occursum Friderici properat.

Comperiens Otto Friderici de Apulia exitum & futurum animóque destinatum in Germanos adventum, statuit illi tempestivè occurrere: & introitum ad Regnum prohibere. Coadunato igitur suorũ exercitu venit in Sueviam & in occursum Friderici properans, vidit exercitum suum quotidie defluere, & se fieri paulatim infirmiorem. Unde consistens in oppido Uberlingen non audebat in occursum Friderici procedere: propterea, quod se vidit desolatum. Adhuctamen fiduciam habens in solo Duce de Zeringen Bertholdo descendit cum paucis ad imperiale oppidum Brisach eventum rei præstolaturus ibidem: quærens si quovis modo copiam posset habere militum auxiliariorum ad resistendum. Ubi dum moras ageret in præsidio, & milites sui oppidanos rapinis & injurijs multis dietim irritarent, vinúmque ac pabula, & quidquid ad victum requirebatur quotidianum violenter diriperent, congregati turmatim incolæ ipsum cum suis omnibus extra oppidum potenter ejecerunt. Unde videns se desolatum ab omnibus, in Saxoniam reversus est, Fridericus autem de Constantia descendens auxilio multorum

Otto cum suis de Brisach expellitur.

Prin-

Principum fretus civitates & oppida Imperij circa Rheni fluenta quotidie progrediens in ſuam poteſtatem accepit. Ad imperiale oppidum Hagenavv cum perveniſſet, oppidani, qui partes Ottonis adhuc ſequebantur, portas clauſerunt, intromittere illum recuſantes. Qui mox vicum obſidione vallavit, & tam diu impugnavit, donec tandem expugnaret, rebelléſque oppidanos in deditionem compelleret. Inde progrediens de civitate in civitatem, ac de oppido in oppidum ab omnibus cum honore ſuſcipitur, & Rex Teutonicorum atque Romanorum à cunctis ſalutatur, & in breve quidem tempore totum penè Regnum obtinuit: paucis cum Ottone manentibus, vindictam ultione divinâ in eum procul dubio exercente, qui cenſuras contempſit Eccleſiæ; qui Clerum atque clauſtrales injuſtis exactionibus gravare non metuit: & ſuos milites de bonis Eccleſiæ remuneravit.

Hagenaw capitur à Friderico

Anno etiam prænotato Fridericus Rex cum deſcendendo per partes Rheni de Conſtantia perveniſſet ad Monguntiam, ibi aliquamdiu conſedit, magnúmque conventum Principum in feſtivitate S. Andreæ Apoſtoli celebravit. Ubi inter alios convenerunt Archiepiſcopi Moguntinenſium Sifridus, Trevirorum quoque ſimul & Argentinenſis, Baſilienſis, Conſtantienſis, Spirenſis & Herbipolenſis Epiſcopi, ſed & Rex Boëmiæ, Landtgravius Thuringiæ, Coméſque Palatinus Rheni: qui omnes Regi Friderico juramento fidelitatem promiſerunt.

Friderico jurant Principes Moguntiæ.

Hoc ipſo anno Lupoldus, quem nonnulli Diepoldum malè ſcribunt, quondam Epiſcopus Wormatienſis in odium Philippi Regis depoſitus, excommunicatus, & poſtea ab Ottone pro ſcriptus, ut ſuprà dictum eſt, anno Marquardi Abbatis VIII. Sifrido Archiepiſcopo Moguntino Eccleſiam ejus procurante, interventu Regis Friderici, Papâ Innocentio permittente, ad Sedem ſuam cunctis mirantibus reſtituitur: quod factum in odium Ottonis, qui illum proſcripſerat, multis eo tempore viſum eſt.

Lupoldus Wormatienſis reſtituitur.

Anno prænotato Fridericus Rex cum Principibus deſcendit à Monguntia in Coloniam & deinde ad Palatium Imperiale Aquaſgrani cum eiſdem profectus in Regem Francorum Theutonum juxta morem antiquum per Brunonem, ſive ut alibi ſcribitur, Sifridum Archiepiſcopum Moguntinum unctus & coronatus eſt: regnavitque annis jam deinceps non minùs triginta. Ejus prima uxor fuit Maria Regis Arragonum filia, de qua genuit Henricum Regem Siciliæ, qui ante patrem mortuus eſt. At porrò memoratus Arragoniæ Rex hoc ipſo anno prænotato Albigenſibus hæreticis & Comiti Tholoſano eorum defenſori ferendo auxilium in bello fuit occiſus à fidelibus Chriſtianis, qui cum Lupoldo Duce Auſtriæ contra illos pugnaverant. Deinde præfata uxor Friderici Maria peperit Conradum poſtea Regem Teutonum & Romanorum, de quo ſuo loco dicemus, & mortua eſt. Poſt cujus obitum ſecundam duxit uxorem filiam Joannis Regis Hieruſalem, de qua genuit filium nomine Jordanum. Quâ etiam vitâ defunctâ duxit tertiam nomine Mechtildem Regis Angliæ ſororem, nuptijs in Wormatia ſolemniter celebratis: quæ peperit ei filios duos & totidem filias, Fridericum ſcilicet Regem Tuſciæ, & Henricum Regem Lombardiæ. Agnetem quoque uxorem Landgravij Thuringiæ, & Conſtantiam uxorem Ludovici Land-

Rex Fridericus II. Aquiſgrani coronatur

Tres uxores Friderici II.

gravij Hassiæ: de quibus alio loco dicemus, ex concubina verò genuit Manfredum, qui Regnum Siciliæ occupavit.

His temporibus mortuo Brunone Colonienſium Archiepiſcopo Theodoricus Præpoſitus Eccleſiæ Apoſtolorum ſucceſſit conſilio & auxilio Regis Ottonis promotus, & præfuit annis ſex: qui ut gratum ſe promotori ſuo exhiberet, partes ipſius Ottonis contra Fridericum tenuit, in grave diſpendium Colonienſis Eccleſiæ: nec Apoſtolicis obedire mandatis voluit, nec ſententias Cenſurarum timuit, ut Ottone deſerto Fridericum ſuſciperet, pro qua contumacia tandem excommunicatus, & depoſitus à Papa fuit.

Otto Epiſc. Monaſterienſis capitur.

Anno quoque prænotato contigit Ottonem Epiſcopum Monaſterienſem Regi Friderico ſecundùm præceptum Papæ conſentientem pro quibuſdam negotijs venire ad Coloniam: qui à fautoribus Ottonis Imperatoris depoſiti capitur, & Werdenam miſſus, jubente Ottone abrogato, vinculis mancipatur. Quod mox ut Sifridus Moguntinenſium Archiepiſcopus cognovit, qui legatione Apoſtolicâ fungebatur Colonienſes excommunicavit, & interdicto ſupponens civitatem, divina celebrari in ea prohibuit.

Jvanus fit Abbas in Spanhem.

Eodem anno XVI. die menſis Auguſti obijt Rupertus Abbas Monaſterij quondam mei Spanheimenſis ante gradus præsbyterij in choro ſepultus: cui ſextus in Ordine Abbatum ſucceſſit Jvanus Prior Conventûs ex villa Spanheim oriundus, filius Gotfridi militis: qui ordinatus à Sifrido Moguntienſium Archiepiſcopo præfuit annis XXXIX. menſibus III. vir bonus & virtute prudentiæ ſingularis. Hoc ipſo anno moritur Lutoldus Epiſcopus Baſilienſis, cui Walterus ſucceſſit.

Rex Gallorum devaſtat Flandriam.

Anno etiam præſcripto Philippus Rex Gallorum cum magno exercitu intravit Flandriam bellaturus cum Ferdinando Comite, ſibique illius comitatum, ut ſperabat, uſurpaturus, ſed aliter quàm putabat, accidit. Nam plurimis ſuorum captis, vulneratis & occiſis cum magno detrimento jacturáque rerum ſuarum, & confuſione in Galliam revertitur. Fridericus autem Rex favorem memorati Regis Gallorum Philippi in multis ſibi profuturum conſiderans, fœdus amicitiæ cum eo perpetuum inijt, & pacem ad invicem literis & cautionibus neceſſarijs firmârunt.

Rex fœdus cum Gallis contrahit.

MCCXIV.

Anno Lutfridi Abbatis X. Indictione Romanorum II. Otto Imperator abrogatus atque depoſitus coadunatis viribus terras Comitis Gelrenſis hoſtili animo ingreditur: quas ipſe ſimul etiam ferro devaſtans multa pauperibus incommoda intulit ac diſpendia rerum. Poſt hæc in menſe Julio idem Rex Otto cum Rege Angliæ avunculo ſuo, Ducéque Brabantinorum Henrico, Ferrando Comite Flandriæ & pleriſque alijs contra Philippum Regem Gallorum juxta Tornacum proceſſit ad bellum: ubi fa-

Otto ſuperatur à Rege Gallorũ.

ctâ congreſſione manibúſque conſertis Rex prænominatus Gallorum victoriam obtinuit, & multos adverſariorum occidit. Ibi Comes Flandriæ Ferrandus cùm multis nobilibus tam Lotharingiæ quàm Flandriæ captus eſt: & in Galliam miſſus apud Pariſienſem civitatem vinculis & compedibus mancipatus.

Eodem anno Fridericus Rex cum valido ſuorum exercitu de Sue-

via

via descendit ad Mosellanos: & in primis Trevirenses deinde nobiles incircuitu omnes in deditionem accepit. Post hæc, Lotharingiâ in deditionem similiter coactâ, Metenses & Leodienses cum reliquis penè cunctis civibus & oppidanis in sua verba jurare potenter cogit. Mosam deinde fluvium transiens contra Henricum Brabantiæ Ducem direxit exercitum: qui adhuc partes abrogati sequebatur Ottonis. Verùm audiens Regis inopinatum adventum Dux Henricus territus est, & cum tantæ multitudini posse resistere imparatus diffideret: consilio suorum præhabito, in pace venienti cum paucis decrevit occurrere, & veniam ab eo postulare. Qui veniens gratiâ supplex ab eo petijt: & sine mora impetravit. Fidelitate itáque, ut est moris, juratâ, Dux Henricus Regi Friderico filium suum & quosdam nobiles terræ dedit obsides, & Ottonem abrogatum deserens penitus deseruit.

Rex Fridericus Mosellanos subdit.

Dux Brabantiæ Regi Friderico se subdit

Anno prænotato sextâ die mensis Martij stella, cometes dicta, visa est. Et eodem anno frater Conradus de Marpurg Ordinis Fratrum Prædicatorum sancti Dominici missus à Papa Innocentio prædicare & hæreticos inquirere ex Albigensium fæcibus pullulantes apud Teutones primùm cœpit, & per annos ferme viginti continuavit. Mutos interea loqui, ut ita dixerim, necessitas fecit: qui per omne tempus illud plures de infimis rusticanisque hominibus objecto hæreseos crimine (vero an falso novit Deus omnipotens solus) comburi fecit. Verùm cum postea manus extenderet etiam in nobiles, eorùm subordinatione occisus est, ut suo inferiùs loco, Christo largiente, dicemus.

Frater Conradus de Marpurg prædicat.

Eodem anno Sifridus Archiepiscopus Monguntinus Apostolicæ Sedis Legatus Theodericum Colonienſium Archiepiscopum ex mandato Innocentij Papæ creberrimis literis & nuntijs monuit, quatenus Ottonem abrogatum & excomunicatum desereret, ac Friderico Regi electo & coronato canonicè adhæreret: alioquin sciret se procul dubio pœnas & Censuras Ecclesiæ gravissimas incursurum. Qui monita contemnens ab eodem Archiepiscopo authoritate Apostolicâ primò excomunicatus est: & cum sententiam anathematis in se lectam parvipenderet, postea mandato Innocentij Papæ tertij etiam ab Archiepiscopali dignitate deponitur. Tandem serò nimis ad mentem reversus factum suũ doluit: cum omnes à se deficere paulatim & recedere vidit, quibus crediderat. Consilio igitur accepto Romam pro impetranda gratia restitutionis proficiscitur & diu multúmque laborans exaudiri non meretur.

Sifridus Archiepisc. monet contumacẽ

MCCXV.

Anno Lutfridi Abbatis XI. Adolphus Comes de Monte cum Friderico Rege fideliter sentiens adunatum exercitum duxit ad fluenta Rheni & castellum Werden, quod vulgari vocabulo Kaisersvverden appellamus, obsidione vallans tandem cæpit: & Ottonem Episcopum Monasterienſem, quem in Colonia captum & ibi vinculis mancipatum diximus, in manu valida liberans abire fecit.

Episcopus Monasteriensis liberatur.

Eodem anno Innocentius Papa III. Romæ in Ecclesia sancti Joannis Lateranensi Concilium centum triginta Pontificum celebravit in mense Novembri gratiâ recuperandi terram Sanctam de infidelium manibus. Maxima in ea Synodo Prælatorum multitudo convenit. In qua comparuit Patriarcha Constantinopolitanus, similiter & Hierosolymi-

Concilium Lateranense celebratur.

tanus, Antiochenus autem gravi corporis valitudine infirmatus Vicarium miſit, Alexandrinus verò Saracenorum dominio ſubjectus Germanum quendam Diaconum ſuum deſtinavit Vicarium. Primates inſuper & Metropolitani Archiepiſcopi unus & ſeptuaginta interfuêre memorato Concilio, Abbatum quoque & Præpoſitorum copioſa multitudo. Legati Regis Friderici Teutonum, Francorum, Philippi quoque Gallorum, Henrici Imperatoris Græcorum, & aliorum complurium. Multa in hac Synodo pro recuperatione Hieroſolymæ tractata fuerunt: unde Papa Innocentius miſſis in omnes fines Chriſtianorum literis & nuntijs ſuis quoslibet viros doctos & idoneos crucem prædicare mandavit. Unde per diverſas provincias innumerabilis multitudo pro Chriſti amore ad liberationem terræ Sanctæ Cruce ſignabantur: inter quos fuerunt nominatim memoriæ poſteritati commendandi Principes iſti: Fridericus Rex Teutonum & Romanorum II. Henricus Brabantinorum Dux, item Dux Moraviæ, Dux de Lemburg, Dux de Ancei, Palatinus Comes de Thubingen, Marchio de Baden, Comes Loſſenſis, Comes Juliacenſis, Comes Montenſis, Comes Spanheimenſis, Comes Veldenſis, Comes Hirſutus, Comes Silveſtris, Comes Seinenſis, Comes de Naſſavve, Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus, Epiſcopus Leodienſis, Epiſcopus Herbipolenſis, Epiſcopus Babenbergenſis, Epiſcopus Argentinenſis, Epiſcopus Patavienſis, Epiſcopus Eichſtatenſis, & alij plures quorum Deus nomina novit, qui omnes prædicante crucem Magiſtro Joanne Scholaſtico Xantenſis Eccleſiæ mandato Innocentij Papæ ſeſe ad Chriſti militiam devoverunt.

Crux prædicatur contra Saracenos.

Multi Principes cruce ſignantur.

Anno prænotato venit ad Coloniam Theodericus Archiepiſcopus Trevirorum, qui cooperante Henrico Brabantinorum Duce juxta mandatum Apoſtolicum ſibi transmiſſum cives ad ſubjectionem Friderici Regis induxit, eóſque pace reformatâ ab excommunicatione & interdicto, quibus per annum & menſes quinque fuerant innodati propter ſuam rebellionem & captivitatem Ottonis Epiſcopi Monaſterienſis, ut ſuprà diximus, abſolvit. Concordiâ verò reformatâ idem Archiepiſcopus Trevirorum quartâ die menſis Auguſti prænotato anno Miſſam in principali Eccleſia ſancti Petri Apoſtolorum Principis in præſentia tam Cleri quàm populi cantavit. Eodem die Rex Fridericus urbem Colonienſem ingreditur, quem cives ſummo honore ſuſcipientes homagium ei ſubjectionis & fidelitatis juxta conſuetudinem jurantes præſtiterunt, qui diebus ſeptem ibi manſit.

Colonienſ. Friderico Regem ſuſcipiunt.

Colonienſ. ab excommunicatione ſolvuntur.

Anno etiam prænotato Lutfridus, hujus Cænobij Hirſaugienſis Abbas ſæpe dictus Fridericum Regem in oppido Hagenavve conſiſtentem acceſſit, & confirmationem omnium privilegiorum per Reges & Imperatores, ſuo Monaſterio prænominato eatenus comiſſorum cum ulterioribus indultis & gratijs impetravit; quemadmodum in literis patet deſuper confectis, quæ donatæ fuerunt in memorato oppido Hagenavve Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quinto decimo, octavo iduum Julij, Indictione Romanorum tertiâ, ſicuti pateſcit in eiſdem.

Abbas Lutfridus privilegia revocat.

Eodem anno poſteaquam Theodericus Colonienſium Epiſcopus abrogatus diu multúmque apud Romanum Pontificem pro ſui reſtitu-

Theodoricus Colonienſis depoſitus.

tione

tione fruſtra laborâſſet nihil impetravit, ſed honore vacuus & omnino contemptus in patriam redire coactus eſt: Papa Colonienſibus per Apoſtolicas literas mandante, quatenus alium ſine mora deberent eligere. Clerus itáque mandatum Papæ ſuſcipiens mox ſine mora obedivit & Engelbertum, filium Comitis Montenſis majoris Eccleſiæ Præpoſitum ſibi in Archiepiſcopum concorditer delegit, virum optimum, amatorem Cleri, pauperúmque defenſorem, & juſtitiæ cultorem infatigabilem; qui ordinatus præfuit annis ferme decẽ: quem Fridericus Comes de Yſenberg nepos ejus poſtea, ſicut dicemus, crudeliter interemit.

Engelbertus fit Archiepiſcopus Colonienſ.

Item anno præſcripto Walterus electus Eccleſiæ Baſilenſis Epiſcopus coram Papa Innocentio accuſatus, quòd non canonicè ſive regulariter intrâſſet in ovile Domini, Romam ab eodem ſummo Pontifice citatus fuit. Qui veniens ad examen Apoſtolicæ diſcuſſionis cum ſe de Simonia & alijs objectis criminibus expurgare legitimè non poſſet, à Pontificatu ſuo, quem perperam uſurpaverat, depoſitus eſt; & Henricus ſubrogatus.

Walterus Epiſcopus Baſilenſis deponitur.

His temporibus multi fuerunt in occulto hæretici, qui varios contra Eccleſiaſticam authoritatem profitebantur errores; qui Albigenſium ſequaces facti, Germaniam, Italiam, & Galliam in locis pluribus fœdaverunt. Contra quos Apoſtolica Sedes inquiſitores varios deputavit, è quibus apud Germanos frater Conradus de Marpurg Ordinis ſancti Dominici, de quo ſuprà diximus anno proximo præcedente, plures fecit igne cremari. Nam in civitate Argentinenſi hoc anno non minùs quàm octoginta numero comprehenſi ſunt, quos memoratus frater judicio ferri candentis examinare contra prohibitionem Canonis publicè conſuevit; & in quos ferrum aduſſit, mox ignibus tradidit. Unde pauciſſimis exceptis, omnes qui coram eo ſemel accuſati fuiſſent, & per judicium ferri candentis examinati, videbantur illum plures damnaviſſe innocentes, dum candens ferrum à peccatis nullum reperiret alienum, quem exercere non poſſet, etiamſi hæreſis crimine careret.

Multorum in diverſis locis Hæreticorũ cõbuſtio.

Varia de F. Conrado opinio.

MCCXVI.

Hoc anno Lutfridus Abbas hujus Monaſterij Hirſaugienſis XXII ſenio gravatus & morbo dyſenteriæ correptus, poſt multos labores, quibus Congregationi ſuæ utiliter præfuit annis XI. & XV. diebus, tandem cum Domino in æternum quieturus ab hac mortalium peregrinatione deceſſit, XV. die menſis Februarij, anno ætatis LXIX. plenè exacto, indictione IV. vir bonus & manſuetus, quippe qui tam in Monachatu ſuo quàm in Prælatura cum ſubditis ſibi Monachis in omni pace & tranquillitate ambulavit; cujus corpus non ſine lachrymis filiorum in medio prædeceſſorum ſuorum ſepulturam in Eccleſia Monaſterij Apoſtolorum principali honeſtam accepit.

Lutfridus Abbas moritur.

De Eberhardo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXIII. qui præfuit annis xv. mensibus VIII. diebus xx. & varijs gestis.

Eberhardus fit Abbas hujus Monasterij XXIII.

VEnerabili Abbate Lutfrido viam universæ carnis Domino vocante ingresso atque sepulto, dies ad electionem novi Pastoris, XXIII. mensis Februarij statuitur: ad quam fratres à Monasterio absentes per literas & nuntios secundùm consuetudinem vocabantur. Quâ jam instante comparuerunt etiam, qui ad electionem erant evocati, & præmissâ invocatione Spiritûs Sancti de ordinatione Abbatis negotium incipitur. Ubi singulorum ex more scrutatis votis, qui dictæ electioni interesse debuerunt, unanimi consensu electus est Eberhardus (vel, ut alij, Everhardus) Monachus ejusdem Congregationis, vir integerrimus, scientiâ & moribus clarus; qui confirmatus & ordinatus per Conradum Ecclesiæ Spirensis Antistitem, præfuit annis xv. mensibus VIII. diebus XX. & jura libertatésq; Monasterij strenuè defensavit.

Eberhardus patriâ Suevus erat.

Qui Patriâ Suevus de honesta parentela procreatus in pueritia sua ad studium literarum ponitur: & quantùm ætate crevit ex tempore, tantùm successivè in scripturis profecit intellectu scientiæ & eruditione. Cúmque ad legitimam pervenisset ætatem vanas mundi curas pro Christi amore deseruit, & Monasticum schema in præsenti Cœnobio suscepit, in quo sine reprehensione multis annis laudabiliter conversatus est: in tantum quòd omnium in se dilectionem provocavit. Fuit enim vir optimus & magno dignus honore, ingenio excellens, consilio profundus, promptus & circumspectus, sermone tam latino quam patrio disertus.

Eberhardus Pastor utilis.

Ordinatus autem Abbas se Monachis Pastorem in omnibus exhibere utilem pro viribus semper curavit: ea, quæ ad morum institutionem pertinent, secundùm Regulam SS. Patris nostri Benedicti non minùs exemplo demonstrans quàm verbo prædicans. Et quamvis Regularis observantiæ pristinus fervor à Beatissimo Patre Wilhelmo in hoc Monasterio plantatus isto tempore nimiùm, próh pudor, in Monachis tepescebat, curabat tamen Abbas Eberhardus subjectos sibi fratres ad puritatem Monasticæ institutionis reducere: & compellebat eos tria principalia Religionis vota maximè custodire. Tam enim diligens & studiosus fuit circa salutem animarum & interioris vitæ custodiam, ut ut ab his qui dexteritatem ejus non noviſſent, spiritualibus totus semper videretur intentus, & temporaliũ rerum, sine quibus interiora nequeunt subsistere, aut nullam aut omnino parvam habere solicitudinem. Tam verò diligens & circumspectus fuit in ordinatione rei familiaris, ut nemo putaret illum spiritualibus aliquando studijs posse intendere. Totus námque fuit intentus observantiæ Regularis disciplinæ, totus integer atque devotus: & circa Monachorum conversationes tam solicitus & vigilans, ut Pater omnium veraciter & diceretur & esset. In cura quoque rerum temporalium diligens & multùm providus extitit: & substantiam Monasterij temporalem non minuit sed magnificè dilatavit. Sciebat enim vir prudentissimus Monachos sine provisione victûs & vestitûs

Eberhardus disciplinæ restaurator.

Eberhardus in omnibus providus.

Eberhardus in cura animarum solicitus.

in

in obſervantia Monaſticæ tranquillitatis diu non poſſe ſuſtinere, & ideo curavit eis omnia neceſſaria ſecundùm Regulam providere.

Magni nominis fuit & non parvæ authoritatis apud Fridericum Regem II. & alios Principes Teutonici Regni, qui ſapientiam in eo & Monaſticæ Religionis integritatem plurimùm venerabantur. Nam anno regiminis ſui octavo, quemadmodum illic dicemus, confirmationem privilegiorum Monaſterij ſui cum ampliori gratia & libertate à Friderico memorato Rege obtinuit, & favorem apud illum ſingularem propter ſapientiam ſuam, & vitæ Religioſæ meritum invenit. Magnam ſuo tempore cum Epiſcopo Auguſtenſe pro defenſione libertatum & privilegiorum Præpoſituræ ſuæ Rothenſis litem habuit: contra quem jure tandem triumphavit. Præpoſitus námque Rothenſis à primæ fundationis tempore ſemper Abbati hujus Monaſterij Hirſaugienſis ſine medio conſuevit eſſe ſubjectus: & alium ſuperiorem habuit neminem. Verùm ille quoniam & officium Præpoſiti memorati Cœnobij geſſit temporibus Eberhardi Abbatis, neſcio quo ſpiritu ſeductus, ab ejus ſe obedientia conabatur ſubtrahere: & prædictum Auguſtenſem Epiſcopum pro ſuperiore invocare. Cujus temeritatem Præpoſiti Abbas Eberhardus iniquo ferens animo ſe conſtanter oppoſuit, & coram eodem Pontifice, ac toto Auguſtenſis Eccleſiæ Capitulo per juris & juſtitiæ ſententiam gloriosè triumphavit. Nam viſis & auditis juribus & privilegijs Monaſterij Hirſaugienſis ad Præpoſituram memoratam, quæ Abbas produxit in medium: quòd præpoſitus Rothenſis non Epiſcopo, ſed Abbati ſine medio debeat eſſe ſubjectus, fuit ab omnibus declaratum. Ita videtur quòd inſtitutio illius Abbatem Hirſaugienſem ſecundùm Regulam ſolum reſpiciat: & de ordinatione ejus nullus ſe alius intromittat. Fuit autem Abbas Eberhardus jurium, libertatum, privilegiorum, & rerum Monaſterij ſui defenſor acerimus: quippe qui nunquam ferre vel modicam læſionem eorundem ab aliquo æquanimiter potuit. Conſtans erat animo: nec facilè poterat ab injuriantibus ſuperari: quem utpote in agendis & prudentia reddidit providum, & innata quædam religioſiſſimæ converſationis authoritas metuendum.

Eberhardꝰ fuit notus Principibꝰ.

Præpoſitura Rothenſis impugnatur.

Abbas Præpoſitum cõpeſcuit.

Eberhardꝰ jurium defenſor acerrimus.

Anno prænotato, qui primus Eberhardi Abbatis extitit, mortuus eſt Innocentius Papa III. qui & Lotharius quondam Levita, qui libros quinque Decretalium edidit: quos Romæ in Lateranenſi Concilio publicavit. Scripſerat & ante Pontificatum non ſpernendæ lectionis quædam opuſcula: quorum mentionem fecimus anno II. Marquardi Abbatis.

Iñocentius Papa III. moritur.

Iſte Innocentius Papa III. ordinem fratrum Eremitarum S. Auguſtini confirmavit, & ſub Apoſtolicæ Sedis tutelam ſuſcepit: quem illo tempore penè extinctum & labefactum Joannes quidam Mantuanus cognomine Bonus vir ſanctiſſimæ converſationis verbo & exemplo mirificè inſtauravit, reformavit, & auxit: qui multis annis in Flaminea & Umbria Italiæ Provincijs vitam religioſiſſimam atque ſanctiſſimam in in eremo ducens, multa ſuæ Religionis Cœnobia fundavit, plurimiſque virtutibus miraculis & ſignis coruſcavit. Idem quoque Papa Innocentius ordinem Cruciferorum à B. Cyriaco Epiſcopo & Martyre olim temporibus Conſtantini Magni Imperatoris inſtitutum: ſed poſtea per Julianum Apoſtatam extinctum, quippe qui eundem ſanctum virum diverſis pœnarum

Ordo Fratrum S. Auguſtin.

Ordo Cruciferorum inſtauratur.

narum supplicijs affectum Christi Martyrem fecit, suis temporibus resti-tuit, & in memorato Lateranensi Concilio pro S. Crucis honore confirmavit &: hoc intentione præcipuâ contra hæresim Albigensium, qui varijs erroribus sanctam conturbaverunt Ecclesiam. Innocentio Papæ mortuo successit Honorius ejus nominis III. patriâ Romanus, & præfuit annis x. mensibus VII. diebus XIII. vir certè doctus & morum integritate sanctissimus: qui Regem Fridericum II. Imperatorem coronavit, sed postea excommunicatum deposuit. Hic Papa Honorius duos novos Ordines Prædicatorum videlicet ad instantiam S. Dominici, & Minorum D. postulante Francisco confirmavit: & sub tutela protectionis Apostolicæ Sedis perpetuò suscepit.

Honorius fit Papa III.

Conventus fit Principum.

Eodem Anno Rex Fridericus sub initium mensis Maij conventum Principum in oppido Nürnberg celebravit, & multa pro comuni pace reipublicæ ibidem constituit. Aderat in ea convocatione Principum Apostolicæ Sedis Legatus nomine Petrus Cardinalis S. Potentianæ, qui Engelbertum Colonienſium electum in Archiepiscopum ordinavit.

Otto Imperator moritur.

Anno etiam prænotato Otto quondam Imperator suorum omniũ destitutus auxilio, desertúsque penè à cunctis hominibus nimiâ mentis amaritudine anxiatus, & anxietate tabescens infirmari cœpit: & melancholiâ cum morbo quotidie crescente, post multas tandem angustias mortuus est.

MCCXVII.

Henricꝰ fit Episcopus Wormatiensis.

Anno Eberhardi Abbatis II. moritur Lupoldus Episcopus Wormatiensis, de quo Cæsarius Monachus Heisterbacensis in secunda Dialogorum suorum distinctione, capite IX. facit mentionem: improbæ conversationi illius manifestum perhibens testimonium. Post quem Henricus Præpositus S. Cyriaci in Nuhusen prope Wormatiam filius Comitis de Saraponte succedens præfuit annis XVII.

Conventus Principum ad Syriam.

Eodem anno Rex Andreas Ungariæ, Lupoldus quoque Dux Austriæ, Joannes Comes de Spanheim, Poppo Comes de Henneberg, Wilhelmus Hollandiæ Comes potentissimus, Georgius Comes de Wyede, Ludovicus Comes de Oetingen, & multi alij Comites, Principes, Episcopi, Abbates, & Nobiles cum innumerabili multitudine Cruce signatorum pro Hierosolymitanæ urbis recuperatione ad Christi honorem transierunt.

Petrus fit Imperator Græcorum

Anno prænotato Henricus ex Comitibus Flandriæ Constantinopolitanus Imperator sine liberis moritur: post quem Petrus Altisiodorensis Comes Græcorum sumpsit imperium, qui Romæ in Ecclesia S. Laurentij extra muros coronam Imperij de manibus Honorij Papæ III. suscepit. Nonâ de hinc die post coronationis suæ peracta solemnia ab Urbe cum uxore & quatuor filiabus discedens iter versùs Constantinopolim instituit,

Imperator idem Græcorum capitur.

habens in comitatu suo Joannem quendam de Columna Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, & multos ex Gallia Nobiles. Imperavit autem annis novem, & postremò cum ab obsidione oppidi Dyarchi à Theodoro Epyrotarum Duce antea dolo capto discederet, ab eodem in montibus teterrimis pedester incedens captus est, ac per biennium carceri mancipatus, uxore interea Imperium gubernante.

MCCXVIII.

MCCXVIII.

Anno Eberhardi Abbatis III. circa Dominicam Palmarum, Lupoldus Dux Austriæ unà cum Legato Apostolico, Templarijs quoque & Hospitalarijs, maximáque multitudine Christianorum Salvatori nostro in terra Sancta militantium ad fines Ægypti accedentes Damiatam, quæ olim dicebatur Heliopolis, urbem opulentissimam obsidione cinxerunt, & aliquanto tempore fortiter oppugnârunt. Et in primis quidem turrim, quæ dicebatur clavis terræ prope litus Nili fluminis munitissimam in Vigilia sancti Bartholomæi Apostoli post longam obsidionem ceperunt. Nec diu post etiam urbem ipsam obtinuerunt: quam tamen rursus postea perdiderunt.

Damiata capitur à Christianis

Eodem anno moritur Bertholdus Dux de Zeringen vir fortis & bellicosus, qui multa cum adversarijs bella multories gloriosè consummavit. Hic est Dux ille potentissimus, qui Philippo Regi quondam fortiter adhærens, ipsum in Regno contra omnes æmulos potenter servavit, ad quem propterea Innocentius Papa III. Decretalem monitoriam scripsit, quæ habetur libro Decretalium 1. capit. *Venerabilem.*

Bertholdus Dux de Zeringen.

Anno prænotato mare terminos transgrediens antiquos in partibus Frisiæ, & procul effusum in longum & latum terram circumquaque subitò præoccupavit, villas integras, domos, Ecclesias, oppida & castella subvertit: & plus quàm centum hominum millia horrendo incursu submersit. Cæsarius Monachus in Heisterbach Colonienſis Diœcesis in opere suo miraculorum, causam hujus diluvij quandam irreverentiam venerabili Sacramento Dominici Corporis exhibitam fuisse commemorat, per hominem quendam ebrium, qui pixidem cum hostijs de manu Sacerdotis in terram excussit.

Centum millia hominum submersa.

MCCXIX.

Anno Eberhardi Abbatis III. Fridericus Rex cum magno apparatu exercitûs ac Principum comitantium in Italiam profectus est: veniénsque Romam circa festum S. Cæciliæ Martyris ab Honorio Papa III. coronam Imperij cum magna solemnitate accepit. Qui statim Româ movens exercitum Apuliam & Siciliam Regna paterna perlustrando visitavit: & quidquid sibi adversari posse suspicabatur, de medio sustulit: & plura cum finitimis gentibus bella strenuè commisit: verùm quia terras Romanæ Ecclesiæ subjectas ense suo tetigit: mox inter ipsum & Papam Honorum gravissima dissensio suborta fuit, quæ cum dispendio utriusque partis multo tempore durans non paucis mortalibus causa periculi fuit. Unde postremò Imperatorem Papa excommunicavit: & suâ illum authoritate ab Imperio deposuit.

Fridericus coronam suscepit Imperij Romæ.

Discordia fit inter Papam & Imperatorem.

Eodem anno Conradus Saladini Ægyptiorum filius post captam à Christianis Damiatam Hierosolymæ retinendæ spem penitus abijciens, muros & turres in circuitu destruxit, domos & Ecclesias penitus desolavit: ut venientes Christiani Urbem vacuam & desertam invenirent. Turrim verò David, templúmque Dominici sepulchri & Salamonis, sive precibus fidelium inibi comanentium flexus, sive civium potentiâ deterritus, sive alia qualibet ex causa non destruxit.

Hierusalē destruitur.

Sepulchrū manet Dominicum.

Anno prænotato Dux Lotharingiæ, vel consentiente vel dissimulante Argentinensium Episcopo, cum valido exercitu intravit Alsa-

Dux Lotharingiæ vastat Alsatiam.

tiam: & suorum injuriam, de quibusdam oppidanis atque nobilibus vindicare summo desiderio cogitabat. Discurrens itaque cum suis per regionem spoliavit pauperes, villásque incendit, ac postea in sua reversus est.

Cœnobiũ S. Catharinæ fundatur.

His quoque temporibus Cœnobium Monialium Cistertiensis Ordinis in valle S. Catharinæ Virginis & Martyris haud procul à Spanheim de novo fundatur atque constructur per munificentiam Udonis pastoris in villa Mandale Archipresbyteri ruralis, sociorúmque suorum Gotfridi Præpositi de Grutzenach, & Friderici Decani de Hilversheim: qui pro remedio animarum suarum locum ad sustentationem Domino famulantium, collatis in unum rebus suis, sufficienter dotaverunt. Quam fundationem Sifridus Archiepiscopus Moguntinus confirmavit.

MCCXX.

Imperator devastat Saracenos.

Anno Eberhardi Abbatis V. Fridericus Imperator II. in Apulia constitutus multa cum finitimis Saracenis bella gerens Christo auxiliante gloriosè triumphavit, eósque sibi tributarios fecit, multos etiam ex eis diversis locis atque temporibus occidit: interea verò quò Imperator Fridericus moram pertraxit in Apulia, Henricus Puer decem annorum sub custodia & institutione Ottonis Episcopi Herbipolensis apud Francos Orientales commissus à patre degebat, sub cujus nomine idem Præsul Otto, Sifridus quoque Archiepiscopus Moguntinus, Engelbertus Archiepiscopus Colonienſis, cum alijs quibusdam Principibus ex mandato Imperatoris Friderici Regnum sapienter gubernant.

Conradus Comes Silvestris.

Anno prænotato Conradus Comes Silvestris de Duna, quem vulgari vocabulo Wildgraff nuncupamus, per Sifridum Archiepiscopum Moguntinum excommunicatur, & terra illius interdicto supponitur propter Advocatiam in Heimbach, quam violenter invaserat reclamantibus Præposito & Capitulo majoris Ecclesiæ Moguntinæ, qui illam sui juris esse dicebant. Tandem Conradi amicis se interponentibus, concordia tali conditione facta est, quòd Comes acceptis ab Ecclesia centum marcis argenti, Advocatiam ipsis liberè dimisit: & sicà censuris excommunicationis & interdicti solvitur.

Sanctus Dominicus moritur.

Anno etiam præscripto Nonis Augusti sanctus Dominicus Ordinis fratrum Prædicatorũ institutor & Princeps novæ & necessariæ religionis suæ omnimodâ confirmatione ab Honorio Papa impetratâ, post multa virtutum opera, post infinita quoque perpetrata miracula apud Bononiam Italiæ urbem migravit ad Dominum, quem postea Gregorius IX. Papa miraculis auditis catalogo Sanctorum adscripsit.

Cæsarius Monachus Heisterbacensis scriptor.

Claruit his temporibus in Cœnobio Heisterbach Cistercienſis Ordinis in Diœcesi Colonienſi Cæsarius Monachus in sancta religione devotus & in scripturis divinis studiosissimus, qui ad ædificationem Novitiorũ, quorum institutor sive magister à suis superioribus fuerat ordinatus, plura non contemnenda lectionis opuscula, quibus se & tunc præsentibus utilem reddidit, & memorabilem posteris lucubravit. E quorum numero nos invenimus ista secundùm annotationem ipsiusmet Cæsarij quam in quadam epistola fecit ad Petrum Priorem de loco sanctæ Mariæ. In primis

Opuscula hujus Cæsarij Monachi Heisterbacensis.

dum adhuc esset junior scripsit de muliere quæ apparuit in sole, sicut Joannes dicit in Apocalypsi, expositionis libros duos. De observatione solis Dominica in passione Dialogorum edidit lib. 1. De muliere forti ad laudem

dem Dominæ noſtræ ſanctæ Mariæ compoſuit viginti duos ſermones lib. I. Dialogum diverſarum viſionum & miraculorum lib. XII. Super Dominicalia Evangelia homilias quatuor & ſexaginta lib. I. Vitam & Paſſionem Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis lib. I. Vitam quoque ſanctæ Eliſabeth Landgraffiæ Thuringiæ & Haſſiæ lib. I. In feſtivitatibus Sanctorum ſcripſit ſuper Evangelicas Lectiones Homilias XXXIII. In Laudes Dominæ noſtræ ſanctæ Mariæ lib. I. De Transfiguratione Domini lib. II. Super Dominicam Paſſionem Homilias octo. Contra hæreſes ſui temporis. lib. I. Item ſcripſit aliud volumen diverſaram viſionum & miraculorum lib. VIII. Ad Canonem Monachum lib. I. Homilias feriales in quadrageſima numero XXXVI. In pſalmum *Beati immaculati* ſermones XXII. In pſalmos quindecim graduum lib. I. Super Eccleſiaſticum lib. VIII. Sermonum ad Novitios lib. I. Alia quoque multa compoſuit, quorum recordatio non occurrit.

Jacobus de Vitriaco Epiſcopus Cardinalis doctus & ſanctus.

Claruit etiam his temporibus Jacobus de Vitriaco Leodienſis Diœceſis. Primò crucis prædicator ex mandato Papæ Innocentij egregius, deinde Achonenſis Epiſcopus, ac poſtremò ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Tuſculanus, vulgariter nuncupatus, vir in divinis ſcripturis eruditus & ſæcularium literarum non ignarus: qui ſcripſit vitam ſanctæ Mariæ de Oegnies lib. III. Paſſagion quoque terræ Sanctæ & Bullam Chriſtianorum cum Saracenis habitam, quibus ut Legatus Apoſtolicus inter fuit. Contra errores quoque Saracenorum lib. 2. De vita & miraculis quarumdam Sanctarum mulierum, quæ ſuo tempore apud Leodium claruerunt, plures lucubrationes edidit. Fuit enim vir non ſolùm eruditione clarus: ſed etiam vitæ merito reverendus qui multos ad bonum convertit.

MCCXXI.

Damiata reſtituitur. Saladino.

Anno Eberhardi Abbatis VI. Indictione Romanorum nonâ. Damiata Civitas Ægypti circa Nilum, quam Chriſtiani priore anno cum magno labore ceperant, interfectis habitatoribus ejus multis pro liberatione captivorum fidelium, qui apud Saracenos detinebantur, Saladino Babyloniæ à Chriſtianis reſtituta eſt: quod factum peccatis noſtris demerentibus, quis dubitet? Nam Saladinus paulò ante pacem Chriſtianorum poſtulans, civitatem Hieruſalem & Regnum totum ſe reſtituturum, Urbem quoque ſanctam reædificaturum. Damiatam cum adjacente Regione ad ſpatium viginti milliaris quietè poſſidendam ſe voluntariè conceſſurum, modò ulteriùs in terram ejus non procederent, repromiſit: & nunc ejus gratiam poſtulant Chriſtiani.

Wormatia crematur.

Eodem anno civitas Wormatienſis in die ſanctæ Margarethæ Virginis & Martyris igne fuit ſuccenſa & multæ domus, maximè juxta forum & plateas ſtratas foro contiguas flamma incendij vorax conſumpſit.

Conventus Minorum Wormatiæ

Eodem quoque anno fratres Minores, ſancto Franciſco adhuc vivente, intraverunt Wormatiam, & Henrico de Sarbrucken Epiſcopo loci ſimul & quibuſdam Urbanis adjuvantibus Cœnobium conſtruxerunt.

Iter Principum ad terram Sanctam.

Anno prænotato Theodoricus Archiepiſcopus Trevirorum, Archiepiſcopus quoque Mediolanenſis, Epiſcopus Faventinus, Epiſcopus Regij, cum Legatis Friderici Imperatoris II. mare navigantes in auxilium Chriſtianis, Domino Salvatori militantibus contra Saracenos, in Syriam

perrexerunt, nuntiantes ipsum quoque Imperatorem cum ingenti exercitu Germanorum & Latinorum propediem esse venturum. Episcopus denique Brixiensis cum magna classe navium & copia Longobardorum & Italorum eodem tempore ad Syriam auxilio futurus Christianis, profectus est.

MCCXXII.

Cœnobiũ monialiũ Husen incorporatur Lympurg.

Anno Eberhardi Abbatis VII. Conradus Episcopus Spirensis audiens Moniales nostri Ordinis in Cœnobio Húsen dicto in sua Diœcesi prope Monasterium Lympurg, haud procul à Durckheim oppido Comitis de Lynigen, nimiùm à tramite regularis disciplinæ recessisse vitámque vivere turpem & inordinatam, nec minùs in temporalibus bonis huic vitæ necessarijs, quàm in spirituali conversatione defecisse, usq; adeò quòd inopiam suam turpi commercio relevare cogerentur: de consensu Sifridi Archiepiscopi Moguntini statuit, ut nulla deinceps in eodem loco susciperetur ad ordinem, sed permitterentur omnes per mortem extingui cum tempore. Quibus vitâ defunctis Cœnobium illud memoratæ Abbatiæ Lympurgensi esset perpetuò unitum & incorporatum cum universis proventibus suis: ita videlicet, quòd Abbas curare studeat, ut divina per Monachos ibidem celebrentur.

Henricus filius Imperatoris fit Rex.

Eodem anno Henricus filius Imperatoris Friderici II. qui, ut ante diximus, apud Ottonem Herbipolensem Episcopum nutriebatur, cum esset annorum ferme XII. patre postulante in Regem Francorum Teutonum à Principibus Imperij eligitur: & octavâ die mensis Maij, quæ fuit proxima Dominica ante Festum Ascensionis Domini per Engelbertum Archiepiscopum Colonienſem apud Aquasgrani solemni pompâ unctus coronatur: qui tamen ante patrem moritur.

Rex Daciæ capitur.

Anno quoque prædicto Baldemarus Rex Daciæ cum filio suo captus à Comite quodam Henrico de Scuirin, & custodiæ per biennium in castro fortissimo, quod nominant Dannenberg, mancipatus detinetur.

Terræ motus horrendi multa millia hominum peremerunt.

Anno etiam præscripto in fine Decembris in Colonia Agrippina & circa regionem magnus terræ motus fuit, qui domos & turres plures subvertit. In Cypro Insula duæ civitates eodem anno & terræ motu corruentes plurima hominum millia horrendo & inquinato mortis genere perierunt. In Italia quoque & in Longobardia præcipuè maximi & horrendi terræ motus per plures dies hoc ipso anno fuerunt: in tantum quòd homines relictis domibus suis in campo sub nudo cælo in tentorijs habitabant. Ipso námque die Dominicæ Nativitatis, & per duas hebdomadas sequentes quasi omni die bis in Longobardia terræ motus fuit nimiùm horribilis: cujus impulsu domus, Ecclesiæ, muri, turres & castella fortissima subitò ceciderunt: sacerdotes cum populo, homines & jumenta perierunt. Brixia quoque Longobardiæ civitas terræ motu eodem tempore penè tota corruit: rupes de montibus evulsæ sunt, castra dejecta, & in diversis locis tam Europæ quàm Asiæ multa millia hominum miserabili morte interierunt. In plerísque locis Italiæ, & in ipsa urbe Roma, terra pluit de cælo sanguine permixta: & multa stupenda hominibus visa sunt.

Sanguis pluit ex nubibus.

MCCXXIII.

Abbas Eberhardus privilegiũ impetrat.

Anno Eberhardi Abbatis VIII. Indict. Roman. XI. in mense Januario

rio Fridericus Imperator II. ad instantiam ipsius memorati Abbatis omnia hujus Monasterij privilegia bona & libertates imperiali authoritate confirmavit: gratiásque ampliores addidit; & literas de super confectas suo imperiali sigillo, ut est moris, roboravit.

Eodem anno Rex Hierosolymitanus nomine Joannes super amissione Damiatæ nimiùm dolens, quippe quæ sine suo consensu Saracenis à nostris fuerat restituta, compositis, ut poterat, in Syria rebus, cùm parva satis armatorum comitiva venit in Italiam auxilium à Romano Pontifice cæterísque Principibus Europæ petiturus. Venit ergo Romam, & imprimis Fridericum Imperatorem, ad pacem & concordiam cum Honorio Papa bonis medijs, multis rationibus, multísque modis induxit; ut videlicet ablata Ecclesiæ restitueret, apparatúmque bellicum in Saracenos ducendum præpararet. In tantum verò Regis admonitio apud Imperatorem valuit, ut non solùm rogata promitteret: sed etiam denuo crucem contra impios pugnaturus de manibus Papæ susciperet.

Imperator Jolam secundam ducit uxorem.

Mortuâ eo tempore primâ uxore Imperatoris Friderici Mariâ Regis Arragonum filiâ, Joannes memoratus Rex Hierosolymitanus ut sibi animum eò fortiùs devinceret Imperatoris, filiam suam unicam illi desponsavit uxorem; condonans eis dotis nomine, Honorio Papâ consentiente, quidquid filiæ hæreditario jure in Regno Hierosolymitano competebat. Vocata igitur ex longinquis & transmarinis partibus filia Regis Imperatori Romæ conjungitur, & à Pontfice solemni benedictione coronatur: ubi celebratis nuptijs magnifico satis apparatu, Fridericus cum nova Imperatrice in Apuliam lætus revertitur.

Ludovicus fit Rex Gallorum.

Anno prænotato Philippus Rex Gallorum moritur; qui CL. marcarum millia legavit in subsidium terræ Sanctæ, memorato Regi Hierosolymorum. Nuptijs igitur filiæ, sicut diximus, Romæ celebratis, idem Rex in Galliam proficiscitur: & accepto prædicto pondere argenti secessit in Hispaniam Limina D. Jacobi visitaturus Apostoli; ubi posteaquam apud Rerengarium illius Provinciæ Regem aliquamdiu commoraretur, ejus sororem postremò duxit uxorem, & non post multos menses per mare navigans cum ea in Syriam revertitur.

Bertholdus fit Episcopus Argentinensis.

Anno etiam prænotato mortuus est Henricus Episcopus Argentinensis, cui successit Bertholdus vir magnæ prudentiæ, opere & sermone strenuus: qui populo sibi commisso satis utiliter præfuit.

Eodem anno Henricus Rex filius Imperatoris Friderici conventum Germaniæ Principum celebravit in oppido Saxoniæ Northusen: ubi Engelbertus Colonienſium Religiosus Antistes multùm laboravit pro liberatione Baldemari Danorum Regis, quem Henricus Comes de Scuirin, ut suprà diximus, cum filio tenuit captivum.

Crux prædicatur contra Saracenos.

His quoque temporibus Papa Honorius III. ad instantiam Joannis Regis Hierosolymitani missis nuntijs & Legatis circumquaque crucem prædicari fidelibus jubet, denuntians omnibus manifestè quatenus post biennium circa festum Nativitatis sancti Joannis Baptistæ sint parati cum Imperatore mare transire in Syriam.

Regula Fratrum Minorum confirmatur.

Anno quoque prænotato penultimâ die mensis Novembris Honorius Papa III. de consilio & assensu fratrum suorum Cardinalium regulam & Ordinem Fratrum Minorum sancti Francisci confirmavit, biennio

ante mortem ejusdem Confessoris Sanctissimi: dans Bullam hujusmodi confirmationis, cui eadem regula est inserta.

Theodoricus fit Episcopus Herbipol.

Item anno prænotato Nonis Decembris, hoc est, in profesto sancti Nicolai Confessoris atque Pontificis circa meridiem mortuus est Otto de Lodenberg Episcopus Herbipolensis & Dux Francorum Orientalium vir prudentissimus, qui Henricum Regem filium Imperatoris Friderici multo tempore instituit & educavit. Huic in Pontificatu Beapolitano Theodericus succedens præfuit anno duntaxat I. mensibus II. diebus verò XXIV.

MCCXXVI.

Berengerus fit Episc. Spirensis.

Anno Eberhardi Abbatis IX. Conradus Episcopus Spirensis obijt duorum Regum Philippi & Ottonis Cancellarius, qui Ecclesiam quoque Metensem à plerisque scribitur annis pluribus tenuisse, nisi forsitan similitudo nominum eos deceperit, ut Metensem putaverint dici, quæ à veteribus Neometensis sive Nemetensis per syncopen, id est nova Metis, quæ nunc Spira dicitur, fuit nuncupata. Huic autem Conrado in Pontificatu Spirensis Ecclesiæ successit Berengerus de Entringen, qui prænotato anno die mensis Martij vicessimâ septimâ per Canonicos memoratæ Ecclesiæ electus præfuit annis novem.

Conventus Principum Franckenfurti.

Eodem anno circa medium mensis Maij Henricus Rex conventum Principum in oppido Franckenfurt celebravit, in quo missi ab Imperatore nuntij cum literis prænunciabant ipsum de Apulia in Germaniam quantocius esse venturum, atque pro recuperatione civitatis Hierosolymæ, ac totius terræ Sanctæ habiturum consilium.

Legatus venit in Hirsaugiã.

Anno etiam prænotato Papa Honorius Conradum Portuensem Episcopum Cardinalem S. Rufinæ Legatum pro Cruciata in Germaniam destinavit, qui per Sueviam descensurus ad Coloniam præsens Monasterium Hirsaugiense in propria persona visitavit, quem Abbas Eberhardus honorificè suscipiens humanissimè per biduum curare studuit, & postea usque Spiram comitatus fuit. Item anno memorato Henricus Rex,

Profectio Regis in Saxoniam.

Conradus Episcopus Portuensis prædictus Cardinalis, Engelbertus Archiepiscopus Colonienſis, Hermannus Magister Hospitalis Hierosolymitani Ordinis Teutonicorum, & quidam alij Principes de Colonia simul in Saxoniam pro quibusdam negotijs Ecclesiæ & Regni profecti sunt, intentionem habentes liberandi Regem Danorum de captivitate Comitis Henrici de Scuirin, à quo detinebatur, ut diximus. Cúmque processissent usque ad Albin fluvium Saxoniæ Hermanum præfatum Hospitalis B. Mariæ Teutonicorum Magistrum ad Comitem sæpe dictum

Hermann' Magister Hospitalis.

præmiserunt: qui animum Regis captivi tentaret super concordia, ipsique præcedentem postea subsecuti sunt. Consultationibus igitur multis atque tractatibus præhabitis concordandi modum hunc tandem invenerunt. Quòd Baldemarus videlicet Danorum Rex omnem terram quam

Pro Rege Danorum consultatio

possederat Imperio ablatam in primis deberet restituere: Regnúmque Daciæ & Coronam de manu Imperatoris susciperé, sicut antecessores sui Reges Danorum pleróque fecisse constat: insuper & centum marcarum millia pro liberatione sui ac filij de prompto rependeret. Placuit

Rex Danorum liber dimittitur su bcondi. tione.

hæc pacis conditio Regi captivo, & omnia se fideliter servaturum omni tempore annuente filio promisit. Verùm Albertus Comes de Urlemunda filius sororis ipsius Baldemari Regis, & cæteri Danorum Principes qui con-

convenerant propositam conditionem pacis recusantes,& promissa Regis cassantes, navibus conscensis, ad sua cum indignatione redierunt: pecuniam ingentem quam pro liberatione Regis Baldemari attulerant secum iterum reportantes. Unde & memorati Principes infecto negotio ad sua redierunt. Non placet conditio Danis.

Anno præscripto Theodoricus Herbipolensis Ecclesiæ Pontifex, Francorúmque Orientalium Dux moritur: post quem in Pontificatu successit Hermannus de Lodenburg nepos Ottonis quondam Episcopi: & præfuit annis fermè xxvi. qui à civibus Peapolitanis multas insolentias tum propter Fridericum Imperatorem excommunicatum, tum etiam quòd jugum obedientiæ debitum conabantur excutere, sustinuit: contra quos tamen semper & jure & bello triumphavit. Hermañus fit Episcop⁹ Herbipol.

MCCXXV.

Anno Eberhardi Abbatis X. in mense Januario Albertus Comes Urlemund, cujus jam fecimus mentionem, congregato magno Danorum exercitu contra Henricum Comitem de Schvvirin processit ad bellum, sed Comes idem Henricus venienti non segniter occurrit: committiturque pugna inter eos animositate magnâ à prima hora diei usque ad vesperam, & ceciderunt multi ab utraque parte, sed victoriam Comes Henricus obtinuit. In eo prælio Comes de Urlemunda prædictus cum nobilibus Danorum pluribus captus est ab Henrico de Scuirin, & ductus in Dannenburg castellum munitissimum, ubi & Baldemarus Rex cum filio tenebatur captivus, custodiæ mancipatur. Ita factum est ut conditionis propositæ articulos, quos priùs, ut diximus, tumidâ mente contempserat, humillimè jam captivus subire postularet. Post hæc interventu Principum concordia facta est sub conditionibus pacis de Rege Baldemaro susceptis, firmissimâque pace juratâ, sed & literis necessarijs confirmatâ atque pecuniâ redemptionis in promptu numeratâ, Rex cum filio & Comite dimittitur: quamvis in malum sibi postea fidem non servaverit, ut dicetur. Bellum Danorũ cum Comite Henrico. Albertus Comes capitur in bello. Conditio pacis cum Danis.

Hyems fuit hoc anno dura simul ac longissima: quam fames biennio durans gravissima est subsecuta, quâ multi miserè perierunt. Henricus Rex iterum apud Franckenfurt conventum Principum habuit, in quo multa & varia pro communi pace tractata fuerunt. Hyems dura & fames magna.

Anno prænotato idibus Septembris obijt Archiepiscopus Moguntinus: cui ejusdem nominis Sifridus III. succedens præfuit annis xxiv. homo magnarum actionum, qui jura, libertates & proventus Ecclesiæ Moguntinæ non mediocriter ampliavit. Hic principatum insignis tunc Monasterij Lorsch nostri Ordinis de consensu tam Imperatoris quàm Romani Pontificis, sed contra voluntatem Ordinis, Moguntinæ Ecclesiæ usurpavit cum oppidis, villis atque castellis in valore centum millium ducatorum: ipsúmque Monasterium, quod nostræ institutionis semper fuerat, ut suo loco dicemus, ab Ordine alienavit. Sifridus Archiepisc. Moguntin⁹ obijt.

Anno etiam prænotato Engelbertus ex Comitibus de Monte Archiepiscopus Colonienſis, à Friderico Comite de Ysenberg sororis suæ filio, qui tenacem ejus pro justitia zelum ferre non poterat, octo & triginta vulneribus confossus in quodam itinere crudeliter & innocenter occisus est: cujus venerabile corpus ad Coloniam relatum in majori Ecclesia

cleſia cum debito honore ſepultum eſt in Capella propria versùs aquilonem: cujus vitam, paſſionem & miracula Cæſarius Monachus, ut ſupradictum deſcripſit: poſt quem & alia miracula circa tumbam ejus multa contigerunt. Poſt quem in Archiepiſcopatu ſucceſſit Henricus de Mulenarck Bunnenſis Præpoſitus, & præfuit annis x. qui mox ut ordinatus fuit in vindictam Anteceſſoris ſui occiſi, caſtellum Yſenberg Comitis Friderici prænominati parricidæ funditus evertit & deſtruxit. Claruit ſanè prænominatus Engelbertus poſt mortem ſuam, multis & ſtupendis miraculis: ſed poſteaquam ejus interfector Comes Fridericus extra muros Colonienſes non diu poſtea fuit juſtitiâ dictante rotatus, miracula ceſſaverunt uſque in præſentem diem.

Henricus fit Archiepiſcopus Colonienſ.

Anno quoque memorato Henricus Rex, filius Imperatoris Friderici, uxorem duxit filiam Lupoldi Ducis Auſtriæ, nuptiáſque in Nürinberga cum pompa & ſolemnitate Regia celebravit, in præſentia multorum Principum átque Nobilium. In quo conventu procerum ſententia data fuit contra Fridericum Comitem de Yſenberg interfectorem B. Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis, qui jam profugus latuit ut ubicúnque inveniretur, tamquam homicida crudeliſſimus rotæ ſubiret judicium. Quod & factum eſt, nam inventus poſtea, & Coloniam perductus, extra urbem vivus rotatus eſt, matre inſpectante, & ſub rota vociferante: heu me, hæc ſunt viſcera mea à corvis devoranda, ſicut per ſomnium vidi, cum te fili mi adhuc portarem in utero. Quare autem illo rotato miracula ad ſepulchrum B. Præſulis Engelberti ceſſaverint, ſi quis ſcire deſiderat: hiſtoriam facti diligentiùs attendat. Nam Comes Fridericus homicida impius peracto ſcelere, mox cum ſatellitibus ſuis numero xxv. ſe ad caſtrum Yſenberg recepit, verùm caſtello non confidens, inde fugiens receſſit, & anno toto profugus & excommunicatus à Conrado Portuenſi Epiſcopo Sediſque Apoſtolicæ Legato, nuſquam tutus latuit, anno poſtea revoluto, à quodam milite inventus & captus, pro marcis centum & duobus millibus Henrico Archiepiſcopo, quem Engelberto ſucceſſiſſe diximus, venditur, & vinctus Coloniam perductus XVIII. Calend. Decembr. rotatur, Beatus verò Engelbertus VII. Iduum Nov. anno præſcripto patitur.

Henricus Rex ducit uxorem.

Comes de Yſenberg rotatur.

MCCXXVI.

Anno Eberhardi Abbatis XI. Longobardi ad ſuggeſtionem Honorij Papæ III. contra Fridericum Imperatorem conſpirantes ligam inter ſe & inimicos ſuos, adverſus Imperium Romanum ſtatuerunt, quæ multis annis ſub nomine confœderationis Longobardorum dicta permanſit, in grave diſpendium memorati Imperij & impedimentum Hieroſolymitanæ expeditionis manifeſtum, quoniam iter, quod in Syriam facere promiſerat, tali, ut ferebatur occaſione, diutius fuit retardatum.

Longobardorũ conſpiratio contra Fridericum.

Eodem anno S. Franciſcus de Aſſiſio Fundator Ordinis Minorum Chriſti amator ferventiſſimus VI. die menſis Octob. de præſenti miſeria tranſivit ad Dominum, quem totis ſemper viribus amavit; & mox infinitis coruſcare miraculis cœpit, unde pòſt biennio elapſo, per Gregorium Papam IX. Catalogo SS. aſcriptus eſt, in augmentum devotionis multorum.

S. Franciſcus moritur.

His temporibus Henricus Wormatienſis Epiſcopus Cœnobium Hortus-

tus-Ceraſorum, vulgariter Kirſchgart nuncupatum extra mœnia civitatis de novo conſtrui fecit; in quo Moniales Ciſtertienſis Ordinis poſuit: quibus ad ſerviendū omnipotenti Deo hujus vitæ neceſſaria providit, quæ locum ipſum per annos ferme CC. ſub eadem Religione inhabitârunt, úſq; ad tempora Friderici Epiſcopi ejuſdem civitatis, qui anno Chriſtianorum MCCCCXLIII. Monialibus propter vitæ deformitatē ejectis, Canonicos Regulæ S. Auguſtini Epiſcopi de obſervantia Windishaimenſi vocata introduxit. Memoratus Henricus digniſſimus Præſul, gravem cum civibus ſuis pro defenſione libertatis Eccleſiaſticæ diſſenſionē habuit: qui cum mandato ejus obedire contémnerent, civitatem interdicto ſuppoſuit: celebrari divina in urbe penitus prohibuit, deinde cum nec ſic quidem proficeret, omnem Clerum de Civitate præcepit egredi: & ſolos parochialium Eccleſiarum paucos Curatores in ea dimitti. Qui nihilominus pœnitentes abſolvere aut cōmunicare infirmos non poterant, niſi priùs ſe mandatis obedire velle Pontificis promitterent. Nullus interea ſepultus in loco ſacrato fuit. Cúmque ad unius anni ſpatium hæc mala durâſſent, tandem concordia facta eſt.

Cœnobiū Kirſchgart fundatur.

Diſſenſio Wormatienſium contra Epiſcopum.

Anno prænotato Honorius Papa III. moritur, & Romæ apud S. Mariam Majorem ſepelitur. Cui Gregorius ejus nominis IX. præfuit annis XIV. menſibus III. qui mox ut ordinatus fuit ſententiam Honorij prædeceſſoris ſui contra Fridericum confirmavit.

Gregorius fit Papa IX.

MCCXXVII.

Anno Eberhardi Abbatis XII. Henricus Rex filius Imperatoris Friderici II. circa Dominicam Paſſionis in Quadrageſima conventum Principum apud Aquaſgrani magnum celebravit, juſſione patris pro itinere Hieroſolymitano inſtituendo. Ibi comparuerunt totius penè Regni Principes: Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus, Theodoricus Archiepiſcopus Trevirorum. Henricus Archiepiſcopus Colonienſium, Archiepiſcopus quoque Salzburgenſis. Archiepiſcopus Madburgenſis. Archiepiſcopus Bremenſis, cum pluribus Suffraganeis eorum Epiſcopis, quorum omnium recenſere nomina ſuperfluum judicamus. Affuerunt etiam inter plures iſti Principes ſeculares. Lupoldus Dux Auſtriæ, qui de terra Sancta ante biennium redierat: Item Dux Bavariæ Ludovicus, Dux Carinthiæ, Dux Brabantiæ Henricus, Dux Lotharingiæ, Henricus Comes Palatinus Rheni, Ludovicus Landgravius Thuringus maritus S. Eliſabeth. Comes quoque Flandriæ qui per annos XII. Pariſijs à Rege Gallorum fuerat captivus, & anno priore ſolutus tandem evaſerat. Aderant & alij plures. In eo conventu Principum uxor Henrici Regis, quæ filia fuit Lupoldi Ducis Auſtriæ, ut ſuprà diximus, per miniſterium Henrici Archiepiſcopi Colonienſis in Reginam uncta & coronata fuit, atque in ſede Regali, juxta maritum cum magna pompa collocata.

Uxor Henrici Regis coronatur.

Eodem año Baldemarus Rex Danorum obligationis & juramentorum oblitus factúſq; tranſgreſſor atque perjurus, congregato magno ſuorum exercitu contra Henricum Comitem de Scuirin procedit ad bellum. Cui ille ex adverſo non ſegniter occurrit: & pugnâ in die S. Mariæ Magdalenæ commiſsâ, Rex ipſe ſuperatus eſt: & vix per fugam evaſit, quatuor ſuorum millibus interfectis & captis quàm pluribus, habebat in ſuo exercitu Comes Henricus ſuffragia Archiepiſcopi Bremenſis, & aliorum Comitum plurium.

Rex Danorum in bello ſuperatur.

Anno prænotato expeditio transmarina contra Saracenos apud Aquasgrani pridem indicta, per totum Regnum cassatur & dissipatur: propterea quòd Fridericus Imperator, sicut promiserat tudum & pluries ire, omnino recusabat. Unde commotus Papa Gregorius anathematis in illum sententiam promulgavit: quam Sifridus Moguntinensium Archiepiscopus per totum Regnum publicavit. Iverunt nihilominus multi Principes Cruce signati pro amore Crucifixi: contumaciâ Imperatoris non obstante. Inter quos fuerunt Episcopus Augustensis, qui obijt in itinere. Ludovicus Comes Castellensis. Ludovicus Comes senior de Stolberg. Ludovicus etiam Landgravius V. Thuringorum, sed & Misnensium primus Marchio maritus S. Elisabeth, Princeps in Christi Religionem devotissimus, cum quo multi Comites & nobiles terræ simul profecti sunt. Qui pientissimus Princeps, cum perveniset in Siciliam Insulam, graviter infirmari cœpit: ubi cum mortem sibi adesse sentiret, Sacramentis communiri Dominicis petijt, nec diu postea XI. die mensis Septembris in quodam Siciliæ oppido, quod vocatur Ortrand, cum summa devotione ad Dominum migravit. Cujus ossa in Thuringiam relata in Monasterio Reinhardsbronn nostri Ordinis ad sinistram chori partem honorificè sepulta sunt.

Fridericus Imperator anathematizatur.

Vadunt Princiges ad terram Sanctam.

Ludovicus maritus S. Elisabeth obijt.

His temporibus Ordo militum B. Mariæ Hospitalis Teutonicorum, de cujus prima fundatione suprà diximus Anno Henrici Abbatis IV. in Germaniæ provincijs, domos Conventuales in diversis locis plures construere cœpit: & brevi tempore multum in rebus & bonis temporalibus profecit per industriam Hermanni supremi Magistri Hospitalis Hierosolymitani; qui anno priore ad contrahendum auxilia in Saracenos de partibus transmarinis venerat in Germaniâ cum literis commendatitijs tam Romani Pontificis Honorij, quàm Imperatoris Friderici II. Verebatur etenim vir prudens, quod postea contigit, ne si Regnum Hierosolymitanum Saracenorum Dominio in toto subjiceretur Ordinis sui nomen simul & institutio penitus interirent. Unde cum favore summi Pontificis Imperatoris quoque & Principum domus in Teutonia plures fundatæ sunt militum Ordinis Teutonicorum, multísque prædijs & possessionibus in subsidium militantium Christo magnificè dotatæ. Denique S. Elisabeth Andreæ Regis Ungariæ filia & uxor Ludovici Thuringorum & Hassorum Landgravij memorati Religiosissimi Principis, mulier devotissima, in oppido Hassiæ Marpurg domum præfati Ordinis Teutonicorum fundavit.

Ordo Teutonicorum plantatur in Germania.

Anno etiâ prænotato Henricus Comes Palatinus Rheni, qui in oppido Haidelberg morabatur, filiam suam nomine Gertrudem, Ottoni filio Ludovici Ducis Bavariæ dedit uxorem: cum qua comitatus Palatij Rheni, sicut postea dicemus, post mortem ipsius Comitis Henrici ad Duces Bavariæ devolutus est usque in præsens.

Otto Dux Bavariæ uxorem ducit filiâ Palatini.

MCCXXVIII.

Anno Eberhardi Abbatis XIII. Indict: Roman: I. Fridericus Imperator II. à pluribus annis cruce signatus, propter voti nimiam dilationem, sæpius à Romano Pontifice monitus, ac tandem excommunicatus, consilio suorum vix postremò inductus iter ad terram Sanctam cum magno exercitu fidelium arripuit: quem Gregorius Papa nihilominus

Imperator navigat in Syriam.

interea

interea pro excommunicato denuntiari & publicari fecit in toto Imperio cunctisque locis Christiani orbis maximè per fratres Prædicatores. Scripsit denique Templarijs & Hospitalarijs Teutonicis ac reliquis Christianis, pro fide in Syria militantibus idem Papa Gregorius, mandans & præcipiens districtè, ut se communione Imperatoris Friderici tamquam publici Ecclesiæ hostis nullatenus macularent. Ipse autem Fridericus posteaquam pervenit in Syriam per literas & nuntios Papam pro sui absolutione instantissimè rogavit: se in illius voluntate perpetuò deinceps mansurum, repromittens: sed Pontifice in sua perdurante sententia, impetrare absolutionem non potuit: quod rei Christianæ non parum nocuit.

Papa persequitur Imperatorem.

Eodem anno Odocharus & Wenceslaus fratres Boëmorum Reges, tale privilegium dederunt Ecclesiæ Moguntinæ, quod Archiepiscopus Moguntinus pro tempore existens Reges Boëmiæ ungere & coronare debeat omni tempore, aut cui ille commiserit, & non alius juxta continentiam literarum quas Sifrido Archiepiscopo dederunt sequentes.

Archiepisc. Moguntin. coronat Reges Boëmiæ.

In nomine Domini amen. Odocharus & VVenceslaus Boemorum Reges, universis Christi fidelibus præsens scriptum intuentibus salutem in perpetuum. Confitemur & publicè protestamur, quod tam nos quàm omnes Successores nostri consecrationem Regalem & diadematis impositionem de Sacrosanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopo terræ nostræ Metropolitano in perpetuum tenemur suscipere. Si verò idem Archiepiscopus requisitus, sepro animi sui motu subtraxerit, alteri Episcopo, quem nos vel Successores nostri postulaverint, vitem suam ad id exequendum committet. Ut autem hoc ratum & inconvulsum permaneat, hanc paginam, de consensu venerabilium Pragensis & Olmucensis Episcoporum & Sigillorum nostrorum appensione roboravimus. Data Pragæ Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIII. Indictione I.

Exemplar literarum sub coronatione hujusce modi.

Anno prænotato gravis inter Bertholdum Episcopum Argentinensem, & Comites de Pfirt, suborta est discordia: quæ cum paulatim indeterius crescceret; tota penè Alsatia per triennium, ferro, incendio, & deprædatione raptorum miserabiliter devastata fuit. Post multa tandem suorum incommoda memoratus Pontifex, vocato in auxilium Alberto Nobilissimo Comite de Habspurg, qui & ipse læsus à prædictis Comitibus fuit, ad vindicandum se de inimicis suis paravit, & contra illos cum exercitu processit. Comites autem à Pfirt in suo exercitu habuerunt auxiliatorem Comitem Egonem de Fryburg, & civitates quasdam Imperiales. Congressione igitur factâ, inter Bladosheim & Hirzfeld, exercitus Bertholdi Pontificis memorati victor extitit: & multi ex parte Comitum de Pfirt in illa die ceciderunt occisi: alij vulnerati sunt, alij capti: cæteri se per fugam saluârunt.

Bellum inter Episcopum Argentinensẽ & Comitẽ de Pfirt.

Eodem año Fridericus Imperator in terra Sancta cum exercitu constitutus, pacta cum Saladino Saracenorũ Rege fecit, Christianis non solùm damnosa in multis, sed etiam in plerisque parum honesta, sub hac videlicet conditione, quòd Civitas Hierosolyma cum toto Regno, paucis castellis duntaxat exceptis, sub ditione redderetur Christianorum templo tamen Domini Saracenis relicto: insuper treugas cum Saracenis decimales Christiani firmas haberent. Hâc igitur ignominiosâ conpositione treugarum factâ, Fridericus Imperator Hierosolymam coronatus intravit: séque jam

Imperator pacta facit cum Saracenis.

Hierusalē restituitur Christianis

deinceps Regem Hierusalem & gessit & scripsit. Posthæc Oratores suos misit ad Romanum Pontificem, & reliquos Imperij Principes, victoriam se magnam obtinuisse reputans, quam omnibus cuperet manifestam. Verùm Romanus Pontifex non satis pacta laudare potuit, quæ cum Saracenis Imperator statuerat, sed magis amaricatus animo per epistolam publicam hunc ex defensore Christi Ecclesiæ commutatum in hostem querebatur. Rescripsit denique Imperatori Pontifex serioſiùs monens, ut Rheynhardo, cui Marchiam Anconitanam commiserat, & Conrado, quem Spoletanis præfecerat, mandaret, quatenus urbes Ecclesiæ, quas cæperant, restituerent, & pro illatis damnis componerent; quæ omnia Cæsar surdâ pertransiens aure, parvi pendénsque contempsit. Unde commotus animo Pontifex, cum duræ cervicis intelligeret hominem, contractis undecunque copijs, magnum exercitum misit in Apuliam, pluréſque civitates & oppida Imperatoris præoccupans cepit: & homines in sua verba jurare, contráque Imperatorem conspirare coegit: civitates quoque ablatas Ecclesiæ plures in brevi recuperavit & quidquid Imperatorij Juris erat uspiam pro viribus devastavit. Quæ cum Fridericus Imperator didicisset relicto Hierosolymis Senescalco, dimissisque in Syria rebus ut erant, celeriùs cum copijs multis, adjunctis sibi duabus galeis, cum Hermanno Magistro militum Teutonicorum, & Episcopo Messano Siciliæ, in Apuliam trajecit, in auxilium advocans non parvam multitudinem exercitûs Alemannorum. Itáque imprimis Apuliam Papæ inductionibus sibi penè totam rebellem, ad subjectionem reduxit, deinde Patrimonium etiam S. Petri, Ducatum videlicet Spoletanum cum Marchia Anconitana, suo Imperio subjecit, & sui terrorem omnibus in circuitu hominibus incussit. Nec diu postea Legatos misit ad Roman: Pontificem Gregorium, Messanum scilicet Episcopum & Magistrum Teutonicorum, per quos gratiam Sedis Apostolicæ postulavit. Quam priùs obtinere non potuit, quàm restitutis Ecclesiæ urbibus ablatis, centum quinquaginta ducatorum millia pro damnis, quæ multipliciter intulerat, Pontifici penderet.

Papa devastat Apuliam.

Imperator de Syria redit in Apuliam.

Imperator Apuliam & Siciliam recuperat.

His temporibus Ordo Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, primò in Europa transplantari cœpit, qui ante plurimos annos ab Helia & filijs Prophetarum in Regno Hierosolymitano exordium sumpsit: quemadmodum in primo libello nostro de laudibus ejusdem Ordinis Carmelitarum sufficienti narratione ostendimus. Cœperunt igitur Fratres Carmelitæ ab isto tempore multiplicari, & numero & merito per totam ferè Europam, quorum sacram Religionem Sedes Apostolica multis privilegijs communiuit.

Ordo Carmelitarum venit in Europam.

MCCXXIX.

Anno Eberhardi Abbatis XIV. Indict: Roman: 2. Imperat: Fridericus, quod per anticipationem priore anno diximus, inito fœdere cum Saracenis, civitatem Hierosolymitanam, in Dominica IV. Quadragesimæ, quam ab Introitu Missalis officij *Lætare* nuncupant, coronatus intravit, & alterâ mox die navibus conscensis in Apuliam & Siciliam remeavit, & omnes sibi rebellantes, & qui ad partes Papæ in ejus absentia declinaverant, armorum suorum potentiâ ad obedientiam coegit.

Imperator partes Romani Pontificis persequitur.

His temporibus claruit Petrus de Vineis, natione Teutonicus patriâ

Suevus

Suevus, Friderici II. Imperatoris Cancellarius, homo callidus, & sæcularis literaturæ non ignarus, qui scripsit ex persona memorati Cæsaris Epistolarum volumen in VI. libros divisum, cujus prima epistola sic incipit: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Scripsit & de potestate Imperiali lib. I. Si quid amplius edidit ad notitiam meam non pervenit, fertur enim & alia quædam scripsisse. Hic Petrus Friderici partes etiam injustas contra Ecclesiam Romanam & ejus Pontifices temerè & contumaciter defendens, tam in Concilio quàm alibi etiam coram Papa summis eloquentiæ viribus, sæpius excusare conatus est illius adversùs Ecclesiam rebellionem, ut omnes, qui loquentem audierant, verteret in admirationem. Unde ferunt ad eum dixisse quâdam vice dum perorâsset in causa Cæsaris Romanum Pontificem Gregorium IX. *O Quantus esses fili, site, ut Imperium, bene volentem haberet S. Ecclesia?* Postea verò indignationem Cæsaris nescio cujus facti ratione incurrit: à quo erutis oculis in Monasterium retrusus est: ubi cæcus & miser vitam agens in amaritudine cordis: quidquid in Ecclesiam peccavit vel Deum, longâ satis afflictione compensavit. Hoc opus eorum & præmium, qui aut Regibus deserviunt seu blandiuntur contra S. Ecclesiam, aut Principibus, qui pauperes contra Justitiam opprimunt: & veritatem Evangelicam contemnunt. Contigit autem post annos paucos, Imperatorem Fridericum denuo excommunicari à Papa, deseri à Principibus & contemni ab externis, qui desolatus átque desertus à pluribus, cum sumptus ad bellandum non haberet, insuper excomunicatus à Papa etiam deponendum se ab Imperio propediem non dubitaret: ad consilium Petri quondam Cancellarij sui, de quo diximus, decrevit recurrere, quem in magnis & arduis negotijs sibi noverat pluries quàm oporteret consuluisse. Venit igitur ad Monasterium ubi exoculatus ille manebat, & præmissis quæ animum lenire poterant exulceratum, veniam commissi furoris precatur in primis: deinde sic affatur Magistrum: *Nulla sit tibi memoria injuriarum precor amice, sed concede mihi, quam non mereor, veniam male commissi: quoniam beneficiorum in te meorum pluralitate compensabo deinceps perpetuò impositam tibi notam cæcitatis. Scio te mihi utiliter posse consulere, quò evadam celeriùs ex hac, quâ premor, necessitate.* At verò Petrus, qui mentem suam vultûs alacritate celabat: cum nihil magis quàm vindictam animo revolueret: consilium dedit Imperatori postulanti, ut de Monasterijs & Ecclesijs vasa tolleret aurea simul & argentea, quæ maxima & numero & pondere haberentur in Regno, conflatáque in monetam stipendio conduceret exercitus: átque suos omnes potenter invaderet adversarios, humiliarétque rebellantes. Postea verò quando fortuna arriserit melior, omnia redderet. Placuit Imperatori consilium, & spoliatis per Regnum Ecclesijs, thesaurum incredibilem brevi tempore comportavit, & factâ monetâ, undequaque conduxit exercitum. Ecclesias Regni omnes spoliavit calicibus, & quidquid in auro vel argento habebant, abstulit: promittens singulis omnia se meliora redditurum, qui nihil penitus cuiquam restituit. Ab eo autem tempore, quo de bonis Ecclesiæ conduxit exercitum odiosus Deo & hominibus factus est, cœpitq; in omnibus subitò infortunari átque deficere, donec in Lugdunensi Concilio per Innocentium Papam ab Imperio fuit depositus: & alius pro eo

Petrus de vineis Doctor.

Petrus Papam cum Imperatore persequitur.

Petrus in Monasterium trauditur.

Imperator consilium postulat in necessitate amici.

Petrus consuluit ex calicibus Ecclesiæ monetam facere.

Imperator Ecclesias auro & argento spoliat omnes.

per Principes electus: ipse verò confusus, desolatus & contemptus. Verùm Abbas Monasterij cum quo Petrus manebat ut illum audivit Imperatori tale dedisse consilium, obstupuit: & dixit ad eum. Cum sis vir prudens & Doctor Juris omnium judicio præstantissimus Petre: miror quòd Imperatori tam iniquum, & contra Deum & justitiam dedisti consilium: cum scias spoliare Dei Ecclesias gravissimum esse peccatum. Cui Petrus de Vineis respondit: *omnia quæ dicis Pater scio esse verissima: sed alia quàm tu putas est dati consilij causa. Imperator furore concitatus innocenti mihi oculos eruit, & nunc in extrema necessitate constitutus à me consilium requisivit. Consilium dedi: per quod oculos meos plenè vindicavi. Nam si consilium meum secutus fuerit, si Ecclesias Dei spoliaverit: certus sum quod vindicante Deo, nunquam deinceps prosperabitur, in cunctis vitæ suæ diebus simul & operibus: sed erit odiosus Deo & hominibus, infelix, miser, infortunatissimus: & sic vindicaverim oculos meos de tyranno cum meo consilio in extremam devenerit egestatem.*

Causa proper quam Petrus tale consilium dedit.

Spoliare Ecclesias Deo facit odiosos.

M C C XXX.

Anno Eberhardi Abbatis XV. concordia pacis reformata fuit, inter Bertholdum Argentinensem Episcopum & Comites de Pfirt, mediante Henrico Friderici Imperatoris filio, & siluit terra tempore modico à tumultu bellorum. Verumtamen purgari citò provincia non potuit ab incursu latronum, qui horis & temporibus nocturnis, non solùm domos suffodiebant villanorum, sed etiam Monasteriorum & Ecclesiarum januis ac parietibus fractis, cum assueti essent de furto vivere atque rapinis, quiquid poterant invenire clandestinè aufferentes furabantur. Exitus quoque viarum obsidentes nulli parcebant ætati aut sexui, sed omnes transeuntes, quos poterant superare, omnibus spoliabant.

Concordia fit inter Episcopum & Comites de Pfirt.

Eodem anno Rex Legionis, cum filio suo Rege Castiliæ in Hispania, magno suorum adunato exercitu contra Saracenos, qui erant in ea parte Hispaniæ, quæ Regnum Granatæ nuncupatur, processerunt ad bellum, è quibus multos occidentes, & captivos abducentes, magnam terræ partem occupârunt: civitatem quoque Emeritanam, cum multis oppidis atque castellis de illorum manibus recuperaverunt.

Saraceni vincuntur in Hispania.

Anno prænotato Rex Arragonum Regnum sive Insulam Majoricarum, annis multis à Saracenis possessam, in manu valida præoccupans, cæpit, & Christianis legibus potenter restituit: Regem quoque ipsius Insulæ, cum tota familia captivum abduxit, & Insulam Christianis militibus custodiendam tuendámque commisit.

Majorica capitur à Christianis

Eodem quoque anno, inter Archiepiscopum Colonienſem Henricum & Ducem de Lympurg, discordia gravis suborta fuit, propter advocatiam Monasterij nostri Ordinis in monte Segeberg, à Sancto Annone Archiepiscopo haud procul à Bunna oppido quondam constructo, quam utérque ad jus suum pertinere volebat. Unde rapinæ & incendia subsecuta sunt, & pauperum deprædationes rusticorum: donec Henricus Rex, vices suas interposuit, & pacem reformavit.

Dissensio inter Archiepscopũ Colonienſ. & Comitẽ.

Anno item prænotato Imperator Fridericus, mediante Lupoldo Austriæ Duce, in concordiam cum Papa Gregorio reversus, per eum à vinculo Excommunicationis absolvitur: & pax inter Ecclesiam & Imperium diutiùs interrupta reformatur. Quam ob causam Pontifex Imperatori jam reconciliatus, Regem illum Siciliæ & Hierusalem salutat: ad

Imperator ab excommunicatione absolvitur.

mensam-

mensámque illum & omnimodam communionem admittens summa inter eos benevolentia contrahitur, quæ non diu permanens rursus postea per Imperatorẽ violatur. Lupoldus autem Dux Austriæ pace & concordiâ inter Papam & Imperatorem reformatâ in Campania apud S. Germanum moritur: cujus intestina cum carnibus in domo Capitulari Monasterij Cassinensis sepulta sunt: ossa verò in Austriam per familiares ejus reportata sepulturam paternam receperunt. His temporibus magna Hæreticorum multitudo, quæ diu latuerat in diversis Europæ provincijs, apud Lombardos, Germanos, Gallos, & Italos inquisitione magistrorum detecta fuit: quæ multos & varios profitebatur errores, multi per eos decepti sunt: pluréſque in perfidia sua pertinaces, ad ignem condemnati. I. & pernicioſiſſimus eroris eorum articulus fuit, quod S. Ecclesiam fidelium universalem contemnebant, nuncupantes eam Synagogam Satanæ, & conventum malingnatium asserentes sectam suam fidelium esse solam Ecclesiam, & neminem extra eam omnino posse salvari: séque solos Christianos, Spiritu Sancto plenos, Apostolorum imitatores, cæteros verò omnes esse hæreticos atque Schismaticos, & cum Diabolo in æternum damnandos. Romanum Pontificem, Cardinales, Episcopos & reliquos Ecclesiæ Ministros irridebant & parvi pendebant dicentes eos esse ministros Sathanæ, & populi deceptores ac propterea vitâ privandos. Monachos omnes cujuscunque religionis, unâ temeritatis sententiâ contemnebant, dicentes eos malitiâ & superstitione plenos, & ob id nullum eorum salvandum, sed omnes damnandos. Jejunia & ritus Ecclesiæ parvi pendebant, malè interpretantes illud Pauli: *omnia munda mundis.* Et illud nostri Salvatoris: *omne quod intrat per os, non coinquinat hominem:* Unde in sensum datum reprobum, carnes etiam in Quadrageſſima manducabant. Confessionem & Pœnitentiam contemnebant dicentes se mundos átque sanctiſſimos, cum tamen omni spurcitiâ & impuritate pleni essent, maximis & abominandis scelèribus maculati. Dicentes se Apostolorum discipulos, imitatores execrabilium hæreticorum facti sunt, volentes etenim omnia inter se habere communia, etiam uxores, matres & filias indifferenter polluerunt, nec licebat coitum postulanti alicui inter eos denegare, sive cum matre, sive cum uxore aut filia propria vel aliena, & in hoc summæ charitatis fraternæ prædicabant complementum. Unum Mediolani erroris sui Patriarcham habebant, inter consimiles latitantem, cujus mandatis obtemperabant in omnibus, eum Christi vicarium esse dicentes, cui singulis annis ex omnibus locis atque Provincijs, in quibus habebant sua conventicula, censum destinabant annuum, symbola errorum ab eo recipientes. Capti apud Argentinam Alsatiæ urbem nonnulli præscriptorum Professores errorum, & ignibus combusti, memoratos articulos cum alijs multis quos brevitatis causâ omittimus, in tortura confessi sunt, & abominanda se commisisse scelera publicè dixerunt. Magnus eorum numerus ipsis revelantibus in omni penè orbe Christianorum demonstratus est: ut si verbi gratiâ quispiam ab Antuerpia seu Anglia Romam profecturus iter peregrinus assumeret, hospitem hujus sectæ non unum, sed plures in omni loco, singulis noctibus inveniret, in cujus domo comunia omnia haberet, signa quædam ante fores domorum vel in tectis habebant suspensa,

qualia

Lupoldus Dux Austriæ moritur.

Hæreticorum fit inquisitio.

Hæreticorum articuli quinque.

Capti comburuntur.

qualia per singulos annos variando nova Magister eorum Mediolani residens dedisset: per quæ mansiones suo deputatas errori facilè cognoscebant; quæ tamen fideles ignorabant. Sermones etiâ habebant symbolicos, industriâ præceptorum datos atque compositos, quorum prolatione & intelligentiâ in medio multorum scire poterant, qui de secta sua essent aut non essent, contra hos nefandissimos hæreticos, Sedes Apostolica per totam Italiam, Germaniam, Galliam, & Angliam, plures deputavit inquisitores, quorum studio multi fuerunt conversi ad fidem orthodoxam; multi pertinaces in errore combusti, cæteri latentes evanuerũt.

Signis mutuò se cognoscebãt.

MCCXXXI.

Anno Eberhardi Abbatis XVI. Indict: Rom: IV. Ludovicus Dux Bavariæ, qui anno priore cum exercitu Christianorum magno transierat mare in subsidium terræ Sanctæ, in reditu constitutus machinatione Friderici (ut ferebatur.) Imperatoris, à quodam Saraceno Vetuli de Montanis nuntio ad hoc misso, præsente familiâ suâ totâ, cultro perfossus interijt & mortuus est: cujus cadaver in Monasterio Scheurin Bavariæ sepultum fuit. Porrò Saracenus ipse gladijs familiarium Ducis in mille frusta concisus, præsumpti sceleris sui pœnas mox dedit in eodem loco.

Ludovicus Dux Bavariæ moritur.

Huic in Ducatu Bavariæ Otto filius successit, qui Gertrudem filiam Henrici Comitis Palatini Rheni, qui apud Heidelberg, ut suprà diximus, morabatur, habebat uxorem; cum qua, mortuo Henrico, totum dominium illud obtinuit, & jure hæreditario deinceps possedit. Ab hoc itâque tempore Ducatus Bavariæ & Comitatus Palatij Rheni conjuncti sunt, usque in præsentem diem, & utriusque titulos in unam progeniem præmissa cognatio copulat. Genuit autem mortuus Dux duos filios de prædicta conjuge sua, quorum primogenitus vocabatur Ludovicus, qui post obitum Patris Palatinatum cum certis oppidis & castris in Bavaria Superiori pro sua portione, post longam contentionem obtinuit. Secundogenitus vocabatur Henricus, qui oppidum Landehuettam cum inferiori Bavaria, ut suo loco dicemus, possedit. Memoratus Dux Otto oppidum Brubach ad Rheni litora positum cum adjacente castello, cunctisque proventibus suis in feudale beneficium contulit Comiti de Kazenelenbogen, quod modò possessionis & provincialis Comitis Hassiæ; quia ultimus Comes de Kazenelenbogen, qui tempore adolescentiæ nostræ obijt, nomine Philippus, unicam reliquit filiam, quam Hassonum Landgravius duxit uxorem: & cum ea Comitatum ejus obtinuit.

Otto Dux fit Comes Palatinus.

Ludovicus & Henricus filius ejus.

Brubach facit feudũ Comiti.

Anno prænotato, moritur D. Antonius de Padua nuncupatus, Ordinis fratrum Minorum B. Francisci Discipulus, vir magnæ Religionis & eximiæ sanctitatis, qui multis & in vita, & post mortem coruscavit miraculis: propter quorum infinitam multitudinem SS. catalogo mox à Gregorio Papa IX. fuit ascriptus. Doctrinæ cœlestis tantâ dulcedine redundabat, ut Romanus eum Pontifex Arcam consueverit appellare testamenti. Tantæ autem sapientiæ fuit, quod S. eum Franciscus Episcopum suum coram fratribus suis consueverit dicere. Ante Religionis ingressum Theologiam multo tempore Tolosæ, Bononiæ ac Patavij docuit: & discipulos post se plurimos reliquit, Prædicator excellentissimus fuit, & in audientia Romani Pontificis, ac Patrum Cardinalium sæpius prædicavit. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula sermones de tempo-

D. Antoni de Padua moritur Patavij.

tempore luculentissimos & valde utiles, quos in duobus lib. compræhendit, Sermones quoque de Sanctis in uno volumine plures composuit. Ejus vita miraculis plena diligenter conscripta est. Opuscula S. Antonij de Padua.

Anno etiam prænotato XIII. Cal. mensis Decembris obijt Elisabeth filia Regis Ungariæ, uxor quondam Ludovici Landgravij Thuringorum & Hassonum, mulier sanctissimæ conversationis: cujus venerabile corpus in Ecclesia militiæ Teutonicorum, quam ipsa à fundamentis novam erexerat in oppido Hassiæ Marpurg cum summa reverentia & honore sepultum est, quam Gregorius Papa IX. SS. catalogo inscripsit. Ejus vitam Cæsarius Monachus Heistaberacensis Ord. Cistertiensis, ut suprà diximus, aperto sermone descripsit. S. Elisabeth moritur.

Anno præscripto Eberhardus XXIII. hujus Monasterij Hirsaugiensis Reverendissimus Abbas post multos labores, sextâ decimâ die Octobris in Domino quievit, anno ætatis suæ quinto & sexagesimo: Regiminis verò curæ pastoralis sexto decimo non completo, homo certè sempiternâ memoriâ dignus, qui Monasterio in utróque statu laudabiliter præfuit, & jura libertatis cum rebus constantissimè semper defensavit. Ornavit Ecclesiam: plura construxit ædificia, auxit redditus: & ab alijs parta diligentissimè conservavit. Et quamvis Monasticus Ordo, nimiùm per totum orbem Christianum suo tempore, à primævæ institutionis fervore tepuerat: Eberhardus tamen Abbas, tam in se quàm in sibi comissis, Regulam pro viribus observare studuit; & formam se Monachis vivendi statuit, ac tramitem honestatis custodivit. Eberhardus Abbas hujus loci moritur.

De Ernesto hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXIV. qui præfuit annis XIII. mensibus duobus, diebus quoque VII.

POst mortem Reverendissimi ac Deo dilecti Abbatis Eberhardi vacavit Abbatia diebus X. propter illorum absentiam, qui ad electionem novi Pastoris fuerant de consuetudine hactenus observata laudabiliter evocandi. Cúmque transissent dies exspectationis necessariæ, convenerunt ad locum Capitularem fratres, qui vocem in electione habebant, Anno Dominicæ Nativitatis prænotato MCCXXXI. Indict: Rom: IV. die verò sextâ & vicessimâ mensis Octobris propter novi electionem Abbatis. Præmissis itáque orationibus consuetis, & tractatibus necessarijs, in Abbatem hujus Monasterij XXIV. tandem unanimiter elegerunt Ernestum, Monachum Conventualem, qui majoris Cellarij aliquamdiu gesserat officium: virum bonæ & honestæ conversationis, præfuitque annis XIII. mensibus duobus, diebus VII. qui ordinationem sui à Berengero Spirensium Episcopo, cum debita solemnitate hic in Monasterio susscepit, in præsentia plurimorum, quos invitaverat, Abbatum. Patria illi Suevia fuit, qui natus de honestis parentibus, & secundùm hujus seculi æstimationem non ultimo loco habilis ad Reglionem juvenis, sub Marquardo Abbate hujus Monasterij intravit. Qui cum tempore sapientiâ simul & intellectu proficiens in pluribus Monasticæ palestræ officijs, à juventute usque Vacat Abbatia X. diebus. Ernestus fit Abbas hujus loci. XXIV. Ernesti patria & mores.

in senium probatus est, & in omnibus semper fidelis inventus. Erat sanè vir mansuetus, mitis ingenio, qui neminem prior, aut sine causa rationabili novit offendere seu perturbare, in his quæ ad monasticam pertinere videbantur integritatem, conversationis fuit honestæ, plùs tamen ad curam temporalium aptus, quàm ad instaurationem Regularis observantiæ dispositus, suo etenim tempore pristinus feruor Monasticæ puritatis, & in hoc loco & in cæteris Monasterijs penè omnibus nostri Ordinis nimiùm tepuerat: & rarus erat Monachus qui ad puritatem, regularis institutionis sanctissimi P. Benedicti ambularet. Monachi námque illius temporis, neglectâ spirituali conversatione, sectabantur carnalia, & spretis, ad quæ vocati fuerant, bonis æternis, temporales nimis anxiè quærebant honores, & corruptibiles sequebantur voluptates. Viri ab hoc tempore defecerunt in Ordine nostro docti, defecerunt sancti, defecerunt Regularis observantiæ zelosi cultores: & jacuit per annos ferme ducentos S. Benedicti Religio in deformatione continua, donec tandem per magnos labores Mellicensium, Castellensium, ac postremò Burfeldensium in parte fuit per Germaniam, ut suo tempore dicemus, non in toto resuscitata.

MCCXXXII.

Imperator in Italia cõmoratur.

Anno Ernesti Abbatis I. Fridericus Imperator II. apud Ravennam consistens, exercitum Germanorum magnum vocavit in Italiam: volens humiliare Longobardorum superbiam: qui ad suggestionem Romani Pontificis, ut suprà dictum est, contra Imperium unanimem fecerant conspirationem, quam ipsi confœderationis nomine velabant.

Germani contra Lõbardos.

Ad Imperium itáque Principis Rex Henricus de Francia Orientali, Suevia, Saxonia, Bavaria, & cæteris nationibus Imperij magnum bellatorum adunavit exercitum, cui se Ducem præbens, versùs Lombardiam profectus est. Sed Lombardi futurorum cauti exploratores, præoccupaverunt omnes itinerum portus, quos nominavere Clusas, in tantum quòd nullus exercitui Germanorum in Lombardiam patebat introitus. Unde Henricus cum procedere non posset, retrocedere coactus est.

Tentorium mirabilis compositionis Imperatori datur.

Eodem Anno Saladinus Ægyptiorum Friderico Imperatori dono misit per suos Oratores tentorium pretiosum, mirabili arte compositum, cujus pretij æstimatio qninque ducatorum millium procul valorem excessit. Nam ad similitudinem sphærarum cœlestium intrinsecùs videbatur constructum, in quo imagines Solis, Lunæ, ac reliquorum planetarum artificiosissimè compositæ movebantur ponderibus & rotis incitatæ: ita videlicet, quòd cursum suum, certis ac debitis spatijs peragentes horas tam noctis quàm diei infallibili demonstratione designabant, imagines quoque XII. signorum Zodiaci certis distinctionibus suis motæ cum firmamento cursum in se planetarum continebant.

Dissensio inter Archiepiscopum Moguntinũ & Lantgravium.

Anno prænotato magnæ inter Sifridum Archiepiscopum Moguntinum, & Conradum S. Elisabeth filium Thuringiæ & Hassiæ Lantgravium discordiæ fuerunt subortæ, propter fines & terminos quosdam terrarum, quos utérque voluit suo dominio esse subjectos. Conradus etiam memoratus Comes, contracto suorum exercitu terras Archiepiscopi hostili prior incursione vastavit: oppidum Fridislarense, cum multis in circuitu villis, incendio & ferro invadens evertit, ac fundirus penè

penè desolavit, & tam per se, quàm per suos fautores damna Ecclesiæ plurima intulit. His contumelijs & injurijs tandem provocatus Archiepiscopus, magnum suorum congregavit exercitum: & contra prædictum Lantgravium processit ad bellum. Congredientes itáque & atrociter dimicantes multi ex utráque parte ceciderunt vulnerati, sed postremò exercitus victoriam obtinuit ipsius Landtgravij. In quo bello Henricus Ecclesiæ Wormatiensis Episcopus, qui fuit in parte Archiepiscopi, cum multis Ecclesiæ suæ Canonicis à Lantgravio captus est. Tandem inter eos concordia facta est, hanc formam continens.

Bellũ atrox inter eos committitur.

In nomine sanctæ & individuæ Trnitatis, super destructione Fridislariæ, & Wizenhausen oppidorum, & alijs damnis, quæ Dominus Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, & Dominus Conradus junior Lantgravius hinc inde senserunt, cum querram haberent ad invicem, talis compositio intervenit. Antiqua compositio sicut ordinata est à Domino Sifrido quondam Archiepiscopo: & Domino Ludovico piæ memoriæ, quondam Lantgravio, modis omnibus in perpetuum inconvulsa servetur. Item oppidum in Wolfhan concessit Archiepiscopus in feudum Conrado Lantgravio memorato, & concedet hæredibus suis legitimis etiam filiabus, non existentibus filijs, post mortem sibi jure hæreditario successuris: & si idem Conradus rogaverit in vita sua, ut concedat fratri suo aut filio fratris, idem oppidum, hoc ei nullatenus denegabit. Huic memoratæ compositioni, cum alijs multis interfuit, Frater Conradus de Marpurg, Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, vir in Scripturis sacris magnæ eruditionis & authoritatis, qui, ut suprà dictum est, generalis Inquisitor hæreticæ pravitatis, à S. Sede Apostolica deputatus, hoc ipso anno III. Nonarum die mensis Maij quatuor hæreticos in Erphurdiensi oppido condemnavit ad ignem, qui & fuerunt combusti. Multos denique & penè innumerabiles per totum Regnum Teutonum, qui olim latuerant, hæreticos in lucem inquirendo produxit: examinavit & per sententiam damnavit convictos, quos manibus secularium Judicum tradidit ignibus voracibus comburendos. His temporibus Monasterium Laurissense nostri tunc Ordinis, unum ex quatuor Imperij Cœnobijs principalibus Mogunt: Diœc: quod olim fuerat opulentissimum, miserandæ desolationis suæ experiebatur initia. Subortâ námque dissensione gravissimâ inter Conradum ejus loci Abbatem ex una parte, & Conventum suum ex alia: malis mala superaddita sunt, quæ Monasterium illud ab Ordine tandem violenter transtulerunt. Cujus pernicioſæ translationem historiæ, etsi diversis annis facta sit: sub prænotato tamen, quo principaliora gesta cognovimus, enarrandam desumpsimus, quatenus Monachi omnes discant, simul & Abbates pacem custodire mutuam: & Principum abstinere consultationibus.

Concordia inter dissidentes.

Wolfhan oppidum.

Quatuor Hæretici cõburuntur in Erpfurdia.

Laurissensis Monasterij desolationis historia.

Verùm ut causa destructionis hujus insignis Monasterij altiùs repetamus, notandum Lectori proponimus, quòd Comes quidam Rheni Kanker dictus Monasterium prædictum Laurissense olim circa tempora Pippini Regis Francorum, seu paulò ante construxit: & multis possessionibus magnificè dotavit: in quo & Monachus postea factus, usque ad mortem secundùm Regulam sanctissimi P. N. Benedicti conversando sub directione & obedientia Abbatis, cum Deo famulantibus Monachis per-

Kanker Rheni Comes fundavit Laurissam.

Multi Principes in eo Monachi facti sunt.

permansit. In eodem Monasterio deinceps per successum temporis, multi viri nobiles, potentes, divites átque doctissimi Monachi facti sunt: qui locum ipsum divitijs & potentiâ in immensum auxerunt. Inter quos Thassilo Bavarorum Dux fuit non ultimus: qui cum apud Imperialem vicum Ingelenhaim, in Consilio Principum propter læsæ Majestatis culpam damnaretur ad exilium, in memorato Cœnobio, unà cum Theodone filio suo monasticum schema voluntariè induit, & úsque ad mortem in eodem perduravit. Crevit autem præfatus locus largitione Regum & Principum successu temporis divitijs & honore ultra modum, & una de Abbatijs quatuor Imperij Principalioribus esse meruit: quemadmodum longè suprà diximus, anno Brunonis Abbatis IX. Abbas enim de Laurissa, sicut & Fuldensis, Hersfeldensis & Wissenburgensis pro tempore existens, Princeps erat Imperij, habebátque sub sua ditione totam Regionem, inter Dietpurg oppidum, & Haidelberg, quæ strata montana, vulgariter die Bergstras nuncupatur, oppida plura, castella, villas, nemora, & dominia multa, pro quorum institutione ac vicissitudine Curiam Imperatoris, ut alij Principes, sequebatur, & referendarij implebat officium. Maxima viguit in hoc ipso Monasterio per annos plures disciplina regularis, & multi in eo viri doctrinâ & sanctitate insignes claruerunt. Feruore tandem sanctæ Religionis nimiùm tepescente in hoc ipso Cœnobio, quemadmodum & in cæteris, primò per Monachos hujus Cœnobij Hirsaugiensis, jubente S. Patre Wilhelmo, reformatum, missis illic decem & octo Monachis cum Abbate ad instantiam Henrici Imperatoris IV. fuit, Monachis loci reclamantibus & invitis. Qui Regularis disciplinæ tramitem habentes odio, de Cœnobio recesserunt, & discurrentes sine jugo per Regnum, verbis & scriptis Monachos Hirsaugienses, propter vitæ integritatem, quasi nimiùm austeros & inhumanos præsumptuosâ loquacitate infamabant. Vidimus de his plura & metro conscripta, & prosa, quæ Henrico Imperatori IV. ab Italia in Germaniam reverso, Monachi Laurissenses, propter improbitatem suam expulsi, contra mores & instituta Hirsaugiensium legenda obtulerunt. Quæ cum friuolè, & dolosè mendacitérque constet esse conficta, indignum sanè duximus nebulonum mendacijs obfuscare historiæ veritatem, prævaluerunt tamen postremò filij perditionis, Monachi vitâ & moribus deformati, & per amicos suos obtinuerunt ab Imperatore, ut restituerentur ad Monasterium, promittentes se colla Regulari observantiæ cum Hirsaugiensibus submissuros. Quod factum in dolo, rei probavit eventus, nam mox ut recepti ad Monasterium fuissent, pristinis moribus improbis, Regulæ Monachorum contrarijs, vivere cœperunt, quorum impuritates cum fratres optimi detestarentur, & suas lædi conscientias convictu impiorum metuerent, ad Hirsaugiam redierunt.

Laurissa Imperialis Abbatia una ex quatuor.

Hirsaugienses Laurissam reformaverunt tertiò.

Monachi Laurissenses discoli.

Monachi redierunt ad Laurissã.

Posthæc S. Ermenoldus reformavit Laurissam Hirsaugiensis Cœnobij Monachus, & postea I. Abbas in Brunfeningen, de quo plura diximus anno Brunonis Abbatis IX. munificentiâ imperiali, memoratam Abbatiam Laurissensem invitus gubernandam suscepit, & reformare pro viribus studuit, sed cum audivisset, quæ Germanus cum Imperatore contulerat, quemadmodum in gestis ejus longè suprà diximus, Abbatiam dimisit, & cum Monachis quadraginta, quos Domino ibidem acqui-

S. Ermenoldus reformavit Laurissam.

quisierat anno ferme uno ad Hirsaugiam reversus est: & sic remanentibus in Laurissa Monachis deformatis, cassata est etiam secunda reformatio. Postremò temporibus Volmari Abbatis, Lotharius Rex Romanorum compatiens tam insigni loco & improbam conversationem Monachorum habens exosam, ab eodem Volmaro precibus suis obtinuit: quòd Laurissam per Hirsaugienses suos jam tertiò reformavit. Misit enim de sua Congregatione Monachos XII. optimè institutos, quorum industriâ disciplina regularis paulatim apud Laurissenses refloruit, & per annos plurimos laudabiliter *refloruit* duravit: donec postremò iterum defecit. Deinde circa tempora præscripta gravis inter Abbatem & Conventum fuit suborta discordia, regularísque disciplinæ penitus annihilata custodia: & conditio tam insignis Cœnobij miserabiliter in utróque statu deturbata, Conradus etenim ultimus Monasterij Laurissensis Abbas, ut dilapidator substantiæ temporalis, & criminosus in multis accusatur à subditis: causa inter eos per judices in Provincia plures discutitur, & tandem ad examen Sedis Apostolicæ defertur. Papa visitationem Monasterij certis mandavit Commissarijs, Abbati videlicet de Winyviler Cistertiensis Ordinis, cum alijs sibi condeputatis, qui venientes ad locum post maturam inquisitionem, Abbatem per sententiam deponunt: per quod initium desolationis Monasterij tradiderunt.

Hirsaugienses tertiò reformant Laurissam.

Laurissen. sium discordia

Laurissa visitatur & Conradus deponitur.

Interea Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, in cujus Diœcesi Laurissense constabat Cœnobium, summis laborabat viribus, ut imperialis Monasterij oppida, castra, villas, & totum Abbatiæ Principatum Ecclesiæ suæ conjungeret: & Ordinem D. P. N. Benedicti à loco penitus elongaret. In quo quidem desolationis negotio per annos ferme sedecim, fuit laboratum. Enimverò cum Abbas propter inopiam rerum temporalium Imperio consueta non posset exhibere obsequia, memoratus Archiepiscopus occasione sumptâ, pro dicto Principatu, qui centum ducatorum millium excessit valorem, sicut diximus, apud Imperatorem Fridericum II. instantiùs laboravit.

Archiepisc. Principatũ Monasterij ambiebat.

Anno itaque prænotato Dominicæ Nativitatis, MCCXXXIII. Ernesti verò Abbatis I. Indict. Roman. V. Fridericus Imperator sæpe dictus ad instantiam prænominati Archiepiscopi Principatum memorati Cœnobij Laurissensis, cum omni honore, Vasallis, Ministerialibus, castris, oppidis, nemoribus, teloneis, proventibus, dominijs, juribus & pertinentijs suis, quem Abbas ejusdem Monasterij, à multis retro annis huc usque tenuerat, abstulit atque Moguntinæ, sicut diximus, Ecclesiæ perpetuò annexum univit & incorporavit, juxta tenorem literarum qui sequitur, & est talis:

Imperator Fridericus Principatũ Laurissensem contulit Archiepiscopo.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus II. divinâ favente elementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Romani Principis decus extollitur, & augusta Sedes Imperij decoratur: cum Principatus, in quibus consistit & viget Imperium, in sua dignitate, congrua provisione reparat & conservat: & illas ad eorum reparationem & conservantiam personas eligit & præponit, quæ cum prærogativa commissarum sibi Ecclesiarum cum suæ merito dignitatis sufficientes ad id, & acceptæ fore censentur. Universis igitur Imperij fidelibus, tam modernis quàm posteris volumus esse notum, quòd nos considerantes tenuem statum Laurissensis ab honore & nomine Principatûs

Exemplar literarum Imperatoris.

Laurissen. sis allegat inopiam.

processu temporis collabentem: ut non minus Imperio, quàm sibi deficere videatur. Attendentes insuper quòd per dilectum Principem nostrum Sifridum venerabilem Archiepiscopum Moguntinum, cujus grata servitia quotidie Imperio præstita, nostro conspectui multâ gratitudine se præsentat: necnon per eandem Moguntinam Sedem, velut obsequiosam semper Imperio & nostris honoribus efficacem: servitium ejusdem Principatûs imperio debitum, quod propter ejusdem Ecclesiæ Impotentiam nobis hactenus est subtractum, integrè poterit exhiberi. Assistente igitur nobis & approbante dilecto filio nostro Henrico illustri Rege Romanorum semper Augusto,

Consilium introducit principum.

super his providere volentes: unà cum deliberatione & consilio Principum de innata providentia & nostræ gratia Majestatis, eundem Principatum Ecclesiæ Lauriss ensis cum omni honore, vassallis, ministerialibus, castris, oppidis, proventibus, juribus & pertinentijs suis, sicut ad nos & Imperium noscitur pertinere, eidem Moguntinæ Ecclesiæ, dicto Moguntino Archiepiscopo, & suis Successoribus imperiali authoritate in perpetuum donavimus & concessimus: & nominatum Principem nostrum venerabilem Archiepiscopum Moguntinum præsentibus Principibus solemniter investimus: ut eadem Ecclesia Moguntina, idem Moguntinus

Interdicit omnibus contradictionem.

Archiepiscopus & Successores ejus amodo principatum ipsum teneant & possideant, & ad honorem nostrum & Imperij illum foveant & conservent, salvo jure quod inde debetur imperio, præsentis privilegij authoritate mandantes, quatenus nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, Scultetus, Advocatus, ministerialis, nulla persona sublimis vel humilis, Ecclesiastica, vel mundana contra præsentis donationis & concessionis nostræ paginam ausu temerario venire præsumat. Quod qui præsumpserit, sciat se (propter indignationem nostram) cui se noverit subjacere) in suæ temeritatis vindictam, centum libras puri auri compositurum: quarum medietas Curiæ nostræ: & reliqua parti passæ injuriam, persolvetur. Ad hujus itaque donationis & concessionis nostræ memoriam & stabilem firmitatem, præsens privilegium fieri fecimus, & Bulla aurea typario nostræ Majest. impressa jussimus communiri: Hujus rei testes sunt B. Patriarcha Aquilejensis, &c. Signum Domini

Bulla confirmat donationem.

Friderici II. Dei gratiâ invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, Hierusalem & Siciliæ Regis. Ego Sifridus Ratisponensis Episcopus, imperialis aulæ Cancellarius, vice prædicti Domini Sifridi venerabilis Archiepiscopi Mogunt: in Germania Archi-Cancellarij recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo XXXII. mense Aprili, Indict. V. Imperante Domino nostro Friderico II. Dei gratiâ invictissimo Romanorum semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ Rege glorioss issimo, anno Imperij ejus XII. Regni Hierusalem septimo, Regni verò Siciliæ tricesimo quarto, feliciter amen. Datum Aquileiæ per manum. N.

Rex Henricus Donationem Patris confirmat.

Hujus memoratæ donationis privilegio Sifridus Mogunt: Archiepiscopus de mandato Imperatoris Friderici susceptо, quoniam Regem Henricum Patri non dubitabat in Imperio successurum: quò sibi donatum Ecclesiæ Lauriss ensis Principatum firmius perveniret, etiam ab ipso Rege proprium desuper Confirmationis privilegium hujus tenoris impetravit:

Exemplar Henrici Regis ad idē.

Henricus Roman: Rex Dei gratiâ semper Augustus, universis Imperij fidelibus, paginam hanc visuris, gratiam suam & omne bonum. Regali munificentiæ cedit ad gloriam si dignis extollit honoribus, sique rerum amplificat incrementis, sui cultores lateris & suorum conscios secretorum. Hinc enim devotio pullulat in

Principatū Lauriss ensem dicit Archiepisc. donatum.

subjectis, & augetur numerus in devotis, multiplicante munificentiâ per exemplum quicquid potuit, contulisse per gratiam. Inde est quod notum esse volumus uni-

versis nostris fidelibus tam præsentibus quàm futuris, quòd constitutus in præsentia nostra dilectus Princeps noster Sifridus Archiepiscopus Mogunt: celsitudini nostræ supplicavit attentè donationem & concessionem Principatûs Laurissensis Ecclesiæ cum omni honore, Vasallis, Ministerialibus, castris, oppidis, proventibus, Juribus & pertinentijs suis, à Domino & Patre nostro Friderico invictissimo Imperatore Romanorum semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ Rege, nobis præsentibus & consentientibus liberaliter sibi factam & Ecclesiæ Moguntinæ denuo gratam habere & conservare inviolabiliter deberemus. Nos igitur attendentes grata obsequia, quæ dicta Ecclesia Mogunt: nobis & progenitoribus nostris noscitur impendisse: considerantes etiam servitia debita Imperio, quæ per impotentiam Monasterij memorati ei hactenus sunt subtracta, per dictum Archiepiscopum, & Successores ejus, posse congruè exhiberi, concessionem prædictam, tamquam de assensu nostro factam gratam habentes, præsentis Regalis paginæ sancimus edicto, quatenus nulla persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel mundana, ei ausu temerario contraire præsumat. Quod siquis attentaverit (præter indignationem nostram, quam ex hoc incidet.) quinquaginta libras auri se noverit compositurum; quarum medietatem Curiæ nostræ: alteram verò parti passæ injuriam volumus applicari. Testes hujus confirmationis nostræ sunt B. Patriarcha Aquileiensis, &c. Datum apud Chindacum, anno Domini MCCXXXII. quinto Kalend. Maij, Indict: V. Donatione igitur tam Regali quam Imperiali memorati Principatûs ad votum impetratâ, sæpe dictus Archiepiscopus, ut eum & sibi & successoribus suis perpetuò redderet stabilem, Monachos ipsius Cœnobij Laurissensis callidâ persuasione induxit, multa eis promittens & magna, quatenus Romano Pontifici super negotio transactionis Principatûs scriberent, & ejus confirmationem instantiùs ab eo postularent. Monachi autem de sua expulsione suspicionem non habentes, existimantésque se magnos illico futuros, si Ecclesiæ Mogunt: forent confœderati simul & uniti, Archiepiscopo, super ablatione Principatûs, per omnia consenserunt; & Papæ literas hujus tenoris direxerunt:

Donationē hanc Rex ipse confirmat.

Archiepisc. Monachos ut Papæ scribant, induxit.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Sacrosanctæ Rom: Ecclesiæ summo Pontifici: Decanus cum devoto Fratrum Collegio, quamvis pauco, & Ministerialium Ecclesiæ Laurissensis continuas orationes ad Christum, cum subjectione filiali. Ad Apostolatûs vestri gratiam referendum duximus, quòd cum ad mandatum & examen Judicum à Sede Apostolica delegatorum Domnus Conradus quondam Abbas noster sententialiter fuisset depositus, pro dilapidatione ac alijs enormitatibus suis, quas commiserat, nos sentientes jam dictæ Ecclesiæ nostræ reformationem, in alio non posse consistere, sicut nec revera potuit, nec potest, memoratos Judices vestros, de benignitate vestra consisi, de concilio & consensu Principum, qui tunc Imperium gubernabant petivimus, Ecclesiæ Moguntinæ eandem Ecclesiam nostram uniri: præsertim cum Ecclesia nostra, sine adjutorio Ecclesiæ Moguntinæ, quæ hactenus nos fovit, non posit aliquatenus resurgere: cum etiam dictam Ecclesiam nostram in multis reformaverit, redimendo Castrum ipsius Ecclesiæ providè de manu fortiorum: in quo quidem castro, multa pars Ecclesiæ nostræ consistit. Præterea multas alias possessiones ejusdem Ecclesiæ nostræ, per potentiam suam recuperavit, & adhuc per Dei gratiam & vestram Pater Sancte recuperabit.

Monachi postulant se uniri Ecclesiæ Moguntinæ.

Cum igitur Pater Clemens & Pie hoc, deliberatione & providentiâ prudentium virorum factum esse, sit manifestum, sanctitatis vestræ pedibus provoluti, humiliter

militer & attentè supplicantes, quatenus nostram necessitatem utiliter respicientes, factum nostrum & unionem ipsam circa sæpe dictam Ecclesiam Moguntinam, ratam habentes, authoritate & misericordiâ Sedis Apostolicæ, dignemini confirmare, Omnipotens Deus sanctitatem vestram conservet incolumem. Romanus autem Pontifex Gregorius IX. Monachorum de Laurissa epistolis receptis atque relectis, eorum mox precibus annuit, & Sifrido Archiepiscopo Moguntino, tali formâ rescripsit:

Exemplar literarum Papæ ad Archiepisc.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Moguntino, salutem & Apostolicam benedictionem. Insinuantibus nobis dilectis filijs Decano & Conventu Laurissensis Monasterij innotuit, quod Abbas de Vinwiler, ac ejus Collegæ, eidem Monasterio de mandato Apostolico visitationis officium impendentes Abbatem ipsius, ab ejus regimine amovissent: procurationem, defensionem & reformationem ipsius, cum adeò in spiritualibus & temporalibus lapsum esset, quòd vix posse resurgere, nisi per tuum auxilium, crederetur, tibi, in cujus consistit Diœcesi, commiserunt.

Comendatur diligentia ejus facta priùs.

Cum verò eam circa reformationem ipsius solicitudinem impendisti, quòd præter alia grata commoda, quæ tua diligentia jam suscepit, castrum quoddam ipsius alienatum omnino ad jus & proprietatem ejus datâ propter hoc de tua non modicâ summâ pecuniæ revocâsti. Nos ergo prudentiam tuam super hoc in Domino plurimùm commendantes, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus circa commissam tibi procurationem, defensionem & reformationem ipsius, sicut laudabiliter incepisti invigilans, sic illud foveas, manuteneas, & defendas, per tuum studium ad statum debitum reducatur, & exinde recipere à Domino retributionem, & à nobis debeas commendari. Datum Perusij, quarto nonas Maij Pontificatûs nostri anno sexto.

Archiepisc. tentat reformare Monasterium.

His literis Apostolicis Sifridus sæpe fatus Archiepiscopus Moguntinus susceptis, non solùm de Laurissensis Principatu Ecclesiæ, tamquam verus Dominus, se per omnia intromisit: sed etiam quomodo Monachorum Ordinis nostri locum ipsum incolentium reformaret vitam sedulò excogitavit. Verùm posteaquam reformationis negotium inchoavit, legem illis dans in observantia vivendi, secundùm Regulam Sanctissimi P. Benedicti, & Monachi cernerent omnem sibi libertatem, quam prius habuerant, penitus ablatam, ipsúmque jam Monasterium, non sibi, sed Ecclesiæ Moguntinæ cum omni honore & dominio esse relictum: serò mysterium intelligentes, & se non parùm circumventos, ne dixerim seductos, nimiùm doluerunt: séque, licèt tardè, machinamentis Archiepiscopi dolosis Nobilibus terræ quibusdam auxilium ferentibus cœperunt opponere.

Serò facti pœnituit Monachos.

Episc. Hildensheimensis visitator Laurissens.

Quod ubi ad notitiam Archiepiscopi delatum fuerat, mox Rom. Pontificem per literas præmonendo rogavit, quatenus visitationis officium, sæpedicti Monasterij Hildenshaimensis Ecclesiæ Pontifici de novo committeret: per quem de Monachorum conversatione improba plenam posset habere informationem. Cujus precibus Papa consentiens, Hildensheimensi Episcopo per Apostolica scripta mandavit: quatenus Monasterium Laurissense personaliter accederet, inquisitionis & visitationis officium quantocius exerceret: ac de singulis relationem faceret.

Visitator Episc. relationē scribit ad Papā.

Qui visitatione tandem peractâ, relationem per literas ad Sedem Apostolicam misit: in quibus Romanum Pontificem, de singulis plenius infor-

informavit, asserens Monasterium ipsum in utroque statu miserabiliter deformatum: & Monachos in eo degentes, nimiùm à tramite Regularis observantiæ deviâsse: nullámque in ipsis spem emendationis esse ponendam, nec posse reformari locum, nisi omnes expellantur. Consuluit denique idem Hildensheimensis Episcopus, ut nostris propter vitæ deformitatem eliminatis Monasterium daretur Cistertiensibus, quod cujus instinctu fecerit, nihil mea interest. Fuerunt tamen qui dicerent, ipsum Archiepiscopum Moguntinum Sifridum, nostri Ordinis Monachos de Laurissa plurimùm habuisse suspectos, ne quando in futurum per eos, vel eorum successores, super ablatione Principatûs, castrorum, oppidorum & proventuum illius aliqua suscitaretur contentio: pro eo quod hæc omnia sine Ordinis consensu sibi usurpaverat, & ob id totis laborâsse conatibus, ut Monachis nostris, quâlibet occasione, quasi sub reformationis typo expulsis, alterius Ordinis introducerentur viri, qui simplicitae proventuum necessariorumcontenti, Principatum & dominia ministerialium tanquam suæ professioni contraria non curarent. Egit, manifestum est, igitur apud S. Sedem Apostolicam omnibus modis & studijs quibus potuit, quatenus Monachi Ord. S. Benedicti sub reformationis prætextu de suo Cœnobio Laurissensi pellerentur, veluti penitus incorrigibiles, & Cistertienses, quibus Principatum & dominia temporalia habere primæva eorum institutio non permitteret, in locum quantocius reponerentur: de quibus omnino fieret securus, quòd Cæsaris donatione ablata, nunquam repeterent. Unde post biennium tales à Papa Gregorio IX. literas impetravit:

Archiepisc. sua quæisse multorum opinio est.

Indultum petit expellendi ipsos Monachos.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiscopo Mogunt: salutem & Apostolicam benedictionem. Laurissensis Monasterij vinea diutius expectata ut vuas faceret: ecce in medium produxisse dicitur labruscas: dum Monasterium ipsum, in quo Mariæ officium per contemplationis speculum florere consueverat, & in rerum affluentia temporalium Marthæ officiosa solicitudo vigebat, malitiâ inhabitantium faciente, adeò in utróq; (venerabili Fratri nostro Hildensheimensi Episcopo, cujus providentiæ super hoc inquisitionem commisimus referente) didicimus esse collapsum, quod loco Mariæ Jezabel, ac loco Marthæ prodigalitate succedentibus, nulla spes est ulteriùs, ut in suo possit ordine reformari. Monachi enim ejusdem Monasterij exteriori & interiori nigredine denigrati, adeò se mundi delicijs involuerunt, substantiam Monasterij cum filio prodigo dissipantes, quod eorum siculnea immissis stercoribuus diutius exspectata, non solum fructibus, sed etiam folijs dicitur aruisse: quod nihil aliud expetit & expectat, nisi ut radices sicûs fatuæ, quæ terram inutiliter occupant, abscindantur. Sanè sicut Medici periti solertiâ vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, abscindenda censentur, ut exclusa putredine, vinum & oleum infundatur vulneribus, & tandem sanetur ægrotus. Ne verò, fideles qui bona sua eidem Monasterio contulerunt, orationum sperantes suffragijs inibi habitantium relevari, spe præconceptâ frustrentur, juxta Episcopi præfati consilium, quod suis nobis literis innotuit, te, qui loci Diœcesanus existis, decet & expedit, maximè cum tempus messis advenerit, zizania Monachorum existentium in eo sarculo correptionis & purgationis evellere, ac triticum in horrea congregare. Compatiatur igitur fraternitas tua, quia & nos compatimur Monasterio sic collapso, & ad ipsum personaliter accedens omnino virtutibus destitutum, Cistertiensem Ordinem plantes in ipso, ut Ordo de nigro conversus in album, purgetur vitijs & virtutibus augeatur, & sic in Architriclini

Epistola ad Archiepisc.

Reprobam Monachorum vitam taxat.

Mentis nigredinem impropterat.

Ferro abscisionis utendum monet.

Ut ejectis Monachis Cistertiensi introducat.

nuptijs,

nuptijs, aqua in vinum summi artificis operatione conversa, florem honoris & honestatis educet, & fructum boni operis non relinquet: ex quo spes fidelium reviviscet, irrigando tanti nominis & religionis de novo plantatæ, plantulam sui roris dulcedine devotius & libentius confovebunt. Si quos autem de Monachis invenies, quos amor Cistertiensis religionis accendat, illos ibidem retinere poteris, dum tamen de ipsis siniſtra opinio nulla apud bonos & graves facilè oriatur. Alios verò per diversa loca sui Ord. in tua Diœcesi adeò cautè disponas, ne una ovis morbida gregem commaculet totum, sed deperdita potius reducatur ad caulas: provisurus attentiùs, ne possessiones & bona, quæ idem Monasterium quondam habuisse noscitur, à plantatione novella aliquatenus excludantur.

Monachos dividi jubet.

His ergo literis Apostolicis acceptis Archiepiscopus pluries memoratus, & voti per omnia compos factus, omnes Monachos Ordinis D. P. Benedicti, quotquot in præfato Cœnobio erant, contra voluntatem eorum potenter ejecit, & Abbatem cum Conventu Cistertiensis Ordinis juxta indultum Apostolicum introduxit, quibus certos redditus, & proventus annuos unde viverent de bonis ipsius Monasterij, & non de suis assignavit. Castra verò cum oppidis, villis, Ministerialibus, Vasallis & Monasterij Principatu, sibi & Ecclesiæ Mogunt. retinuit, quorum æstimatio valoris, ut suprà diximus, centum florenorum millia excessit: & emolumentum quotannis, non parvum rependit. Quod factum nobilibus & vasallis Monasterij valde quidem displicuit quamvis contradicere tantæ potestati non auderent. Introducti autem Cistertienses, Monasterium Laurissense suo more inhabitare cœperunt, provisionem reddituum ab Archiepiscopo, quam illis pro suo placito, ad vitæ sustentationem contulit, accipientes. Nec diu in accepta possessione aliena quieti permanserunt. Monachi námque priores graviter dolentes, se de suo Monasterio expulsos, & in suo Cœnobio alterius professionis homines locatos, in unum convenientes, unanimi consensu statuerunt injuriam sibi ab Archiepiscopo & Cistertiensibus factam, nullatenus dissimulandam. Convocato igitur fautorum auxilio nocte quâdam Monasterium silenter ingressi sunt, & Monachos Cistertienses invasores loci non sine contumelia & verberibus omnes expulerunt, quosdam verò capientes abjurare locum in perpetuum compulerunt. Quibus violenter expulsis, Monasterium suum se recuperâsse putantes, prisco more suo habitare cœperunt, quamvis Archiepiscopi furorem sibi de proximo imminentem haud parum metuerent. Expulsi autem Cistertienses querelam ad Archiepiscopum deferunt, vindictam in præsumptores non sine magna instantia postulantes. Interea Monachi priores non satis in tuto positos esse considerantes, quid pro sua conducat utilitate inter amicos consultabant, cum ecce subitò nunciatur advenire Archiepiscopus, copiosa militum stipatus multitudine. Quod cum audissent Laurissenses pavore concussi, Monasterium deserunt: & ablatis, quæ sibi placebant, ad loca esse tutiora receperunt, ordinationem Episcopi circa Monasterium expectare denuo sub silentio decernentes. Igitur Sifridus Archiepiscopus manu suorum auxiliante veniens ad Monasterium Laurissense habitatoribus jam vacuum, suos Cistertienses in eo reposuit, & quosdam è suis militibus pro illorum custodia, contra insidias nostrorum deputavit. Interea nostri latuerunt cum amicis tempus oportunum tacitè præstolantes,

Cistertienſ. Laurissam introducti sunt.

Redditus sibi ab Archiepisc. de bonis loci capiunt.

Cistertienses expelluntur à Monachis nostris.

Expulsi Cistertienses ad Archiepiscopum confugiunt

Cistertienſ. denuo reponuntur in Laurissa.

tes, quo rursus invasores alieni juris exturbarent. Et ecce post non multum temporis, cum se Monachi Cistertienses in Laurissa positi securos existimantes, præsidia nimis sumptuosa laxâssent: denuo Monachi nostri cum suis amicis quâdam nocte veniunt, Monasterium per ocultos aditus, quos noverant, ingressi sunt, & Cistertienses in matutinis laudibus constitutos hostili impetu aggressi cædunt, percutiunt, & rursus de Monasterio, cum maximo tumultu expellunt, protestantes se omnes perempturos, si ad Monasteriũ Laurissense denuo fuerint reversi. Unus autem è Monachis Cistertiensibus cum lumine stabat ad analogium legens matutinalem lectionem in ipso tumultu fuit occisus, ab his qui cum nostris irruperant: quod factum usque adeò terruit cæteros quòd ex Cistertiensibus nullus deinceps redire ad memoratum Cœnobium audebat præsumere. Cæde peractâ nostri ad munitiones amicorum se denuo recipiunt: in quibus nullas Archiepiscopi comminationes timuerunt. Fuerunt enim complures in ordine Nobiliũ & Comitum, quibus valde displicuit, quòd Archiepiscopatus sibi Principatum Monasterij usurpavit. Vacabat ergo aliquamdiu sine Monachis Laurissanum Cœnobium, dum & nostri metu Archiepiscopi redire non possent & Cistertienses furorem nostrorũ formidantes nullâ possent ratione persuaderi, ut illuc ampliùs reverti consentirent. Archiepiscopus autem, qui bonis Monasterij cum Principatu inhiabat, factum Innocentio Papæ IV. qui Gregorio IX. successerat, per literas & nuntios intimavit, petens ab eo quid fieri deinceps juberet: cui Papa memoratus ad interrogata ita scribens respondebat:

Iterum Cistertienses expelluntur ab antiquis.

Monachi unum ex Cistertiensibus perimunt.

Monasterium Laurissense aliquamdiu vacat.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei: venerabili Fratri Sifrido Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Cum (sicut nobis exponere curavisti) felicis record: Gregorius Papa prædecessor noster, intellecto, quod Monasteriũ Laurissense Ord: S. Benedicti tuæ Moguntinæ Diœcesis in spiritualibus & temporalibus non modicum diminutum propter malitiam inhabitantium in eodem, tibi dedisset suis literis in mandatis, ut Monachis ab eo prorsus amotis illud de Cistertiensi Ordine reformares, tu mandatorum ipsius diligens executor, in eo Conventum Cistertiensem induxisti. Sed nonnulli perditionis filij, qui in reprobum sensum dati Dei filios eò ferociores persequuntur, quò magis habentur dissimiles actibus eorundem, prædictos Cistertienses à præfato Monasterio semel & secundò per violentiam ejecerunt, ex quo Monasterio ipso, non sine injuria JESU Christi, dato penè in vastitatem, penitus in eo laudis non resonat jam vox divina. Quia verò nostræ solicitudinis dignoscitur interesse, ut Ecclesijs, quarum vastitatem perversorum immanitas procuravit, festinato remedio, ne pereant totaliter succurramus, instituendi in eodem Monasterio Conventum Regularium, seu etiam Canonicos seculares, prout tua providentia magis loco & patriæ noverit expedire, eis prioris Conventûs redditibus assignatis, liberã tibi, authoritate præsentium, concedimus facultatẽ, Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ, compescendo. Datum Lugduni III. nonas Maij Pontificatûs nostri anno II. Anno videlicet Domini nostri JESU Christi MCCXLIV. nam sicut diximus annis sedecim, per Sifridum Archiepiscopum Moguntinum in hoc negotio Laurissensis Ecclesiæ laboratum fuit.

Innocentij Papæ ad Sifridum Archiepisc. epistola.

Mandat Episcopo ut introducat quos voluerit.

Posthæc sæpedictus Archiepiscopus Mogunt: Apostolicâ suffultus authoritate, præfatum Laurissense Monasterium Præmonstratensibus perpetuò possidendum obtulit, & ex eorum Ordine Conventum illuc

Laurissa datur Præmonstratensibus.

ſub magiſterio Præpoſiti militantes Domino, tandem collocavit. Et hanc introductionem Præmonſtratenſium ad ſæpe dictum Monaſterium Lauriſſenſe, idem Sifridus Archiepiſcopus Mogunt: ſuis literis tanquam loci Ordinarius confirmavit, dans Præpoſito & Conventui novo literas deſuper conſcriptas, & ſuo roboratas ſigillo, quarum datum eſt, anno Domini MCCLVIII. VI. Idus Januarij Pontificatûs ſui anno XVIII. quæ cum nimis ſint prolixæ ac noſtro parum conducant propoſito: earum exemplar conſultò pertranſivimus. Verùm Archiepiſcopus ſæpememoratus, ut Eccleſiæ Moguntinæ Principatum præfati Monaſterij Lauriſſenſis, pro cujus adeptione toto ſtudio laborabat, perpetuâ firmitate ſtabiliret, literas renuntiatorias à Præpoſito & Conventu Præmonſtratenſi, quos noviter introduxerat, non ſine magna injuria Ordinis S. Benedicti exegit & impetravit, quas dare Præmonſtratenſes non erant difficiles: utpote qui non ſuis renuntiabant ſed alienis. Sequitur ergo literarum exemplar, quas Archiepiſcopo renuntiantes tradiderunt.

Archiepiſc. inſtitutionem quam fecit, confirmat.

Archiepiſc. in Principatum dirigit oculos.

Univerſis Chriſti fidelibus, tam præſentibus quàm futuris Præpoſitus & Conventus Monaſterij Lauriſſenſis Præmonſtratenſis Ordinis Mogunt: Diœc: devotas orationes in Chriſto. Quoniam venerabilis Pater Dominus Sifridus S. Mogunt: Sedis Archiepiſcopus, de conſilio & conſenſu capituli Moguntini authoritate Apoſtolicâ nos inſtituit in Monaſterio Lauriſſenſi, aſſignatis nobis proventibus competentibus & honeſtis, quibus & contenti ſumus, videlicet prioris Conventûs redditibus univerſis & officiorum ejuſdem. Ratione autem inſtitutionis hujuſmodi, ac ideo quia locus noſter in Diœceſi Moguntina conſiſtit, nos & ipſum locum noſtrum ſubijcimus, & ſubjectos recognoſcimus Eccleſiæ Moguntinæ, dicto Domino Archiepiſcopo, & ſuis Succeſſoribus univerſis, juxtà quod inſtitutionis noſtræ privilegio coninetur. Porrò cum Imperialis authoritas pariter & regalis, de conſilio & aſſenſu Principum, Lauriſſenſis Eccleſiæ Principatum, cum omni honore, Vaſſallis, Miniſterialibus, caſtris, oppidis, proventibus, juribus & pertinentijs ſuis Eccleſiæ Moguntinæ ex certis & legitimis cauſis duxerunt uniendum, ſecundum quod in Imperiali & Regali privilegijs, perſpeximus contineri. Nos in Principatu ipſo ac cunctis pertinentijs ejus recognoſcimus Eccleſiam Moguntinam Dominum Sifridum Archiepiſcopum & Succeſſores ejuſdem jus firmum & ſtabile obtinere: & ſuper his nos nunquam movebimus, vel alij Succeſſores noſtri movebunt quæſtionem. Si autem ex inſtitutione noſtra, ratione Monaſterij Lauriſſenſis nobis vel Succeſſoribus noſtris in principatu ipſo, vel præſcriptis bonis & juribus attinentibus Abbatiæ eſſet juris aliquid acquiſitum, illi renunciamus & damus & concedimus id eidem Eccleſiæ Moguntinæ ac ejus Archiepiſcopis, qui pro tempore fuerint obtinendum, cum ad reformandum & manutenendum Principatum ejuſdem in ſuis juribus & honore ſimus penitus impotentes: noſq; talia poſſidere Ordinis noſtri prohibeant inſtituta. In cujus facti memoriam, & perpetuam firmitatem, præſentes literas conſcribi fecimus: & Eccleſiarum S. Petri & S. Stephani Moguntinenſium, noſtroq; & de omnibus Sanctis Argentinenſis Diœceſis ſigillorum munimine roborari. Actum Moguntiæ anno Dominicæ Nativitatis MCCXLVIII. Indict: Rom: VI. in menſe Januario.

Præmonſtratenſes in Lauriſſa Mogunt: ſe ſubijciunt Eccleſiæ.

Lauriſſenſ. Principatui renuntiant.

Omni juri, ſi quod eis competeret, renuntiant.

Ordinis inſtituta allegant.

Actum Moguntiæ anno 1248.

Ex præſcriptis literis facilè poſſumus colligere, quæ fuerit cauſa movens ſæpe fatum Archiepiſcopum, quod Monaſterium Lauriſſenſe, non per Monachos noſtri Ordinis, ſed per alienos voluit reformare. Verebatur enim ſi prioris Ordinis Monachos de quolibet Cœnobio reforma-

formatos introduceret: quòd eorum justis quæstionibus & instantiâ Principatum Monasterij, quem sibi contra justitiam usurpaverat compelleretur amittere. Propterea tales Monachos curavit introducere, de quibus posset esse securus, quod injustè ablata nunquam repeterent. Manifestum est enim quod Monachos priores cupidine Principatûs de Cœnobio expulit magis, quàm intuitu reformationis. Nam si voluisset purâ intentione reformâsse Monasterium, Monachos introduxisset ejusdem Ordinis bonæ conversationis, non alienos, néque sibi usurpasset Principatum. Dubium etenim non est, plures eo tempore Monachos extitisse Ordinis S. P. Benedicti, quorum conversatio Præmonstratensibus non esset inferior. Aut si omnes Monachi nostri Ordinis vitam agebant moribus deformatam, ut invenire potuerit nullos, qui essent ad reformationem idonei, quare non fecit eodem zelo fervoris in alijs Monasterijs deformatis, quod præsumpsit in isto. Forsitan nullum erat in Diœcesi Moguntina, castris, oppidis & Principatu notabile, sed transeant in errore necesse est, quæ revocare ad semitam rectitudinis non possumus: & nos tandem post longam evagationem ad historiam revertamur.

Quæ fuerit causa desolationis hujus.

Confirmatur argumentis præscripta narratio.

MCCXXXIII.

Anno Ernesti Abbatis Hirsaugiensis II. Indict. Roman. VI. Fridericus Imperator II. Messanam Siciliæ urbem sibi rebellem obsidione vallavit, & post duram impugnationem tandem cæpit, ingressus itáque civitatem, omnes natu majores, qui suo rebellaverant imperio, ignibus tradidit puniendos, & vindictam crudelem nimis de adversarijs suis accepit, cujus atrocitate facti usque adeò cæteri sunt perterriti cives & incolæ Siciliæ: ut omnes ultro se illi subijcerent.

Imperator vastat Siciliam.

Eodem anno tertio Calend. Martij facta est concordia in oppido Franckenfurt, inter Henricum Episcopum, & cives Wormatienses per Sifridum Archiepiscopum Moguntinum, per Conradum quoque Episcopum Spirensem & Marchionem Badensem, cujus quidem pacis sive concordiæ pactum in literis desuper scriptis continetur. Hoc ipso anno multa per diversa Germaniæ loca incendia fuerunt.

Inter Episc. & Wormatienses facta est concordia.

Anno prænotato Henricus Rex, filius Imperatoris Friderici II. Conventum Principum in Moguntia solemnem celebravit, cum quibus de communi utilitate reipublicæ multa consilia habuit. Conventu Principum apud Moguntiam durante, F. Conradus de Marpurg Ordinis Prædicatorum Beatæ quondam Elisabeth Thuringorum Landgraviæ Capellanus, qui per decem & octo annos jam inquisitoris officium in Regno Teutonicorum magna cum severitate peregit: tale factum in perniciem propriam commisit. Postea enim quàm per omnes Teutoniæ Provincias annis, sicut diximus, decem & octo discurrens authoritate Romani Pontificis sibi commissâ, multos nobiles & ignobiles, Clericos & sæculares, Monachos & Moniales, Beguttas & inclusas, cives & rusticos sub hæreseos titulo ignibus præcipiti sententiâ tradidisset, manus etiam in Principes extendere ductus gloriolâ voluit. Comitem itáque Seynensem inter alios sibi delatum, pro hæretico ad suum judicium authoritate Sedis Apostolicæ apud Moguntiam examinandum citavit, Conventu Principum, sicut diximus, ibidem existente. Comes itáque citatus, quoniam præsens erat cum Rege, mox sine mora comparuit: objectum sibi crimen hæ-

Conventus Principum Moguntiæ.

Comes Seynensis accusatur super hæresi Moguntiæ.

reseos constantissimè refutavit: se Christianum fidelem semper & fuisse & esse clamitans atque in fide ac obedientia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ perpetuò mansurum, neminémque posse de ipso contrarium probare, atque ob id Principum testimonia omnium imploravit. Sed F. Conradus, qui se multitudine combustorum, quasi ab hæresi sanctam purgâsset Ecclesiam, reputabat non immeritò glorioſum, verba Comitis non admisit: quin potiùs illum constanter pronuncians ut convictum & pertinacem ad incendium judicavit. Pervenit sermo iste ad aures Henrici Regis & Principum, quorum animi indignitate facti vehementer sunt moti: vocatúmque ad se fratrem Conradum ejus temerariam præsumptionem & impiam crudelitatem duris increpationibus redarguerunt, asserentes uno ore atque sententiâ manifestè sibi constare Comitem accusati criminis innocentem, bonúmque ac fidelem esse Christianum, quare sibi consuleret monere potius, atque tam præceps, crudelis, & promptulus in hominum simplicium & innocentum esse necem desinat: edicto regali, prô nefas hominis, publicè coram omnibus perperam judicata recensentes. Neque mirum quod crudele vetatur facere suo more judicium, qui etsi Dei zelum habuerit: non tamen ubique secundùm scientiam, ut legimus judicavit, nam sicut scriptor quidam dicit historiarum, præceps nimiùm fuit ad condemnandum quoslibet, à quolibet accusatos, & nec merita discrevit, nec vitæ rationem. Mox etenim ut accusatus coram eo quispiam, per quemcúnque aut qualemcúnque fuisset, eodem die, sive justè, sive injustè, nullius appellationis seu defensionis refugio sibi proficiente, damnatus sine mora, sine deliberatione ad incendium crudelibus flammis tradebatur. Ob quam causam veluti publicus Teutonicorum persecutor & hostis in odium multorum, tam nobilium quàm ignobilium, Sacerdotum & Monachorum, ac penè cunctorum Principum devenit, utpote, qui plures minùs justè condemnâsse illorum judicio videbatur. Monitus itáque imperio Regis & Principum, ab inquisitionis suæ crudele officio desistere, confusionem hanc graviter ferens, maximè quod prævalere contra memoratum Comitem de Seyna minimè posset, ad Marpurg natale solum redire in Hassiam statuit, & vitam deinceps in silentio agere quietam. A Moguntia igitur discedens, iter versùs Marpurg oppidum Hassiæ instituit: & tam Regis Henrici, quàm Sifridi Archiepiscopi Moguntini literas commendatitias secum accepit. Cúmque pervenisset in Hassiam haud procul à Marpurg, à quibusdam nobilibus, seu Ministerialibus de Dornbach in itinere latentibus, subitò invaditur, & crudeli percussione occiditur. Cúmque multis cum lachrimis vitam sibi concedi postularet, exauditus non est, dicentibus ad illum impijs homicidis: Occidite crudelem, interficite malefactorem, ut qui parcere nulli didicit, pœnas luat mortis, quas meruit. Ejus corpus delatum in Marpurg juxta tumulum S. Elisabeth in Ecclesia Teutonicorum sepultum est.

Rex Comitem defendit contra F. Conradum.

F. Conrad⁹ nimiùm præceps fuisse arguitur.

F. Conrad⁹ odio habetur ab omnibus.

Jubetur ab inquisitione desistere.

F. Conrad⁹ in itinere perimitur.

Anno prænotato Rex Henricus Conventu Principum apud Moguntiam, de quo diximus, ritè peracto atque soluto, cum exercitu sex mille pugnatorum, contra Ducem Ottonem intravit Bavariam: & prælio in campis juxta Licum fluvium haud procul ab Augusta Rhætiorum atrociter commisso, victor extitit, & Ducem memoratum eatenus rebellem ad obedientiam revocavit.

Henricus Rex vastat Bavariam.

Hoc

Hoc ipso anno interea quo Rex in bello desudabat Bavarico: Theodericus Comes de Montbelgard, magno suorum adunato exercitu, fines Alsatiæ contra Abbatem de Murbach Ordinis nostri ingreditur, & omnia rapinis devastat simul & incendio. Abbas enim prædictus de Murbach præcedenti anno Comitem ipsum in bello ceperat, & aliquantis diebus captivum detinuit, quem tamen postea sub certis pactis & conditionibus liberum dimisit. Qui juramentorum oblitus hoc anno se vindicare studuit, & subjectas Abbatiæ Murbacensi terras hostiliter spoliavit. Unde quibusdam jam captis, & prædâ non modicâ comportatâ, cum retrocedere & abire Comes ipse cum suis inciperet, facti rumor in omnem provinciam Alsatiæ diffunditur; consurgénsque terræ populus, abeuntes insequitur, per quem non solùm præda reducitur, sed etiam Comes ipse Theodoricus denuo captus est, & custodiæ Argentinensis Episcopi mancipatus. Quem Pontifex de Bavarica expeditione rediens acceptis cautionibus dimisit.

Comes Theodericus de Montbelgard vastat Alsatiam.

Comes de Montbelgard capitur.

Eodem anno mortuus est Berengerus de Enthringen Episcopus Spirensis quadragesimus quartus, & in Ecclesia sua sepelitur: cui Conradus de Than, communi fratrum electione succedens, præfuit annis quatuor: qui Ecclesiam parochialem in oppido suo Didesheim cum jure patronatûs & decimis Capitulo suo contulit majoris Ecclesiæ Spirensis, in augmentum præbendarum Canonicalium. Hoc ipso anno Curiensis Episcopus à quibusdam nefarijs hominibus occiditur.

Conradus fit Episcop. Spirensis.

His temporibus Cruciata, Gregorio Papâ IX. mandante, per totam Germaniam prædicatur contra Ruthenos Idolorum spurcissimos cultores, Polonis & Pomeranis Stetinensibúsque conterminos, qui suis atrocissimis incursionibus, jam à multis annis fines Christianorum molestare & inquietare non cessabant. Contra quos tam Romani Pontifices, quàm Imperatores & Reges, unà cum Principibus Magistrum & milites Hospitalis Beatæ Mariæ semper Virginis Ordinis Teutonicorum, ut suprà diximus Henrici Abbatis Hirsaugiensis anno quarto, providâ consultatione ordinârunt. Et ex illo tempore Ruscia memorati Ordinis Magistro átque militibus, in possessionem est tradita sempiternam, totius consensu Imperij.

Crux prædicatur contra Ruthenos.

Anno igitur Prænotato cum prædicaretur Cruciata contra Sarmatas & Ruthenos, multi gregatim nobiles & ignobiles, religiosi & seculares ad honorem Christianæ fidei, dictis fratribus Teutonicorum Ordinis in auxilium venerunt. Inter quos ducatum obtinuerunt Henricus Marchio Mysnensis, qui cum quingentis militibus contra Sarmatas processit ad bellum. Dux quoque Moraviæ, qui cum mille sexcentis viris armatis ad præliandum contra infideles terram suam egressus est. Dux item Cracoviæ sive Poloniæ, qui cum octo millibus contra gentes Sarmatas, Ruthenásque pro Christi fide pugnavit. Qui Principes cum alijs multis Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, átque fortissimis pugnatoribus, in unum convenientes, aciem contra Ruthenos in Christi nomine direxerunt, & penè totam Ruscíam igne ferróque vastantes, castra, oppida, ac omnes eorum munitiones brevi tempore cum potentia magna obtinuerunt, Ruthenis minimè resistere valentibus. Deinde memorati Principes in eum Ruthenos articulum necessitatis impulerunt,

Exercitus fidelium contra Ruthenos venit.

Rutheni infideles superantur à Christianis.

ut

Rutheni fiunt Christiani, & subijciuntur Magistro Teutonicorum.

ut abjectis armis pacem quærerent, & se fidem sucepturos Christianam, cum omni gente sua promitterent, hâc igitur promissione ultroneâ nostri susceptâ pacem orantibus dederunt, subijcientes totam Ruscìam Magistro Teutonicorum Ordinis in perpetuam possessionem. Qui Magister tam per suos Sacerdotes, quàm per alios, fidem mox Christianam in tota Ruscia fecit prædicari, baptismate renovari homines, Ecclesias construi, lucos & idola ignibus cremari.

MCCXXXIV.

Crux prædicatur cõtra Stadingenses.

Anno Erensti Abbatis III. Papa Gregorius IX. Crucem prædicari mandavit contra Stadingenses populos in confinibus Saxoniæ & Frisiæ sitos, paludibus & fluminibus circumfusos, qui pro suis excessibus & subtractione decimarum excommunicati per multos annos contemptores Clavium & Pontificum Ecclesiæ Catholicæ fuerunt, & pluries cum Catholicis acriter confligentes frequenter victores extiterunt, & raro victi. Unde prosperis elati Romanam Ecclesiam, & omnes Christianos unâ temeritatis sententiâ contemnebant.

Stadingenses Schismatici à nostris superantur.

Anno igitur prænotato magnus Christianorum convenit exercitus, eorum videlicet qui crucem pro Dei honore susceperant, qui sub Ducibus contra Schismaticos illos processerunt ad prælium. Et factâ congressione victoriam obtinuêre fideles, & plusquam duo millia Stadingensium Schismaticorum, à nostris in eo bello fuerunt occisi, reliqui ad vicinos Frisones fugientes, amplius Catholicis congredi non sunt ausi, & sic eorum cessavit impietas.

Comes Hollandiæ in torneamento perimitur.

Hoc ipso Anno, Comes Hollandiæ, vanitatis studio, cum quibusdam alijs nobilibus incitatus ad torneamentum, apud Corbiam oppidum Ambianensis in Gallia Diœcesis profectus est, & in eodem occisus, de quo post ejus mortem servus quidam Dei mirabilem vidit in spiritu visionem, per quam quilibet amator veritatis potest intelligere, quantum omnipotenti Deo vanitas illa displiceat torneamentorum, quæ nihil est aliud, quàm solemnitas Dæmonum.

Incendium Wormatiæ

Eodem anno XXII. die mensis Junij civitas Wormatiensis casuali igne, fuit in nocte succensa, cujus pars magna, non sine multorum ingenti dispendio civium, miserabiliter consumpta est.

Landolphus fit Episc. Wormatiensis.

Item eodem anno moritur Henricus de Saraponte, memoratæ civitatis Wormatiensis Episcopus, vir magnificus, & sempiternâ memoriâ dignus: Cui Landolphus quidam in Pontificatu succedens, præfuit plus minus annis XIII. homo multarum actionum: iste Landolphus Episcopus de consensu Sifridi Archiepiscopi Moguntini Moniales nostri Ordinis de Cœnobio, quod Nonnenmünster vulgari vocabulo nuncupatur, in Suburbio Wormatiensis civitatis, propter inordinatam earum conversationem expulit: & Monachas Cistertienses Ordinis introduxit: quæ quidem Moniales Cistertienses locum ipsum inhabitare cœperunt, & inhabitant usque in præsentem diem.

Nonnenmünster in Wormatia.

Henricus Rex contra patrem suum conspirat.

Anno etiam prænotato Henricus Rex Conventum quorundam Principum celebravit in Bopardia oppido imperiali Trevirensis Diœcesis, ubi quorundam nefario deceptus consilio, Imperium sibi vendicare nisus, contra patrem suum conspirare non timuit, quòd ei tandem causa interitûs fuit. Ex illo etenim die solicitare cœpit quoscunque potuit, donis, promis-

promissis, & minis, ut deserto patre sibi adhærerent: & non paucos impietatis suæ consentaneos reperit ac fautores. Sed non diu duravit stultorum Imperium, quod malè fuerat inchoatum. Cives autem Wormatienses & plerósque alios, qui propter jusjurandum nolebant à fidelitate patris deficere, multis afflixit injurijs, ac per totius anni spatium continuis irruptionibus tribulavit. Marchio autem Badensis, qui fidelis erat Imperatori Friderico, & non parum dilectus, videns præsumptuosam temeritatem Regis Henrici, vehementer indoluit, & proficiscens cum paucis secretò in Siciliam, Imperatorem de singulis quæ filius egerat, diligentiùs informavit. Quâ novitate Imperator auditâ vehementer obstupuit, præmittens in Germaniam Marchionem honoratum muneribus, se quantociùs subsecuturum occultè repromisit, sicut & postea implevit. Marchione autem ad sua reverso, posteaquam factum ejus Regi Henrico innotuit, ægrè tulit; & se patri delatum per Marchionem vindicare graviter cogitavit. Magno igitur suorum adunato exercitu, terras Marchionis ingreditur, & mala in eum grandia machinatur. Sed Marchio, qui de aduentu Imperatoris erat securus, contractis undique copijs civitatum & aliorum qui partes Imperatoris tuebantur, viriliter restitit, & Regem cum suis in fugam convertit.

Cives Wormatienses.

Marchio Badensis Imperatorem informat de filio

Rex persequitur Marchionē.

Marchio fugat Henricum Regem.

Item anno prænotato Comes Fridericus de Pfyrt, qui multis annis in carcere detinebatur, à suis tandem post multas tribulationes in ipso carcere, prò nefas, à proprio filio suo strangulatur, & occiditur: cujus miserabilem necem divina justitia satis severè postea vindicavit, quoniam & parricidam crudelissimum in manus persecutorum tradidit, & Comitatum in possessionem alienorum transferens, totam progeniem impijssimi hominis penitùs extinxit.

Comes Pfirt à filio perimitur.

MCCXXXV.

Anno Ernesti Abbatis IV. Indict. Roman. VIII. Cuno Abbas imperialis Monasterij SS. Apostolorum Petri & Pauli in oppido Wysenburg ad petitionem Conradi Episcopi Spirensis de consensu fratrum suorum, jus patronatûs & Ecclesiam cum decimationibus in villa Bulliken prope Landaugiam oppidum Canonicis majoris Ecclesiæ Spirensis in augmentum præbendarum suarum contulit.

Cuno Abbas Wisenburgensis.

Eodem anno Abbas Monasterij Clingensis nostri tunc Ordinis (quod impietas apostatantium Monachorum nostris temporibus in Ecclesiam sæcularem sub Ludovico Episcopo Neometensi commutavit) ad instantiam Conradi memorati Præsulis jus patronatûs, Ecclesiam & decimationes in Offenbach simili devotione Capitulo Spirensi tradidit in proprietatem.

Abbas Monasterij Clingen.

Anno prænotato Fridericus Imperator II. propter factam in se conspirationem filij, rebus in Apulia dispositis, iter maturavit in Germaniam: & transiens per Austriam, nuncios ad Principes Imperij præmisit eos certificans de suo adventu, & mandans omnibus & singulis, quatenus ad Festum Assumptionis B. Mariæ semper Virginis apud Moguntiam ei festinarent occurrere ad tractandum de negotijs Regni: & de causis, quæ inter ipsum vertebantur & filium. Circa Festum itáque S. Joannis Baptistæ Imperator venit ad Wormatiam: & ibi diem celebrandi conventûs statuit exspectandum. Interea Henricus Rex & filius Imperatoris

Imperator ab Apulia redit in Germaniā.

Rex Henricus fugiens in Trifels latuit.

toris audiens patris adventum, & metuens à facie illius, in castello Imperiali munitissimo Trifels nuncupato sese recepit, donec rei videret eventum, omnes enim, qui priùs in verba illius juraverant, audito Imperatoris adventu, magno timore percussi sunt, & ab ejus fide defecerunt. Mira & stupenda mortalium cogitationum mutatio. Henricus Rex, qui anno priore contra patrem consilio quorundam Principum à Basilea incipiens, per omnes civitates & oppida Rheni fluminis usque ad Coloniam cunctos pene, demptis Wormatiensibus & Marchione de Baden, jurare in sua verba sine minis, sine promissis compulit: hoc anno solus ab universis Regni fidelibus deseritur: & qui patrem absentem superbus despicit, turpiter à facie præsentis fugit. Deníque consilio Principum Regni fœdus cum Lombardis contra patrem jam ante contraxerat: quorum auxilio genitorem suum Imperio privare se posse confidebat. Et ob hanc causam Imperator de Apulia rediturus in Germaniam iter suum non per Italiam, sed longo usus circuitu per Ungariam direxit, infidelitatem Longobardorum habens non minùs notam quàm suspectam. Nihil quippe horum quæ filius perperam cogitabat, eum latere potuit, sed omnia revelantibus amicis atque fidelibus cognovit: & machinantis consilia facilè destruxit. Nam mox ut conspirationem filij & Principum contra se factam audivit, ut erat vir prudens cautè dissimulavit, & præmisso in Germaniam Marchione de Baden, sicut diximus, mentis suæ consilium nulli mortalium communicavit. Per nuncios igitur Romanum Pontificem Gregorium IX. rogavit, ut contra filium rebellem literas pro se daret ad omnes Principes Regni. Papa autem occulti fœderis Principum facti cum Longobardis adhuc ignarus, literas postulatas concessit, quarum virtute Principes moti deseruerunt filium, patri verò adhæserunt. Quâ patris astutiâ circumventum se filius intelligens, factum doluit: & metuens iram patris, ad memoratum castellum Trifels, naturâ simul & arte munitissimum cum paucis se recepit. Consilio tamen Hermanni Magistri Hospitalis Teutonicorum S. Mariæ, quem Imperator ad filium miserat, Henricus Rex idem persuasus, ad patrem venit in Wormatia, cum quibusdam Principibus commorantem, veniam commissorum & indulgentiam ab eo petiturus, secundâ videlicet die mensis Julij anno prænotato, quæ festo Visitationis B. Mariæ semper Virginis nunc in Ecclesia Christianorum Catholica habetur venerabilis. Imperator verò mox ut venientem ad se filium audivit, repletus ira & indignatione, utpotè à quo læsus enormiter fuerat, custodiæ illum mancipari præcepit: nec ullis emolliri precibus, ut misericordiam postulanti impenderet, potuit, sic inquiens: commissa luat, oportet, ut ejus pœnâ filij mortalium discant omnes suis genitoribus constitutum lege naturali honorem impendere, & in eorum perniciem nullatenus conspirare. Captus itáque Rex Henricus imperio Patris primo in domo lapidea quadam fortissima prope S. Andreæ Basilicam in Wormatia custodiendus ponitur: posthoc in castello Heidelbergensi, sub custodia Ottonis Palatini Comitis mancipatur: deinde apud villam Alzen carcerali vinculo includitur, postremò in Siciliam deportatus, usque ad mortem captivus in vinculis præcepto patris detinetur. Supervixit autem annis quinque, & in carcere mortuus est, Deo meritis ejus reddente mercedem: quippe qui

Regem omnes conjurati deserunt.

Fœdus Longobardorum cũ Rege.

Imperator per Ungariam redijt.

Papa pro Imperatore scribit Principib⁹.

Imperatoris astutia contra filium.

Rex Henricus venit ad patrem.

Henricus Rex à patre capitur.

Rex captivus in exilium mittitur.

qui Teutonicum nobile Regnum justitiæ prædonibus fecerat esse cõmune, qui viros divino servitio mancipatos, tam Clericos sæculares, quàm Monachos sive claustrales servitijs & exactionibus indebitis, injustis & inconsuetis nimiùm gravans oppressit, qui Regnum pacis usque adeò direptioni exposuit raptorum, ut nulla jam esset viatoribus transeundi relicta seçuritas, sed omnia raptoribus manerent exposita. Instante autem festivitate magnâ Assumptionis B. semper Virginis Mariæ Fridericus Imperator de Wormatia descendit ad Moguntiam, & convenerunt ad eum penè totius Regni Principes, Abbates, Duces, Comites, & Nobiles multi, quorum magnus erat numerus, juxta quod eis per literas, tam ipsius Cæsaris quàm Papæ Gregorij IX. prius fuerat imperatum, ibi Cæsar ipse Fridericus in Octavis festi Assumptionis intemeratæ Virginis Mariæ, Imperiali diademate coronatus incessit, & suam magnificentiam coram Regni Principibus in multa munificentia ostendit. Coquinas in campis extra civitatẽ plures construi fecerat, & omnibus adventantibus victum impendebat. Nam ut ex illorum scripturis invenimus, qui huic Principum interfuêre conventui, plus quàm duodecim millia hominum ad eam convenêre Curiam Cæsaris, qui omnes cibum & potum de Imperatoris munificentia largâ distributione acceperunt. Unde præ nimia multitudine homines non in civitate, sed in tentorijs manere campestribus cogebantur. Nec fuit in memoria hominum tantus Principum ac nobilium Regni Francorum Teutonici Orientalium conventus, in quo magnificentia Imperialis Celsitudinis major ostensa fuerit. In eo conventu Principum discordia, quæ inter ipsum Fridericum Imperatorem II. & Ottonem Saxoniæ Ducem per annos ferme octo, non sine multorum incommodo duraverat, optimarum consilio sedata est anno prænotato XXI. die mensis Augusti. Et alterâ die, quæ fuit octava festi Assumptionis, Imperator Principes universos Missarum solemnitate peractâ ad epulas mensæ Imperialis invitavit, quæ proper nimiam populi multitudinem, sicut dictum est, extra Moguntiam in campis magnis fuerunt sumptibus præparatæ. Causam dissensionis inter Fridericum Cæsarem & Ottonem Saxoniæ Ducem memoriæ volentes commendare posteritatis historiæ seriem necesse est, ut paulò altiùs repetamus. Unde notandum quod Henricus olim Dux Bavariæ & Saxoniæ cognomento Superbus, qui filiam Lotharij Imperatoris II. Gertrudem nomine habebat uxorem, de quo diximus anno Volmari Abbatis XIV. genuit Henricum cognomento Leonem Brunsuicensium bellicosissimum Ducem, de quo fabulosa illa mirandæ navigationis recitatur historia, de qua breviter dictum est anno Volmari Abbatis allegato. Henricus autem dictus Leo, uxorem habuit Mechtildem filiam Regis Anglorum, de qua genuit tres filios Ottonem scilicet Imperatorem IV. qui comes fuerat Pictavensis, de quo supra diximus, Wilhelmum quoque Ducem Saxoniæ, & Henricum Comitem Palatinum Rheni. Wilhelmus verò genuit Ottonem prænominatum Saxoniæ Ducem, quem diximus Imperatori Friderico in conventu Principum apud Moguntiam reconciliatum. Porrò Henricus uxorem duxit Agnetem filiam Conradi Comitis Palatini Rheni, qui genus suum duxerat ex Ducibus Suevorum. Erat enim frater Imperatoris Friderici primi, quemadmodum suprà dictum est anno Volmari Abbatis XXXVI. Henricus

Conventus Principum Moguntiæ magnus.

Otto Saxonum Dux Imperatori reconciliatur.

Causa dissensionis inter eos quæ fuerit.

Genealogia Ducum Saxoniæ.

Henricus Dux Brunsuicensis fit Palatinus Rheni.

ergo Saxonum Dux memoratus, Palatinatum Rheni post mortem ipsius Conradi sine filijs cum Agnete unica relicta filia hæreditario jure possedit, de qua genuit duas filias Gertrudē videlicet, quam Otto Dux Bavariæ, ut supra diximus, habuit uxorem, & cum ea mortuo Henrico socero Palatinatum Rheni obtinuit, & Adelhaidem, quam Henricus Marchio Badensis duxit uxorem. Mortuâ posthæc Agnete filiâ Conradi Comitis Palatini

Henricus Palatinus secundam duxit uxorem.

Rheni, matre prædictarum duarum filiarum, Henricus Palatinus Rheni & Saxonum Dux maritus quondam ejus, secundam duxit uxorem Agnetem filiam scilicet Comitis de Lantspurg, de qua tamen nec filios genuit nec filias, quoniam sterilis esse dicebatur. Novissimè quo-

Henricus Palatinus moritur.

que anno circiter XIII. Eberhardi Abbatis mortuus est & Henricus ipse, non relinquens alios liberos quàm duas filias memoratas. Unde Otto Bavariæ Dux præfatus, ratione uxoris suæ Gertrudis, quæ fuit primogenita defuncti, Comitatum Palatinum Rheni, oppidum Heydelberg hæreditario jure possedit, cum omnibus proventibus, qui ad Principatum illius pertinebant. Henricus autem Marchio de Baden, qui Adelhaidem secundogenitam, sicut dictum est, habebat uxorem, Ducatum Brunsuicensem,

Henricus Marchio de Baden fit Dux Brunsuicensis.

quem socer jure paternæ successionis vivens possederat, nomine conjugis suæ accepit in divisione Principatûs. Contra quem Otto Saxonum Dux, qui nepos fuerat Henrici Ducis Palatini se potenter opposuit, asserens filias in Principatu nō posse genitori succedere, & ob id Brunsuicensem sibi Ducatum jure proprinquitatis attinere. Cujus potentiæ, cum Henricus

Henricus Marchio Ducatum Brunsuicens. vendit Imperatori.

Marchio sæpedictus non posset resistere, sapiente usus consilio, jus omne quod cum uxore sua habuit ad memoratum Ducatum Brunsuicensem, Friderico Imperatori II. pro notabili pecuniarum summa vendidit, quam in alias sui Principatûs utilitates non ultimas expendit. Et ita factum est, ut hæreditatem uxori debitam contra voluntatem Ottonis reciperet, & potentiorem contra potentem adversarium susciteret. Imperator autem Gubernatorem suum in Saxoniam misit cum exercitu, quatenus noviter emptum Ducatum in possessionem nomine comparantis

Otto Dux obid rebellat Imperatori annis octo.

acciperet, & redditus ac census inde provenientes ex more colligeret. Verùm Otto Saxonum & Luneburgensium Dux graviter ferens Principatum progenitorum suorum in manus devenisse alienigenarum, se venientibus potenter opposuit, & missos ab Imperatore, non sine contumelia retrocedere coëgit. Dum hæc agerentur in Saxonia, Imperator in Sicilia commoratur. Qui anno prænotato, sicut diximus, in Germaniam re-

Imperator processit contra Ottonem.

versurus, per Ungariámque iter faciens exercitum direxit contra Saxoniam, Duci Ottoni, *amicorum consilio* præscripto bellum pro contumelijs, quas fecerat, illaturus. Quod ubi innotuit Ottoni, amicorum consilio persuasus gratiam Imperatoris per nuntios expostulat, seque ipsum & omnia sua illius Imperio submittens humiliter commendat: promittens se ratum & gratum habiturum per omnia quidquid statuendum judicaret. At Imperator Principes in testimonium volens adesse Regni Ducem ad futurum conventum remisit in Moguntiam, ubi communi Optimatum sententiâ concordia fieret.

Otto Dux Imperatori se submittit.

Conventu igitur Principum supradicto apud Moguntiam durante, imprimis concordiam facere cum Saxonibus Imperator statuit, quam de consensu tali moderamine confirmavit. Ducem námque Ottonem,

tonem, quoniam læsæ Majestatis reum sententia procerum judicavit, Principatu electionis Imperij cum Ducatu Saxoniæ privans, Ducem Brunsuicensem constituit, Principatum illi, quem pecuniâ emerat ab Henrico Marchione de Baden, sicut diximus, donavit: cui & Luneburgium conjunxit. Porrò Ducatum Saxoniæ quem Otto priùs habuerat, Imperator contulit Alberto Henrici Comitis de Anhalt filio, creans illum in Ducem Saxonum, & Principem Electorem, qui fuerat in Comitatu Louenburgensi: propterea quod esset vir prudens & strenuus; & multos diuturnósque tolerâsset labores pro honore Imperij. Et sic potestas eligendi Imperij per Fridericum Imperatorem II. cum Ducatu Saxoniæ propter Ottonis contumaciâ in Comites de Anhalt consensu Principum anno præscripto translata est. In eodem conventu Principum apud Moguntiam post factam cum Saxonibus concordiam, mortuus est Archiepiscopus Bisuntinus in Burgundia, vir sapiens & strenuus Imperij Consiliarius non ultimus: cujus corpus in Ecclesiam propriam reportatum sepultum est. Posthæc Imperator soluto conventu Principum de Moguntia reversus est in Wormatiam: ubi celebratis nuptijs, tertiam duxit uxorem Regis Angliæ sororem, quoniam uxor secunda nomine Jola Joannis Hierosolymitani Regis filia jam pridem mortua fuit. Sunt qui dicant, hanc Regis Angliæ sororem non II. sed III. Friderici Imperatoris fuisse uxorem, & recte sentire videtur. Nuptijs autem solemni apparatu celebratis novam Imperator conjugem misit ad Hagenavve Imperiale oppidum Alsatiæ, ubi quasi per totam hyemen eundo & redeundo sæpius cum ea permansit.

Otto Ducatum Brunsuicens. suscipere cõpellitur.

Ducatus Saxoniæ transfertur in Comites de Anhalt.

Imperator tertiam ducit uxorem.

Anno prænotato circa festum Omnium Sanctorum Imperator conventum Principũ denuo celebravit apud Augustam urbem Sueviæ, in quo multa pro pace Regni cũ optimatibus tractavit. In eo conventu Rex Boemorum comparuit, qui filiam Ducis Suevorum habebat uxorem: cui Imperator Fridericus decem millia marcarum argenti pro jure suo, quod illi competebat in Suevia, persoluit. Ab Augusta post solutionem Curiæ Principum Imperator ab Hagenavve reversus, ibidem cum uxore nova hyemavit. Ad quem Comes venit Tolosanus, & magnis oblatis muneribus Marchiam Anchonitanam ab eo in feudum suscepit. Comes quoque Provinciæ annum ætatis agens quinquagesimum ad Imperatorem veniens in Hagenavve miles ab eo creatus est, licèt aliquantulum renitens, propterea quod more progenitorum suorum opinione vulgari deceptus credebat, se non diu posse vivere, posteaquam militiæ gradum & insignia suscepisset. Duos etiam potentissimos Reges habebat generos, Anglorum videlicet ac Gallorum, quorum authoritate compulsus militiæ Ordinem accepit. Indignum quippe reputabant socerum suum non esse militem. Ex quo manifestè possumus intelligere, quam fuerit olim glorioſa dignitas, quâ etiam potentissimi Principes adeptâ, se fieri putabant meliores. Eodem quoque anno venerunt ad Imperatorem in oppido Hagenavve cum certis Principibus existentem, Oratores Regis Hispaniarum qui dextrarios ei pulcherrimos & munera pretiosissima multa simul & varia cum amicitiæ literis attulerunt.

Conventus Principum in Augusta.

Comes Provinciæ creatur miles.

Rex Hispaniæ Imperatori literas mittit.

MCCXXXVI.

Anno Ernesti Abbatis V. Gregorius Papa IX. ad instantiam Principum

S. Elisabeth canonizatur.

pum Imperij nomen S. Elisabeth Lantgraviæ Thuringorum in Marpurg oppido Hassiæ sepultæ, de cujus felicissimo transitu suprà jam diximus anno Eberhardi Abbatis ultimo, SS. catalogo jussit inscribi, præmissâ inquisitione, ut moris est, de vita & miraculis ejus per Sifridum Archiepiscopum Moguntinum, Theodericum Archiepiscopum Trevirorum, & Episcopum Hildesheimensem in Saxonia: quos hujus sancti negotij Commissarios constituerat. Quorum relatione Pontifex super infinitis miraculis ad tumbam ejus factis, & sanctimoniâ vitæ certificatus, ut jure debuit, postulantibus acquievit.

Corpus S. Elisabeth levatur.

Anno igitur prænotato, qui erat à transitu Beatissimæ mulieris de hoc mundo ad patrem quintus, in prima die mensis Maij, convenerunt in prænominato Hassiorum oppido Marpurg præfati Sedis Apostolicæ Commissarij, cum multis alijs Episcopis, Abbatibus, Prælatis, atque Principibus, præsente Friderico Imperatore II. & sacrum ejusdem Dominæ corpus cum magna solemnitate levârunt: pronuntiantes eam coram omni multitudine Apostolico jussu, catalogo Sanctorum esse insertam, & ob id quotañis memoria festi ejus tertio decimo Calendarum Decemb. in Ecclesia Dei solemniter venerandam. Imperator verò primum de sepulchro ejus lapidem proprijs manibus devotissimè removit, & productam de thesauris suis auream coronam, sanctissimo ejus capiti humiliter imposuit: & multa loco beneficia contulit. Sanctum verò corpus in sarcophagum aureum ad hoc antea pretiosissimè præparatum, Episcoporum manibus repositum est. Maxima hominum multitudo tam ex vicinis, quàm ex remotissimis terrarum provincijs illuc ad S. Mulieris convenit solemnia, quorum numerus suprà duodecies centena millia æstimatus memoratur, multa ibidem & penè infinita ad invocationem Sanctissimæ Mulieris contigêre miracula: quæ felicem & Sanctam comprobârunt.

Judæi puerorum occisores apud Fuldã cremantur.

Anno etiam prænotato, Judæi in oppido Fuldensi comorantes innatâ sibi crudelitate sævientes quosdam pueros Christianorum in molendino quodam punctionibus multis cruciantes, miserabili tormentorum genere occiderunt: sanguinem eorum in usum, ut dicitur, profanũ reservantes. Quorum detecto scelere capti sunt omnes, & qui rei sceleris inventi fuerant, ignibus traduntur. Verùm gens impia & Crucis Christi semper inimica suo more crimen exustorum negans apud vulgares injuriam passos clamitare non timuit: usque adeò ut etiam Imperatorem ipsum Fridericum contra Fuldensis Cœnobij Abbatem, tanquam iniquum judicem provocare varijs modis præsumeret, quo comperto Abbas, ut mendaces & impios illos convinceret, cadavera puerorum, quos interfecerant, Imperatori conspicienda in Hagenavve transmisit, & justum in sceleratos factum fuisse judicium evidenti testimonio docuit. Corpora verò ipsa puerorum in Ecclesia parochiali oppidi memorati Hagenavve tanquam Christi Martyrum, Imperatore mandante, honorificè sepulta sunt, & magna Judæorum persecutio per totum penè Regnum Francorum Orientalium subsecuta fuit.

Imperator cum exercitu vadit in Lombardiam.

Año etiam præsignato Fridericus Imperator magno exercitu Germanorũ adunato contra Lombardos in Italiam profectus est, quorum temeritas mandatis ejus à pluribus jam annis fuerat inobediens & rebellis.

Et

Et primò quidem Vincentiam potenter obtinuit, quam incensam igni penè totam funditus evertit, malens habitare sine muro subditos, quàm fortalitio munitos & mœnibus, novas denuo quotidie suspicari fieri posse inimicos. Mantua etiam & Padua, post multos labores & expugnationis pericula, tandem fortitudi ne militum victæ, in ejus ditionem pervenerunt. Et progrediens ulteriùs, omnem provinciam Lombardiæ obtinuit, ac sui terrorem in cunctas nationes Italienses transfudit. Interea dum hæc per Imperatorem gererentur in Lombardia, Rex Boëmorum & Bavariæ Dux cum quibusdam alijs Episcopis atque Principibus, magno adunato exercitu terram Ducis Austriæ jussu Imperatoris hostili pervadunt incursu, propter excessus multiplices & enormia facta, quibus Dux Cæsarem offenderat. Qui cum venissent in Austriam conjunxerunt se illis plures terræ nobiles, quos Dux vel injustè oppresserat, vel de terra fecerat exulare. Audiens verò Dux tanti adventum exercitûs, cum non se confideret posse resistere, venientibus occurrere detrectavit, sed recludens se in præsidio munitissimo rei præstolabatur eventum.

Austria Imperatori contra Ducem subijcitur.

Imperialis autem præfatus exercitus, totam ferro & incendio devastans Austriam nullo resistente, Cæsaris Imperio subjugavit. Quod cum Imperatori per nuntios & literas Principum innotuisset, res suas in Lombardia secundùm quod licuit ad pacem ordinando, tranquillè disposuit, & cum una exercitûs parte in Austriam descendit; veniénsque in oppidum Vieñense, ibidem per hyemen mansit, & fugato Duce Austriam suis militibus gubernandam & custodiendam coñendans singula providit.

Imperator venit in Austriam.

MCCXXXVII.

Anno Ernesti Abbatis VI. Imperator Fridericus in Vienna oppido, sicut diximus, Austriæ constitutus, in præsentia multorum Principum Ducem Austriæ Fridericum propter enormia facta, per sententiam imperialem publicam de patria proscripsit, & ejus Ducatum Imperio restituit; Viennam quoque oppidum postulantibus incolis Imperiale proprium esse perpetuò decrevit: firmamento prohibens literarum ne deinceps quovis modo ab Imperio semoveretur. Sic etenim protestatur in literis Cæsar, quas ubi contulit, memoratis. Volumus, inquit, ut nunquam per concessionem alicujus beneficij urbs Vienna de nostra & Imperij potestate futuris perpetuis temporibus transeat. Et quia forsitan, erunt olim futuri, qui hanc nostram compilationem historiarum legentes mirabuntur Austriæ Ducem potentissimum, Imperatoris sententiâ proscriptum, & scire causam volent propter quam, tantâ in illum severitate animatuerterit, operepretium judicamus rationes hujus facti nobis veterum annotatione signatas in medium producere. Prima omnium displicentiarum causa fuisse memoratur, quod memoratus Dux Austriæ Fridericus, cum Henrico Rege & Mediolanensibus contra Imperatorem conspiraverat; & Rege, sicut diximus, à patre jam capto, ad audientiam Principum Regni vocatus & citatus Moguntiam venire contempsit.

Fridericus Dux Austriæ ab Imperatore proscribitur.

Vienna pertinet ad Imperium.

Quæ fuerint scelera Ducis & causæ proscriptionis.

Item pauperes terræ per totam Austriam simili austeritate ultra modum gravans de singulis terræ mansis sexaginta denarios à possessoribus exegit, & subditos nimiùm afflixit. Item Monasteria, Ecclesias, clausirales & templorum Christi Ministros, inauditis, inconsuetis, & in portabilibus exactionibus nimiùm opprimens in extremam paupertatem

tem deduxit, decimas Dei servis deputatas, violenter rapuit, Ecclesias pecunijs & ornatu suo spoliavit: Episcopos, Abbates, & reliquos sacri Ordinis viros, tanquam vilissimos homines spreuit: statuta quoque sanctæ Matris Ecclesiæ mente tumidâ contempsit.

Item adulterium in oppido Vienna cum uxore cujusdam civis notorium & publicum commisit; & multos graves excessus alios sine verecundia perpetravit, factus publicus virtutum hostis, & amicus vitiorum. Pro his & alijs enormitatibus suis ab Imperatore sæpe per nuntios & literas paternè admonitus, & postremò ad curiam Principum citatus Moguntiam, cùm omnia spernens contemneret, de Regno proscriptus est: & Domino vindicante sanguinem pauperum, exul mori compellitur. Et nota, quòd Austria olim fuit Marchionatus, quemadmodum diximus anno Volmari Abbatis xxxiv. quem Fridericus Imperator ejus nominis primus in Ducatum sublimavit, & Henricum Lupoldi filium, Ducem Austriæ primum instituit. Qui quidem Dux Henricus Monasterium S. Jacobi Scotorum nostri Ordinis Viennæ fundavit: in quo & mortuus postea sepulturam accepit. Friderico autem sæpedicto Austriæ Duce propter suam rebellionem fugato átque proscripto, sicuti est dictum, Imperator Austriam suis fidelibus tuendam & gubernandam comisit, Viennam verò oppidum Odacharo Wenceslai Boemorum Regis filio cõmendavit, qui per annos plures postea dominabatur in Austria, quemadmodum in sequentibus, Domino largiente plenius dicturi sumus.

Monasterium Scotorum fundatur Viennæ.

Anno prænotato Imperator negotijs & rebus in Austria dispositis Ratisponam ascendit, secum habens Conradum ex Jola Hierosolymitani Regis filia quondam uxore, filium adhuc puerum, quem præcepto patris in locum Henrici Regis captivi Principes Imperij, videlicet Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, Theodericus quoque Archiepiscopus Trevirorum, Wenceslaus Rex Bohemiæ, & Otto primus ex Ducibus Bavariæ Comes, ut supra dictum est, Palatinus Rheni Heidelbergensis in Regem elegerunt. Imperator verò apud Ratisponam urbem Bavariæ constitutus, conventum solemnem apud Spiram, proximè celebrandum per literas & nuntios Principibus indixit. Die autem præfixo jam instante Principes juxta mandatum ejus apud Spiram convenerunt, ubi inter alia reipublicæ negotia denuo Cæsar filium suum Conradum Romanorum Regem per Principes designavit. Post solutionem memorati conventûs, Imperator Fridericus, promissa principum auxilia, contra Lombardos in oppido Hagenavve parvo tempore apud uxorem exspectavit. Quibus tandem ad votum præsentibus Eberhardum Comitem de Eberstein cum ducentis equitibus misit in Austriam, ad custodiam Viennæ oppidi: cui & Regis Boemorum suffragia jussit conjungi. Collecto deinde magno pugnatorum exercitu Cæsar Fridericus in Longobardiam revertitur, & congrediens cum Mediolanensibus victor extitit: & multa eorum millia interfecit, denique plures cepit: ac reliquos in fugam nimis turpem convertit. Acta sunt hæc in Longobardia circa Festum S. Andreæ Apostoli anno prænotato. Cúmque Imperator totam suo exercitu devastaret Longobardiam, & omnes penè munitiones, civitates, oppida & castella, suo potenter subjugâsset imperio: Mediolanenses Romani Pontificis Gregorii ix. defensionem contra Fridericum Cæsarem invo-

Conradus filius Imperatoris fit Rex Romanorum.

Imperator cum exercitu redit in Lombardiam.

invocârunt. Quorum precibus Pontifex inclinatus, precibus Imperatorem & literis monuit, quatenus à devastatione Longobardorum desisteret: alioquin sciret se anathematis vinculo innodandum, sed Imperator non attendens monita Papæ, Longobardos ut cœperat, omnino persequitur.

Advocatia in Bischofshaim fuit Suevorum.

Anno prænotato Fridericus Imperator II. Advocatiam villæ Bischoffhaim, cum omnibus proventibus & utilitatibus suis in Francia Orientali quatuor ab Herbipoli milliaribus sitæ, quam ut Sueviæ Dux in beneficio feudali tenuerat ab Ecclesia Moguntina Sifrido Archiepiscopo liberam restituit: & donatione perpetuâ spontaneè resignavit in mense Aprili.

Conradus fit Archiepiscopus Colonienſ.

Eodem quoque anno in fine Quadragesimæ mortuus est Henricus Archiepiscopus Colonienſis, cui successit Conradus de Hœnsteden vir strenuus & rerum Ecclesiæ suæ defensor acerrimus, & præfuit annis quatuor & viginti, qui multas contentiones & dissensiones suo tempore habuit cum civibus Colonienſibus.

Omnia bellis & incommodis plena.

Multa his temporibus latrocinia, bella & devastationes fuerunt in diversis provincijs, Moguntina videlicet, Colonienſi, Trevirenſi, & maximè per Diœcesim Leodienſem, & plura mortalibus ob id provenerunt incommoda nec sine sanguinis profusione. Vini paucitas fuit, quæ pretium ejus nimiùm augmentavit, in tantum, quòd sedecim denarij pro una mensura vini apud Alsatios hoc anno dabantur, ubi anno præcedente tanta copia fuit, ut mensura una pro denario uno venderetur, & ob nimiam vini abundantiam, & vasa deficerent & emptores.

Circa finem hujus anni prænotati hoc est in vigilia Nativitatis, mortuus est Conradus de Than Episcopus Spirenſis, & in majori Ecclesia Neometenſi præfata cum honore sepultus, vacavítque sedes Episcopalis diebus xxvii. usque in annum sequentem, cujus initium à Calend. Januarij ponimus.

MCCXXXVIII.

Quadringentesimus Hirsaugienſis annus.

Anno Ernesti Abbatis VII. Indict. Roman. xi. qui fuit à prima fundatione Hirsaugienſis Monasterij transpontem apud S. Aurelium Præsulem Christi, cccc. annus in festivitate S. Agnetis Virg. Mart. Conradus frater Eberhardi Comitis de Eberstain Spirenſis Ecclesiæ Præsul constituitur, & præfuit annis ferme septem, vir bonus & strenuus.

Henricus ultimus Lantgravius Alsatiæ moritur.

Eodem quoque anno mortuus est Henricus ultimus Comes Provincialis seu Lantgravius Alsatiæ sine liberis, qui multa feuda seu beneficia ministerialia possederat vivens, tam ab Argentinenſi Ecclesia, quàm ab Imperio Romano, & alijs Monasterijs atque Principibus, quæ illo mortuo, ad suos Dominos cum libertate sunt reversa, & manent usque in præsentem diem.

Imperator totam devastat Longobardiam

Anno prænotato Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, Conradus Archiepiscopus Colonienſis, Conradus de Eberstein Episcopus Spirenſis, & plures alij Principes, cum valido suorum exercitu adjutores in Longobardiam ad Imperatorem profecti sunt: quorum auxilio Cæsar Patavinos primùm, ac deinde Tarvisinos, Vincentinos, Veronenses, Brixianosq; suo Imperio subegit. Quod cum Romanus Pontifex Gregorius IX. recognovisset, Protonotarium suum ad Imperatorem misit, orans, ut si pacem Ec-

cleſiæ diligeret, ſi Deum timeret, ſi Apoſtoliæ Sedis benevolentiam, quam paucis retro diebus in favorem ſuum adverſus filium ſuum Henricum tanti faceret, quanti meritò deberet conſtitutam cùm Longobardis à Friderico avo ſuo pacem, quam Henricus pater ſuus ſervâſſet, etiam ipſe inviolabiliter conſervare dignaretur. Pro eadem cauſa tres ad eum Cardinales poſtea miſit, qui ad Pontificem reſimiliter infectâ, Viterbium ſunt reverſi. Imperator itáque Fridericus, animum graviter offenſum gerens adverſum Longobardos, preces Romani Pontificis non curavit, ſed progrediens, ut cœperat, majora eis inferre mala quotidie cogitavit. Urbem Brixianorum funditus evertit, & plures Longobardorum oppugnavit munitiones ac deſtruxit. Exercitum poſthæc Mediolano admovere ſtatuit, & urbem, ſicut avus olim fecerat, denuo ſubvertere. Verùm Mediolanenſes cum ſocijs civitatibus, & totius Lombardiæ colligatione viribus reſumptis ad Nonam Curtem, (ſic enim locus appellatur) cum Friderico bellum inière, in quo ſuperati, & ingenti clade percuſſi plures eorum trucidati ſunt, alij vulnerati aut capti, reliqui urgentibus Cæſareanis in fugam neceſſariò converſi inſuper & caragma ſuum amiſerunt. In eo conflictu filius Ducis Venetorum, qui poteſtatis Mediolanenſis civitatis eo tempore geſſit officium, cum multis Longobardiæ Nobilibus captus eſt, qui juſſu Imperatoris in Apuliam ductus, poſtea ſuper eminentem ad litora maris turrim, fuit laqueo ſuſpenſus, cæteris concaptivis ejus diverſis cruciatibus interemptis, ut nec unus quidem evaderet. Romanus autem Pontifex etſi Mediolanenſium cladem ſatis moleſtè ferret, ac totus in Fridericum, ut hoſtem Eccleſiæ, animo cõmotus videretur, meliore tamen ſpe fretus, Ducem Venetorum filij necem contra Imperatorem ulturum exiſtimabat, atque ob id, fœdera cum Venetis contra illum inijt, & claſſes quinque ac viginti triremium communi impenſa ordinavit. Imperator autem Cremonæ aliquamdiu conſiſtens exercitûs augendi gratiâ, ubi magnam Quadrageſimæ partem exegit. Interea Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus, cum eſſet homo prudens & aſtutus, metuens indignationem Sedis Apoſtolicæ per cõmunionem Cæſaris, ut multis contigit, incurrere, quibus potuit modis Imperatorem, quatenus ſibi ad ſuam Eccleſiam redire liceret, induxit. Unde perſuaſus Cæſar filium Conradum Regem ejus fidei cõmittens, cum illo remiſit in Germaniam, & totius Regni gubernationem ei cõmendavit. Poſthæc Imperator Dominicæ Reſurectionis ſolemnia celebraturus, Paduam profectus eſt, quæ civitas Imperio ejus eo tempore parebat. Die autem Paſchatis tertiâ, cum jam Eccleſiam Cæſar ipſe voluiſſet ingredi, & Sacroſanctis intereſſe Myſterijs, accelerans Papæ quidam tabellio, promulgatæ in eum ex cõmunicationis ſententiæ reddidit coram omnibus certiorem. Conſequenter Pontifex Romanus excõmunicatum Cæſarem per fratres minores denuntiari fecit in univerſa terra Imperij. Diebus autem paſchalibus apud Paduam exactis, Imperator juſſit convocari exercitum, movitque caſtra in Venetos, qui partes Romani Pontificis tuebantur, quos veluti ranas paludibus concluſos (abactâ prædâ non modicâ) vehemẽnter oppreſſit, maximíſque calamitatibus afflixit. Sed cum ultra ire non poſſet, aquâ impediente & ſtagnis, Paduam revertitur, & obſides pro confirmatione fidei ſervandæ à Paduanis accepit. Deinde

Brixia urbs deſtruitur.

Filius Ducis Venetorum captus ab Imperatore ſuſpenditur.

Fœdus Papæ cum Venetis contra Cæſarẽ.

Archiepiſc. gubernator Imperij.

Imperator Fridericus II. excommunicatur à Papa.

Imperator bellum intulit Venetis & vincit.

Vero-

Veronam & Mantuam se velle obsidere simulans, eductis copijs, Parmam petit, atque inde Lucam, & ad ultimum Pisas.

Anno prænotato mortuus est Henricus Basilienſis Episcopus, & in majori Ecclesia, cui præfuerat, sepultus, cui Lutholdus quidam de Rotelnheim oriundus communi fratrum electione succeſſit.

His temporibus Tartari, gentes idololatræ atque spurciſſimæ de locis suis cum infinita multitudine more suo exeuntes, Moraviam, Ungariam, Poloniam, Lituoniam, omnésque adjacentes Provincias Christianorum ferro, incendio, ac rapinâ crudeliter devastantes, neces horrendas, & plura mala fidelibus intulerunt. Contra quos multi Principes, Comites, Nobiles & ignobiles, cruce fuerunt signati, & apud Morspurg urbem Saxoniæ convenientes, cum magno fidelium exercitu adversùm illos feliciter pugnaverunt. Crux prædicatur in Tartaros.

MCCXXXIX.

Anno Ernesti Abbatis VIII. Indict. Rom: XII. major Ecclesia S. Martini Moguntini in quibusdam structuris de novo reparata, & in parte sui ampliata per Sifridum Archiepiscopum ejus cum solemnitate magna consecrata fuit in frequentia Prælatorum, & copiosa plebis multitudine. Ecclesia Moguntina conſecratur.

Eodem Anno solis defectio, quam Ecclypsin Græci nominant, facta est, & magna pestilentiæ tabes in plerísque locis Europæ subsequitur. His quoque temporibns ferunt miraculum contigisse in Hispania, magnum & omnino insolitum, quod historiæ introserere nostræ præcedentium exemplo non judicamus inutile, propterea quòd fidem Christianam haud mediocriter confirmare videatur. Judæus quidam in Hispaniæ partibus vinetum ampliare suum disponens, dum quoddam ingens saxum cominuisset in partes, reperit quandam in ipso lapide solido concavitatem, & in ea librum ligneum, Hebraicis, Græcis átque Latinis characteribus scriptum. Primus autem scripturæ ordo mundi proprietates ab Adam usque ad Legis tempora continebat. Secundus autẽ proprietates mundi quasque à tempore scriptæ Legis, usque ad Nativitatem Christi luculenter & breviter exprimebat. Tertius verò Filij Dei ex Maria Virg: stirpis Davidicæ Nativitatem, Passionem & mortem pro salute hominum exponebat. Et in fine scriptum erat, quod liber ipse in diebus Ferdinandi Regis Hispaniarum debebat inveniri à Zachariæ Judæi filio Nathan. Quæ cum Nathan Judæus legisset, cum tota domo sua conversus est. Liber mirandus reperitur in saxo concavo.

Anno prænotato Fridericus Imperator II. inceptum cum Longobardis bellum continuabat, in amicos munificus existens & pius, in adversarios verò severus & crudelissimus. Multa Longobardis mala intulit, contra quos nunquam victus, sed victor glorioſus semper evasit. Urbes & munitiones eorum multas potenter subegit, incendit & destruxit, & quoscúnque adversariorum Nobiles, sive potentes cæpisset: non redimendos pecuniâ voluit, sed omnes mox laqueo suspendit. Imperator devastat Longobardiam.

MCCXL.

Anno Ernesti Abbatis IX. conspirantibus omnibus Transpadanis civitatibus, Duce Gregorio quodam Montelongo Bononiensi & Apostolicæ Sedis Legato, Ferrariensem civitatem, cum Imperatore Friderico sentientem, invadere simul omnes Venetiarum classe admotâ, statuerunt. Verùm ubi aliquamdiu obsidione vallâssent urbem, cernentes, Urbs Ferraria obsidetur à Venetis.

Venetorũ dolus & fraus iñata

se nihil contra eam posse proficere: ad consuetas fraudum & insidiarum suarum artes conversi, dolo terminandam suo more aggrediuntur. Ad colloquium sub confirmatione pacis jure jurando inter positæ Capitaneum Cæsaris, nomine Salinguerram, qui Ferarriæ præerat defensandæ per Legatum Apostolicum evocant, quem egressum de civitate mox dolosè intercipiunt, & captivum Venetias transmittunt, ubi non diu post mori compulsus est. Capitaneo capto, urbs destituta suffragio defensionis à Duce Veneto capitur: Et Azoni Estensium Marchioni per Legatum Papæ gubernanda Ecclesiæ nomine comẽdatur. Interea cum hæc agerentur Fridericus Imperator Pisis consistens omnem Hetruriam seditionibus & discordijs replevit. Posthæc in Samnites movit: Beneventum vi cepit, diripuitque ac mœnia circumquáque simul & turres funditus evertit. Alia denique Samnitium oppida & castella numero non pauca in manu valida expugnans cepit, spoliavit, incendit, ac subuertit. Ravennam civitatem populosam atque ditissimam suo Imperio diu rebellem potenter subegit, & gloriosè triumphavit. Picenum exinde percurrens in Flamineam úsque Faventiam & Bononiam aliquantulum resistentem vi occupat, scholâ eorum in Patavium, quæ urbs olim à flumine præterfluente Ticinum dicebatur, translatâ, & cuncta in circuitu potenter devastat. Omnium denique oppida & munitiones Imperator Fridericus violenter destruxit, qui cum adversarijs sensissent, simul & illorum, qui dicebantur Neutrales, propterea quod nec Imperij sequerentur partes, nec Romani Pontificis vel Ecclesiæ, præter Fulginates & Viterbienses, quos cum subuertere potuisset, incolumes tamen servavit. Hos mox fuerunt secuti ortum Tuschanensem, Cornetam ac montem Falisicum inhatantes, ad quos Ericum filium destinaverat cum copijs.

Imperator devastat Italiam.

Adversariorum oppida subvertit.

Defecissent tum quoque Romani, & procul dubio ad partes Imperatoris declinâssent: si celeriùs Urbi copias admovisset. Romam itáq; tardiùs obsidione vallavit: quo factum est, ut infirmis mora contulerit vires: & qui fuissent in turbatione subitanea pavidi: facti sunt cum consilio præsumptuosi. Cernens námque Romanus Pontifex Gregorius IX. in Urbe jam fortiter obsessa Romanorum animos pavidos, séque in extremam difficultatem perductum, omni auxilio deficiente humano, ad implorandam Dei misericordiam se contulit; convocatísque cum plebe Clericis Litanias ordinavit. Tollens itáque manibus suis Pontifex capita SS. Apostolorum Petri & Pauli, turbâ Clericorum præcedente, ac populo sequente ab Ecclesia Lateranensi, ubi tum erat Sedes Pontificalis, per medium Urbis, ad Basilicam Principis Apostolorum iter precibus & lachrymis plenum continuavit: ubi post habitam comiserationibus orationem instructam; decretum contra Imperatorem Fridericum promulgavit: æternæ felicitatis præmia illis indubitanter pollicitus: qui adversus scelestissimum Dei & Ecclesiæ hostem Fridericum pugnaturi, crucis signaculum accepissent. Motus itáque lachrymosa oratione Pontificis populus Romanus, adunatis cruce signatorum copijs cum jam jam Cæsar urbis portas murósque fortissimo cum exercitu suorum decrevisset irrumpere, cominus in prælium pugnaturi, contra Fridericum Imperatorem de urbe turmatim egrediuntur. Quos videns Imperator contra se venientes cum nihil tale suspicaretur, primo quidem territus est: sed mox animo

Imperator obsedit Romam.

Papa in Urbe obsessus facit Litanias ad Deum.

Crux adversus Imperatorem prædicatur.

Romani contra Imperatorem portas erumpunt.

mo in furorem concitatus, & factus audentior, suos cohortatur in pugnam: & ipse manu propriâ venientes veluti locustas Romanos interficiendo calcavit. Multus ibi sanguis funditur, omnes etenim cruce signatos Imperator ad se vivos jussit produci: quos partim per capita in crucis modum quadrifariam scindi: partim frontibus crucis formam ferro inuri: Clericorum verò coronas in modum Crucis vulnerari mandavit.

Cruce signati puniuntur.

Tertiâ posthæc die constantiam Romanorum admiratus obsidionem urbis continuò soluit: exercitúmque in Campanos movit: & quidquid juris erat Ecclesiæ hostili animo devastavit. Beneventum violenter capiens militibus spoliandam diripiendámque concessit. Inde movens in Picentes Esculum obsedit. In Romandiolos inde ducens Ericum filium Sardiniæ Regem agitandis subigendísque sibi Picenis adversantibus destinavit. Qui quidem Ericus animo ferox, & bellicosus, omnia ferro & igne devastavit, ac metum sui tunc quidem in omnes diffudit. Quiquid enim resistere tentavit, in calamitatem maximam subitò deduxit. In his expeditionibus Italia didicit; quid manus Teutonicorum irritata possit, non enim dolo, non fraude, non insidijs, sed aperto decertare Marte Teutones consueverunt: hoc est, ferro, non veneno seu circumventione.

Ericus filius Imperatoris Rex.

Eo tempore Pontifex Romanæ Sedis Gregorius in tot angustijs animi positus cum omne auxilium humanæ virtutis ad resistendum Imperatori prorsus videret deficere, Divinum studuit propensius subsidium invocare. Unde constituit imprimis, ut illa Hermanni Contracti Monachi præcellens & dulcis Antiphona SALVE REGINA MISERICORDIÆ, certis in Ecclsia Dei horis ad reverentiam glorioſissimæ Virg: MARIÆ decantaretur, campanas quoque pulsari dum Sacrosanctum Christi Corpus levatur in Altari præcepit, laudésque intactæ Virginis MARIÆ sub matutinis ordinavit.

Salve Regina cantari à Papa Gregorio præcipitur.

Anno deinde prænotato Gregorius Papa IX. sæpedictus per literas & nuntios convocans omnes Christiani orbis Pontifices generale Concilium Romæ apud S. Joannem Lateranensem celebrandum indixit: in quo de abrogando Imperatore, suadentibus Gallorum & Angliæ Regibus, causa, ratio & sententia tractaretur, quod animatuertens Fridericus Imperator, omnes vias, terrâ marique diligentissimè præcludere curavit, quò nulli Episcoporum ex Germania neque ex Gallia, neque ex alijs nationibus veniendi Romam contra se ad Concilium, facultas permissa videretur. Ericum verò Sardiniæ Regem filium suum Imperator cum magna classe navium, de Apulia misit Pisas qui alto adnavigantes mare, duos Romanæ Ecclesiæ Cardinales & multos Episcopos Januensium navigio quadraginta galeas habentes inter portum Pisanum & Corsicam Insulam bello devicit, subactísque sibi Januensium navibus, multos eorum interfecit. Plurimos etiam captivos in Apuliam cum duobus Cardinalibus ad Imperatorem duxit, quos arctæ custodiæ tradidit. Ubi tunc Archiepiscopus Bisuntinus cum reliquis multis in mari submersus morte satis miserabili simul interijt.

Concilium à Papa indicitur.

Cardinales capti & naves.

Cujus rei nuntio Gregorius Papa IX. accepto, multísque malis circumseptus, ut animo quotidie deficiens, tandem in ægritudinem gravissimam incidit, quâ ingravescente nimiùm, vitam cum morte commutavit.

Cœlestinus fit Papa IV.

mutavit, anno Pnotificatûs sui XIV. postquem Ganfredus Sabinensis Episcopus natione Lombardus in Papam electus, præfuit diebus decem & octo, Cœlestinus ejus nominis IV. in sua coronatione ex more nuncupatus. Erat enim vir undecunque doctissimus, & magnæ eloquentiæ, qui pacem inter Ecclesiam & Imperium reformâsset, si vivere diutius licuisset. Qui mox ut ordinatus est, Legatos ad Fridericum Imperatorem Faventiam obsidentem misit, eúmque multis de futura pace pollicitationibus delinire conatus est. Sed priusquam Fridericus Cæsar potuerit dare Legatis responsum, Cœlestinus Papa octavo decimo Pontificatûs sui die mortuus est. Post cujus mortem Sedes Apostolica vacavit mensibus uno & viginti: propter multorum Cardinalium absentiam, qui ab Imperatore Friderico in diversis locis detinebantur captivi.

Cœlestinus obijt. Sedes vacat mensibus XXI.

Eodem anno Fridericus Imperator Faventiam fame tandem & longâ obsessione pressam cæpit. Inde Bononiam ducens exercitum, cum eâ potiri non posset, agro circumquáque vastato in Mutinenses ac Regios movit, agrísque vastatis Parmenses vi oppressit.

Deficiente autem post jocalium & Vasorũ impignorationem Imperatori pecuniâ; nequaquam animum remittebat à cæptis, qui novo reperto consilio, ut militibus promissa stipendia solueret; monetam de corio, quæ florenum solueret aureum, imaginem simul & inscriptionem sui nominis continentem fieri mandavit, statuens in exercitu edictum, ut quicunq; præsentaret talem suo thesaurario monetam; acciperet pro ea monetam auream, numum videlicet aureum, qui tunc dicebatur Augustanus, sicut hodie in Italia Ducatus, cujus quidem sculptura ex uno latere facies erat Imperatoris, & ex alio species Aquilæ formata, cum nominis inscriptione Friderici II. Imperatoris. Et de moneta coriaria militibus in obsidione Faventina quoque stipendia soluebantur, pro qua tamen auream postea, juxta promissum receperunt, ut signa esse viderentur obligatoria potiùs quàm pecunia. Hoc ipso anno Henricus Rex miserabilis Friderici Imperatoris filius captivus in Sicilia, de quo suprà diximus anno Ernesti Abbatis IV. vitam in carcere positus terminavit.

Moneta fit de corio in exercitu Imperatoris.

Augustan' moneta fuit.

Henricus Rex captivus moritur.

MCCXLI.

Anno Ernesti Abbatis X. Conradus Episcopus Spirensis, de consensu & voluntate fratrum suorum, de capitulo memoratæ Ecclesiæ, omnia bona sua quæ habebat in villa Crüzenach prope Spanheim in Nagavio sita, cum omnibus proventibus, justitia & jurisdictione temporali vendidit Comiti Seynensi, pro centum & mille marcis argenti puri. Hæc quidem villa Crüzenach, quæ nunc est oppidum, aliquando pertinebat ad Imperium, postea Comes Hirsutus accepit eam in feudale beneficium, deinde Monasterio S. Matthiæ Apostoli extra muros Trevirorum nostri Ordinis collata fuit: exinde vendita est Ecclesiæ Spirensi: postea, sicut diximus, comparavit eam Comes quidem de Seyn: à Comitatu verò Seynensi tandem venit ad Comitem de Spanheim, cum una filia in uxorem illi data. Postremò Elisabeth uxor Joannis ultimi Comitis de Spanheim Comitatum submisit Comiti Palatino Rheni, post cujus mortem trifariam divisus manet usque in præsentem diem. Et sic oppidum Crüzennach, & Comitatus de Spanheim hodie tribus Dominis subjicitur, videlicet Ludovico Rheni, Palatino Comiti, Bavariæque Duci ac Prin-

Oppidum Crüzenach in Comitatu Spanheim.

Comitatus præfatus dividitur.

Principi Electori. Christophero Marchioni de Baden, & Joanni Bavariæ Duci, qui moratur in oppido Sommeren dicto apud Cynosos.

Eodem anno David Pastor Ecclesiæ Parochialis in Roxheim Moguntinæ Diœcesis, haud procul à memorato oppido Crüzenach à rusticis villæ Sommerloch prope Waldenhausem curæ suæ comissis Parochianis crudeliter occisus est; propter quod à Sifrido Archiepiscopo Moguntino fuerunt excomunicati, anathematizati ac maledicti: gravissimásque impietatis suæ pœnas acceperunt. Omnes enim qui conscientias suas contagione tanti sceleris polluerunt, malâ morte in brevi sublati sunt; quorum alij comprehensi & rotati; alij per fugam lapsi malè interierunt. David pastor in Roxheim à rusticis occiditur.

Anno etiam prænotato, ut Palmerius est author, mons dehiscens à Monte, vallésque coarctans in Burgundia, multa agricolarum hominum millia in circuitu comorantium subitò oppressit. Mons dividitur.

MCCXLII.

Anno Ernesti XI. Fridericus Imperator Romanorum secundus ad preces & instantiam Baldevvini Græcorum Imperatoris Cardinales, quos detinebat captivos, quò vellent liberos abire permisit. Qui statim Anagniæ convenientes Symbaldum Cardinalem, patriâ Januensem, in Romanum Pontificem elegerunt: qui sua in coronatione, Innocentius ejus nominis quartus nuncupatus, præfuit annis IX. mensibus sex, diebus totidem, vir in utróque jure doctissimus & animi constantiâ infatigabilis; qui adhuc Cardinalis Imperatori fuit amicus charissimus: sed Papa factus mox in hostem est acerrimum comutatus: unde cum diceretur Imperatori à nunciantibus: Gaudeat serenitas tua invictissime Cæsar, quoniam tibi ex voto succedent, cum Symbaldum Cardinalem nunc Pontificem habeas amicum: tale fertur dedisse responsum. Gaudendum mihi censerem, si bonum esset Cardinalem amicum in acerrimum hostem Romanæ Ecclesiæ Pontificem permutâsse. Qui quàm dixerit verum in sequentibus patuit: cum illum in Concilio Lugdunensi penitus ab Imperio deposuit. Innocentius autem Papa memoratus, cum esset in utróque jure doctissimus multa scripsit &, ante & in Pontificatu præclara Synthemata: quibus ingenij sui dexteritatem ostendit. Imprimis quidem apparatum super Decretalibus edidit: quem secundùm partes materiæ in libr. quinque divisit. Alium quoque apparatum minorem composuit, quem Auctenticas prænotavit. Contra Petrum de Vineis tractatum insignem edidit de potestate Imperij & Ecclesiæ, quem Apologeticum nominavit. Sororibus quoque S. Claræ vivendi Regulam composuit, & Mendicantium Ordines multùm ampliavit. Innocentius fit Papa IV. Cardinalis amicus fit Papa Cæsari adversarius. Opuscula Papæ Innocentij.

Anno prænotato XIII. die mensis Aprilis horâ vesperarum casuale incendium Wormatiæ ortum majorem urbis partem consumpsit: & damnum civibus ingens attulit. In quo quidem incendio plus quàm trecenti homines perierunt. Wormatia flagrat.

Eodem año XXVIII. die mensis Martij obijt Theodericus Archiepiscopus Trevirorum anno Pontificatûs sui XXX. ætatis verò 72. in majori Ecclesia S. Petri sepultus: vir per omnia magnificus & æternâ memoriâ dignus, qui utilitatibus plebis sibi comissæ diligenter intendit. Huic in Archiepiscopatu successit Arnoldus majoris Ecclesiæ Præpositus filius Comitis de Ysenberg ex sorore nepos, sui prædecessoris memorati Friderici,

& præ-

& præfuit annis XVI. contra hunc Arnoldum à majori parte Capituli canonicè electum, Rudolphus de Saraponte Præpositus S. Paulini á paucis eligitur: & auxilio Ducis Lotharingiæ, Comitum quoque de Luzelpurg & de Seyna confisus aliquamdiu memorato Pontifici reluctatur, tandem Innocentius Papa in Concilio Lugdunensi, concordiam interponens, confirmavit Arnoldum, ut electum canonicè, Rudolphum verò repudiavit, Arnoldo nihilominus indulsit, ut omnia Ecclesiæ beneficia, quæ prius habuit, ad mensæ usum propriæ retineret.

Rudolphus in dissensione contra Arnoldum eligitur.

Anno prænotato Fridericus Imperator bellum, quod in Italia contra Lombardos & reliquos imperio rebelles inchoaverat, sine intermissione continuat, & glorioſus ubique contra æmulos triumphavit. Ad solicitationem verò Imperatoris Constantinopolitani tractatus pro concordia pacis inter Ecclesiam & Imperium hoc ipso anno plures habiti sunt: qui tamen ad necessarium effectum impediente hominum malitiâ non venerunt.

Imperator bellum Italiense continuat.

MCCXLIII.

Anno Ernesti Abbatis XII. Indict. Roman. I. famosissimum illud Ord. nostri Monasterium Laurissense, cujus infelicitatis historiam paulò ante plenius ac sufficienter digessimus, Ordini Præmonstratensium donatum est, machinatione Sifridi Archiepiscopi Moguntini, quemadmodum in superioribus per anticipationem consultè diximus: ut seriem totius historiæ translati imo desolati Monasterij juno loco distribueremus.

Hoc anno Monasterium Lorsch datur Præmonstratensibus.

Claruit his temporibus in Brabantia Simon Monachus Cœnobij Haffliginensis nostri Ordinis, homo tam in divinis quàm in sæcularibus scripturis studiosissimus, & sedulâ exercitatione peritus, qui scripsit non paruæ utilitatis multa volumina, quibus nomen suum memoriæ posterorum laudibiliter commendavit. E quibus reperiuntur subjecta. Sermones in Cantica Canticorum lib. I. In Regulam Sanctissimi P. N. Benedicti lib. I. Visio cujusdam Conversi admirabilis lib. I. Sermones etiam plures pro Monachorum ædificatione composuit. Moralia quoque B. Gregorij Papæ Magni super historiam S. Job in libros decem abbreviando comportavit, meliora quæque & suo proposito magis convenientia excerpens.

Simon Monachus in Haffliginio nostri Ordinis.

Joannes etiam Teutonicus patriâ Friburgiensis in Alsatia, Ordinis fratrum prædicatorum S. Dominici Conventûs Argentinensis, & postea, ut ferunt, Episcopus Bossinensis in Ungaria, vir undecunque doctissimus, hæc tempora & vitæ sanctimoniâ & eruditione suâ reddidit clariora. Qui cum esset juris utriusque Doctor celeberrimus, scripsit ad eruditionem simplicium Sacerdotum insigne opus Casuum, quod cõmuni vocabulo Summam Confessorum nuncupamus. lib. V. Super Decretis quoque Gratiani, Apparatum notabilem composuit. Corpus verò illius in Conventu Argentinensi habetur sepultum, ibi quondam plura feruntur ostensa miracula.

Joan: Teutonicus Doctor & Episcopus Prædicator.

MCCXLIV.

Anno Ernesti Abbatis XIII. cum Fridericus Imperator totam suo exercitu devastaret Italiam: metuens Papa Innocentius aliquando posse manus illius incidere: statuit iram ejus, simul & periculum longiùs proficiscendo, saltem ad tempus declinare. Cernebat enim quod Concilio

Innocentius Papa fugiens Imperatorem exivit Italiam.

Romæ

Romæ celebrare Pontificum generale non posset, propter adversantem sibi potentiam Cæsaris Friderici, quem omnino deponere ab Imperio dispositum, & ideo Italiam exivit. Jam etenim Romani cum Imperatore sentire cœperant, & partes Innocentij deserere, propterea incautum sibi judicavit cum eis diutius permanere. Januensium igitur navigio fretus, quod apud Centum-cellas in portu confederat, in Galliam profectus est. Quem Ludovicus Rex Gallorum, summa cum veneratione suscipiens Lugdunum conduxit, ubi ab omnibus reverenter exceptus, ibidem aliquamdiu subsistendo quievit, mittensque literas & nuncios in omnem terram Concilium Episcopis indixit.

Innocentius Papa venit in Galliam.

Lugduni Concilium convocat.

Anno prænotato Innocentius Papa IV. Lugduni consistens Decano majoris Ecclesiæ Moguntinæ mitræ Pontificalis usum in præcipuis festivitatibus, pro Dei domûs reverentia, & honore frequentantiũ, sicut patet in literis, quæ sequuntur, indulsit: *Innocentius Episcopus servus servorum DEI. Dilecto filio Decano Moguntino, Capellano nostro, salutem & Apostolicam Benedictionem. Nostram & Apostolicæ Sedis gratiam obsequiosâ puritate fidei dudum multipliciter meruisti, ad hoc semper invigilans omnem de te propellendo formidinem, quòd sub experientia laborum gravium ejusdem Sedis ampliare posses honorem. Ut autem ex hujusmodi meritis cordi tuo gaudium, & alijs devotionis producatur exemplum, tibi, & successoribus tuis, quod in Ecclesia Moguntina in præcipuis solemnitatibus in celebratione divinorum uti perpetuò mitrâ positis, quâ Præpositus & Cantor ejusdem Ecclesiæ uti dicuntur, authoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, velei ausu temerario contraire. Datum Lugduni IV. Non: Aug:*

Usus mitræ Decano Moguntino conceditur.

Anno prænotato Fridericus Imperator II. Imperium suum non refrænans, quo semel animo concitatus ferebatur in Longobardos, multa in Italia constituit bella, omnia pro posse devastans, quæ vel ad Pontificis jurisdictionem pertinebant Romani, vel Longobardorum partibus favebant. Sed Pontifex Lugduni consistens totius orbis Christiani Præsulibus Concilium generale post triennium ibidem fore celebrandum pronunciavit, cunctis ut adesse curent præcipiens. Interea Conradus Rex Francorum Orientalium, filius Imperatoris Friderici, adolescens ingenio maturus & acer, mandato patris obtemperans, Regnum auxilio Sifridi Archiepiscopi Moguntini strenuâ provisione in Teutoniæ partibus gubernavit, Sueviæque Ducatum administravit.

Imperator Papæ partes persequitur.

Rex Conradus gubernat.

MCCXLV.

Anno Ernesti Abbatis XIV. sive & ultimo currente hoc est XII. die mensis Januarij circa horam vesperarum audita sunt apud Francos Orientales horrenda tonitrua cum ventis multis & adeò impetuosis, quòd multa subverterunt ædificia, homines subitò complures miserabiliter opprimentes. Tantus tum Peapolitanos cum vicinis eorum terror invasit, ut diem putarent instare novissimum. Nam & terræmotus cum fulgure & coruscationibus horrendis pluries insonuerunt.

Eodem anno III. die mens. Februarij Ernestus sæpe memoratus Abbas hujus insignis Monasterij Hirsaugiensis quartus atque vicesimus, anno ætatis suæ LXII. post multos labores & diuturnas infirmitates exutus corpore ad Dominum migravit, in Ecclesia Monasterij principali, cum suis antecessoribus, ut moris est, sepultus, vir bonus, & pacificus in se, sed Monachorum vitæ neglector.

Ernestus Abbas hujus Cœnobij 24. moritur.

De Volpoldo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXV. qui præfuit annis xx. mensibus IV. diebus XXIII. & gestis ejus.

Volpoldus fit Abbas Hirsaugiensis.

POst mortem venerabilis Ernesti Abbatis nonâ die, quæ fuit XII. mensis Februarij anno Dominicæ Nativitatis prænotato MCCXLV. Indict: Rom: III. convenientes in unum fratres congregationis hujus Monasterij Pastoris solatio destituti, post necessarios ex more tractatus, orationibúsque ad Deum ritè præmissis, Volpoldum Conventûs sui Monachum in Abbatem concorditer elegerunt, qui confirmatus per Conradum Episcopum Spirensem, & ordinatus benedictione solemni coram magna frequentia plebis in majori Ecclesia Spirensi, præfuit huic Monasterio Hirsaugiensi, annis xx. mensibus IV. diebus verò tribus atque viginti, vir mediocris staturæ, plus tamen ad pinguedinem tendens quàm tenuitatem, pilis capite rarus. Volpoldus iste, natione Teutonicus, patriâ Francus Orientalis fuit, qui annorum fermè XVI. sub Domino Eberhardo Abbate ad Monasterium venit, & secundũ vivendi modum, quem reperit in medio fratrum deinceps laudabiliter vixit. Nam ut in superioribus sæpe diximus, observantia regularis disciplinæ & in isto Monasterio, sicut & in cæteris nostri Ordinis multis à primæva institutione sua his temporibus nimiùm defecerat: & Monasteriorum pristinus in utróque statu profectus quotidie in deterius ferebatur. Et justo quidem Dei judicio præsentis vitæ necessarios simul & honores pulchritudinis Monachi Claustrales merentur amittere, quoties mundi vanitatibus dediti regularis vitæ semitas contemnunt observare. Quid enim est Monachus aliud quàm apostata, & mendaciorum opifex, qui non vivit secundùm Regulam suam? Volpoldus autem ordinatus in Abbatem, vivendi modum quem reperit in Monasterio tenuit, & Monachos in torpore mentis nimiùm oberrantes, à puritate Regulæ minimè revocavit. Parum eruditus fuit, quia sicut in Monachis feruor sanctæ conversationis illo in tempore omnino tepuerat, ita illis nullum divinarum scipturarum studium sapiebat. Unde propter nimiam Monachorum illius temporis ignaviam, nihil, aut parum literis invenitur commendatum, quod nobis ad perfectionem historiæ nostræ queat conducere, sed compellimur necessariò Hirsaugianum opus, gestis alienis, per seriem complurium annorum, donec reformatio veniat, ornare. Anno igitur Volpoldi Abbatis primo in mense Novembri mortuus est Conradus ex Comitibus de Eberstein Episcopus Spirensis, & in majori Ecclesia sepelitur. Post cujus mortem Henricus ex Comitibus de Lyningen Pontificatũ memoratæ Ecclesiæ promotione Imperatoris Friderici, consecutus, præfuit annis XXV. Henricus iste in Episcopũ, sicut diximus electus, & necdum confirmatus castellum quoddam in Stratamontensi Starchenberg nuncupatum, quod in Principatu Monasterij Lorsch Moguntina possidebat Ecclesia fratris sui Comitis de Lyningen auxilio suorum coadunato exercitu obsidione cingens obtinuit, ejectísque illis, quos Archiepiscopus ibi locaverat, castrum suis militibus commendavit. Hac de causa inter ipsum & Sifridum Archiepiscopum Moguntinum, magna dissensio fuit súborta, quæ tandem per Commissarios Innocentij Papæ IV. ad concordiam revocata est.

Monachorum conversatio mala.

Henricus fit Episcop. Spirens.

Castellum Starchenberg capitur ab Episcopo Spirensi.

Anno

Anno etiam prænotato, ultimâ die mensis Novemb. mortuus est Otto Comes Palatinus Rheni primus ex Ducibus Bavariæ, de quo suprà diximus, qui fuit in principio sui Regiminis pius, mansuetus, & humanissimus Princeps, sed tandem propter Fridericum Imperatorem & ejus filium ab Innocentio Papa fuit excommunicatus, & cœpit Ecclesiam persequi & devastare Clerum in odium Romani Pontificis, quo se injustè querebatur excommunicatum. Postremò igitur anno præscripto, cum in Vigilia S. Andreæ Apostoli lætus cum uxore, & familia fuisset, sanum se ad dormiendum reposuit, & in nocte majore apoplexia tactus, mortuus fuit. Reliquit autem duos filios Ludovicum natu majorem, & Henricum fratrem ejus natu minorem, qui per annos x. Principatum patris, tam in Bavaria quàm circa Neccarum & Rhenum fraternâ cõmunitate possederunt. Verùm postea anno Volpoldi Abbatis XII. suborta inter eos discordia Principatum & terras Dominij paterni tali inter se partitione divisérunt. Ludovico primogenito in divisione accessit Comitatus Palatinus Rheni cum electione Imperij cum certis terris alijs in Bavaria superiori, videlicet Amburg, & his quæ hodie in Bavaria juris sunt Comitis Palatini cum titulo Ducatûs. Henricus autem Lanshutam, Monacum, & reliqua in superiori & inferiori Bavaria pro sua portione legitima possedit. Ludovicus primogenitus Ottonis Palatini Comitis, de quo nobis est sermo, primam duxit uxorem Mariam filiam Ducis Brabantiæ mulierem speciosissimam, de qua tamen liberos non suscepit. Hanc postea, sicut anno Volpoldi III. dicemus, propter suspicionem adulterij fecit occidi, jure sive injuriâ Deus scire potest solus qui omnia novit. Secundam postea duxit Annam nomine uxorem, quæ filia erat Ducis Poloniæ, de qua suo dicemus loco inferiùs. Henricus autem Frater Ludovici, qui Bavariam inferiorem, sicut dictum est, jure paternæ successionis possidebat, uxorem duxerat Elisabeth Belæ Regis Ungarorum filiam, de qua genuit filios tres, Ottonem videlicet postea Regem Ungariæ, Ludovicum, Stephanum Duces Bavariæ, de quibus suo ordine postea dicemus. Et notandum quod eorum Mater prænominata uxor Ducis Henrici ex fratre neptis fuit S. Elisabeth Lantgraviæ Hassiæ.

Ludovicus & Henricus filij Ottonis Palatini.

Maria uxor Ludovici Comitis Palatini.

Elisabeth uxor Henrici Comitis Palatini.

MCCXLVI.

Anno Volpoldi Abbatis II. Innocentius Papa IV. generale Concilium Lugduni ante biennium indictum in præsentia multorum Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, & Doctorum virorum celebravit: in quo plura ad utilitatem Ecclesiæ cõmunem constituit laudabili providentiâ: quæ partim literis cõmendata leguntur: in quo Ludovicus Rex Gallorum personaliter constitutus, operam suam Innocentio Papæ contra Fridericum Imperatorem, & quoscúnque Romanæ adversarios Ecclesiæ indefessam pollicitus est: obtinuítque suis admonitionibus à memorato Pontifice, ut crucem contra Saracenos in Asiam pro sepulchro Domini mandaret prædicari, quò & ipse postea cum exercitu profectus est. Ad Concilium verò memoratum Fridericus Imperator citatus fuit per Innocentium Papam, ut in propria persona comparens super objiciendis sibi criminibus coram Patribus responderet. Qui quidem pro excusatione sui misit Episcopum Argentinensem, & Hermannum Magistrum Hospitalis Ordinis Teutonicorum, atque Magistrum Petrum de

Concilium Lugduni celebratur à Papa.

Imperator Fridericus citatur ad Concilium.

Vineis, virum in utróque jure doctissimum, & eloquentiæ singularis; de quo suprà diximus anno Eberhardi Abbatis Hirsaugiensis XIV. venientes autem prænominati Cæsaris nuncij Oratores & Comissarij Lugdunum ad memoratum generale Concilium, causam suæ comissionis simul & adventús Romano Pontifici, summa cum maturitate proposuerunt, ad omniáque objecta contra Cæsarem, prout instructi fuerant ab ipso, respondentes. Ibi Petrus de Vineis tantis eloquentiæ viribus causam Imperatoris tutando prosecutus est, ut omnes verteret in stuporem. Unde Roman. Pontifex ejus admirans facundiam, taliter ad eum dixisse legitur: *magnus profectò esses fili: si tantùm pro Ecclesia laborares defendendà: quantum contra illam laborásti* Sed nihil omnino profecerunt, qui missi fuerant, quoniam Papa excusationem Imperatoris nullam voluit admittere, sed contra illum procedere per Concilium summis conatibus laboravit. Nam causa adunati Concilij non ultima fuit abrogandi Imperatoris, quemadmodum rei demostravit eventus. Repulsis igitur atque contemptis omnibus, qui pro parte Imperatoris in medium fuère producta, Innocentius sæpedictus Papa de consilio & assensu generalis Concilij Lugdunensis, Fridericum ab Imperio Romano, & à Regno Siciliæ per sententiam deposuit, & ne quis ei de cætero tanquam Regi vel Imperatori obediret, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ inhibuit, omnes qui astricti ei juramento fidelitatis fuerant, ab ipso juramento perpetuò absolvens, ut habetur *de sententia & re judicata ad Apostolicæ dignitatis*, libro sexto, ubi & causæ ponuntur. Prima causa depositionis ejus, quam Papa memoratus assignavit, ista fuit: quod dejeravit multocies pacem quondam inter Ecclesiam & Imperium reformatam temerè violando. Item perpetravit sacrilegium, capi faciens Cardinales S. R. E. ac aliarum Ecclesiarum Prælatos ac Clericos, Religiosos & sæculares venientes ad Concilium, quod Gregorius Papa IX. Romæ apud S. Joannem Lateranensem, ut suprà diximus, celebrandum fecerat convocari. Item de hæresi in dubijs & levibus, sed difficilibus & evidentibus argumentis, ut Papa recitat, in prænotato Capitulo *ad Apostolicæ dignitatis* habebatur suspectus, utpotè, qui ultra annum in excomunicatione stans omnia salutis monita risit. Item Regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium S. Petri, quoniam feudale in tantam desolationem, exinanitionem, & servitutem redegerat, quod Clericis & laicis quasi jam nihil habentibus, & omnibus exinde probis ejectis, non remanserat unde viverent: ipsos etiam qui remanserant, contra Romanam Ecclesiam hostiliter agere multipliciter compellebat. Item quod censum annuum mille fartorum in quo pro eodem Regno Siciliæ ipsi Romanæ annuâ est pensione, ut vasallus, obligatus, per novem años non soluit. Item quod per Papam super præmissis & quàm pluribus alijs nefandis excessibus suis monitus, requisitus & sæpe rogatus, ut suos emendaret errores, semper contempsit. Propter memoratas causas & excessus Papa Innocentius sententiam depositionis in Fridericum, ut diximus, promulgavit: & Principibus Imperij, ut successorem eligerent, præcepit, unde multorum causa malorum orta fuit. Postea verò quàm Friderico Imperatori sententia depositionis suæ nuntiata, fuit vehementer comotus necessariorum Papæ ac familiarium & amicorum ædes Parmæ, ac villas speciosissimas in circuitu solo-

Imperator à Papa in Concilio ab Imperio deponitur.

Causæ depositionis sex.

Imperator Papales persequitur.

tenus

tenus evertit. Inito posthoc fœdere cum Burgundionum Duce, Lugdunum proficiſci ſtatuit: & abrogationis promulgatæ ſententiam humili ſubmiſſione revocare, movítque à Parma comitatum ducens non armatorum magis quàm togatorum: qualem, quantúmque poſt ſtantis Romani Imperij tempora nullus aut domi habuerat aut in itinere duxerat Imperator. Sed res non potuit optatum habere progreſſum, ob cauſam quam dicemus. Comiſsâ námque Italicarum rerum adminiſtratione filio Regi Sardiniæ, ſub ea conditione, ut ſeſe apud Parmam continens nihil eorum quæ longiùs agerentur, niſi per ſuffectam legationem adminiſtraret, Imperator cum ſuis profectus eſt.

Cúmque Taurinum jam perveniſſet ei nunciatum eſt, Ericum filium exercitum in Brixianos moviſſe: Parmenſium quoque extorres, ſuperato Henrico quem Parmæ præfecerat, ope & auxilio Placentinorum Parmam ingreſſos urbéque jam eſſe potitos plurimis occiſis Imperio ſtudioſis. His malis Imperator permotus ſimul timens cæterarum urbium rebellionem, iter, quod versùs Lugdunum inchoaverat, intermiſit: reverſúſque in Longobardiam cum exercitu Parmam obſedit. Vocatíſq; ex Marchia Tarvviſana copijs, ex Apulia quoque & Sicilia non minùs ſexaginta millibus armatorum obſidionem urbis cum potentia firmavit. Antea quidem Papa Innocentius Parmam auxilio Bononienſium, Ferrarienſium, Mutinenſium & Regienſium ſatis firmiter munierat, præmittens illuc Gregorium quendam Apoſtolicæ Sedis Legatum & Cardinalem, qui nomen Vicariatûs gereret ſimul & officium. Continuatum eſt ferè biennio bellum atrox variúmque & Longobardiæ omníque Italiæ perniciosiſſimum: & urbs Parma ſine intermiſſione graviſſimâ obſidione premebatur. Nam Fridericus Imperator caſtra in urbis modum vallo foſsâque munierat: eo quidem animo, ut devictâ funditúſque ſubversâ Parmâ, eo loco ubi ſtativa poſuerat, Victoriam urbem conderet. Inditum eſt caſtris nomen Victoriæ & S. Victor Martyr Tutelaris de more Chriſtianorum in Cathedrali Eccleſia nuncupatus eſt. Continuans autem obſidionem Imperator plures ex hoſtibus captos majoribus baliſtis impoſitos quaſi lapides in urbem projecit. Quam crudelitatem non ſolùm in viros ſed etiam in fœminas exercuit, multóſque ante portas Parmenſes laniari fecit.

Ericus Imperatoris filius.

Fridericus Parmam obſedit.

MCC XLVII.

Anno Volpoldi Abbatis III. Indict. verò Roman. v. Innocentius Papa IV. poſt depoſitionem Imperatoris Friderici ſcripſit Principibus Germaniæ mandans, ut quem vellent eligerent Imperatorem, convenientes igitur apud Franckenfurt Principes Henricum *Raſpe* dictum Haſſiæ Landgravium in Regem unanimi voto conſtituunt: quem coronari mox apud Aquaſgrani magna cum ſolemnitate juxta morem fecerunt. Conradus autem Friderici filius, quem pater dudum, ut ſuprà diximus, Germaniæ Regem deſignaverat, pro ſibi uſurpando Imperio contra Henricum ſumis conatibus decertabat. Verùm Rom. Pontifex Innocentius non ſolùm favore proſequebatur partes Henrici, ſed etiam Crucem & omniũ peccatorum indulgentiam contra Fridericum & Conradum ejus filium per totum Regnum Francorum Orientalium mandaverat prædicari: nihil enim ferventiùs videbatur optare, quàm ut Friderici progeniem aut humi-

Henricus in Regem Romanorũ eligitur.

Crux contra Friderícum & Cõradum prædicatur.

humiliaret penitus aut funditus extirparet, per quam tot clades Romana Ecclesia dudum susceperat. Henricus itaq; in Regem Francorum Orientalium contra Fridericum & ejus filium cõmuni voto Principum electus castra secundùm antiquam Francorum consuetudinem in campestribus oppidi Franckenfurt locavit: ad quem Principum atque Nobilium Regni magna multitudo confluxit, qui propter excommunicationis sententiam à Friderico & ejus filio defecerunt, & propterea vel maximè quòd mandante Romano Pontifice Cruciata in illos, ut hæreticos, ubique prædicaretur.

Henricus occupat Franckenfurt.

Audiens verò Conradus Rex Friderici abrogati Imperatoris filius Henricum Landgravium conta se ac patrem in Regem à Principibus designatum, magno suorum adunato exercitu contra illum apud Franckenfurt cum suis ex more præstolantem processit ad bellum. Congregatione autem factâ Henricus Rex novus victor extitit, Conradum Regem abrogatum fugere in Italiam ad patrem compulit. Post hæc Henricus Rex novus progrediens à Franckenfurt descendit ad Coloniam, & inde ad Aquasgrani profectus Coronam Regni Francorum Orientalium de manibus Conradi Archiepiscopi Colonienſis ex more solemniter suscepit. Inde procedens Regni Provincias auxilio Principum personali præsentiâ lustravit, & civitates Imperij plures ut verus Rex suo dominio, alios precibus, alios potentiâ & armis subjugavit: erant enim nonnullæ Friderico consentientes. Eodem quoque año Imperiale oppidum Sueviæ Rutlingen Friderico Imperatori quondam jurejurando fideliter, ne dicam pertinaciter obstrictum, gravissimâ obsidione vallavit, contra cujus insultus oppidani & diu & fortissimè pugnârunt, cúmque postremò viderent se tantæ multitudini adversantium amplius non posse resistere, essentque omni auxilio destituti humano: ad implorandum Christiferæ Mariæ SS. Virginis patrocinium sese unanimi humilitate contulerunt. Votum námque ipsi Reginæ cœlorum statuentes decreverunt: quatenus illius meritis à pressura liberati obsidionis Capellam novam à fundamento in ejus honorem construerent átque dotarent. Et ecce mira divinæ pietatis clementia. Mox etenim, ut voto se Virgini Mariæ fecerunt obnoxios: iñisit Deus spiritum formidinis & pavoris in cor Regis, qui oppidum jam jam capiendum insuperabile reputans obsidionem cunctis mirantibus soluit, nec promissionis iñemores suæ, Capellam sub honore nominis B. semper Virginis Mariæ novam átque pulcherrimam, ut hodie cernitur, construxerunt. Rex verò Henricus ab oppido Rutlingen, sicut dictum est, sine effectu discedens cum exercitu Ulmam Sueviæ Imperiale oppidum ad ripas Danubij situm obsidione cinxit. Erant enim consentientes Friderico quondam Imperatori Ulmenses, & propterea Henrico ipsi necessariò rebelles. Ubi cum ageret Rex Henricus in oppugnatione urbis, ut fieri solet, propter animi fervorem incautus, sagittâ in incertum missâ vulneratus est ac postea dysenteriæ morbo correptus graviter infirmari cœpit.

Henricus superavit Conradũ.

Henricus Rex corotur Aquisgrani.

Rutlingen à Rege obsidetur.

Capella S. Mariæ in Rutlingen fundatur.

Ulma obsidetur ab Henrico.

Anno quoque prænotato mortuus est Ludolphus Ecclesiæ Wormatiensis venerbilis Antistes, & in Cœnobio Monialium Nonnenmünster dicto, quod Ordinis Cistercienſis ex nostro fecerat, ut suprà diximus, anno Ernesti Abbatis III. sepultus est. Post quem Cuno Decanus Ecclesiæ Mo-

Cuno & Richardus Episc. Wormatienses.

Moguntinæ Canonicorum electione ſuccedens menſem in Pontificatu non complevit. Quo intra tres hebdomadas mortuo Richardus de Treveri ſubrogatus eſt, & præfuit annis ferme undecim.

Anno etiam prænotato Ludovicus Comes Palatinus Rheni Romani Princeps & Elector Imperij, Bavariæque Dux, de quo paulò ante dictũ eſt, pro defenſione Ducatûs Bavariæ caſtrum Fridburg nuncupatum contra, incurſus Auguſtenſis Epiſcopi de novo conſtruxit, ac firmiter munivit. Caſtrum Fridburg in Bavaria.

Ibidem Princeps Ludovicus uxorem ſuam nomine Mariam Ducis Brabantiæ filiam, mulierem omnium ſuo tempore ſpecioſiſſimam ob adulterij ſuſpicionem apud Werdeam Sueviæ oppidum ſeverâ crudelitate occidit: de qua liberos non ſuſcepit. Quod ejus factum nulli bonorũ virorum placuit, quoniam ex ſola ſuſpicione motus extitit, & judex in propria cauſa temerarius, imò & crudeliſſimus fuit. Ea de cauſa maximæ inter eum & Brabantiæ Duces ſubortæ fuerunt diſſenſiones, ad quorum inſtantiam Romanus Pontifex Innocentius IV. Ludovicum excommunicavit. Poſtea tamen in concordiam per amicos revocati ſunt, & Dux Ludovicus ab anathematis vinculo Papâ jubente abſolvitur, qui pro expiatione comiſſi ſceleris Monaſterium Fürſtenfelt nuncupatum in Bavaria novum à fundamento conſtruxit, quod multis bonis atque proventibus in ſalutem necatæ uxoris magnificè dotavit. Ludovicus Palatinus uxorem propriam interfecit. Fürſtẽfeld Cœnobij fundatio.

His quoque temporibus Odogerus filius Wenceſlai Regis Boëmiæ in manu valida ſubjugavit ſibi totam Auſtriam, & pluribus annis eam nemine reſiſtente obtinuit.

MCCXLVIII.

Anno Volpoldi Abbatis Hirſaugienſis IV. Conradus Archiepiſcopus Colonienſis homo dives, potens atque magnificus inſignem ſimul & ſumptuoſiſſimam ſtructuram illam majoris Eccleſiæ Colonienſis inchoavit, primum lapidem ponens in Vigilia Aſſumptionis Beatiſſimæ Virg. Dei Genitricis Mariæ, quod quidem opus magnificum, & ſi quotidie ſumat artificum labore continuo incrementum, ſitque per annos nunc ferme duos & ſexaginta ſuprà ducentos ſine intermiſſione continuatum, adhuc tamen magna ex parte cernitur imperfectũ, quod cum tempore creditur imperfectum. Idem Conradus Archiepiſcopus Eccleſiam S. Clementis Papæ & Martyris, quam S. Cuniberus quondam Archiepiſcopus in civitate Colonienſi fundaverat, & in ea ſepulturam acceperat, nimiâ vetuſtate collapſam à fundamentis novam reparavit, præbendas Canonicorum ſuâ munificentiâ non parum adauxit. Quæ quidem Eccleſia primi fundatoris D. Cuniberti Archiepiſcopi nomine hodie vocacatur, propter quod ſacrum ejus corpus in ea continetur. Majoris Eccleſiæ Colonienſis novæ inchoatio. Eccleſiæ S. Cuniberti reſtaurato.

Magna fames & inopia victualium anno prænotato Germaniam penè totam ſatis miſerabiliter diutius afflixit, & plures antea mediocriter divites opprimens de patria proſcripſit. Fames Germaniã nimis affligit.

Eodem tempore Fridericus Imperator, poſteàquam Parmã per biennĩ ferme obſidione graviſſimâ oppugnâſſet, eámq; cerneret invincibilẽ armis, fame illam in deditionem cogere anniſus eſt. Quod Gregorius Montelongus Apoſtolicæ Sedis Legatus, quem Urbi à Papâ præfectum diximus, conſiderans, ſecundo obſidionis anno jam penè exacto præſidio Philippi Longobardorum vice Domini & ſociarum Civitatum eruptione ſubitò Fridericus à pormenſibus fugatur.

subitò factâ Fridericum nil tale metuentem fudit atque fugavit, castrisque exuit & multos de exercitu illius crudeliter interfecit. Hostes itaque urbe Victoriâ, hoc est imperialibus castris cum omnibus opibus & Regiâ coronâ, vasis quoque multis ac pretiosissimis maximi pretij & valoris sublatis, potiti, Parmam summa cum exultatione victores intraverunt, urbémque Victoriam gloriosè devictam everterunt.

Fridericus movit in Hetruriam

Post hæc Fridericus anno prænotato exercitum brevi recuperans in Hetruriam movit, Erico filio cum patre copiarum Faventiæ relicto, ut Ravennam & urbes circumsitas in patris obedientia ne deficerent suo more ad Lombardos, retineret. Nam Lorbienses, Ariminenses, Urbinates cum Picenis omnibus Friderico Cæsari parebant. In Umbria quoque defecerant omnes à Pontifice, præter Tudertinos, Perusinos, Assisinatósque, qui sequebantur Ecclesiam: Hetruria pariter tota partes tuebatur Imperatoris; præter solos Florentinos, qui Pontificem observabant. Veniens autem Fridericus ad Florentiam ac petens ingressum non fuit intromissus, sed hoc unum postulanti duntaxat concessum ut Guelfis de civitate propulsis & ejectis quorum per se in urbe major fuit Gibilo rerum potirentur summâ Florentinarum. Quibus ejectis pars in manus Friderici incidit, quorum nonnulli trucidati & occisi, reliqui oculis extractis in Apuliam relegati sunt, & vitam in miseria ducentes ibidem obierunt.

Guelfi de Florentia ejiciuntur.

MCCXLIX.

Ericus Rex à Bononiēs. captus occiditur.

Anno Volpoldi Abbatis v. Ericus Rex Sardiniæ filius Imperatoris Friderici secundi rerum potestate in Lombardia potitus, cōtractis undiq; copijs in manu forti contra Bononiam, ubi tum Legatus erat Apostolicus processit. Bononienses autem ejus adventum audientes coadunatis viribus armatâ contra illum manu de civitate processerunt; & comisso prælio Rex Ericus captus est, multisque de suis cadentibus ac pluribus similiter captis ipse in caveam ferream mittitur, in qua parvo vivens tempore mortem subire coactus est.

Sifridus Archiepisc. moritur.

Eodem anno unâ die mensis Martij obijt Sifridus Archiepiscopus Moguntinus in ordine Archipræsulum quintus atque tricesimus, vir per omnia magnificus qui jura & proventus Ecclesiæ suæ non parum ampliavit; & inter tot reipublicæ mala, tot pericula, tot bella, quibus nutabat Imperium sapientissimè cuncta sua moderans sine aliquo detrimento semper evasit. Cui mox in Archiepiscopatu Christianus ejus nominis secundus electione Canonicorum succedens præfuit annis duobus.

Henricus Rex Romanorū obijt.

Anno etiam prænotato mortuus est Henricus Landgravius Thuringorum & Hassiæ, qui ante paucos annos, ut suprà diximus, mandante Innocentio Papâ in Regem Romanorum fuerat electus, licèt non omnes Principes in eum consenserint, neque ad coronam Imperij obsistente sibi Friderico potuerit venire. Henrico Rege mortuo convenientes apud Franckenfurt Principes Wilhelmum Hollandiæ Comitem in Regem elegerunt, virum divitem & animi constantiâ Imperio dignum, qui regnavit annis septem, & tandem, ut suo dicemus ordine, à Frisonibus occisus in bello ad coronam Imperij minimè pervenit. Sunt qui scribant eum apud Villam Wornich in præsentia Petri Caputij ad velum aureum Diaconi Cardinalis atque Legati à quibusdam Principibus electum cum juvenis

esset

esset annorum viginti, in quem tamen & alij Principes multi postmodum consenserunt.

Wilhelm⁹ Cões Hollandiæ fit RexRomanorum.

Anno igitur prædicto, ultimâ verò die mensis Octobris Regium oppidum Aquasgrani cum magna procerum multitudine intravit, & sequenti die, hoc est in festivitate omnium Sanctorum, per duos Episcopos Myndensem & Monasteriensem Pontificalibus indutos Conrado Archiepiscopo Colonienſi ante majus altare Beatæ MARIÆ semper Virginis residenti præsentatur coronandus. Quem alij mox duo Episcopi Leodiensis & Trajectensis Salmatica induerunt: statimque memoratus Archiepiscopus decantavit solemnis festi officium, & præsentatum sibi Regem ungens coronavit secundùm consuetudinem in talibus eatenus observatam.

Ceremoniæ in coronatione habitæ.

Consecratione verò ex more peractâ, locavit eum consecrator memoratus in sedem Regni Teutonicorum Francorum dicens: *Super thronum Sedis gloriosæ Regni Francorum & Romanorum sedeas, & judicium & justitiam in terra facias.* Responderunt: *Amen.*

Postea accedens Christianus Archiepiscopus Moguntinus Pontificalibus similiter indutus cum oleo sanctificato, dextram ejus foris perunxit dicens: *consecrare te dignetur Omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui David per manum Samuelis Prophetæ inunxi jussit super populum Hebræorum. Amen.*

Accedens dein Arnoldus Archiepiscopus Trevirorum manus super caput ejus in modum crucis posuit, & clarâ voce dixit: *descendat in te Spiritus Sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis, & consilij: repleatisq; Spiritu Timoris Domini.*

Ludovicus verò Comes Palatinus Rheni Archidapifer Imperij, globum aureum in manus ejus posuit dicens: *Accipe globum sphæricum: ut omnes terræ nationes Romano Imperio subijcias, & Augustus glorioſus appellari valeas.* Et respondebatur: *Amen.*

Marchio autem Brandenburgensis Archicamerarius Regni annulum in manum ejus tradidit aureum cum sceptro Regali dicens. *Accipe signaculum Monarchiæ, ut Romanum Imperium in suo vigore conserves; & invictâ virtute ab omni Barbarorum incursione liberum defendas.* Respondebatur. *Amen.*

Saxonum verò Dux Ensifer Imperij propius accedens gladium ei porrexit aureum sive Angelicum Caroli magni dicens: *Accipe gladium Regium, ut rebelles severâ correptione potenter affligas: omnesq; benevolos in pace tranquilla gubernes.* Rex autem Boëmiæ Pincerna de Imperij consensu Archiepiscopi Colonienſis coronam Caroli Magni auream capiti Regis imposuit dicens: *Accipe diadema splendidum, ut sis virtuosis actibus adeo coruscus in terris, quatenus merearis coronam æternæ felicitatis habere in cœlis. Amen, Amen.*

Quibus omnibus ritè ac solemniter peractis, octo Rex Wilhelmus ibidem permansit diebus, consilium tractans cum Principibus arcanum, quemadmodum Regni jura disponeret, átque Fridericum sequentes abrogatum humiliaret. Omnes autem inferiorum partium Principes, Nobiles & civitates obedientiâ Wilhelmo Regi præstiterunt præter castellanos quosdam, inter quos erat præcipuus unus, qui insulam Cæsarianam Keiſerwerde nuncupatam vulgariter in Diœcesi Colonienſi haud procul à Novesio nomine Imperatoris gubernabat. Sed Friderico fidelis nullâ potuit ratione induci, ut Regem Wilhelmum admitteret.

Keiserwerde obsidetur.

Unde commotus Rex Wilhelmus de consilijs Principum contractis copijs arcem Keiservverde obsidione vallavit, & magnâ virtute se credidit illam posse subvertere. Castellanus autem providentiâ usum castrum fortissimè antea munierat, & omnibus necessarijs abundanter impleverat. Unde posteaquam Rex Wilhelmus obsidionem aliquandiu continuaverat videns se nihil proficere posse, illam solvit, & ad superiores Regni partes ascendit.

Rex Gallorum in Syria capitur.

Anno prænotato Ludovicus Rex Gallorum, qui anno Volpoldi Abbatis III. cum uxore & magno suorum exercitu contra Saracenos in Syriam navigaverat, Dominatam urbem locupletissimam in littore Nili fluminis sitam cœpit, & varijs inde prælijs cum Saracenis habitis tandem superatur, & capitur, pro cujus liberatione Dominata redditur. Margaretha verò Regina capta Ludovico viro suo filium apud Dominatam peperit, quem ab eventu Tristanum nominavit.

MCCL.

Eringus fit Episcopus Herbipol.

Anno Volpoldi Abbatis VI. mortuus est Hermannus de Londepurg Episcopus Herbipolensis, & Orientalis Franciæ Dux, Princeps per omnia magnificus, qui multas injurias & tribulationes à civibus suis contra justitiam sustinuit, sed victor tamen semper triumphavit. Post quem Eringus de Reinstein Canonicorum electione successit, & annis XVI. præfuit, qui & ipse graves civium fraudes insolentiásque sustinuit: cives etenim Herbipolenses jugum Pontificum & Ecclesiæ semper contra æquitatem cupientes excutere, à multis retro annis plura cum Episcopis bella in proprium detrimentum & urbis destructionem gesserunt: id maximè quærentes, ut more quarundam civitatum Imperij libertate donarentur. Quod cùm jure assequi non possent, sæpius injuriâ tentaverunt: constat enim manifestè, quòd Pipinus & Carolus ejus filius cognomento magnus, Francorum quondam incliti Reges Beato Burghardo Herbipolensium I. Episcopo ipsam civitatem cum Ducatu Franciæ Orientalis, in jus proprium & perpetuam Ecclesiæ possessionem, tradiderunt, quod literis & monimentis sufficientibus novimus probatum. Nullo igitur, jure, nullâ justitiâ, nullâ ratione Herbipolensibus postea licere potuit Dominium Ecclesiæ subterfugere, Episcopum & Ducem sibi ab Imperio datum repellere, aut sibi libertatem usurpare.

Anno etiam prænotato hyems asperrima, & nimis diuturna, glacie nivibúsque abundans nimium, quibus tamen resolutis in aquam, inundatio maxima fuit subsecuta, cujus impetu prævalente plura in diversis locis ædificia subvertebantur.

Fridericus Imperator II. obijt.

Eodem anno Fridericus Imperator abrogatus tendens in Apuliam Florentinorum urbem præterijt, quanquam factionis suæ multos in ea haberet consentaneos. Noluit enim intrare, nescio propter cujus vaticinium, qui dixerat eum in illa moriturum. Cúmque ad Tarentinam pervenisset urbem, vel ut alij volunt Fiarenciolanam, graviter infirmari cœpit, sive ut dicebatur ex veneno, quod botro immissum comederat, sive itinere simul & animo fatigatus in dignitate subsistere ibidem cogebatur. Qui videns sibi mortis adesse tempus, accitum ad se Capellanum suum rogat Sanctorum Ecclesiæ sacram communionem; cernens autem Capellanus Imperatorem extremo jam spiritu laborantem interrogat, si mori

velit

velit in unitate fidei Catholicæ, & mala in Ecclesiam commissa Romanam retractare consentiat. Annuit cum lacrymis Princeps prope moriturus, & præmunitus Sacramentis Dominicis, idibus Decembribus ab hac vita migravit anno ætatis suæ LVII. completo. Hic Astrologorum vanitati nimium credulus & vitam sibi promittebat annosam, & certam de cunctis inimicis victoriam. Unde in præsumptionem elatus hoc de se tetrastichon composuit, quo animi levitatem sui palam sapientibus declaravit.

Vanitas Augurum & Astrologorum aperta.

Fata monent, stellæque docent, aviumque volatus,
Quod Fridericus ego Malleus orbis ero.
Roma diu titubans varijs erroribus acta
Concidet: & mundi desinet esse caput.

Cujus vanitatis versiculi postquam ad manus Innocentij Papæ IV. pervenissent videns hominis levitatem animi, quod astrorum cursus aviúmque volatus atque garritus aliquid magni rebus suis præsignare credebat futurum: hos sequentes in eum propterea versiculos lusit cupiens illum à vana spe sua recedere, & ad solidæ veritatis observantiam redire

Papa redarguit vanitatem.

Versiculi Papæ contra Fridericum.

Fata silent, stellæq; tacent, nil prædicat ales:
Solius est proprium scire futura Dei.
Niteris in cassum navem submergere Petri,
Fluctuat, at nunquam mergitur illa rates.
Quid divina manus possit, sensit Julianus,
Tu succedis ei, te tenet ira Dei.
Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur:
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Sepultus est autem in Regno Siciliæ in Ecclesia montis Regalis cum annis jam regnasset octo & triginta, vir non solùm animi vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Qui si arma in Christi hostes, & non in Christianos ipsos vibrâsset, sícque ab Ecclesiasticis rebus, & Pontificum persecutione abstinuisset, Maximi nomen Imperatoris cum imortalitate haberet. In cujus tumulo Clericus quidam Arebinus hoc Epitaphium Manfredo ejus filio annuente dictavit, & insculpi fecit.

Fridericus secundus in Sicilia sepultus.

Epitaphiũ ejus.

Si probitas sensus, virtutum gratia census
Nobilitas orti possent resistere morti;
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Igitur mortuo Friderico Conradus filius ejus ex Jola Joannis Hierosolymorum Regis filia legitimè natus, quem Pater dudum Regem, & successorem Imperij designavit, contractis undíque copijs magno cum apparatu in Siciliam, & Apuliam navigio per Marchiam Tarvisinam Venetorum auxilio substipulatus venit. Quem Manfredus Friderici ex concubina filius dissimulatâ tristitiâ (quippe qui regnandi cupidissimus erat) cum ingenti gaudio apparenter suscepit, séque & omnia suæ ditionis propria illius Imperio cum universo regno subjecit. Secretum mentis consilium in tempus aliud callidè dissimulans. Conradus itaque Regno potitus avito læsæ Majestatis reos in primis Neopolitanos condemnavit, quos per suos oratores ad satisfactionem compellabat. Verùm cum se nihil proficere conspexisset, urbem ipsam Neapolim furens obsidione vallavit, quam octavo de pòst mense ad deditionem compellens

Conradus filius succedit Patri.

Conradus Neapolim capit.

muríſq; per circuitum dejectis inermem & immunitam penitus reddidit, melioribus civitatis ædibus omnino ſubverſis. Poſt hæc in Capuam converſus, quæ Neapolitanis ante ipſius in Italiâ adventum faverat, eam quoque muro ſpoliavit, & omnibus in prædam militibus conceſſis inopem fecit. Aquinum etiam nobile oppidum vi captum & ſpoliatum incendit, ac deinceps ferme biennio in Sicilia, & Apulia tyrannizavit.

Idem Capuam & Aquinum capit.

MCCLI.

Anno Volpoldi Abbatis VII. Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus ejus nominis ſecundus moritur: cui Gerhardus electione Canonicorum ſuccedens præfuit annis ferme novem, vir in agendis prudens & magnificus.

Gerhardus fit Archiepiſcopus Moguntin.

Anno prænotato Innocentius Papa IV. Legatum de Latere miſit ad Principes in Germaniam F. Hugonem Barchionenſem ex Ordine S. Dominici Rom: Eccleſiæ Tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, virũ in divinis ſcripturis illo tempore doctiſſimum, utpote qui totum novum, & antiquum Teſtamentum ſuis cõmentarijs multiplici explanatione dilucidavit, & varia ſcripſit. Hic poſteáquam veniſſet in Germaniam Regni Principes in diverſis locis ſæpius convocavit, Innocentij Papæ literas & monita propoſuit, & ut abjurato Conrado Friderici Imperatoris demortui filio tanquam tyranno excomunicato, & Chriſti adverſario Wilhelmum Regem novum atque legitimum ſequerentur ſub vinculo anathematis præcepit.

Hugo Cardinalis in Germaniã mittitur.

Claruit his ferme temporibus David Ordinis S. Franciſci natione Teutonicus, doctus, devotus, & ſanctus, qui multis, & in vita, & poſt mortem fertur coruſcâſſe miraculis, & ſcripſit pro inſtitutione Novitiorũ clauſtralium opus pulchrum & utile, quod rectè Profectus intitulatur Religioſorum in duobus libellis diſtinctum; quorum primus compoſitionem docet exterioris hominis, & ſecundus interioris. Et quia ſermonum popularium declamator fuit egregius, de tempore ſimul, & de Sanctis devotioni congruos ſermones compoſuit, ſepultus eſt in conventu Auguſtenſi.

David Ord. Minorum.

Eodem anno Conradus Rex ſupra dictus ad Imperium aſpirans Papæ Innocentij fautores crudeli vaſtatione perſequitur, & Wilhelmum Regem cum omnibus ſibi adhærentibus in Regno Principibus licèt fruſtra debellare meditatur. Unde rebus ſuis in Sicilia, & Apulia compoſitis, Papâ Innocentio adhuc in Gallia exiſtente, cum exercitu in Germaniam revertitur, veniénſque in Bavariam Henricum Ducem, cujus ſororem habebat ſibi matrimonio copulatam, ejus poſtulavit auxilium. Contractis itaque copijs hi duo Principes, vaſtatiſque omnibus quæ in Epiſcopio erant Ratiſponenſi, rapinis & incendijs Provinciam omnem in odium Papæ ac Regis Wilhelmi deſolârunt.

Conradus in Bavariã venit.

Poſtea civitatem ipſam Ratiſponenſem ingredientes Dux Henricus Monaſterium S. Emerami ſibi deputavit hoſpitium, Rex verò Conradus majorem Eccleſiam in diverſorium commutavit, ambæ turpiter violantur Eccleſiæ, & ſola innocentia pro crimine reputata vexabatur. Conveniuntur Monachi S. Emerami ſuper bonis cujuſdam Judæi nuper apud eos baptizati, quæ nec receperant, & nec habuerant, & ad reſtitutionem impoſſibilem urgebantur. Dux igitur extorſis clavibus Monaſterij, &

Ratiſponã depræda-tur.

Eccleſiæ

Ecclesiæ S. Emerami omnem domûs & templi suppellectilem rapuit, & quidquid invenire potuit rapiens deportavit. Deinde IV. Cal. Januarij intempestæ noctis silentio nobilis quidam de Hochenfels Vasallus Ratisponensis Episcopi dolens contra Deum fieri quæ fiebant, & vindicare volens injuriam Sanctorum, & Domini sui, velut alter Phinees Conradum impium Regem imò hostem Ecclesiæ atque tyrannum occultè statuit interficere, & Dei populum â tanto persecutore liberare, itaque conclave dormientis cum gladio armatus ingreditur, sed Conradus auspicio Friderici militis de Euvvisheim cubicularij suscitatus absconditur, & fugâ lapsus paratæ internecioni subtrahitur illâ horâ, & salvatur. Manè Conradus pro ultione facienda injuriarum nimium commotus S. Emerami rursus cum Duce Henrico ingreditur & plura illius ædificia subvertens funditus demolitur gravissimas dein' Monachis, & Clero exactiones solvendas indixit, si velint Ecclesias ab incendio illæsas permanere, unde Monachi sæpè dicti Cœnobij obligatis bibliothecæ voluminibus, & quidquid habere poterant, vexam redemerunt inviti, ad quam redimendam altare quoddam portatile aureum pondo marcarum septem & sexaginta, quod à temporibus Henrici Imperatoris IV. exstructum usq; ad ea tempora duraverat, distraxerunt. Interea Rex Wilhelmus audiens crudelitatem, quam in Clerum, & Monachos Conradus apud Ratisponam exercuerat, in contractis undique copijs cum valido exercitu cœpit procedere, quod posteaquam illi veridicâ relatione amicorum innotuit, terga dedit, & cum suis in Apuliam reversus est. Porro Henricus Bavariæ Dux, qui malorum in Clerum commissorum author & cooperator extitit, pœnas non diu pòst dedit.

Conradus internecioni subtrahitur.

MCCLII.

Anno Volpoldi Abbatis VIII. Indict. Rom: XII. Conradus Rex de Germania reversus in Apuliam fratris Manfredi subdolâ machinatione veneno clystero immisso (ut ferunt) de medio sublatus est, & in Apulia sepultus. De quo legitur quòd in odium Romani Pontificis multos cum Ecclesia fideliter sentientes de Sicilia pariter, & Apulia crudeliter exterminaverit, non solum laicos, sed Monachos quoque, Clericos, & alias quaslibet personas Ecclesiasticas. Unde etiam in excomunicatione Papali decessisse illũ historiæ perhibent, quod ex eo maximè verum elucet: quoniam post depositionem patris Iñocentium Pontificem IV. usq; ad mortem semper fuit persecutus, nec audebat in Italiam venire Pontifex, quandiu Conradus vixit in humanis. Qui ubi mortem sibi propinquantem conspexit animæ curâ præmissâ testamentum instituit, & Conradinum ex filia Ottonis Bavariæ Ducis filium legitimum ac unicum Regem, hæredemque bonorum omnium designavit, qui cum adhuc esset puerulus quosdam ex Germania Nobiles ei tutores deputavit, & tam ipsum quàm Regna tutelæ Sedis Apostolicæ comisit. Verùm ista commissio parum, imò nihil Conradino profuit, propterea quòd Innocentius Papa totam Friderici II. progeniem ut hostem, & inimicam Ecclesiæ delere cogitavit.

Conradus in excommunicatione moritur.

Conradin' Conradi filius.

Papa Conradinum persequitur.

Anno igitur prænotato Innocentius Papa IV. auditâ morte Regis Conradi I. nono posteaquam Galliam intraverat anno, in Italiam redire disposuit, mentisque suæ institutum ministrantibus classem Januensibus opere quantocius adimplevit. Romam tamen intrare noluit, nisi Ro-

mani binos Senatores, quos ex more quasi Regiam potestatem exercentes quotannis constituebant, aut deponerent, aut se præsente moderarent. Quod facere Romanis omnino recusantibus Pontifex Perusium concessit, ubi comparato exercitu Apuliam primùm contra tutores Conradini deinde Neapolim instaurando sibi subegit. Manfredus autem hæc videns, cùm post Tarentini Principatum jam diu ad Siciliæ Regni fastigia callidè aspirâsset, Pontificis partes contra tutores Conradini nepotis fovere constituit. Unde Papa Manfredi servitio delectatus Principatum illi Salernitanum confirmat, dejectis Conradini tutoribus cuncta Manfredi favoribus & auxilio in potestatem redegit.

Manfredus Papæ consentit.

Eodem quoque anno nonâ decimâ die mensis Martij obijt Christo devotissima Virgo sancta Guta divæ matronæ sanctæ Elisabeth Lantgraviæ Thuringorum olim pedisequa & secretorum ejus conscia, quæ post mortem Dominæ suæ per annos unum & viginti supervivens in hoc mortalitatis exilio vitam suam in omni sanctitate perficiens feliciter consumavit, & multis miraculis viva & mortua coruscavit.

S. Guta Virgo moritur

Anno autem prædicto IV. Calendarum Decembrium Ivanus Monasterij quondam mei Spanheimensis Abbas VII. senio & diuturnâ infirmitate gravatus diem clausit extremum vitæ præsentis. Huic in eadem Abbatia Fratrum electione successit Joannes ejus nominis primus, qui præfuit annis duodecim, mensibus quatuor, diebus uno & viginti vir quidem bonus & religioni temporis conveniens.

Joannes fit Abbas Spanheimensis.

MCCLIII.

Anno Volpoldi Abbatis nono Manfredus Friderici quondam Imperatoris II. ex concubina filius, cernens opportunum sibi arridere tempus, Regnum Siciliæ contra voluntatem Innocentij Papæ occupavit, & omnes regnicolas in sua verba jurare coëgit. Quod mox ut Papæ innotuit contractis undique militibus exercitum contra illum movit in Apuliam, sed prius quam animi sui conceptum posset deducere in effectum, in civitate Neapolitana constitutus ex infirmitate gravissima ab hac vita migravit, & vacavit Sedes Pontificialis duobus annis, propterea quòd Cardinales convenire non poterant, & multa inter se impedimenta interponebant, sed interea vacante Sede Manfredus vires suas & imperium non mediocriter augere potuit, & auxit & pene totius Regni Siciliæ rebelles sibi socios confœderavit. Gibelinos quoque per Italiam discurrens sub nomine tutelæ Conradini Nepotis sui, de quo diximus, in suas partes traxit.

Innocentius Papa moritur.

Vacat Sedes annis duobus.

His temporibus Margaretha Ducis Bavariæ Ottonis filia, Conradi Regis defuncti relicta vidua cum parvulo suo filio Conradino, vitam agebat apud Suevos in Germania. Susceperat etiam Ducatum Suevorum à Conrado Rege dotis nomine, quem & possedit quamdiu fuit in humanis. Manfredus autem Castardus qui mortuo Papa Innocentio Regna Siciliæ & Apuliæ nepotis nomine jam liberè possidebat, existimans se tempus opportunum invenisse quo sibi & liberis suis Monarchiam Apuliæ perpetuò stabiliret, post patricidium fratricidiumque, etiam nepoticidium machinatur, pessimam tyrannorum nequitiam secutus. Consilium igitur pravæ mentis opere cupiens adimplere, nuncios ad Matrem Nepotis Conradini cum varijs donis atque muneribus solemnes destinavit, qui dicerent omnia in Regno esse pacifica; nihilque restare aliud, nisi

Manfredus quærit nepotem veneno perimere.

Legatos mittit in Germaniâ.

nisi ut filium mitteret quantocius tanquam hæredem legitimum ad Regni solium solemniter inthronizandum, se quoque tutorem nepoti fore in cunctis fidelissimum omni tempore promittebat. Verùm Conradini Mater ut fœmina sagax doli & fraudis Manfredi non penitus ignara; quoniam ejus ad filium delata munera suspecta habuit, alium quendam Conradino filio Coetaneum puerum vestibus admodùm pretiosis indutum Legatis quasi filium proprium videndum exhibuit, cui cùm inter cætera dona missa, quasdam venenatas confectiones obtulissent, ille more infantum partem confectionis toxicæ rapiens avidiore hiatu absumpsit, ac paululum postea mortuus est. Quod Oratores missi videntes, tristitiâ gaudentes simulatâ in Italiam reversi nepotem Manfredo nunciarunt extinctum. At ille post simulatam de morte nepotis tristitiam, jam ut proximus hæres Regnorum potentiâ securus potitur.

Mater Cõradini Legatos illusit.

Anno prænotato maximi per Germaniam venti cum nimis importuna tempestate flaverunt, quorum impetus multa ædificia, & fortissimas turres in diversis locis subvertit, arbores cum radicibus de terra magnas evulsit, & cum infinitis damnis etiam homines in domibus plures oppressit.

MCCLIV.

Anno Volpoldi Abbatis x. in mense Februario cives Moguntinenses, & Wormatienses posteáquam pluribus annis in dissensione mutua stetissent, ad pacis, & concordiæ unitatem reversi sunt, & fœdus inter se perpetuæ unionis amicitiæq; constituentes literarum robore firmarunt.

Inter Moguntinos & Wormatienſ. confœderatio.

His etiam temporibus inter Episcopum Wormatiensem Richardum, & cives suos non parva dissensio fulminans perdurabat. Emicho quoque Comes de Lyningen, frater Henrici Spirensis Episcopi hostiles contra Richardum Episcopum dictum gerens animos, totis laborabat viribus, ut eum per insidias quovis modo captum potuisset abducere. Qui secretò per amicos de perfidia Comitis certior factus ad cives suos Wormatienses non obstante dissensione pristinâ se contulit, à quibus honorificè intromissus, & defensus eorum auxilio minas Comitis evasit. Cujus Beneficij memoriam animo figens idem Richardus Antistes, ne civibus tam munificis videretur ingratus, in concordiam pacis mox redijt, & se gratum ostendens Benefactoribus reciproca illis beneficia impendit.

His temporibus, & multi & varij in Regno Teutonum Francorum fuere tumultus, cùm Sede Apostolicâ biennio, sicut diximus vacante, pauci rectitudinem, omnes cordium suorum sequerentur in imperio toto voluntatem. Nam etsi major pars Teutonicorum Wilhelmum sequeretur ut Regem, plures tamen ex militarium ordine prædam malentes, quàm pacem, imperij civitatibus erant infensi.

Unde Wilhelmo Rege dicto in Hollandia, & Brabantia diutius aliquantò morante; civitates Imperij circa Rheni partes superiores, quæ in verba ejus consenserant, multas à raptoribus injurias dietim acceperunt. Convenientes igitur apud Moguntiam potiores civitatum, & oppidorum Wormantiæ, Bopardiæ, Wesaliæ, Bingiæ, Oppenheim, Fridbergiæ, Franckenfurdiæ Geilenhausen, Frislariæ, Erfurdiæ aliarúmque urbium multarum in die S. Margarethæ Virginis, & Martyris pro communi pace viventium, & defensione civitatum necessaria

Latronum & raptorũ pœna.

saria longum habuere tractatum. Consilio autem diutius habito pro communi bono totius patriæ omnia telonia circa Rhenum deposuerunt. Displicuit hæc necessaria civitatum confœderatio raptoribus, qui de alieno damno ex spolijs, & rapina suam inopiam relevare consueverunt. Nec iñeritò suis pellibus timuerunt; quoniam multi ex eis latrocinio deprehensi per constitutos à civitatibus exploratores capitibus truncabantur. Posthæc exercitus civitatum in magna multitudine discurrens per partes Regni circa Rhenum raptoribus purgavit imperium. Erat castrum quoddam latronum Reichẽstein dictum juxta Rheni fluenta positum haud procul ab oppido Bingen, quodq; nunc juris est Ecclesiæ Moguntinæ, in quo raptorum turba sese recipere consuevit. Ad cujus expugnationem confœderati cives miserunt exercitum, & velociter captum latrones, qui fuerant in eo reperti, omnes laqueo suspenderunt. Alias quoque plures munitiones & latibula destruxerunt raptorum. Quibus Rex Wilhelmus auditis res suas in terris inferioribus dispositi prudenter, & cum parvo exercitu per Rheni fluenta navigio ad Moguntiam ascendere festinavit, ubi convocatis quibusdam principibus & civitatum Rectoribus colloquium regale cum eis habuit, & multa quæ ad cõmunem pacem, & reipublicæ utilitatem videbantur necessaria statuens literis demandavit. Maxima illius solicitudo fuit, quatenus latronibus, & raptoribus è medio sublatis cunctis hominibus ambulandi, & negotiandi præstaretur securitas. Pro cujus executione mandati plura contulit civitatibus privilegia, & dedit quibusdam Principibus castella & munera nonnulla haud sine Regni injuria. Nam Henrico ex Comitibus de Lyningen Episcopo Spirensi, qui fuit regalis aulæ Cancellarius, quasi pro mercede laborum suorum in perpetuam possessionem Ecclesiæ castrum Kisslau dictum cum omnibus attinentijs & proventibus suis contulit, & multis alijs multa de bonis Imperij donavit.

Reichenstein à civibus capitur

Kislau datur Ecclesiæ Spirensi.

Abbates auxére proventus Ecclesiæ Moguntinæ.

Cùm his temporibus Canonicorum præbendæ in Ecclesia Moguntina tenues viderentur, & minus ad eorum sustentationem honestam sufficientes egit cum Abbatibus Diœcesis Archiepiscopus Gerhardus, quatenus unusquisque Ecclesiam aliquam parochialem cum proventibus & decimationibus in augmentum præbendarum eorundem capitulo assignaret. Equibus Godscalcus Abbas Montis divi Jacobi prope Moguntiam nostri Ordinis de consensu sui Conventûs Ecclesiam cum decimationibus eis contulit in villa Schorheim. Otto Abbas montis sancti Disibodi tunc nostri Ordinis Ecclesiam in Osternach cum decimationibus contulit in augmentum, ut diximus.

Joannes Beck historiograph⁹.

Anno prænotato contigit quoddam in Colonia factum Alberti Magni Ordinis S. Dominici quondam Ratisponensis Episcopi, viri certè in omni genere scientiarum doctissimi, quod recitat Joannes de Becka in chronica sua de gestis Episcoporum Trajectensium, & Comitum Hollandiæ, quem nos Auctorem sequentes sive fabula sit, sive res gesta, ejus narrationem non aliter quam scripsit referimus. Appropinquante inquit Epiphaniâ Domini Rex Wilhelmus migravit ad Coloniam, ut ibidem in honore trium Magorum vota sua Omnipotenti Deo solenni devotione persolveret. Fuit autem illis diebus regens & legens ibidem Dominus Albertus Ratisponensis postea Episcopus de Ordine Prædicatorum,

Fabulosa narratio de Alberto magno narabitur.

Magnus

Magnus in magia naturali, major in Philosophia, maximus verò in Theologia, qui primùm invitatus à Rege cum eo discubuit. Abiturus autem de loco convivij prandio sumpto ipse Regem instantius rogabat, quatenus in die festo Epiphaniorum secum in suo Cœnobio S. Dominici prandere dignaretur. Rex mirandum aliquod videre cupiens facile petenti consensit. In die igitur festo post peracta missarum solemnia Rex ad Cœnobium Prædicatorum juxta conditum intravit, quem Albertus cum honore suscipiens extra domum duxit in hortum Monasterio contiguum, in quo ministros vidit pulcherrimos, qui decentissimè incedentes omnia quæ necessaria videbantur ad convivium, hoc est mensam & sedilia, nihil omnino loquentes in silentio summa cum festinatione, ac maturitate præparabant. Fuit autem eo tempore hyems dura, gravis & asperrima & tota superficies terræ nivibus operta, quapropter omnes qui Regem sequebantur prima fronte murmurare contra Magistrum cœperunt, quod convivas suos in tam horrendo frigore sine foco in horto prandere juberet.

Wilhelmꝰ Rex invitatur ab Alberto.

Verùm posteaquam Albertus unà cum Rege resedisset ad tabulam locatis singulis secundùm conditionis suæ dignitatem, expectarént. que non sine indignatione mensis escas inferri. Ecce subito nivium omnium illa congeries in momento disparuit, & calor æstiualis maximus radijs solis super discumbentes emicantibus ferventiùs invaluit, produxitque subito virens terra gramen, & mirâ venustate pulcherrimi flores, una cum fructibus tam in arboribus quàm gramine apparuerunt.

Nives subito disparuére.

Mira res, si tamen author depinxit historiam veram. Unaquæque mox arbor ejusdem hortuli, in quo sedebant, fronduit, floruit, fructumque subito maturum in suo genere produxit. Vinea florens odorem suavitatis dedit, & recentes uvas in ubertate magna in instanti cunctis mirantibus procreavit. Multitudo quoque avium diversi generis illic visa est convolasse, quarum unaquæque juxta proprietatem apparentis conditionis concussis alacriter pennis, dulci cantilenâ garriens, convivantes lætificabat, convertitque non parvam in admirationem, ut non Januarij, sed Maij aut Junij tempus potius esse putaretur, quo vernalis finis æstati solet præbere initium.

Mox etenim longus algor hyemalis frigoris prorsus evanuit, & fervor caloris æstivalis in tantum efferbuit, ut nonnulli discumbentium propter nimium calorem foderatas vestes cogerentur exuere, & ob eandem causam pleríque sibi umbram arte simul, & ingenio, sicut æstate fit, paraverunt.

Vestes propter æstum deponunt.

Ministri verò ministrantes discumbentibus juvenes erant pulcherrimi alacres & incogniti omnibus, quos nemo considentium esse suprà homines aliquid poterat dubitare.

Hi cibum in multa varietate, similiter & potum abundanter inferebant morum incredebilem honestatem cum summa reverentia, & maturitate in omnibus semper conservantes.

Mirabantur omnes cum pavore, nihilominus lætantes pro eo quòd Ministrorum species in solita simul, & cibariorum, & poculorum multimoda varietas, cum nemo sciret unde essent allata, cunctos meritò verteret in stuporem.

Stupor omnes comprehendit.

Durante convivio in longam horam varios inter ſe protulerunt ſermones. Expleo tandem mirando convivio, mensíſque ex more levatis turba miniſtrorum omnis ſubito diſparuit, avium cantus omnino deſijt, arborum & graminum viror confeſtim aruit, & omnis jucundæ mentis, vel oculorum delectatio ceſſavit. Nivis copia, quæ prius videbatur, iterum apparuit, tantumque ſubito frigus aërem ſimul, & illos qui diſcubuerant rurſus occupavit, ut omnes qui veſtes ſuas præ calore ante depoſuerant, nunc frigore nimio algentes reſumptis quantocius indumentis ad ignem, & focos properarent.

His viſis Rex Wilhelmus nimiùm obſtupuit, & quòd Albertus mortalium omnium eſſet doctiſſimus, apertè recognovit. Unde pollicitus ei ſe daturum quidquid poſtulaſſet. Qui locum pro Fratribus ſuis ad conſtruendum Monaſterium ſui Ordinis in civitate Trajectenſi ab eo petijt, impetravitq; cum libertate & multis muneribus. Hæc dictus author in præfata Trajectenſium hiſtoria ſcripſit, quæ vera ſint an falſa, haud noſtri fore credimus officij velle in hoc loco diſquirere, quibus in propoſito eſt hiſtorias ab alijs digeſtas ad noſtrum opus convenientes reſcribere, quas tamen propterea non intendimus Commentis declarare.

Veruntamen hoc unum nos fateri amor veritatis compellit, quòd Albertum de quo poſtea ſumus dicturi latiùs, virum credimus fuiſſe optimum, & ſanctum, qui nec diabolicis, nec prohibitis ab Eccleſia ſuperſtitionibus impenderit ſtudioſum exercitium, quippe qui magis talia improbavit, quod authoritate ſcriptorum ejus lucidè comprobatur.

MCCLV.

Anno Volpoldi Abbatis XI. Indict. Rom. XIII. Wilhelmus Rex Conventum Principum ſibi conſentientium celebravit in Wormatia, & multa ibi cum eis pro confirmatione Regni ſui tractavit, convenerunt ad eum omnes, qui partes illius ſequebantur & mandatis Regijs in omnibus hilariter obtemperabant. Habebat nihilominus non paucos ſibi contrarios, & maximè de Ordine militarium hominum inquietorum, quibus rapinæ & latrocinia magis placebant, quàm Regnum.

Rex Conventum Principum in Wormatia celebrat.

Rege autem diutius apud Wormatiam commorante die quadam menſe Decembri uxor ejus Regina ſolatij cauſa urbem cum honeſta comitiva exiens ad Imperiale caſtrum Drijfels nuncupatum, profectura iter aſſumpſit. Quod ubi militaris quidam homo Hermannus de Riberg dictus intellexiſſet, qui animos contra Wilhelmum gerebat infenſos, iter illius cum ſuis obſedit, Reginam & Comitem de Waldeck cum univerſa eorum comitiva cœpit, ſpoliatamque omnibus elenodijs & rebus captivam ad caſtellum Riberg ipſam Reginam & comitem duxit: quos tamen dimittere non diu poſt compulſus fuit.

Regina capitur, ac ſpoliatur.

Eodem quoque anno Henricus Abbas Fuldenſis Eccleſiam Parochialem in Berſtat dedit Canonicis majoris Eccleſiæ Moguntinæ cum omnibus proventibus ſuis in augmentum præbendarum. Hartmannus Abbas in Blidenſtat contulit eis Eccleſiam cum decimationibus ſuis in villa Kemludæ propè oppidum Bingionum, Starchardus Abbas in Selgenſtat Eccleſiam contulit in Nüheim.

Alexander ſit Papa IV.

Anno prænotato poſteaquam Sedes Apoſtolica biennio vacavit, non ſine reipublicæ pariter & Eccleſiæ gravi diſpendio, convenientes in

in unum Cardinales Alexandrum ejus nominis IV. Patriâ Campanum in Papam elegerunt, qui præfuit annis sex, & mensibus totidem, vir doctus & magnanimus, qui Manfredum, & alios tyrannos hostes Ecclesiæ usque ad mortem humiliare, & persequi non cessavit. Mox enim ut Papa constitutus est Manfredum disturbatorem verum Ecclesiæ per literas, ut à malè cœptis desisteret, paternè monuit, quem salutis verba contemnentem mox publicè anathematis vinculo innodavit. Manfredus excomunicatur.

Nam sicut antea diximus, nepotem putabat extinctum, & idcirco se ut proximum hæredem Regnorum Apuliæ ac Siciliæ Regem in omnibus pro sua voluntate potentem & unicum gerebat, qui ubi se intellexit Papæ decreto excomunicatum, irâ simul & indignatione nimiùm commotus omne robur exercitûs sui cogitabat in subversionem Sanctorum dirigere, & Romanæ statum Ecclesiæ, si posset omnino extirpare, nam accersitis ex Affrica multis Saracenorum millibus contra Ecclesiam Romanam crudelem duxit exercitum, omniáque devastans, homines sine comiseratione alios crudeliter occidit, alios captivos ingenti cum præda & multis spolijs abduxit. Coacervatis itaque sibi nervis belli, hoc est pecunijs multis Florentinorum ac sociarum Longobardiæ urbium extorres sibi cum Saracenis copulans maximum conflavit exercitum.

Hinc territus Alexandrer Papa diffisusque viribus suis cum omni se curia sua Anagniam contulit, Gallis malens confidere quàm Romanis. Papa fugit à facie Manfredi. Misit nihilominus Octavianum Ubaldinum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem cum exercitu Neapolim contra Manfredum, ut fideles in fide servaret constanter pollicitus ac promittens se brevi Campanis omnibus & Neapolitanis auxilium allaturum.

Veniens autem Neapolim Octavianus cum prævalidis copijs nihil dignum memoria fecit, sed clausus in urbe usque adeò bellum dissimulavit, ut magnam de se apud multos suspicionem relinqueret, ne studio partium Manfredi faveret potius, quàm Domini sui Papæ, qui miserat illum. Nam Ubaldina gens non nisi imperio favere familiaritatis amicitiam videbatur à quo multipliciter fuit honorata. Manfredus etiam sub eodem Legato plerasque Regni partes occupavit: Regioque paludamento superindutus Regem se appellari mandavit, & more paterno solemniter coronari fecit.

His temporibus Othocarus Rex Boëmiæ, potenter dominabatur in Austria, ut suprà diximus, anno Volpoldi Abbatis secundo: cum enim Fridericus Dux Austriæ in bello, quod cum Rege Ungarorum habuit, anno Volpoldi Abbatis jam dicto fuisset occisus, & hæredem non haberet virilem, Ladislaus Moraviæ Marchio Ducatum Austriæ præoccupavit, eò quòd uxorem haberet Ducis Austriæ cujusdam vitâ defuncti filiam, & ob id jure propinquitatis competere Ducatum existimabat. Quo & brevi mortuo Hermannus Marchio de Baden, qui & ipse Domûs Austriæ uxorem habuit Agnetem Henrici quondam Ducis filiam, Ducatum occupavit. Contra quem filius sororis Friderici ultimi Ducis occisi, & viduæ Henrici Ducis Suevorum, & fratris Imperatoris Friderici secundi, movens exercitum omnes conatus illius potenter impedivit. Austriam Boëmi occupant.

His ergo duobus pro Ducatu mutuò contendentibus Othocarus filius Wenceslai Regis Boëmorum, à quibusdam Australibus vocatus, sibi

Ducatum violenter uſurpavit. Qui ne contumeliam pro injuria pateretur Margaretham relictam quondam Henrici Regis & Ducis ſibi matrimonio copulavit, cum qua jure Ducatum aſſecutus videretur. Auxilio igitur Wenceſlai genitoris & Auſtriæ nobilium fretus, totam ſibi terram potenter ſubjugavit, multiſque annis tenuit.

Ottocarus uxorem repudavit.

Verùm poſtquam ſecurum ſe in poſſeſſione Ducatûs, & ex omni parte quietum fore jam credidit Margaretham turpiter repudians, notam ſterilitatis in culpam vocavit, & quam vetulam ſterilemque prius ignorare non potuit conſecutus quod optaverat per illam, cum injuria rejecit, & neptem quamdam Betæ Regis Ungarorum pro ea ſuperinduxit.

MCCLVI.

Heidelsheim decima venditur.

Anno Volpoldi Abbatis XII. Bertholdus miles & Conradus Fratres de Remchingen univerſam decimam majorē, & minorem in Marchia villæ Heydelsheim, ad eos jure patronatus ab olim pertinentem Decano, & Capitulo majoris Eccleſiæ Spirenſis pro certa pecuniarum ſumma vendiderunt. Quam emptionem Henricus Epiſcopus confirmavit.

Eodem anno facta eſt diviſio Ducatûs Bavariæ inter Ludovicum, & Henricum filios Ottonis quondam primi ex domo Ducatûs memorati Comitis Palatini Rheni, de quo ſuprà dictum eſt anno Volpoldi Abbatis Hirſaugienſis primo.

Magus Salvatorem se mentiens.

His temporibus fuit homo quidam in partibus tranſmarinis, qui magicis artibus mirabiliter imbutus, & necromanticis execrationibus multipliciter exercitatus ſe JESUM Salvatorem mundi appellans, multa prodigioſa per magicam artem miranda coram non intelligentibus operabatur; quorum offenſione multos decepit, & Regna in Aſia non pauca ſuis erroribus inficiens, tandem cunctis nequam apparuit.

Claruit his quoque temporibus apud Bavaros Otto Epiſcopus Friſingenſis ſub Archiepiſcopatu Salzburgenſi, nepos Friderici quondam Imperatoris ſecundi, vel ut alij volunt primi; Vir in divinis ſcripturis eruditus, & ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, & claro diſertus eloquio; ſcripſit quondam Chronicorum actuum inſignem hiſtoriam, quam in libros octo partiales quidem diſtinctione, ordinatione diſtribuit. Cætera quæ lucubravit, necdum vidimus.

Anno prænotato Rex Wilhelmus Conventum Principum ad feſtum S. Joannis Baptiſtæ celebravit in Colonia, ubi ſe pro corona Imperij anno ſequente prænuntiavit iturum in Italiam, monuitque omnes ad caput Jejunij Quadrageſimalis proximi eſſe paratos, & ſibi apud Auguſtam debere occurrere. Interea verò temporis quo Rex cum Principibus colloquium ſuum celebravit in Colonia, Friſones gentes inquietæ, ac feroces eruptione factâ intraverunt Hollandiam, & igne ferróque Regionem depopulantes, cum ingenti præda ad ſua reverſi ſunt. Veritus itaque Rex Wilhelmus ne in ſui abſentia graviora contra Hollandiam attentarent, ſtatuit eos, priuſquam proficiſceretur in Italiam bello domandos ab inſolentia. Unde magno ſuorum coadunato exercitu, XXVIII. die menſis Decembris, hoc eſt in ſolemnitate SS. Innocentium anno prænotato movit in eos ad præliandum. Erat autem frigus intenſum, & glacies paludes aquarum operuit omnes. Eſt enim Friſia paludibus circumdata multis, & propterea extra hyemem non ſatis tutò acceſſibilis. Rex verò

Friſones devaſtant Hollandiā.

verò manè præcedens exercitum, ſolus ad explorandum introitum, quo copias introducere potuiſſet, ſuo ferebatur caballo. Cùmque nullo ſuorum ſciente de caſtris exiens ſuper glaciem explorationis gratiâ hinc, & illinc ſolus equitaret; eccè ſubito confractâ glacie caballus, cujus inſedebat dorſo, in vado paludinoſo mergitur, & nec procedere valens, nec regredi, unâ cum ſeſſore nimiùm periculosè in cæno luctabatur. Viderunt hoc ruſtici Friſones, qui propè in arundineto latitabant, ad explorandum hoſtium adventum per cæteros deputati, & putantes quempiam eſſe de militibus feſtinanter occurrunt, & hærentem cum equo in paludibus Regem interficiunt anno ætatis ſuæ XXVII. Regni verò VII. Comitatûs autem Hollandiæ XXI. Et ſic exercitus ejus fuit ſubito diſſipatus: quia per multos nemo, quò veniſſet Rex, ſcire potuit, ruſticis illis exceptis qui eum latenter occiderunt. Exercitu enim Ducis auxilio deſtituto, & ob id mox diſperſo, occiſores Regis noctu prædæ gratiâ reverſi, cadaver ejus de palude ſubtrahunt, & exutum veſtimentis Regem ſe peremiſſe per indicia manifeſta intelligunt. Unde animis confuſi nimiùm, & territi, corpus ejus ſub ſilentio, in quadam domo ruſticana ſepeliunt, & ibi per multos menſes jacuit incognitum cæteris omnibus. Verùm ejus interfectione poſtea publicatâ, ad Mittenburg tranſlatum eſt; & in quodam Monaſterio honorificè tumulatum; cujus interitus multis interitum fecit. Poſt ejus namque mortem Florentius ejus filius infans ſex menſium Hollandiæ Comes hereditario jure declaratus eſt, qui Comitatum paternum annis fermè XL. gubernavit; multa cum Friſonibus bella geſſit, plures eorum interfecit, & mortem patris ſui graviſſimâ ultione vindicavit.

Rex Wilhelmus à Friſijs occiditur.

Corpus Regis bis ſepelitur.

MCCLVII.

Anno Volpoldi Abbatis XIII. Indict: Roman: V. poſt mortem Regis Wilhelmi facta eſt inter Principes Electores de Rege ſubſtituendo gravis, & periculoſa diſſenſio. Nam Gerhardus Archiepiſcopus Moguntinus, Conradus Archiepiſcopus Colonienſis, & Ludovicus Comes Palatinus Rheni, convenientes in unum Richardum Cornubiæ Comitem, fratrem Regis Anglorum comuni decreto in Regem Teutonum ad Romanorum Imperium elegerunt, & per nuncios evocarunt; Arnoldus verò ex Comitibus de Yſenburg Archiepiſcopus Trevirorum cum reliquis ſibi conſentaneis Principibus, Regem Caſtellæ Alphonſum Aſtronomum illum famoſum in Regem Roman: & Teutonum ad Imperium, eligendo vocavit. Unde miſſis ad illum in Hiſpaniam Legatis ſolemnibus, electionem illi ad Imperium Romanum inſinuat; & ut quantocius veniat in Germaniam, & poſſeſſionem capiat Imperij, cum debitis ſollemnitatibus, inſtantiſſimè rogat, promittens ſe conſilio, & ſuffragio affuturum in omnibus, quo cunctos facilè ſuperet, vincatq; univerſos contradicentes ſuo Imperio. Venientes ad Alphonſum Regem Caſtellæ, qui miſſi fuerant, Oratores, & nuncij Principum, fideliter ſibi commiſſa coram illo expoſuerunt. Sed ille aut contemnens, aut non curans Romanorum Imperium, nuncios tamen remuneratos muneribus honorificè remiſit ad Archiepiſcopum; promittens ſe cum exercitu convenienti tempore quod non gerebat animo, ſubſecuturum. Erat enim vir doctus & ſapiens propterea ſuo Regno contentus Romani latitudinem Imperij, ut verus Philoſophus, non curavit. Nomen tamen Romani Regis, & titulum

Diſſenſio Principum in electione Imperatoris.

Alphonſus Rex Caſtellæ ab una parte eligitur.

Alphonſus contempſit Roman: Imperium

pro Electorum ſuorum reverentia, ad tempus aſſumens tenuit, ac in literis ſcripſit, ne deferentes ſibi hanc ſupremam Imperij dignitatem veluti arrogans contempſiſſe putaretur. In alio verò nullo ſe de Imperio penitus intromiſit, nec toties vocatus in Germaniam venit, nec competitorem ſuum in aliquo moleſtavit, ſed Electorum diſcordiam deriſit. Porrò Comes Cornubiæ Richardus quem ab alia parte diximus electum, per ſuos Electores ab Anglia pari ſolemnitate vocatus libenter annuit, nomen & titulum Regis Romanorum hilari vultu ſuſcipiens ad Coloniam venit. Quem ſuprà dicti Principes cum magno honore ſuſcipientes ad Aquas grani perducunt, & per manus Conradi Colonienſis Archiepiſcopi ungi, & coronari ſolemniter faciunt. Coronatione autem peractâ cum Principibus ſuis ad Coloniam revertitur, & à civibus, ut Rex Romanorum verus ſalutatur. Inde aſcendens per fluenta Rheni ſuffragio eorundem Principum à Bopardienſibus, Weſatienſibus, Wormatienſibus, Spirenſibus, Argentinenſibus, & alijs Imperij civibus, ut verus Imperator ſuſceptus eſt. Erat illis diebus Comes quidam de Falckenſtein nomine Philippus qui ſororem habebat, omnium mulierum, ut dicebatur ſpecioſiſſimam, cujus pulchritudo uſque adeò Regi complacuit Richardo, ut eam in uxorem peteret à memorato Comite, & acciperet. Unde nuptijs apud Wormatiam, cum magna ſolemnitate, & pompa celebratis, multis Principibus multa contulit, & pro confirmando ſibi Regno infinitas penè pecunias expendit; conflaverat enim ſibi magnum theſaurum in Anglia, quem profecturus in Germaniam, ſecum detulit, & paulatim diſtribuit, volens nimiùm ubique videri largus, & glorioſus. Cúmque de civitate tranſiens ad civitatem, perveniſſet uſque ad Baſileam, & multis muneribus Principes, & Nobiles multos, ſicut diximus, ſibi tanquam mercenarios quoſdam comparâſſet, jamque pecuniæ nimis prodigaliter expenſæ, cœperunt deficere, & abundantiam veterem novâ inopiâ ſuperare. Mox igitur Principes ut Regem pecunijs viderunt exhauſtum, nec ſtipendia poſſe conſueta ſitientibus aurum perſolvere, paulatim omnes ab eo deficiunt, & revertentes ad ſua Regem inopem & pauperem ſolum cum ſuis Curialibus derelinquunt, innuentes tacitè, prædam eatenus ſe, non hominem ſecutos, & qui honoraverunt divitem, egentem contempſerunt. Emerat enim Richardus pecunijs Regnum, quibus deficientibus, defecerunt & amici, & propterea amplius regnare non potuit. Quod quomodò ſit factum, ad poſteritatis notitiam libet altius reſerare.

Richardus Comes ab alia parte eligitur.

Richardus Rex ſuſcipitur.

Ducit uxorem Wormatiæ.

A Principibus deſeritur.

Inſtante ſiquidem Electionis tempore poſt mortem Regis Wilhelmi, Gerhardus Archiepiſcopus Moguntinus à Duce Brunſuicenſe detinebatur captivus, quem ipſe Richardus Comes Cornubiæ aſpirans ad Imperium pro argenti Marcis octo millibus, ab eodem Duce redemit, eâ videlicet interpoſitâ conditione, vocem ejus in electione ut habere mereretur ad Regnum, quod & factum eſt ut diximus. Archiepiſcopus itaque Gerhardus de cuſtodia per Comitem Richardum liberatus atque dimiſſus quod promiſerat captivus, explere ſtuduit abſolutus. Diem Electionis ad Marpurg in Haſſia per Principes conſtitutam ad Franckfurt oppidum Imperiale tranſtulit, & ibi Richardum ut compulſus promiſerat, cum alijs in Regem elegit. Unde mirum fuit minimè, ſi deficientibus pecunijs poſtea deſeritur à Principibus, quia pecuniâ Regnum comparavit.

vit. Itaque Rex Richardus in Basilea constitutus, posteaquam se Principum auxilio destitutum vidit, nec amplius commorari posset in paupere Regno, ad Comitatum suum in Angliam redire statuit, malens Comes esse dives, quàm Rex pauper, atque contemptus. In Angliâ revertitur.

Commisit ergo Wernhero Moguntino Archiepiscopo, qui Gerhardo successerat, sicut dicemus, Alsatiam, Philippo de Falckenstein uxoris suæ germano Wederaugiam, & Philippo de Hohenfels partes Rhenanas atque Bopardiam; & negotijs Imperij, ut potuit, dispositis, cum uxore, & familia sua in Angliam reversus est, promittens se rediturum quantocius ad Regnum gubernandum Romanum; qui tamen deinceps in Germaniam non venit.

Hæc siquidem de Rege Richardo, per anticipationem diximus, quæ tamen non omnia uno eodemque anno, sed in quatuor fermè annis gesta fuerunt, sicut inferius suo loco, anno Volpoldi Abbatis XVII. dicetur.

Anno præscripto die mensis Novemb. VIII. mortuus est Richardus Wormatiensis Episcopus, qui multas injurias à Comite de Lyningen Emichone, toto Pontificatûs sui tempore sustinuerat. Cujus quidem persecutionis causa fuit alter quidam Eberhardus de Badenberg Præpositus S. Cyriaci Mart. in Nuhusen prope Wormatiam, ut dicemus. In Electione namque memorati Præsulis Richardi, quidam ex Canonicis præfatum Eberhardum de Badenberg in Episcopum elegerunt, qui à majori Capituli parte repulsus, atque contemptus, contra verum Pontificem animos gessit inimicos, quem supradictus Comes de Lyningen manutenuit, & contra Episcopum multipliciter armavit. Omnes denique reditus & proventus extra Wormatiam cedentes, pro suo Antipontifice violenterdetinuit, & Episcopum injustè nimiùm afflixit, ita quòd exire Wormatiam quoquam non præsumpsit. Richardo autem Episcopo vita defuncto, & in Ecclesia Wormatiensi sepulto, Canonici unanimi consensu in Pontificem suum elegerunt Conradum de Durckheim majoris Ecclesiæ Moguntinæ Decanum, virum probum & prudentem, qui XXII. die post electionem sui obijt, & Moguntiæ in Principali Basilica ante altare S. Petri sepelitur. Quo etiam mortuo, volentes communi utilitati, & paci consulere Fratres Canonici præfatum Eberhardum de Badenberg comuni voto in suum Pontificem elegerunt, qui assumpto Pontificatu, præfuit annis XX. & multa bona fecit Ecclesiæ in Nuhausen, habuitque cum Wormatiensibus lites continuas.

Richardus Episcopus Wormatiens. obijt.

Conradus Episcopus Wormatiensis.

Eberhardus Episcopus Wormatiensis.

MCCLVIII.

Anno Volpoldi Abbatis XIV. Indict: Roman: I. Gerhardus Archiepiscopus Moguntinus Ecclesiam S. Catharinæ in oppido Imperiali Oppenheim in Parochialem erexit, Diœcesimque suam Moguntinam à Wormatiensi, quæ in eodem oppido conterminant, ex mandato Richardi Regis Romanorum distinxit; sicut patet ex literis ejusdem Pontificis, quarum tenor sequitur talis.

Nova in Oppenheim Parochia.

Gerhardus Dei gratia sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus Sacri Imperij per Germaniam Archicancellarius. Cùm ad mandatum Serenissimi Domini nostri Romanorum Regis illustris per antiquiores, & meliores incolas loci revelatis antiquis & veris limitibus, qui Moguntinam Diœcesim à Wormatiensi distinxerunt (quamquam per ignaviam fuissent in parte convulsi) extiterit liquidò declara-

declaratum, quod nova civitas in Oppenheim in nostra sit Diœcesi constituta, ac populus civitatis ejusdem numero & authoritate in tantum excreverit, Domino adaugente, quod ipsum deceat, imò expediat ob animarum salutem, singularis ac proprij Rectoris regimine gubernari. Nos de consilio & assensu Capituli nostri, & Præpositi S. Victoris loci Archidiaconi, Ecclesiam S. Catharinæ in ipsa civitate fundatam in Parochialem Ecclesiam erigimus, facimus, & creamus, ipsamque jure & honore Parochialis Ecclesiæ insignimus; concedentes eidem, ut proprij Baptisterij usum habeat pro suis parvulis baptizandis; nec non cœmiterium speciale, ad commodum sepulturæ. Juratos & habeant, & ordinent speciales, qui ea quæ sunt Juris spiritualis promoveant, & disponant. In cujus facti testimonium, & debitam firmitatem præsens scriptum nostro & Capituli nostri ac Præpositi præfati sigillis fecimus communiri. Datum Moguntiæ V. nonas Julij, anno Domini MCCLVIII.

Oterheim Oppidum Imperiale parvum.

Anno etiam prænotato Canonici majoris Ecclesiæ Metensis in Lotharingia, omnia bona sua quæ habebant in Gaviodoro, ubi S. Rufus Metensis quondam Episcopus corporaliter quiescit, pro mille & quadraginta libris monetæ Metensis Capitulo majoris Ecclesiæ Moguntinæ vendiderunt, sicut in originali legitur. Est autem Gaviodorum, vulgariter Garvvodenheim oppidum Imperiale Moguntinensis Diœcesis haud procul ab Oppenheim situm Comiti Palatino Rheni ab Imperio, cum quibusdam alijs, à multis annis, ut suo dicemus loco, impignoratum, modicum, parvum, & rurale de patrimonio S. Rufi quondam Episcopi Metensis, cujus vita multis miraculis olim coruscavit.

Manfredus persecutor Ecclesiæ.

Eodem quoque tempore Manfredus occupator Regnorum Siciliæ, & Apuliæ partes Alexandri Romani Pontificis, ut cœperat, viribus totis persequitur, & multa contra Ecclesiam prava, & iniqua machinatur. Ecelinus autem quidam bellicosus Friderico quondam Imperatori familiaris, Manfredi partium in Transpadanis tirannidem exercens copiosissimas contra Guelfos, hoc est Ecclesiæ partes sequentes instruxit acies. Quibus cum Alexander Papa, Venetos habens in auxilium, opem ferre statuisset, Philippum Fontanensem Ravennæ Archiepiscopum in Legatum Sedis Apostolicæ creavit. Conveniens cumpotestate Legataria Venetias Cruciatam in Ecelinum prædicavit; cruceque tunc signatis, æternæ præmia vitæ repromittens. Occupabat tum Ezelinus Mantuam habens in exercitu præter Germanos milites, & multarum suffragia urbium Paduanorum non minus duodecim millia, quos non tam militum, quàm obsidum loco secum abduxerat. Verùm non diu post obsidionem Mantuæ soluens Ecelinus Veronam cum exercitu occupavit. Audiens interea Paduanos defecisse à fide, & ad Guelphos declinâsse, vehementer iratus est, & in vindictam perfidiæ Paduanos omnes, quos secum in exercitu abduxerat, duodecim videlicet millia virorum, diversis cruciatibus miserabiliter peremit.

Crudele factum Comitis Ezelin.

Richardus in Regem consecratur.

Anno prænotato Richardus Cornubiæ Comes in Regem Roman: ut suprà per anticipationem diximus, anno præterito electus per Colonienſem Archiepiscopum Conradum in Ecclesia Beatissimæ Genitricis DEI MARIÆ Aquisgrani consecratus est in Principum quorundam præsentia, Gerhardi videlicet Archiepiscopi Moguntini, & Ludovici Comitis Palatini Rhenensis, & aliorum qui electioni ejus consenserant. A quibus post Coronationem suam, quemadmodum supra jam diximus

per

per multas civitates & urbes Regni circumducitur, & Rex Romanorum in singulis cum honore salutatur.

MCCLIX.

Anno Volpoldi Abbatis xv. Indictio: Roman: secundâ in Dom: tertia post festum Dominicæ Resurrect: qua pro Missæ Introitu cantatur in Dei Ecclesia, Jubilate, celebratum fuit Ordinis nostri Capitulum Provinciale in Monasterio S. Petri apud Erpfurdiam. In quo præsiderunt Ludovicus de Reinharzbronna, Gerhardus in Nuenburg, & Wernherus in Gerone Monasteriorum ejusdem Ordinis nostri venerandi Abbates, qui ex multitudine Abbatum qui tunc convenerant, undecim numero in Diffinitores elegerunt; cum quorũ consilio multa pro reformatione Ord: utilia & necessaria statuerunt; quorum exemplum literis commendatum in Archivijs continetur. In eodem Capitulo Visitatores authoritate Apostolica, singulorum Monasteriorum per Diœceses, more Ordinis deputarunt, quibus per literas Præsidentium sigillis confirmatas, modum visitandi, & formam tradiderunt; contumaces & absentes à Capitulo pœna dupli taxarunt. Solutionem verò dupli negligentibus, jejunium in pane, & aqua singulis ferijs sextis continuandum imposuerunt, donec satisfacerent in orationibus. Contemnentibus verò jejunium, & nihilominus solutionem præmissam differentibus pœnam suspensionis ab officio simul, & divinis imposuerunt: mandantes nihilominus per ipsos Visitatores etiam graviorem in contumaces ferri sententiam. Et notandum quòd triennale sive generale Ord. Capitulum, quod Provinciale nuncupant, cœptum est celebrari à temporibus Innocentij Papæ tertij, ut supra diximus anno Marquardi Abbatis septimo; quod tandem in plerisque Provincijs cum tempore deficiens, per Benedictum Papam duodecimum, & postremò per generale Concilium Constantiense, ut suo loco dicemus, fuit innovatum.

Capitulum Provinciale celebratum est Erpfurdiæ.

Capituli Provincialis reformatio.

Anno Volpoldi prænotato mortuo Ottone Abbate Monasterij S. Præsulis Disibodi Ord: nostri, quod situm est in Comitatu Spanheimensi haud procul ab oppido Sobenheim, Monachi Cisterienses Ord: pro eodem Cœnobio summis conatibus laborarunt, tantumque, & precibus & promissis apud Gerhardum Archiepiscopum Moguntinum, & Canonicos majoris Ecclesiæ, tanquam loci fundatores obtinuerunt, ut Monachi nostri cum injuria non parva eliminarentur, & ipsi Monasterium acciperent. Monachis enim nostris contra justitiam expulsis missi fuerunt de Ottenburg Monasterio Cistercienses Ord: Monachi, & Conversi ad Cœnobium memoratum; qui Joannem ex suis super se primum constituerunt Abbatem: hominem bonum, & regularis quidem observantiæ cultorem præcipuum, qui præfuit annis tredecim. Veteris itaque Monasterij nostri, novi habitatores, alieni gaudentes se Monasterium consecutos tam insigne, tam se quàm Successores suos, quasi pro gratitudine accepti beneficij Ecclesiæ Moguntinæ in centum maltris bonæ siliginis quotannis ad Moguntiam præstandis perpetuò literis obligarunt, sicut patet in exemplari, quod sequitur.

Joannes primus Abbas Monasterij S. Disibodi.

Reverendis & Dilectis in Christo VVernhero Præposito, Joanni Decano, totiq; Capitulo Moguntino Fr. Joannes dictus Abbas, & Conventus montis S. Disibodi Ord: Cistercienses orationes in Domino sempiternas. Cùm vos unacum venera-

Exemplar obligationis centum maltr. siliginis

bili Domino & Patre nostro Gerhardo Archiepiscopo Moguntino, Monasterium S. Disibodi tunc Ord: S. Benedicti ab Ecclesia Moguntina fundatum ex certis causis nobis & per vos Ordini nostro donandum duxeritis, ne ingrati videamur tantæ gratiæ nostræ, per gratiam vestram nobis factæ restaurantes immensi muneris ejusdem memoriam sempiternam, universitati vestræ promittimus liberaliter, & constanter, & nos successoresque nostros obligatos esse volumus, quod ad opus duarum Vicariarum, de novo in vestra Ecclesia coronatarum, dabimus de redditibus Monasterij nostri singulis annis perpetuo singula quinquaginta maltra siliginis Bingensis mensuræ Moguntiam in omnem eventum, nostris expensis, & periculo præsentanda, sic quod ad unam vicariam in instanti messe proxima, & deinceps, ad utramq; vicariam singulis annis dabimus siliginis siccæ, & absq; palea centum maltra prædictæ mensuræ Moguntiam, sicut dictum est, præsentanda sub nostro periculo & expensis, inter duo festa videlicet Assumpt: B. MARIÆ Virg: & Nativitatis ejusdem, adjicientes quod cum primum habebimus aratra aliqua jumentis instructa absq; omni dolo & fraude teneri nos volumus perpetuo ad deducendum vinum vestrũ, quod vobis creverit in Monzegen, singulis annis tempore vindemiarum cum requisiti fuerimus ante Cellarium vestrum Moguntiam in nostris curribus & expensis; ita tamen, ut si alicujus infortunij eventus acciderit, nos simus penitus excusati. Et ad horum debitam firmitatem concedimus præsens scriptum Dominorum in Eberbach, & in Ottenburg Abbatum, de consensu, & scientia Conventuum eorundem ac nostri Monasterij sigillorum munimine roboratum. Actum Moguntiæ anno Domini MCCLIX. pridie nonarum Martij.

Vides nunc, Lector, quemadmodum Ord: nostri Cœnobium à prima fundatione sua semper liberrimum Cistercien sibus pro centum maltris frumenti puri in servitutem venditum, cujus fundator non Ecclesia Moguntina, sed D. Præsul Disibodus in Hibernia quondam Episcopus, & pro Christo exul fuit, & peregrinus, temporibus S. Pirminij Episcopi Meldensis, qui discipulus B. Mauri plura per Germaniam, & Galliam fundavit Cœnobia. Ad quod Monasterium Disibodi Præsulis multi Reges Francorum, & Principes multo cum tempore, pro sustentatione Monachorum Deo famulantium tradiderunt, sed & Comites & Nobiles terræ Comitatûs Spanheimensis plura conferentes, proventusq;, & redditus illius multipliciter auxerunt. Post multum verò temporis quidam Archiepiscopus Moguntinus, avaritiâ non minus, quàm impietate plenus illud ab Imperatore sui temporis obtinuit, & miserè dissipavit. Prædia namque Monachorum suis, militibusque contulit in beneficium, & omnia quæ reperit Deo dicata in usum covertit vel suum, vel suorum. Postea verò Willegisus Moguntiæ Sedis Archiepiscopus dolens tam insigne Monasterium ab Hattone suo prædecessore desolatum atque destructum multa illi ablata restituit, & Cœnobium vetus de inferioribus transferens in montem, ubi nunc est, novum construxit. Veruntamen ad primam sui magnificentiam divitiis & honore convaluisse, novimus. Deinde post annos plures cum egestate, & inopiâ premeretur Ruthardus Archiepiscopus Moguntinus per industriam Burghardi Abbatis S. Jacobi Ecclesiam dicti Monasterij S. Disibodi in monte, quæ hodie manet, novam construxit, & Monachis Abbatem dedit, quemadmodum anno Brunonis Abbatis II. longe supra nos dixisse meminimus. Unde si per hoc fundatio Monasterij S. Disibodi Ecclesiæ Moguntinæ fuerit

Hatto secũdus spoliavit Cœnobium S. Disibodi.

Quod Ruthardus reformavit.

ascribenda

adscribenda, adscribatur illi etiam destructio ejus oportet, quæ per Hattonem ejus nominis secundum Archiepiscopum est facta.

Anno prænotato Albertus cognomento & scientiâ magnus Ord: S. Dominici, Conventûs Colonienſis, & inferioris Germaniæ Prior, Ord: memorati Provincialis anno ætatis suæ ferme sexagesimo sexto, provisione Alexandri Papæ quarti, factus est Episcopus Ratisponensis in Bavaria. Qui posteaquam Episcopatum annis tenuisset paucis, curas negotiorum sæcularium odio habens, utpotè qui ab infantia studio divinarum scripturarum, & sanctæ contemplationis exercitio intentus, omnes mundi vanitates pro Christi amore contemnere didicerat, sanctamque dolens se amisisse quietem, Pontificatum liberè resignans, deseruit, & ad Conventum suum, unde venerat regrediens annis XIV. supervixit.

Albertus magnus fit Episcopus Ratisponensis.

Eodem anno Arnoldus ex Comitibus de Ysenburg Archiepiscopus Trevirorum cum esset in oppido Monsthabor dicto vulgariter Montebuer, haud procul à Confluentiâ anno Pontificatûs sui XVII. graviter infirmari cœpit, & morbo crescente post dies paucos ad Dominum migravit. Cujus corpus relatum ad Treverim in majori Ecclesia coram altari Sanctæ Trinitatis cum honore debito sepultum est.

Arnoldus Archiepisc. Trevirorũ moritur.

Fuit autem vir per omnia magnificus, qui multa pace, bellóque strenuè gessit, castrum fortissimum Comitis Hirsuti, quod Thron nuncupatur, biennio obsidens cœpit, & funditus evertit. Muri partem Treveriæ magnam à fundamentis construi fecit similiter Monasterium, & Confluentiam, oppida Ecclesiæ muris novis, & turribus cõmuniri fecit.

Castellum Throni capitur & evertitur.

Post cujus mortem duo per Canonicos in dissensione fuerunt ad Archiepiscopatum electi, Arnoldus videlicet de Sleyda, & Henricus de Bolandia; qui posteaquam coram summo Pontifice Romano Alexandro quarto aliquandiu contendissent, & neuter alteri cedere vellet, Papa de consilio Cardinalium utriusque electionem cassans, neutrum eorum confirmare volens, ambos abrogat.

Ambobus itaque per sententiam abrogatis Papa Henricum Vinstingen Decanum Ecclesiæ Metensis in Archiepiscopum Trevirorum ordinavit, qui cum pallio, & litteris Apostolicis destinatus ad Treverim, & se Pontificem ordinatum insinuans ab omni Clero & Populo civitatis honorificè susceptus est, & ad Sedem Archiepiscopalem pacificè admissus præfuit annis septem & viginti, vir magnanimus & constans animo, qui satis utiliter præfuit.

Henricus Archiepisc. Trevirorũ.

Anno etiam prænotato ultimâ die mensis Aprilis civitas Wormatiensis casuali igne succensa per totam noctem ardebat, & cum gravi damno multorum penè media pars esumpta fuit. Eodem quoque anno Ezelinus & Albricus fratres partium Gibelinarum primipili cum Manfredo sentientes, Romanam, ut cœperant, dudum persequebantur Ecclesiam qui magnis contractis militum copijs contra Papam & Guelfos crudelitem sæviebant. Albricus Cremam se recipiens; creberrimas incursiones faciebat, qui unâ cum Ezelino fratre suo copijs adunatis Legatum Apostolicum Ravennatensem ultimum Archiepiscopum copias Brixianorum secum ducentem ad Gambaram invasit, atque sic prostravit, ut pauciſſimi fugâ lapsi vitam saluarent. Captus tum Legatus cum Episcopo Brixiano, & reliquis Guelpharum partium præcipuis civibus, quos

Inter Guelfos & Gibelinos contentio.

omnes ad portam Brixenſem Ezelinus ducens captivos, ac eorum intuitu mox urbe potitus omnibus veniam dedit. Albricus autem cum parte ſpoliorum & Mantuanis captivis Cremonam ſe contulit.

Anno etiam prænotato Michaël Paleologus Græcorum Imperator fretus auxilio Genuenſium Conſtantinopolim, quam novem & quinquaginta annis occupaverant Comites Flandriæ, recepit.

MCCLX.

Wernher⁹ fit Archiepiſcopus Moguntinus.

Anno Volpoldi Abbatis XVI. Indictione Romanorum III. Gebhardus Archiepiſcopus Moguntinus obijt, & in Eccleſia majori S. Martini ſepultus fuit. Cui Wernherus de Falckenſtein ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitus ſuccedens, præfuit annis viginiti quatuor, & menſibus VI. vir prudens & ſtrenuus, qui redditus, & proventus Eccleſiæ non mediocriter auxit. Hujus Wernheri ac Philippi de Falckenſtein fratrum, ut ſuprà dictum eſt, ſororem Richardus Rex Romanorũ ſibi in uxorem accepit, quoniam ſpecioſa.

Ludovicus Palatinus duxit uxorem.

Eodem anno Ludovicus Comes, Bavariæ Dux, qui Mariam uxorem ſuam filiam Ducis Brabantiæ de adulterio malitioſè infamatam, ſed nec confeſſam nec convictam, truculenter cum nonnullis alijs, ut putabat criminis conſcijs apud Werdeam Sueviæ interfecerat, uti jam ſuprà diximus anno Volpoldi Abbatis III. poſteaquam diu in ſtatu viduali malè ſibi conſcius ſteterat conſilio amicorum perſuaſus ſecundam copulavit ſibi uxorem Annam ultimi Conradi Poloniæ Ducis filiam, ex qua genuit filiam unam nomine Agnetem, & filium nomine Ludovicum, de quo inferius ſuo loco dicemus.

Anno prænotato Alexander Papa IV. Manfredi, & Ezelini Tyranorum perverſitate motus, ut eorum temeritatem ingeniosè conprimeret, Legatos miſit in Germaniam ad matrem & tutores Conradini defuncti Regis Conradi filij, qui tum apud Suevos in Ducatu paterno cum Genitrice, ut ſuprà diximus, ſub tutela puerulus morabatur, & hæc erat ſumma Legationis Papæ Puerulum Conradinum inveſtire ſub certis conditionibus ad Regnum Siciliæ, & cõmunibus dehinc armis contra Manfredum inſtituere prælium.

Gibelini Conradinũ invocant.

Interea Lucenſium & Florentinorum extorres, qui Gibelinarum partium erant Principes, Symonem Donatum, & Bonacurſum Adimarem, equites auratos ad Conradinum Oratores mittunt, qui ejus contra Manfredum in Italiam & peterent & ſolicitarent maturius adventum promitterentq; omnia, quæ ad belli apparatum neceſſaria forent, per eos liberaliter miniſtranda. Qui cùm veniſſent in Sueviam, Conradinum adhuc ætate tenellum, & nec dum ad res gerendas aptum intuentes ſine effectu operis ad ſuos redierunt.

Manfredus Eccleſiam perſequitur.

Verùm cum hæc agerentur, Manfredus Ezelinum ad proſequendum victoriam adhortatus, per nuntios & litteras Urcios circundari obſidione præcœpit; ſed à Mediolanenſibus proditoriè circumventus relictâ obſidione cum quinque millibus equitum ad Pontem Caſſianum pervenit. Martinus autem copiarum Mediolanenſium & belli Dux conjunctis ſibi cum Azonis & Aſtenſis Cremonenſium alis, & certior factus de tranſitu Ezelini, copias & proditionem trans pontem Caſſianum duxit, ejuſque veſtigia inſecutus eſt, cupiens illum in arcto concludere. Ezelinus autem Inſubriam vaſtans omnem ad Ticinum movit, ſuburba-

náque

náque violenter capiens diripuit & incendit. Et cum arcis custodes jaculis fortius resisterent, vicum accessit mercatu populi frequentissimum, nulli molestus, equitatui præstiturus annonam, sed cum videret se ab hostibus subito interceptum, iter aperiendum vi cogitavit. Unde prælio congrediens ad Pontem Cassianum pugnantes cum nimium urgeret sagittâ in incertum missâ percussus, atque infirmi jam hominis octogenarij crus sauciatum lassari cœpit; sicque levi prælio commisso captus atque Sontium perductus interijt. Is tyranno vitæ finis fuit, qui quatuor annis atque triginta Tridentum, Feltrum, Tarvisium, Paduam, Vincentiam, Veronam, & demum Brixiam occupavit.

Ecelinus movet contra Guelfos.

Ecelinus captus perimitur.

Albericus verò Ezelini frater cum uxore & liberis in manus hostium traditus, crudelissimè excarnificatus est, & mortuus, crudelium actionum suarum crudelem cum fratre mercedem, ut meruerat consecutus est. Alexander verò Papa tum Viterbij agens nihil felicius audire potuit quàm tyrannorum excidium, qui Romanæ Ecclesiam multis annis fuerant persecuti. Quibus proditoriè captis, & crudelissimè trucidatis Cisalpini libertatem sunt assecuti, quam tamen ægrè vix retinuere, Gibelinis factionem Guelforum ubique opprimentibus.

Albericus frater Ecelini occiditur.

Cisalpinis libertas redditur.

Anno prænotato Richardus Rex Romanorum apud Wormatiam cum Principibus Imperij constitutus nuptias celebravit solemnes uxorem ducens, ut suprà dictum est, anno Volpoldi Abbatis XIII. sororem Wernheri Archiepiscopi Moguntini, & Philippi Comitis de Falckenstein senioris.

Item anno suprà scripto bellum atrox & nimis cruentum factum est inter Odocharum Regem Boëmiæ, Austriæ Ducatûs occupatorem, & Belam Regem Ungariæ; quorum primus centum millia pugnatorum in suo habens exercitu, Regem Ungariæ cum quadraginta millibus sibi occurrentem primo congressu vulneravit, ac statim in fugam convertit. Verùm Ungari fugientes quatuordecim eorum millia in flumine submersi perierunt. Rex igitur Boemiæ potitus victoriâ Ungariam intrare properavit, omnia in illa penitus suo subjugare Imperio. Sed Rex Bela videns se Boëmis non posse resistere, missis Legatis ea quæ pacis fuerant, rogavit, & obtinuit datis conditionibus certis, & terris Domo Austriæ restitutis.

Bellum atrox inter Ungaros & Boëmos.

His temporibus duo Armigeri Jacobus de Lapide, & Simon de Gontheim contra cives Wormatienses incursus hostiles perniciter exercentes, multa eis damna intulerunt; nam civium plures capientes, aut mutilarunt, aut pro pecunijs remiserunt. Nihilominus sub prætextu & nomine hostilitatis Wormatiensium prædas & crudelitates multas etiam contra innocentes peregerunt. Postremò tamen interventu Ludovici Comitis Palatini concordia inter eos facta est, & captivi abire permissi.

Anno etiam prænotato magnæ & nimiùm periculosæ inundationes aquarum multis multa damna intulerunt, & circa Rhenum maximè, ubi domos & ædificia plura impetus aquarum subvertit, tam subitò & repentinè irruens, ut negata plerisque fuga tam jumentis quàm hominibus vivendi terminum violenter induceret. Multi etiam relictis domibus in montes cum jumentis & parvulis suis fugiebant.

Aquarum inundationes.

MCCLXI.

Anno Volpoldi Abbatis XVIII. Indict: Rom: IV. mortuus est Conradus de Hochenstetten Archiepiscopus Colonienses, vir magnificus prudens

Conradus Colonienſ. Archiepiſc. moritur.

& industriæ singularis, qui structuram Ecclesiæ majoris, ut supra diximus inchoavit, & multa pro DEI honore simul & Ecclesiæ fecit. Cujus corpus in majori Ecclesiâ ante sacristiam honorificè sepultum est. Plures in vita sua contentiones pro libertate jurium Ecclesiæ cum civibus habuit, sed in omnibus triumphavit. Post mortem Conradi Engelbertus ejus nominis secundus ex Comitibus de Falckenburg Præpositus Ecclesiæ S. Gereonis per electionem Canonicorum Archiepiscopus ordinatus, præfuit annis fermè quatuordecim, qui & ipse multas & varias contentiones cum civibus pro juribus Episcopalibus omni tempore habuit.

Rex à Princip. deseritur.

Eodem anno posteaquam Richardus Rex Roman: cum certis Principibus, & familia multa civitates Imperij perlustrando, & ad obedientiæ subjectionem suscipiendo usque ad Basileam, ut suprà diximus, pervenisset, ac multa largiter exposuisset, deficientibus tandem pecunijs à Principibus paulatim deseritur, singulis ad sua revertentibus. Qui desolatum se videns & inopiâ pressum ulterius procedere non potuit, sed Regno qualitercunque dispositio in Angliam cum uxore revertitur. Commisit autem Wernhero Moguntiensium Archiepiscopo, cujus sororem habebat uxorē, eam Regni partem, quæ continet Alsatiam cum adiacentibus oppidis & civitatibus, constituens illum suum & Regni vicarium, ut potestativè ageret in omnibus. Philippo de Falckenstein fratri memorati Archiepiscopi commisit Wetteraviam, Frankenfurt, Friedeberg Gielenhausen, & reliqua illius Provinciæ oppida. Porro Philippo de Hohenfels commendavit Wormatiam, Oppenheim, Moguntiam, Boppardiam, & cætera circa Rhenum oppida cuncta. His ita cum alijs in Regno perperam magisquàm utiliter ordinatis, Richardus Rex, sicut dictum est cum uxore suâ de Falckenstein in Angliam reversus est, & solum portans nomen Regis nihil amplius de Imperij negotijs curabat. Itáque post ejus in Angliam regressum Regem habebat Imperium Romanorum, & vacabat; cum ille solo nomine contentus nullis posset rationibus induci, ut redire in Germaniam consentiret. Duravit hæc Regni desolatio ab hinc annis XII. usque ad institutionem Ruodolphi de Habspurg, de quo suo loco dicemus.

Rex Richardus tres in Regno Vicarios constituit.

Anno prænotato Rex Boëmiæ Odocharus, qui Austriam, sicut diximus, occupaverat, Margaretham Friderici, sive ut alij scribunt Lupoldi ultimi Ducis Austriæ, filiam Henrici Regis ac Ducis Suevorum relictam quondam uxorem, quam pro adipiscendo ipso Austriæ Ducatu sibi conjugem fecerat, repudiavit ignominiosè magis quàm justè; & neptem Belæ Regis Ungariæ, cum quo priori anno bellum gessit, superinducere non timuit in offensionem & scandalum multorum.

Alexander Papa IV. moritur.

Eodem quoque anno Alexander Papa IV. adversâ fortunâ per Manfredi Tyrannidem diu pressus, infirmitatem mortalem incidit, quâ ingravescente, nimiùm deficiens, tandem Viterbij moritur, & ibidem in Ecclesiâ S. Laurentij sepelitur, post cujus discessum Sedes Apostolica vacavit mensibus quatuor & diebus tribus. Hic fuit vir multum eruditus, qui Decretales epistolas varias, & quædam alia composuit, & non nisi viros doctiores ad Ecclesiasticas dignitates promovere consuevit: inter quos fuerunt plures Religiosi mendicantes. Hic etiam Pontifex ordinem FF. Heremitarum S. Augustini relictâ eremo habitare in urbibus ad multorum salutem constituit, ac multis privilegijs honoravit: cæterisque men-

Ordo Heremitarum S. Augustini.

Mendicantium ordinibus conjunxit. Post Alexandri mortem tandem Cardinales in unum convenientes Urbanum ejus nominis quartum in Pontificem elegerunt, qui mox coronatus præfuit annis tribus menſe uno diebus VI. Hic natione Gallus fuit, humillimâ parentelâ procreatus, ſed virtutibus, & eruditione nobiliſſimus evaſit, patrem quippe ſarcinatorem habuiſſe memoratur. Unde laceſſitus à quodam quod vili parentelâ natus eſſet: Reſpondit. Nobilem virum non naſci, ſed fieri virtutis eſt, átque nobilitatis. Ordinatus autem Pontifex Legatum mox miſit, qui Venetos & Genuenſes revocaret ad pacem. Quod audiens Manfredus, qui ſuo commodo lites ſemper conſultò prætulit paci, comparatis novis Saracenorum copijs, agrum Picenum jam prius nutantem occupavit, & quidquid fuit ex parte Eccleſiæ vaſtavit. Verùm Papa cum aliter ſubvenire oppreſſis fidelibus Eccleſiæ non poſſet, & maximè cuperet, Legatum miſit in Galliam, qui crucem contra Saracenos & Manfredum Picenum occupantes multis pollicitationibus cruce ſignatos, ut quamprimum venire maturarent impelleret. Qui Duce Guidone Altiſiodorenſi Epiſcopo in Italiam deſcendentes Papam Urbanum Viterbij agentem inveniunt. Inde benedictione acceptâ digredientes per Umbros & Marſos, Saracenos bello in die Domini fortiter aggreſſi vincunt & ſuperant, ac retrorſum fugere compellunt, multis ex eis vel captis vel occiſis. Romani quóque cives antiquâ inſtabilitate moti Urbano ſe Pontifici temerè opponentes magiſtratus in urbe ſuo nutu creaverunt Barcilonem Bononienſem, magni animi & conſilij virum inſtituentes. Hunc tamen brevi poſtea in vincula conjecerunt, ob quod Bononienſes graviter indignantes contra Romanos inſurgunt, & plures eorum capiunt, nonnullos etiam occidunt. Hanc motuum inſolentiam Papa idcirco diſſimulavit, quoniam Romanos nihil facere Manfredo noverat, à quo ſe tribulari graviter dolebat. Interea dum hæc agerentur in Italia anno Volpoldi Abbatis prænotato gravis inter Henricum Argentinenſem, & cives diſſenſio ſuper quibuſdam juribus Epiſcopalibus ſuborta fuit. Cujus rei indignitate Præſul permotus omni Clero ſub privatione omnium beneficiorum civitatem exire mandavit, quibus egreſſis civitatem interdicto ſuppoſuit, omnemque adminiſtrationem cujuſcunque Sacramenti prohibuit.

Urbanus ſit Papa IV.

Manfredus conducit Saracenos.

Romani Papæ adverſantur.

Anno igitur præſcripto memoratus Epiſcopus contractis copijs Argentinam obſidione vallavit, & poſt multas vaſtationes in circuitu factas tandem cives mutuò ſeſe cohortantes civitatem cum armatorum multitudine exeunt, & in exercitum Epiſcopi ſubitò irruunt cum nihil tale præſumpturos exiſtimarent. Stragem cives in Pontificales non modicam facientes de exercitu Epiſcopi ſexaginta viros militaris ordinis & complures inferioris conditionis occiderunt. Inter quos etiam fuit peremptus Hermannus Comes de Gerolzeck frater ipſius Epiſcopi. Porrò ſex & ſeptuaginta viri nobiles capti ad civitatem ducti ſunt, qui ſe magnâ pecuniarum ſummâ interpoſitâ redemerunt, Epiſcopus autem vix fugâ lapſus vitam ſaluavit, exercitu ejus totaliter aut capto ſive occiſo, aut miſerabili fugâ diſſipato. Quandiu poſtea Henricus Epiſcopus ille vixit in humanis, concordia pacis reformari cum civibus non potuit: nec in urbem Clerus redire permittebatur, ſed illo mortuo utrumque factum eſt.

Argentinenſes in bello ſuperaverunt Epiſcopũ.

Anno prænotato Urbanus Papa IV. ad inſtantiam Generalis Magiſtri Ordi-

Carmelitis datur Privilegium.

Ordinis FF. B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, eidem Ordini & fratribus favorabiliter concessit pariter & indulsit, ut si qui Christi fideles aliqua eis loca pro DEI honore contulerint, quæ nec feudalia sint nec alienis censualia, possint in eisde consensu ordinarij Pontificis oratorium construere,& cœmiterium pro sepultura liberum habere, Canonicâ tamen justitiâ & jure parochialium Ecclesiarum semper salvis. Datum Viterbijs XVI Cal. Junij anno primo.

MCCLXII.

Philippus Comes de Hohenfels devastat Provinciã.

Anno Volpoldi Abbatis XVIII. Philippus de Hohenfels Comes quem Richardus Rex priore anno sicut diximus Capitaneum,& Vicarium Regni constituerat in partibus cisrhenanis potestate sibi concessâ liberius quàm decebat abutens, bona & curtes Monachorum simul & Clericorum Moguntinensium in sua ditione posita, inconsuetis & injustis cœpit exactionibus & servitijs gravare. Propter quod monitus à Wernhero de Falchenstein Moguntinensium Archiepiscopo à malè cœptis desistere, cum nollet monenti præstare consensum, ab eo excomunicatus est,qui more talium animum captans induratum contra Pontificem & Ecclesiam Moguntinam, hostem se manifestum exhibuit, & per annum integrum multis plura damna fecit. Eodem anno venit quidam homo

Theodo Præstigiator mirabilia ostendit.

Frisius natione ex oppido Gronyngen ad partes Rheni superiores nomine Theodo magus & præstigiator admirabilis,qui per civitates transmigrans, & oppida, ignaros subtilitatum ejus vertit in stuporem, in oppido námCruzenach Spanheimensi Comitatui subjecto in foro publico coram omni populo caput sui famuli ut putabatur, amputavit, quod post horam truncо sanum restituit, in aere cum canibus ambulare quasi venator, & de altissimis clamare, & vociferare delusis hominum sensibus apparebat, armatumque hominem integrum devorabat, currus verò fœnoseu lignis onustos aperto deglutivit ore, Gallum trabem maximam, sive molarem lapidem magnum post se leviter trahere faciebat. Alia quoque multa mortalibus ut plurimum incognita fecit,quibus magnam sui admirationé simul & æstimationem in populo acquisivit. Verùm quia nos fieri præscriptis etiam nostris temporibus quædam similia vidimus, quæ cùm naturali quâdam ludificatione fiant, plus mirandi sunt talia admirantes quæ facientes.

S. Richardꝰ Eremita & Presbyter obijt.

Anno etiam prænotato primâ die mensis Novembris, hoc est in festivitate omnium SS. obijt S. Richardus monachus Presbyter & Eremita, qui vitam solitariam pro Christi amore in ermitorio suo juxta Pfaffenbron in Alsatia multis duxerat annis, vivens in omni sanctitate & puritate conscientiæ, multósque tam vitæ merito, quàm sermone Evangelico revocans ad semitas vitæ sanctioris, unde & spiritum habere prophetiæ meruit, & miraculis multis coruscavit.

Eodem quoque anno cùm Manfredus auxilio Saracenorum persequi non cessaret Ecclesiam Roman: Urbanus Papa convocatis ad se Cardinalibus, & alijs Prælatis qui erant in Curiâ exposuit eis calamitatem Ecclesiæ, & Manfredi gravem diuturnámque persecutionem, qui non attentis collatis in eum beneficijs ipsam Ecclesiam suo Imperio subjugare & ad nihilum deducere conatus sit,propterea videri necessarium, vel sero tandem aliquando de oportuno cogitetur remedio, ne reliquiæ fidelium

per

per tanti sævitiam tyranni penitus exterminentur. Illud proinde menti insidere suæ cunctis aperuit, ut Carolum Andegaviæ & Provinciæ Comitem, qui frater erat Regis Gallorum, in Regem Apuliæ, & Siciliæ investiret ac coronaret, cujus consilio & auxilio Manfredi superbia humiliaretur. Placuit Papæ consilium omnibus, ejusque sententiam magno cuncti favore collaudabant. Misit ergo Papa Simonem quendam S. Rom: Ecclesiæ Cardinalem, qui hujus rei nuncium perferret ad Comitem, illiusque reportaret responsum, qui veniens ad Comitem Pontificis vocationem exposuit, & ut in tantæ necessitatis articulo non deesset Ecclesiæ, instantius rogavit. Quibus auditis Carolus de consilio suorum vocationem de se factam & oblatum nomen Regium gratanter suscipit, & remuneratos donis Legatos multiplicibus ad Pontificem remittit, pollicitus se cum exercitu secuturum. Conradinus autem Regis Conradi quondam filius, cum matre, ut supra diximus, adhuc puer manebat in Suevia, quem ob ætatis teneritudinem Papa Regnis privavit paternis, quod multorum malorum postea fomitem dedit: satis enim manifestum cunctis Papæ institutum fuit, quod Conradino Suevorum Duci, & unico hæredi Regnorum Apuliæ, Siciliæque non satis confidendū putabat, cujus progenitores tanto jam tempore Romanam conturbarunt Ecclesiam. His temporibus etiam claruit apud Suevos admirabilis ille Comes Wirtenbergensis Vdalricus animo & viribus etiam Rom: Imperio formidabilis, qui cum civitatibus & Principibus multis plura fortiter prælia gessit, & semper triumphavit. Uxorem habuit filiam Ducis Poloniæ, de qua filios genuit duos, & filias quatuor, qui quidem Comes Udalricus Duci Conradino, & ejus tutoribus sicut & antea patri, quamvis essent Suevi, satis contrarius fuit, nec aliquando se illis humiliare vel subdere voluit.

Carolus Andegaviæ Comes fit Rex Apuliæ.

MCCLXIII.

Anno Volpoldi Abbatis XIX. Indict: Rom: sextâ, die mensis Januarij VII. Moguntiæ in Cœnobio montis S. Jacobi Ordinis nostri facta est reformatio pacis, & concordiæ inter Archiepiscopum & Prælatos Ecclesiæ Moguntinæ, ac Philippum Comitem de Hohenfels Capitaneum Regni, & sub pœna proscriptionis, & alijs censuris gravissimis, ac terribilibus confirmata, quemadmodum in litteris desuper confectis plenius continetur, quas brevitatis causâ non duximus rescribendas. Quibus ita peractis, & confirmatis Wernherus Archiepiscopus cōmunitatem à vinculo excommunicationis injunctâ pœnitentiâ absolvit

Concordia inter Clerum, & Comitem de Hohenfels.

Eodem anno cives Colonienses post longas contentiones & lites cum Engelberto Archiepiscopo suo habitas, inito tandem pravo consilio die quâdam in ipsa urbe existente Archiepiscopo cum Theodorico fratre suo Comite de Falckenburg, domum, in qua erant, nihil tale metuentes armatâ manu cingunt, & Archiepiscopum conditiones pacis, quales ipsi voluerunt, suscipere compellunt. Verùm pax illa temeritate præsumptâ stare non potuit, sed majoris displicentiæ causa fuit.

Anno prænotato bellum fuit inter Engelbertum præfatum Archiepiscopum Colonienſem, & Comitem de Juliaco, in quo ipse Archiepiscopus auxilio Henrici Trajectensis Episcopi, & Hollandinorum victor extitit, & adversariorum multos prostravit, ipsumq; Comitem ad pacem compulit. Hoc ipso quoque anno Urbanus Papa IV. Festum Corporis Christi Domini

Festū Corporis Christi instituitur.

nostri JESU Christi quottannis feriâ v. post octavas Pentecostes proximâ, per universum orbem Christianum solemniter cum octavis celebrandum instituit, & devotos illius pro Christi honore cultores, multis indulgentijs cumulavit, cujus festi historiam ferunt S. Thomam Ordinis FF. B. Dominici Magni Alberti discipulum eodem Papâ Urbano mandante composuisse. Ambo enim his ipsis claruêre temporibus, & multa pro comuni utilitate Ecclesiæ scripserunt. Albertus etenim, qui propter insuperabilem scientiam omnium scripturarum merito cognominatus est Magnus ex Laugingen vico Sueviæ oriundus fuit, qui juvenis Ordinem S. Dominici memoratum apud Coloniam intravit, & omne deinceps vitæ suæ tempus studio scripturarum diligentissimè impendit. Factus postea in Theologia Magister omnium sui temporis excellentissimus, primùm Coloniæ, ac deinde Parisijs publicæ scholæ Theologorum pluribus annis gloriosè præfuit, & discipulos in omni varietate scripturarum doctissimos complures educavit. Factus est postea Ordinis sui Prior Provincialis, in quo quidem officio multas Christo animas benedocendo simul & rectè vivendo conquisivit, postremò, sicuti supra diximus, promotione Alexandri Papæ IV. Ratisponensis Ecclesiæ in Bavaria circa Danubium ordinatur Episcopus. Verùm cum esset jam ætate profectior, & magis studio scripturarum & disputationibus quæstionum, quàm dissipationibus causarum assuetus, post annos paucos Episcopatum spontaneâ voluntate pro quietis ac Religionis amore deseruit, reversusque in Conventum suum ad Coloniam usque ad mortem in omni sanctitate vitam consumavit. Scripsit penè infinita opuscula, è quibus ea quæ manus nostras hactenus inciderunt, in libro nostro de Scriptoribus Ecclesiasticis titulotenus dudum designavimus. Moritur autem sub Rudolpho Imperatore anno Christianorum. MCCLXXX. Indict: Rom: VIII. ætatis verò suæ anno LXXXVII. sepultus in medio chori Ecclesiæ Conventûs sui Colonienſis, non sine miraculis & opinione certissimæ sanctitatis. Sanctus verò Thomas de Aquino ejusdem Ordinis celeberrimus Doctor, memorati Alberti auditor atque discipulus fuit. Vir in scripturis eruditissimus, qui meritò Princeps Theologorum venerit cum summa reverentia nominandus; scripsit & ipse fermè infinita volumina, quorum majorem numerum in memorato libello nostro consignavimus. Mortuus est ante suum Præceptorem anno Christianorum MCCLXXIV. & per Joannem Papam XXII. catalogo Sanctorum inscribitur. Claruerunt etiam hisce temporibus in Ordine S. Francisci Minorum Alexander de Ales, Natione Anglicus, divinarum scripturarum solidus Doctor Parisiensis. Joannes quoque de Rupella Magister in Theologia. Galtherus Episcopus Pictavienſis ejusdem Ordinis Magister in Theologia. Eustachius, qui & Bonaventura de balneo natus Regio Episcopus Albanensis, & S. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Alexandri memorati discipulus. Joannes quoque de Escholo post Bonaventuram minister Generalis. Rupertus de Rhusia Hayno Anglicus. Joannes Walensis Anglicus. Wilhelmus Warro similiter Anglicus Præceptor Scoti. Richardus Archiepiscopus Remensis in Gallia. Wilhelmus Lamarensis, & plures alij viri divinarum scripturarum profundissimi Doctores, & Religionis suæ cultores integerrimi, qui multa & varia scripserunt opuscula, quorum particularem memoriam in libro Scriptorum fecimus. His etiam temporibus

Albertus Magnus claruit.

Albertus fit Episcopus Ratisponensis.

S. Thomas de Aquino claret.

Plures in Ordine Minorum Doctores clarent.

poribus inter Iryngum Episcopum & cives suos Herbipolenses multæ graves, & diuturnæ discordiæ fuerunt, quæ in primo anno promotionis suæ ad Pontificatum incœptæ non sine multorum hominum sanguine & periculo animarum per annos XVI. quibus præfuit, continuatæ sunt. Clerus etenim omnis civium improbitate pulsus ab urbe rerum suarum damna & multa & gravia sensit. Denique Henricus Rex de Lyningen Episcopus Spirensis, cum esset Wilhelmi Cancellarius, ut supra dictum est, non contentus Ecclesiâ, quam habebat, etiam Wirzburgensem ambiebat Pontificatum. Vocatus etenim per cives, & non parum spei consecutus, occultè apud Sedem Apostolicam laborabat per pecuniam & amicos, ut Iryngus in favorem civium & pacis ab Episcopatu semoveretur, & ipse in locum ejus subrogatus, & Spiræ Præsul esset, & Herbipolis, sed non potuit obtinere quod voluit: ideóque confusus retocressit.

Dissensio inter Episc. & cives Herbipol.

MCCLXIV.

Anno Volpoldi Abbatis XX. Indict: Rom: VII. Cœnobium FF. Heremitarum S. Augustini Præsulis in Wormatiâ constructum est, Eberhardo Episcopo consentiente, & cooperante, civibus etiam non parvum eleemosynarum suffragium conferentibus

Augustinienses intrant Wormatiam.

Eodem anno vicesimâ primâ die mensis Aprilis, obijt Joannes ejus nominis primus, septimus Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis, ante gradus presbyterij in choro sepultus. Huic Petrus major cellerarius in numero Abbatum octavus successit, & præfuit annis XXV. & mensibus quatuor, qui Ecclesiam Parochialem in villa Genzingen cum decimationibus, & cunctis proventibus ejus contulit majori Capitulo Moguntino in perpetuum.

Petrus fit Abbas oct. in Spanheim.

Anno prænotato, stella, quam Cometem Græci nuncupant, per tres menses apparuit, cum ingenti coma surgens ab oriente ad medium usque cœli versus occidentem radios suos profundens, quam Papæ Urbani mortem præsignasse multi volebant. Nam eâ nocte, quâ Pontifex ipse Viterbij obijt, etiam Cometes ipsa stella subito extincta nusquam comparuit.

Eodem itaque anno Urbanus Papa IV. Viterbij mortuus est, & ibidem in principali Ecclesia honorificè sepultus, qui multas animi molestias propter tyrañidem Principum in suo Pontificatu sustinuit. Post cujus mortem vacavit Sedes Apostolica usque in annum sequentem, menses quinq;.

Urbanus Papa obijt.

Eodem quóque anno mortuus est Comes Udalricus de Wirtenberg dictus cum Pollice, Princeps non minus animo ferox, & constans, quàm rebus locuples, & potentiâ formidandus etiam magnis Principibus, qui octies bello triumphavit, semper victor existens, nunquam victus. Conrado Regi & ejus similiter filio Conradino Suevorum Ducibus, ut plurimum contrarius fuit, quem armis, nunquam beneficijs & muneribus sibi aliquando consentaneum quidem fecerunt, subjectum verò nunquam.

Udalricus Comes de Wirtenberg cũ police obijt.

Anno item prænotato factũ est in civitate Spirensi, & in finibus ejus magnum disturbiũ per quosdam homines impios & sceleratos latrones Wolzonem, Hartmañum, & Conradum fratres cum quibusdam alijs impietatis eorum complicibus, qui non solùm in civitate, sed etiam extra in finibus ejus multa latrocinia & mala perpetrabant. Domus námque Clericorum nocturno tempore, aliquando clam, aliquando verò manifestè, sed violenter suffodientes bona illorum sine justitia diripiebant, servos percusserunt,

Seditio in civitate Spirensi.

& nec quidem Dominis pepercerunt, sed plures Clericorum vulneraverunt. Ecclesias etiam & loca illis contermina, quibus concessa immunitas meritò vendicasset libertatem, polluentes violaverunt, & quidquid invenire poterant etiam DEO consecratum, ut sunt calices & ornamenta sacerdotalia, totum deportaverunt per urbem armati quotidie incedentes Monachos simul & Clericos in bonis & corporibus læserunt: meliores quóque civium de domibus eorum violenter extraxerunt; falsò eis imponentes crimen traditionis, quasi civitatem in manus tradere voluissent exterorum. Incitaverunt enim inferioris conditionis populum contra Clerum omnem, átque Senatum; & armatâ manu discurrentes per urbem gravissimam, & periculis plenam seditionem susciterunt. Nam primò sicut diximus occultè, postea verò manifestè domos Clericorum, & civium, qui erant de senatu subvertebant, rapientes omnia quæcunque invenissent. Nemo in his omnibus audebat contradicere: nemo furentes poterat frænare. Postremò Henricus supradictus Episcopus auxilio fratris sui Comitis de Lyningen contractis copijs civitatem præoccupavit, seditionis truculentos principes fugavit, & omnia illorum bona suo fisco de consensu civium adscripsit, sententiam quoque proscriptionis extra Diœcesin perpetuæ in authores memoratæ seditionis, omnesque eorum complices protulit: & eos qui remanserant ex conspiratoribus illis mox universos de civitate spoliatos omnibus bonis nunquam iterum reversuros ejecit, & hujus proscriptionis sententiam per Episcopum latam omnes Prælati & cives inviolatam se perpetuo servaturos juraverunt. Hâc occasione meliores quoque civium auxilio populi vulgaris mobilisque turbæ capientes extra urbem cum ignominia turpiter ejecerunt, usurpantes sibi Dominium tantæ civitatis, qui nec modicum gregem porcorum regere, nec custodire aliquando fuissent idonei. Guido Bonatus hisce temporibus claruit de Forlivio de Provincia Romandiolæ Italiæ, homo in Astronomia doctissimus, & magni nominis simul & æstimationis, qui multa scripsit ad ejus rationem scientiæ pertinentia; è quibus meritò præcellit opus illud magnificum decem tractatuum, quod Introductorium ad Judicia stellarum prænotavit, in quo plurima veterum Philosophorum dicta comportavit. De cæteris lucubrationibus illius nihil ad notitiam nostræ lectionis pervenit. Henricus etiam Archiepiscopus Ebredunensis, & Sacræ Roman: Ecclesiæ Cardinalis Hostiensis vulgariter nuncupatus Doctor magnificus, & in utroque Jure omnium sui temporis facile peritissimus hæc tempora docendo simul, & scribendo reddidit clariora, scripsit enim super v. libros Decretalium insignem apparatum, cujus additioni nomen suum immortalitati consecravit. Bernardus quoque presbyter Compostellanus in utroque Jure doctissimus circa hæc tempora in Hispania clarus habebatur, qui & ipse posteritati multa utilia composuit, quibus se non frustra hominem in mundo fuisse aliquando memoriæ succedentium commendavit, scripsit imprimis Comentariorum super Decretum insigne volumen. Item supra Decretalibus, libros quinque. Summarium quoque Decretalium, simul & Decretorum duplum, quod opus Casus Bernardi longos appellant & breves. Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, quæ nondum ad notitiam nostræ lectionis pervenerunt. Hunc propter multimodam eruditionis suæ plenitudinem Innocentius Papa IV Romanæ Cardinalem Ecclesiæ fecit.

Anno

Anno Volpoldi Abbatis prænotato, mortuus est Vincentius Belluacensis, natione Gallus, Ordinis S. Dominici. Vir in omni varietate scripturarum studiosissimus simul & doctissimus, hystoriographus præcellens & Theologus insignis, qui Rege Gallorum petente, sumptusque largiter ministrante, arduum illud & magnificum opus historialis, nationalis, doctrinalis, & moralis Speculi prænotatum in libris octoginta ex diversis authoribus, non sine maximo labore comportavit; scripsit præterea & de gratia Dei lib. IV. De Laudibus Beatæ semper Virg. MARIÆ intactæ genitricis DEI lib. I. De institutione filiorum. lib. I. De Laudibus S. Joan. Apostoli & Evang. lib. I. Consolatorium ad amicum super mortuo lib. I. Sermones de tempore & de Sanctis per circulum anni lib. II. Epistolarum lib. I. Et alia quam plurima. Claruit his quóque temporibus Humbertus Viennensis Ordinis memorati quintus Prior Generalis, auditor quondam Hugonis Barchionensis, vir doctus, nec minus vitæ merito, quàm eruditione venerabilis, Declamator sermonum egregius, doctrinâ Evangelicus, conscientiâ purus, actione solidus, ingenio promptus, eloquio dulcis, atque ad persuadendum, quæ sancta sunt valde idoneus; hic Hugonem Præceptorem suum in sæculo Doctorem verbo & exemplo traxit ad Ordinem. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula super Regulam S. Augustini, quam Prædicatorum Ordo profitetur lib. I. Summam quoque unam Prædicantium lib. III. De initio sui Ordinis átque profectu, gestisque fratrum libros V. De consuetudinibus & officijs sui Ordinis lib. I. De tribus substantialibus Votis monasticæ Religionis lib. I. Sermones tam de tempore, quàm de sanctis per anni circulum plures. Claruerunt eodem tempore in Ordine Prædicatorum, & alij plures viri doctrinâ & morum integritate præcellentes, qui & multa & varia in diverso genere doctrinæ, maximè tamen in Theologica facultate ad comunem Ecclesiæ utilitatem volumina composuerunt, quibus nomina sua posteritati commendarunt.

MCCLXV.

Clemens fit Papa IV.

Anno Volpoldi Abbatis XXI. qui & ultimus fuit, posteaquam Sedes Apostolica, mortuo Pontifice Urbano sicut dictum est, mensibus fermè quinque vacasset, convenientes tandē Patres apud Viterbium, Clementem ejus nominis IV. Patriâ Narbonensem, qui Guido Sulcasius antea vocabatur, in Papam concorditer etiam absentem elegerunt, qui ordinatus ex more summus Pontifex præfuit annis tribus, mensibus novem, diebus uno & viginti. Vir in Jure doctissimus, qui primo in Gallia fuit advocatus causarum, deinde mortuâ uxore factus est Episcopus Bodiensis, & postea Narbonensis, exinde Cardinalis, & postremò Rom: Pontifex. Qui mox ut summus Pontifex creatus est incredibili amore & favore in Carolum Andegaviæ Provinciæque Comitem raptus; ejus in Italiam adventum contractis undique copijs accelerare contendit, haud minore odio quàm Urbanus, sed justo in Manfredum succensus. Quis enim vir bonus non adversaretur tyranno DEUM simul & Ecclesiam tanto tempore, tamque crudeliter persequenti? Curavit igitur Pontifex justissimus, ut Carolus memoratus Comes frater S. Ludovici Regis Gallorum, quem Urbanus Papa, ut antehac diximus, Regem contra Manfredum Apuliæ Siciliæque designaverat, Ecclesiæ quantocius adveniret defensor. Vocatus itaque Carolus à Pontifice per litteras & nuntios solemnes præmissis copijs per

Alpes & citeriorem Galliam, ipſe cum triginta longis navibus Maſſiliâ ſolvens, per varias hoſtium inſidias ſubſecutus, ad Oſtia Tyberina ſaluus & incolumis pervenit, quem S. P. Q. R. ſummo cum honore ſuſcepit. Quod ubi Pontifici tum apud Viterbium agenti fuiſſet nunciatum, quoſdam è Cardinalibus Romam miſit, qui illum in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis ſolemni pompâ in Regem Hieruſalem, Siciliæ, Apuliæque coronarunt. Hâc itaque conditione gubernacula Regnorum memoratorum Carolus de Pontificis largitione ſuſcepit in beneficium feudale, ut Manfredum tyrannum expugnaret, deinde ut quottannis feudi nomine quadraginta millia nummûm aureorum Rom: Eccleſiæ perſolveret. Jurare etiam compulſus, quod Rom: Imperium etiamſi à Principibus Germaniæ illi ſponte offerretur, illud tamen non ſuſciperet. Quibus ritè peractis Carolus exercitum contra Manfredum ducturus, iter per Flaminiam fecit, quem omnes militesGuelficæ factionis ex pede ſequuntur, maximè Florentinorum extorres. Manfredus autem cum ſuis Beneventum profectus hoſtem in planis patentibuſq; locis exſpectare conſtituit. Carolus ergo imprimis oppidum S. Germani obſidione circumdans tandem violenter expugnavit. Quo capto cum Tuſcorum virtus apparuiſſet, plures finitimæ urbes terrore perculſæ à Manfredo defecerunt, ſe ultro in poteſtatem Caroli tradentes. Manfredus tamen contractis undique copijs in Samnio (nam illuc Rex Carolus dimicandi cupidus deſcenderat) occurrere ſtatuit. Carolus quidem cum Tuſcis & Gallis, Manfredus autem cum Germanis & Siculis ad prælium ſeſe cruentum uterque animo ferociſſimo armaverat. Primus igitur pugnam aggreſſus aciem duxit Manfredus, qui poſt luſtratam Florentinorum & Tuſcorum militiam, converſus ad ſuos: *Noſtra*, inquit, *ſalus in manibus noſtris hodie DEO donante eſt. Ocommilitones, quoniam illa, quam cernitis acies Gallorum, niſi victrix hodie eſſe non poteſt.* Deinde ſignum prælio tubâ dare juſſit. Concurſum eſt acriter diuque ancipiti Marte pugnatum, Germanis pro Manfredo, & Gallis pro Carolo æque fortiter pugnantibus Reges etiam ipſi cominus prælientes plurima ſubiere diſcrimina fortunæ. Tandem poſt longum certamen Carolus fortunæ, militumque & numero & virtute fortior, ſuperatis Germanis victor extitit, & Manfredus extra ordinem incautus pugnans interfectus occubuit, cum quo & alij plures ceciderunt. Dux etiam Calabriæ Jordanus, cum multis Nobilibus, & ignobilibus captus eſt, qui ſimul omnes in Provinciam miſſi à Carolo carceris ſqualore vitam in miſeria brevi conſummarunt. Carolus itaque victoriâ potitus Beneventum movit ultro dedentibus urbem civibus, quam ingreſſus Ducem copiarum cum quingentis equitibus & quibuſdam peditibus in Hætruriam miſit, qui extorres partes Guelforum ſingulas in civitates reduceret, Gibellinis, hoc eſt Imperialibus cunctis inde expulſis. Inde progrediens novus Rex Carolus totam Apuliam Siciliámq; nullo reſiſtente ſibi ſubjecit, & utriuſque Regni faſtigia conſecutus Regem ſe Jeruſalem & Siciliæ vocari ſolum voluit & præcepit. Verum quia Manfredus Apuliam & Siciliam Germanis & Saracenis multis repleverat, quos Carolus quemadmodum optabat delere omnino non potuit, ne illi ſibi reſiſtentibus ut offenſis impediretur à cupiditate regnandi, Germanis indulſit cum ſuis redire in patriam, aut ſi mallent, ibidem remanere; Saracenis

Carolus Romæ coronatur Rex Hieruſalem.

Bellum inter Manfredum & Carolū atrox.

Manfredus in bello perimitur.

Carolus Regnum Siciliæ obtinuit.

genis verò suis legibus in Regno vivere concessit. Confirmatus itaque in Regno Carolus Viterbium ad Papam Clementem cum exercitu retrocessit, cum eo consultationem habiturus, quatenus iter præcluderetur Conradino Duci Suevorum, qui erat verus & legitimus hæres Regnorum Hierusalem, Siciliæ simul, & Apuliæ. Audierat enim, quòd Italiæ moliretur introitum, ideirco vias illi præcludere omnes simul cogitabat. Manfredo igitur mortuo Gibellini Duce carentes, quoniam multi erant per totam Italiam, Conradinum qui tum Sueviam, ut Dux adolescens inhabitabat, ad repetendum Regnum paternum in Italiam per solemnes nuncios revocabant, promittentes se illi fideliter in omnibus & ubique semper affuturos corpore & rebus. Quod ubi Clemens Papa rescisset, Carolum Regem per totam Hætruriam Vicarium Imperij constituit, mandans & præcipiens universis Christi fidelibus sub excomunicationis maledicto ne Conradino ut Regi Siciliæ scriberent, nec illi contra Carolum, quem Urbanus suus prædecessor Regem Siciliæ nuper instituisset, consilium, auxilium, seu favorem præstarent, Romani quoque Electoribus Imperij (ambitionem & confidentiam Conradini dejicere cupiens) ne vocem illi in electione Rom: Imperatoris darent, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per epistolam interdixit. Quibus auditis Conradinus epistolam lamentationibus plenam scripsit ad omnes Principes, Ecclesiæque Prælatos, in qua illatas sibi injurias affatim querulando enumerat, inter alia ita vociferans. Innocentius Papa nobis innocenti plurimum nocuit, non considerans quod pater noster condito testamento nos in manus S. Matris Ecclesiæ nutriendum præfato Innocentio tanquam tutelatori commendaverit, ipse autem sub prætextu tutelæ totum Regnum nostrum occupavit, nomen & gentem nostram extipare, Dominia nostra, & paterna hæreditatis bona, terrasque in suos nepotes & necessarios distribuere conabatur, denique idem Pontifex, quando Manfredus Regnum ipsum, falsò mortem vestram mentitus, recuperare satagebat motus perfidiâ patienter sustinuit & occupanti aliena minimè contradixit. *Secundò* Innocentij successor Alexander cum ad nos Legatum pacis misisset, nos per alias literas suas ad susciendum Regnum invitavit. *Tertiò* Urbanus IV. Pontifex factus, nobis quomodo inurbanus extiterit liquidè claret: nam nobis neglectis pactum cum Manfredo statuit, eique & successoribus suis hæredibus Regnum stabilire in perpetuum cogitavit. Verùm re infectâ idem Pontifex in excidium nostri Carolum advenam Andegaviæ ac Provinciæ Comitem in Regnum nostrum vocans investivit, Ejus etiam successor Clemens inclementer contra nos agens, prædictum Carolum Antiregem in Regnum Siciliæ erexit. Nec his quidem contentus, nisi & processus contra nos fulminasset, haudquaquam satis fore existimans, quòd contra fâsque nefâsque, contra DEUM, contra Justitiam Regnum nobis abstulerit, nisi Regni etiam titulum tollat. Insuper sæpe dictum Carolum per universam Italiam Imperij Vicarium statuit, quo commodius vires nostras comprimere, nomenque nostrum & gentem penitus extinguere posset. Nos tamen & nominis & Regni aviti atque paterni memores, pro patria contra Carolum, & suæ partis factiosos pugnam agere, ac propulsare injurias quàm justissimè instituimus.

Clemens Papa adversus Conradinum fulminat.

Conradini querelæ.

Annò Volpoloi Abbatis prænotato, hoc est ultimo, FF.B. MARIÆ sem-

semper Virg. de monte Carmeli ex favore & consensu Iryngi Episcopi locum in civitate Herbipolensi pro construendo sibi Monasterio primitus sibi acceperunt. Verùm priusquam Ecclesiam & mansiones pro fratribus necessarias construxissent, judicantes primum locum non satis convenientem suis Institutis, eum pro quodam alio commutarunt, qui & ipse propter quasdam rationiabiles causas mox animis fratrum cœpit vilescere. Unde & ipsum vendentes tertium pro pecunia sua in quo nunc, ut videtur, constructum est Ordinis ipsorum Monasterium, satis carè coëmerunt. Eodem anno facta compositio pacis & concordiæ inter Episcopum Herbipolensem Iryngum de Rheinstein cum suis Clericis, & cives memoratæ urbis, & quia cives Monasteria, & domus Clericorum omnibus frumentis & bonis spoliaverunt, multa eis restituere, confracta reformare, & satisfacere pro damnis coacti sunt, & sic tandem ab excommunicationis sententia per Episcopum fuerunt absoluti. Episcopo verò pro damnis multipliciter illatis, in ducentis & duobus millibus argenti marcis condemnati fuerunt. Quibus solutis denuò in ejus obedientiam perpetuam juraverunt. Anno prædicto Volpoldus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis quintus atque vicesimus, anno regiminis sui vicesimo completo, simul & mensibus quatuor cum diebus tribus atque viginti, morbo diuturno consumptus, & senio, octavo die mensis Junij diem clausit extremum, bonâ confessione simul & Sacramentis salutaribus ritè præmunitus. Vir modestæ conversationis, & multùm circa statum rei familiaris solicitus; licèt Monasterium in utróque statu viribus pristinis haud mediocriter destitutum post se reliquerit, cujus non ipse sed negligentia Priorum causa fuit.

Volpoldus hujus Monasterij Abbas XXV. moritur.

Hic ego Joannes Trithemius Abbas Monasterij S. Jacobi Apostoli Herbipolensis, quondam verò Spanheimensis Ordinis D. P. Benedicti semel parumper pausare, & pedem fidere statui, primámque hujus operis partem cum vicesimo quinto Hirsaugiensis Monasterij Abbate claudere, & quæ post ipsum scribenda restant, usque ad te Joannes fautor, amice, qui hodie Monachis ducatum præbes in Hirsaugia, pòst alio volumine, id est secundâ historiarum parte, quemadmodum Dominus donaverit, inchoando continuare, & continuando similiter inchoare. Non enim videbatur conveniens, omnia uno volumine debere comprehendi, ne historiam contingeret detruncare.

Joannes Trithemi Compilator hujus Chronici.

Me sola Hirsaugia gaudet.

Finis primæ partis Chronicorum Institutionis Monasterij, successionisque, & gestorum Abbatum Hirsaugiensium, manu meâ quæ compilavi Joannes Trithemius Abbas S. Jacobi Herbipolensis, decimâ die mensis Januarij anno Christianorum Millesimo quingentesimo undecimo.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
QVÆ IN PRIMA VOLVMINIS PARTE CONTINENTUR.

AAron Abbas S. Martini Coloniæ sanctissimus. fol. 196
Abbates ex Hirsaugia aliorsum postulati. 267
Abbatiæ Hirsaugiensis fundatio. 1
Abbatiæ quæ sint Imperiales, & quæ Regales. 358
Abbatiæ vel institutæ, vel reformatæ per Hirsaugiam. 294
Abbo Abbas Floriacensis Martyr. 112
Abbo ex Mon. Ep. Altisiodorensis Doctor. 25
Adelbero Monachus Hirsaugiensis Doctor & scripta ejus. 56
Fit Abbas S. Ferrucij in Blidenstatt. 63
Adelbero de Rheinfelden ex Monacho S. Galli Episcopus Wormatiensis. 209. moritur 231
Adelbertus Abbas Gemblacensis & scripta ejus. 121.
Adelbertus Archiepiscopus Moguntinus captivus. 361
Adelbertus Comes Babenbergensis dolo Hattonis capitur. 54.
Et capite truncatur. 54.
Adelbertus Comes de Calwa, Leonem IX. hospitem habet. 187
A Leone IX. Hirsaugiã reparare jubetur. 188
Adelbertus Episcopus Pragensis Ungaros & Polonos convertit. 115
S. Adelbertus ex Monacho Corbeiæ Russorum Apostolus. 102
Adelbertus ex Monacho Hirsaugiensi Abbas Clingensis. 128
Adelbertus Monachus S. Matthiæ Doctor. 98
Scripta ejus. 121
S. Adelbertus Monachus Mediolacensis. 116
Adelbertus ex Monacho S. Maximini Archiepiscopus Magdeburgi. 122
Adelbertus Monachus S. Vincentij, & scripta ejus. 100
Adelbertus Prior Hirsaugiens. vir sanctus. 288
Adelboldus ex Monacho Lobiensi Episcopus Trajecti, & scripta ejus. 150
Adelboldus Episcopus Wintonensis ex Abbate Abendonensi. 119
S. Adelgerus ex Monacho Corbeiensi Archiepiscopus Bremensis. 41
Adelhardus Mon. S. Galli Scholasticus. 68
Adelhardus Monachus Hirsaugiens. cæcus. 65
Adelhardus Monachus Epternacensis Historiographus. 135
Adelheidis Regina Italiæ à Berengario capitur. 85
Nubit Ottoni Imperatori. 86
Adelheidis filia Ottonis II. Abbatissa in Quedlenburg. 115
Adelmannus Monachus Stabulensis. 116
Adelredus Abbas Cistertiensis Doctor & scripta ejus. 501
Adolphus Archiepiscopus Colonensis Philippo Imperatori fœderatur. 507
Deponitur ab Archiepiscopatu. 510
Ab Excommunicatione absolvitur. 517
Adrianus III. Vindex liberæ electionis Pontificiæ. 37
Adrianus IV. ex Monacho Episcopus Albanensis & postea Papa. 417
Adulteræ mulieris mira custodia. 397
Advocati Monasteriorum lex & officium. 241
Notabilis monitio pro ijsdem. 418
Adzo, qui & Henricus Abbas Luxovienſis scriptor. 59
S. Ægidij Monasterium fundatur in Brunschwig. 354
Affliginiense Monasterium fundatur. 211
S. Affræ Monasterium fundatur Augustæ. 117
S. Affræ Monasterium fundatur Herbipol. 424.
Agnes Friderici Imperatoris uxor à Mediolanensibus illusa. 447
Agnes Henrici IV. Imp. Mater fit Monialis. 217
Aimoinus Monachus Floriacensis Doctor & scripta ejus. 112
Albericus Ezelini frater, Gibellinorum Princeps. 603
Occiditur. 605

Alberto Magno affingitur fabulosa historia. 592
Mirabile convivium. 593
Monasterium obtinet à Wilhelmo Imp. 594
Fit Episcopus Ratisbonensis. 603. 610
Brevis vitæ ejus series. 610
Albertus Patriarcha Jerosolymitanus Carmelitis scribit Regulam. 488
Adelbertus Adrewaldus Monachus Floriacensis Doctor. 50
Alexander PP. III. pacem init cum Friderico I. Imperatore. 470
Alexander PP. IV. creatur. 594
Manfredum excommunicat. 595
Fugit Manfredum. 595
Ezelinum tyrannum persequitur. 600
Duorum electorum Trevirensium electionem cassat. 603
Privilegijs donat Ord. Eremitarum S. Augustini. 606
Moritur. 606
Alfonsus Rex Castellæ eligitur Rom. Imp. 597
Electionem de se factam contemnit. 597
Algerus Monachus Corbeiensis Doctor, & scripta ejus. 125
Almannus Monachus Altvillarienſis Doctor, & scripta ejus. 35
Alpharabius Arabs astronomus doctissimus. 127
Altfridus Episc. Hildesheimensis sanctus. 20
Amalricus ex Monacho Weissenburgensi Episcopus Spirensis. 42
S. Amandus fundator plurium cœnobiorũ. 16
Ambrosius, qui & Ansbertus Monachus Lobiensis Doctor. 50
S. Ambrosius visione terret Conradum Imp. Mediolano inhiantem. 171
S. Amichadus Scotus Monachus Fuldensis incluſus. 180
Andernach oppidum incenditur à Philippo Imperatore. 497
S. Andreæ Monasterium Herbipolense reformatur. 123
Propter corpus S. Burkhardi mutat nomen. 123
Angelomus Mon. Luxovienſis Doctor. 15
Anglia Romanæ Ecclesiæ fit tributaria. 20
Angliæ Regis pœnitentia ob cædem S. Thomæ Cant. 465
S. Anno Archiep. Colonienſis sanctè obijt. 238
S. Anno ex Monacho S. Maximini Abbas Bergenſis. 47
Ansbaldus Abbas Prumienſis, Doctor. 28. 37
S. Anſcarius Corbeiam Saxoniæ construxit. 11
Anſchatillus Dux Normannorum post baptisma occiditur. 40
Anſegisus Abbas Fontanellenſis Doctor. 15
Anſegisus Archiepisc. Senonenſis Doctor. 15
S. Anſelmus ex Abbate Bectenſi Archiepisc. Cantuariæ. 257
Scripta ejus. 258
Inter Anſelmum & Wilhelmum Hirſaug. amicitia. 258
Epistola ejus ad Wilhelmum. 259
Consilium ejus de publicè concubinarijs, &c. 260
Anſelmus Lucenſis Episcopus Doctor & scripta ejus. 253
S. Antonius de Padua moritur Patavij. 544
Scripta ejus. 545
Aquarum inundatio circa Rhenum. 529. 605
Argentina obsidetur à Philippo Imp. 495
Argentinenſes Episc. suum prælio vincunt. 607
Argentinenſis Episcopus pacem init cum Comite de Pfirth. 542
Aribo Archiep. Moguntinus & scripta ejus. 162
Arigandus Abbas S. Petri Senonenſis. 94
Arno Episcopus Herbipolenſis occiditur. 38
Arnoldus Abbas Bonæ Vallis in Gallia, & scripta ejus. 458
Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus à civibus occiditur. 426. 441
Arnoldus Archiepiscopus Trevitenſis Castellum Throni evertit. 603
Arnoldus Bavariæ Dux Henrico Imp. rebellis vincitur. 64
Persequitur Ecclesiam. 64
Secundo prælio vincitur. 72. 75
Arnoldus ex Monacho Hirſaugienſi Scholasticus S. Burkhardi. 125
Arnoldus Monachus Corbeienſis plurium Monasteriorum Abbas. 378
Arnolphus Dux eligitur Imperator. 38
Zwentonboldũ Moraviæ Ducem vincit. 39
Ejus uxor filiique. 39
Italiam intrat. 48
Coronatur à Formoso Pontifice Romano. 49
Veneno intoxicatur à Guidonis uxore. 50
Arnulfus Archiepiscopus Bituricenſis sanctitate clarus. 23
Arthaldus Remorum Archiep. ex Monacho. 61
Ejus controversia contra Hugonem competitorem. 92
Augurum vanitas ostenditur. 587
Augustiniani Eremitæ privilegijs donantur ab Alexandro IV. 606
Wormatiam intrant. 611
Aurea Ordinis S. Benedicti sæcula. 71
S. Aurelij Armeni corpus transfertur Hirſaugiam. 1
Cæcum illuminat. 2
Tyrannum corrigit. 36
Ejusdem vita & obitus. 7. 10
Ejus corpus metu Normañorum celatur. 43
Ejus corpus iterum reperitur. 189

Austria Imperio subijcitur. 567
Depopulatur. 605
Ayradus ex Monacho Episc. Noviomensis. 61

B

BAdensis Marchio Hermannus fit subulcus Cluniaci. 254
Bajanus Rex Bulgarorum Magus Famosus. 112. 120
Baldewinus Comes Flandriæ jubet interfici S. Fulconem. 52
Baldewinus fit Imperator Græcorum. 499
Baldewinus fit Rex in Jerusalem. 324
Ballenstattense Cœnobium fundatur. 378
Bambergensis Episcopatus erigitur. 151
Bruno frater S. Henrici destruere conatur. 165
Exemptione donatur. 192
Debitum ejus Ecclesiæ erga Sedem Apostolicam. 192
Episcopus cum Virdunensi capitur. 247
Bambergense Cœnobium Montis Monachorum fundatur. 151
Bardo ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus. 168. 191
Basilea ab Ungaris destruitur. 60
Basileensis Episcopatus instauratur à S. Henrico Imperatore. 151
Bavariæ Ducatus Austriæ Marchioni donatur. 408
Dividitur inter Ottonis Bavari filios. 596
Beckius Joannes Historiographus Trajectensis. 592
Begavienſe Monasterium fundatur in Saxonia. 247
Bellum inter Carolum Galliæ & Pipinum Aquitaniæ Reges. 19
Inter Ludovicum & Carolum Calvum. 32
Inter Reginherum, & Wernherum Comites Montenses. 118
Inter Carolum Ducem, & Hugonem Galliæ Regem. 130
Inter Baldericum Leodiensem Episcopū, & Lampertum Comitem Lovanienſem. 154
Inter S. Henricum Imperatorem & Theodoricum Episcopus Metensem. 153
Inter Gottfridum Lotharingiæ, & Lampertum Lovaniæ Comitem. 155
Inter Misichonem & Ottonem Poloniæ Duces. 166
Inter Henricum IV. & Rudolphum de Rheinfelden. 250
Inter Archiepiscopum Moguntinum & Comitem Palatinum. 428
Inter Duces Bavariæ & Sueviæ. 453
Inter Ottonem & Philippum electos Imperatores. 495
Inter Henricum Comitem & Danos. 535
Inter Episcopum Argentinensem & Comitem de Pfirt. 539
Inter Archiepiscopum Moguntinum, & Landgrafium Thuringiæ. 547
Inter Guelfos & Gibellinos. 603. 605
Inter Bohemos & Ungaros. 605
Inter Argentinensem Episcop. & Cives. 607
Inter Engelbertum Archiepiscopum Colonienſem & Comitem Juliacensem. 609
Inter Carolum Andegavenſem & Manfredum. 614
S. Benedicti Ordinem quæ olim commendârint. 14. 16
Benedictini Ordinis aurea sæcula. 71
Benedictus PP. VIII. Pascha celebrat in Bamberg. 160
Mortuus nigro Caballo vectus apparet. 162
S. Benigni Monasterium fundatur Taurini. 131
S. Benno ex Monacho Corbeiensi primus Abbas Goseckensis. 199
A Monachis falsò accusatus fit Eremita. 199
Fit Episcopus Misnensis. 199
Alapam Marchioni Misnensi post mortem rependit. 199
Ejus Maledictio in Henrico IV. Imperatore impleta. 349
Benzo Episcopus Albensis Henrici IV. Imperatoris fautor. 215
Berengarius tyrannus Italiæ occiditur. 67
Berengarius se Ottoni Imperatori subijcit. 86
Capitur. 96
Bergense Monasterium fundatur. 77
Berna oppidum constituitur à Bertoldo Zeringio. 481
Bernardus Mon. Corbeiensis & opera ejus. 191
Bernardus ex Monacho Weissenburgensi Episcopus Spirensis. 43
Bernardus Thuringus erroneus propheta. 103
S. Bernardus Abbas Claravallensis & scripta ejus. 354
Mittitur à Papa Legatus in Germaniam. 411
Constantiæ & alibi per Germaniam miracula patrat. 414
Visitat S. Hildegardem Virginem. 415
Canonizatur. 452
Bernardus Presbyter Compostellanus & scripta ejus. 614
Berno Abbas Augiensis, & scripta ejus. 160
Berno Abbas & fundator Gigniacensis. 47
Bernolfus ex Monacho Hirsaugiensi Abbas Blidenstattensis. 109
Bernardus ex Monacho Hirsaugiensi Episcopus Herbipolensis. 134. 139
Berwardus ex Monacho Episcopus Hildesheimensis. 136
Berwardus Monachus Fuldensis Doctor. 31

Bertoldus Dux Bavariæ Imperio fidelis. 79
Bertoldus Dux Carinthiæ Sueviæ Ducatum ambit. 200
Spe fruſtratus Imperio rebellat. 201
Bertoldus Zeringius ob promiſſam ſed non datam Sueviam rebellis. 486
Eligitur Rex Romanorum. 494
Cedit Philippo Sueviæ Duci. 494
Bertolfus ex Monacho Mediolacenſi Archiepiſcopus Trevirenſis. 30. 35
Bertrammus Monachus S. Dionyſij Doctor. 18
Betto ex Monacho S. Columbæ Epiſcopus Altiſiodorenſis. 58
Bibelis Monaſterium Virginum fundatur. 393
Bingen civitas deſtruitur à Nortmannis. 43
Blidenſtattenſe Cœnobium reformatur. 294
Bobienſis Epiſcopatus Ordinis S. Benedicti fundatur. 151
Monachi ſunt Electores Epiſcopi. 151
Bohemia convertitur ad fidem. 70
Imperio ſubijcitur. 180
Antea Ducatus ſublimatur in Regnum. 429
Borathus ex Monacho Corbeienſi Primus Epiſcopus Schleſuicenſis. 94
Branto ex Abbate Fuldenſi Epiſcopus Halberſtattenſis. 143. 163
Breiſach caſtellum Alſatiæ obſidetur. 78
Breitenaugienſe Monaſteriũ fundatur. 367. 373
Brixia Urbs deſtruitur. 570
Brixinenſis Conventus contra Gregorium VII. 252
Mendacia contra eum deposita. 252
Brumia deſtruitur à Nortmannis. 46
Bruno Abbas Hirsfeldenſis. 5
Bruno Auguſtenſis Epiſcopus. 152
Odit fratrem ſuum S. Henricum Imp. 152
Bambergenſem Epiſcopatum ſupprimere conatur. 165
Bruno Archiepiſcopus Colonienſis contra Adolphum eligitur. 510
In prælio capitur. 511
Ad Coloniam revertitur. 515
Bruno ex Archiepiſcopo Colonienſi Monachus Altenbergenſis. 485
Bruno inſtitutor Ordinis Carthuſienſis. 281
S. Bruno Ottonis Imp. frater, Archiepiſcopus Colonienſis. 97
Nortmannos convertit ad fidem. 101
Lotharingiam gubernat. 101
Moritur. 110
Bruno Epiſcopus Verdenſis ex Monacho Corbeienſi. 126
Fit Papa Gregorius V. 138
Bruno Epiſc. Herbipolenſis Doctor. 169. 183
Bruno Mon. S. Viti in Gladbach, Doctor. 128
Bruno ex Monacho Epiſcopus Ruthenorum Martyr. 152
Bruno ex Monacho & Epiſcopo Tullenſi Leo IX. Papa. 185
Germaniam perluſtrat. 187
Venit in Hirſaugiam. 188
Corpus S. Aurelij quæri jubet. 189
Comitem Adalbertũ de Calwa increpat. 189
Mandat Comiti reparare Monaſterium. 190
Synodo Moguntinæ præſidet. 190
Natalem Domini Wormatiæ celebrat. 193
In lite cedit Archiepiſcopo Moguntino. 193
Devaſtat Apuliam. 193
Berengarium damnat. 194
Scripta ejus & miracula. 185
Eccleſiam Bambergæ exemptam facit. 192
Moritur. 194
Brunteshauſen Cœnobium Virginum fundatur. 25
Bruwilerenſe Monaſterium fundatur ab Ezelino Palatino. 156
Buggo Epiſcopus Halberſtatti occiditur. 288
Bulgarorum Rex cum regno convertitur ad fidem. 30
Monachus factus filium recidivum perſequitur. 30
Burdinus Antipapa ab Henrico V. Imperatore creatur. 368
Burgundia Imperio acquiritur. 171
Burgundiones ducente Wernhero Argentinenſi Epiſcopo à Suevis vincuntur. 161
Burkhardus Comes de Rotenbrug Monaſterium Cambergenſe fundat. 251. 287
Burkhardus Dux Suevorum rebellis Imperio. 64
Occiditur. 68
Burkhardus ex Abbate Hirsfeldenſi Epiſcopus Herbipolenſis. 69. 71
Moritur. 80
Burkhardus ex Monacho S. Joannis Magdeburgenſis Epiſcopus Miſnenſis. 65
In Italia occiditur. 68
S. Burkhardus ex Monacho Lobienſi Epiſcopus Wormatienſis. 150
Decreti compilator. 150
Burkhardus ex Monacho Hirſaugienſi Abbas Erpfordienſis. 328
Burkhardus ex Monacho Hirſaugienſi Abbas S. Jacobi Moguntiæ. 345
S. Burkhardi Monaſterium reformatur ab Epiſcopo Herbipolenſi. 123
Burſfeldenſe Monaſterium fundatur. 314

C

Cœnobia tria eodem anno combuſta Fuldenſe, S. Galli, & Schutterenſe. 74
Cæſarius Monachus Heiſterbacenſis ſcriptor. 530
Calwenſis Comes fundat Hirſaugiam. L 3

Calwensis Comes alius expellit Hirsaugienses. 146. 147
Cambergense Monasterium fundatur. 251. 287
Campanus Italus astronomus peritissimus. 169
Canum portatio ignominiosa Germanis. 429
Capitulum Provinciale Benedictinum reformatur. 601
Carmelitarum ordo Europæ infertur. 540
Herbipolim intrant. 616
Carolus Andegavensis fit Rex Apuliæ. 609
In Italiam tendit. 613
Romæ coronatur Rex Hierusalem. 614
Manfredum prælio vincit. 614
Regnum Siciliæ obtinet. 614
Carolus Crassus abdicat Imperium. 38
Ad incitas redigitur. 38
Carolus Magnus Imperator Linguam Germanicam in regulas redigere cupit. 29
Carolus puer fit Rex Galliæ. 44
Præstigijs Haganonis dementatur. 45
In carcere obit. 61
Carthusiensis Ordinis initium. 281
Cathari Hæretici pessimi. 450
Eorum errores. 450
Ab Egberto Schönaugiensi Abbate confutantur. 451
Igne cremantur. 451
S. Catharinæ Spanheimense Monialium Cœnobium fundatur. 530
Catenæ S. Petri Romæ miraculum. 111
Theodoricus Metensis Episcopus partem obtinet. 111
Cendeboldus Spurius Arnulphi Imp. crudelis in Archiepiscopum Colonienſem. 40
Chorizantium toto anno Tragœdia. 157
Christianus Archiepiscopus Moguntinus, & opera ejus. 459
Christianus ex Monacho Altisiodorensis Episcopus. 31
Christianus ex Monacho Corbeiensi Abbas S. Pantaleonis. 104
Opera ejus. 104
Christianus Monachus Corbeiensis Doctor. 18
Christophorus invasor Papatus. 55
Cingnis Primus Rex Tartarorum. 503
Cistertiensis Ordinis initium. 312
S. Clarus Monachus Selgenstattensis 30. annis inclusus. 181
Clausura veterum Monachorum tenebrosa. 4
Clemens IV. Papa Caroli Andegavensis fautor. 613
Carolum Regem Apuliæ Siciliæ & Jerusalem creat. 614
Adversus Conradinum fulminat. 615
S. Clementia Monialis Horrei Trevirensis. 467
Clericorum præsentia Episcopo honesta. 31
Cluniacensis Monasterij fundatio. 47
Colonienses semper contentiosi cum Archiepiscopo suo. 606. 609
Commemoratio omnium Animarum instituitur. 146
Concilium Lateranense sub Innocentio III. 523
Moguntinum Provinciale. 20
Ingelnheimense Generale. 89
Acta ejusdem Concilij. 90
Colonienſe Provinciale. 109
Rhemense in Gallia. 135
Selgenstattense Provinciale. 164
Moguntinum sub Leone IX. 190
Triburiense. 48
Trecense. 33
Virdunense. 88
Mosonienſe. 88
Lugdunense. 93
Romanum contra Joannem XII. PP. 104
Moguntinū pro reformatione Ecclesiæ. 108
Moguntinum pro Pontifice vero. 393
Concordia fit Regni & Ecclesiæ. 376. 411
Conradus Dux Lotharingiæ occiditur. 53
Conradus Dux fit Romanorum Imperator. 57
Principes ei adhærentes. 58
Henricum Saxoniæ olim hostem sibi successorem designat. 61
Conradus Dux Lotharingiæ. 82
Fugit ad Ungaros. 97
Conradus II. fit Rom. Imperator. 164
Romæ coronatur. 165
Bambergensem Episcopatum supprimere nititur. 165
Contra Polonos movet. 166
Ungariam devastat. 168
Limburgense Monasterium fundat. 170
Burgundiam occupat. 171
A S. Ambrosio absterretur ab obsidione Mediolani. 171
Moritur. 174
Conradus Dux Sueviæ fit Rex Romanorū. 289
Henrico IV. Patri rebellat. 306
Regnat in Italia. 306
Moritur. 324
Conradus III. Dux Sueviæ fit Romanorum Imperator. 404
Henricum Ducem Bavariæ rebellem sentit. 404
Vincitur ab Henrico. 406
Welfone Duce Bavariæ prælio vincit. 408
Winspergensibus civibus ignoscit. 409
Nuptias filio suo celebrat. 410
Concordiam init cum Papa. 411
A Lucio III. imploratur ad coercendos Romanos. 413
Legatos Constantinopolim mittit. 413
Hierusalem pergit cum exercitu. 417
Henricum filium Rom. Regem facit. 419

Quare coronam Imperij non ſuſceperit. 424.
Tradit Regalia Friderico. 425
Moritur. 425
Conradus filius Friderici Imperatoris ſit Rex Romanorum IV. 568. 577
Prælio vincitur ab Henrico Landtgrafio Haſſiæ. 582
Patri ſuccedit in Imperio. 587
Neapolim capit. 587
Capuam & Aquinum occupat. 588
Henricum Bavarum ſibi ſociat. 588
Ratisbonenſem Eccleſiam cum S. Emmerammo ſpoliat. 588
Inſidijs ſubtrahitur. 589
Conradinum filium Hæredem inſtituit. 589
In Excommunicatione moritur. 589
Conradus de Marpurg Hæreticorum inquiſitor. 523
Varia de ipſo opinio. 525. 547
Comitem de Seyna ſuper hæreſi accuſat. 557
A Comite perimitur. 558
Conradus Comes Palatinus vitam mutat. 486
Neuenburgenſe Monaſterium Monialium fundat. 486
Conradus Epiſcopus Herbipol. occiditur. 504
Interfectores ab Iñocentio PP. puniuntur. 504
Conradus Dux Sueviæ Lothario Imperatori rebellis. 385
Ad gratiam redit. 390
Conradus Epiſcopus Trajecti ob expiſcatum conſilium occiditur. 314
Conradus Monachus Bruwilarenſis & ſcripta ejus. 303
Conradus, aliàs Peregrinus Monachus Hirſaugiæ, & ſcripta ejus. 393
Conradinus filius Conradi Imperatoris tutelæ Innocentij PP. committitur. 589
Ejus Mater Manfredum deludit. 591
A Gibellinis in Italiam vocatur. 604
A Papa regnis ſuis privatur. 695. 615
Conradini querelæ. 615
Conſecratio Eccleſiæ Hirſaugienſis. 5
Conſpiratio contra Archiepiſcopum Moguntinum. 440
Conſtantia Imperatrix publicè parit quinquagenaria. 484
Moritur. 496
Conſtantienſis conſtitutio editur à Friderico I. Imperatore. 473
Juramentum pacis ejuſdem. 474
Conſtantini Magni lancea Clavis Dominicis intexta Norinbergæ ſervatur. 70
Conſtantino apparens dæmon in ſpecie pauperis proditionem nuntiat. 83
Conſtantinopolis capitur à Latinis. 499
Conſtantinus expulſo Patre Græcis imperat. 83
Convivium mirabile Alberti Magni. 593
Corbeia nova à S. Anſchario conſtruitur. 22
Coronandi Regis Romanorum modus. 74. 595
Corporis Chriſti feſtum ab Urbano IV. inſtituitur. 609
Corporis Dominici miraculum Coloniæ. 427
Craffto ex Comite Spanheimenſi Monachus Hirſaugienſis. 419
Crema Urbs Lombardiæ à Fridęrico I. Imperatore capitur. 439
Creſcentius tyrannus ab Ottone III. victus plectitur. 144
Creſcentij uxor Ottonem III. intoxicat. 144
Cruces apparent in veſtibus hominum. 101
Crux miranda in cœlo apparet. 366
Crux lignea miraculosè non comburitur. 420
Crux aurea Moguntina librarum ſexcentarum. 442
Crux prædicatur contra Saracenos. 524
Principes multi eâdem ſignati. 524
Contra Ruthenos Gentiles. 559
Contra Fridericum II. Imperatorem. 572. 581
Contra Stadingenſes Eccleſiæ rebelles. 560
Contra Tartaros. 571
Crüzenach deſtruitur per Nortmannos. 43
Dominos ſuos ſæpius mutat. 574
S. Cunegundis uxor S. Henrici Imperat. 147
Moritur. 173
Canonizatur. 499
Cuno Dux Bavariæ rebellis Conrado II. Imperatori. 165
S. Cuno Trevirorum Archiepiſc. Martyr. 209
Cunzigo ex Monacho Hirſaugienſi Abbas Lauriſſenſis. 47
Curienſis Epiſcopus de vita periclitatur propter Sacerdotes concubinarios. 237

D

Dæmon conſilia Imperatorum Græcorum prodit. 85
Dœmonis Moguntiam vexantis mira hiſtoria. 27
Dœmonis ob litem excitatam tripudium. 195
Damiata capitur à Chriſtianis. 529
Reſtituitur Saladino. 531
Danckmarus rebellis Ottoni fratri ſuo. 75
Dania ſubeſt Romano Imperio. 399
Ab Ottone I. ad fidem compellitur. 94
David Ordinis Minorum Doctor & opuſcula ejus. 588
David Parochus in Roxheim à parochianis occiditur. 575
David Scotus hiſtoriographus Abbas S. Jacobi Herbipolenſis. 349. 403
Decretalium libri quibus Authoribus publicati. 506
Defunctorum exercitus per triennium Wormatiæ apparet. 313

A Ruperto Mon. Limburgensi adjuratur. 313
Wormatia à spectris liberatur. 314
Deusdedit Abbas Cassinensis Doctor. 18
Didacus ex Monacho Corbeiensi Episcopus Pragensis. 167
S. Diemo ex Monacho Hirsaugiensi Archiepiscopus Salisburgensis. 262. 266
Fit Martyr. 263. 325
S. Diemo Mon. Hirsaugiensis propheta. 407
Diepoldus Episc. Wormatiæ deponitur. 507
Diethardus ex Abbate Hirsfeldensi Episcopus Hildesheimensis. 69
Diethardus Monachus Hirsaugiensis Scholasticus. 64. 76
Diethelmus Monachus S. Matthiæ Doctor, & scripta ejus. 71. 98
Diethmarus ex Monacho S. Galli Abbas Hirsaugiensis. 67
Diluvio aquarum centum millia hominum submersa. 529
Dionysius Archiepiscopus Mediolanensis. 8
Ab Arianis pellitur. 8
Ejus obitus. 9
Ejus corpus S. Ambrosio transmittitur. 9
Dionysij Areopagitæ opera in latinum translata. 18
Reliquiæ ejus ubi reperiantur. 192
S. Disibodi Monasterium restauratur. 345
Ejus corpus de terra levatur. 405
Ejus Patria & Vita. 405
Monasterium traditur Cistertiensibus. 601
Spoliatum ab Hattone II. Archiepiscopo Moguntino. 602
Dissensio inter Carolum Galliæ Regem, & Henricum Saxoniæ Ducem. 48
Inter Papam Leonem IX. & Archiepiscopum Moguntinum. 193
Inter Electores Trevirensem & Colonien-sem propter coronationem Regis. 73
Inter Archiepiscopum Moguntinum & Abbatem Fuldensem ob præcedentiam. 195
Inter Archiepiscopum Moguntinum, & Bambergensem. 416
Inter duos Electos Colonienses. 434
Inter Adrianum PP. & Fridericum I. Imperatorem. 434
Inter duos Electos Moguntinos. 497
Inter Innocentium PP. & Ottonem Imp. 517
Inter duos Electos Moguntinos. 523
Inter Honorium PP. & Fridericum II. Imperatorem. 529
Inter Episcopum & cives Wormatienses. 537
Inter Archiepiscopum Moguntinum & Landtgrafium Thuringiæ. 546
Inter Fridericum II. Imperatorem & Ottonem Saxoniæ Ducem. 563
Inter duos Electos Trevirenses. 576
Inter septem Electores pro eligendo Imperatore. 597
Inter Episcopum Wormatiensem & Comitem de Liningen. 591
Inter Guelfos & Gibellinos. 603
Inter Archiepiscopum Moguntinum & Philippum de Hochenfels. 608
Inter Episcopum & Cives Herbipol. 611. 586
Divisio Imperij Occidentalis. 13. 17. 25
S. Dominicus moritur & canonizatur. 530
Dracholphus ex Monacho novæ Civitatis Episcopus Herbipolensis. 57
Drutwinus ex Monacho Hirsaugiensi I. Abbas in Breitenaw. 368. 394
Dudechinus Presbyter Trevirensis scriptor expeditionis in terram sanctam. 412
Duellum pueruli cum delatore Imperatricis. 166. 172
S. Dunstanus ex Abbate Glasconiensi Archiepiscopus Cantuariensis. 119

E

EBerbacense Monasterium fundatur. 398
S. Eberhardus ex Decano Argentinensi Monachus Einsidlensis. 99
Eberhardus Monachus S. Matthiæ, Doctor, & opera ejus. 56
Eberhardus Palatinus ambit Imperium. 76
Vox ejus ad uxorem. 76
Occiditur. 79
Eberwinus Abbas Dolegiensis, Doctor, & scripta ejus. 161
Ebracensis Cœnobij fundatio. 406
Eckhardus ex Monacho Hirsaugiensi I. Abbas Uraugiensis. 366
Ejusdem opuscula. 367
Edelstanus Rex Angliæ pijssimus. 70
S. Edmundus Rex Anglorum occiditur. 31
Egbertus Abbas Schönaugiensis Doctor, & scripta ejus. 450
Hæreticum convincit. 451. 459
Egil Abbas Prumiensis clarissimus. 25. 28
Egil ex Mon. Archiepiscopus Senonensis. 28
Egwardus ex Monacho Hirsaugiensi Episcopus Schlesuicensis. 109
Einhardus Monachus Selgenstattensis doctissimus. 12
Einsidlensis Monasterij initium. 99
Einsidlensium Monachorum laudabilis disciplina. 214
Electio Papæ in Cleri potestate relinquenda. 37
Eligendi Episcopi jus Canonicis Herbipolensibus datur. 103
Elfredus fit Rex Angliæ sanctissimus. 51
S. Elisabetha Landtgrafia moritur. 545
Canonizatur. 565

S. Elisabetha

S. Elisabetha Schönaugiensis revelationibus illustris. 455
Revelantur ei nomina 11000. Virginum. 456
Ejusdem opuscula quæ scripsit. 455
S. Elphegus ex Monacho Balneorum Archiepiscopus Cantuariensis & Martyr. 158
S. Emmerammi Monasterium ab Henrico Duce Bavariæ spoliatur. 588
S. Engelbertus Archiepiscopus Colonienſis 38. vulneribus confoditur. 535
Homicidâ rota cessat miracula operari. 536
Engelbertus Admontensis Doctor & scripta ejus. 130
Engelbertus Monachus S. Matthiæ Trevirensis Doctor, & scripta ejus. 130
Epitaphium Ruthardi Doctoris Monachi Hirsaugiensis. 29
Theodorici Monachi S. Matthiæ Trevirensis. 154
Friderici II. Imperatoris. 587
Episcopi ex Hirsaugia postulati. 268
Equus 100. annorum adhuc vegetus. 61
Erhardus Monachus Corbeiæ, Doctor & scripta ejus. 174
Erhardus Monachus S. Michaelis in Luneburg Doctor & scripta ejus. 125
Ericus seu Entius Friderici II. Imperatoris filius infestat Italiam. 581
A Bononiensibus captus occiditur. 584
Ericus Monachus Altisiodorensi Doctor. 31
Eringus Episcopus Herbipolensis civibus invisus. 586
Erlafridus Comes de Calwa fundator Hirsaugiensis. 1
Fit Monachus. 19. 21
Fundatoris filius Ermenfridus. 1
S. Ermenoldus ex Monacho Hirsaugiensi Abbas Lauriſſensis. 357. 359
Postea primus Abbas Pruveningensis. 359
Excommunicatum Henricum V. Imperatorem contemnit. 360
Fores Ecclesiæ clausas intrat. 360
Ernestus Dux Sueviæ insidiosè occiditur. 160
Erpfordiensis synodus contra incontinentiam Sacerdotum. 73
Eſslingensis Ecclesia traditur Ecclesiæ Spirensi. 514
Eugenius ex Abbate S. Anastasij PP. III. 413
Crucem prædicari jubet. 413
S. Hildegardi Virgini scribit. 421
Eutrandus diaconus Ticinensis Historiographus. 46
Excommunicatio Lotharij Imperatoris ob repudiatam Waldradam. 29
Expeditio Christianorum in terram sanctã. 309
Ezelinus Comes Palatinus rebellis Imperatori Henrico. 156
Sex filias habuit Abbatissas. 156
Ezelini tyranni Veronensis crudelitas in Paduanos. 600
Legatum Raveñatensem prælio vincit. 603
Captus perimitur. 605

F

FAmis exemplum miserabile. 21. 50. 126. 131
Faucellinus Hæreticus Antwerpiensis occiditur à Presbytero. 387
Ferri candentis judicium in Comitissa Mutinensi. 139
Filij Patrem de Imperio Græcorũ deturbant. 82
Pœna talionis ijsdem illata. 83
Fiscanense Monasterium fundatur. 159
Flodoardus Presbyter Rhemensis Doctor. 121
Florbertus Monachus S. Matthiæ Doctor & opera ejus. 37
Florentius Hollandiæ Comes mortem Patris ulciscitur. 597
Florentini Episcopi vana prædictio de Antichristo. 325
Formosus PP. malè tractatur post sepulturã. 49
Franckenthalense Cœnobium majus fundatur. 49
Cœnobium minus fundatur. 49
S. Franciscus Ordinem Minorum instituit. 517
Moritur. 536
Ordinis Doctores clarissimi. 610
Franco Abbas Hasſliginiensis Doctor, & opera ejus. 291
Francorum Ducatus auffertur Herbipolensi Episcopo. 363
Redditur Herbipolensi Episcopo. 389. 460
Freculphus Episcopus Lexoviensis Doctor. 15
Friburgum in minori Burgundia constituitur. 469
Fridericus Archiepiscopus Moguntinus. 76
Ottonis Imperatoris hostis occultus. 76
Monachorum osor. 77
Ecclesiam S. Petri Moguntiæ fundat. 77
Episcopos ab Ottone subdolè avertit. 78
Capitur à Civibus Moguntinis. 80
Fuldam captivus ducitur. 94
Moritur. 98
Fridericus Austriæ Dux ab Imperatore proscribitur. 567
Proscriptionis causæ. 567
Fridericus Comes de Isenburg S. Engelbertum Colonienſem Archiepiscopum trucidat. 536
Rotæ supplicio vivus plectitur. 536
Fridericus Episcopus Trajectensis alteram experitur Herodiadem. 20
Fridericus ex Monacho Einsidlensi Abbas Hirsaugiæ datur. 212
Fridericus I. Dux Sueviæ eligitur Romanorum Imperator. 425
In Italiam proficiscitur. 427

Romæ

Romæ coronam Imperij ſuſcipit. 428
Principes Romanos punit. 429
Uxorem ſuam repudiat. 429
Ducem Bohemiæ in Regem elevat. 429
Ducem Poloniæ debellat. 430
Contra Papam Hadrianum exardeſcit. 434
Lombardiam vaſtat. 439
Victorem Papam ſuſcipit. 441
Excommunicatur. 444
Imperatricem Mediolani illuſam vindicat. 447
Regi Daniæ coronam imponit. 448
Moguntiam vaſtat. 449
Conventum Principum celebrat. 459
Infeliciter bellat in Lombardia. 461
Henricum filium in Regem Romanorum coronari facit. 464
Rurſus infeliciter bellat in Italia. 466
Pacem componit cum Papa. 470
Conſtitutionem de Pace Conſtantiæ promulgat. 474
In Syriam proficiſcitur. 479
Submerſus moritur. 480
Fridericus II. eligitur Imp. Romanorum. 520
Ottonem Imperatorem Briſaco pellit. 520
Hagenoam occupat. 521
Aquisgrani coronatur. 521
Ejus tres uxores ſucceſſivè. 521
Fœdus contrahit cum Rege Galliæ. 522
Moſellanos & Ducé Brabantiæ ſubigit. 523
Cruce ſignatur contra Saracenos. 524
A Colonienſib. ut Imperator ſuſcipitur. 524
Coronam Imperij Romæ ſuſcipit. 529
Saracenos ſubigit in Apulia. 530
Filium Henricum duodennem in Regem coronari curat. 532
Jolam ſecundam ducit uxorem. 533
Anathematizatur. 538
In terram ſanctam proficiſcitur. 538
Cum Saracenis paciſcitur. 539
Reverſus è Syria Apuliam & Calabriam repetit. 540
Cancellarium ſuum excæcat. 541
Eccleſias auro & argento ſpoliat. 541
Pacem init cum Papa. 542
A Saladino miri operis tentorium dono accipit. 548
Lauriſſenſem Principatum Moguntinæ Eccleſiæ unit. 549
Siciliam vaſtat. 557
Henricum filium rebellem experitur. 561
Filium captivum ducit. 562
Ottoni Saxonum Duci reconciliatur. 563
Ottonem rurſus rebellem ſubigit. 564
Tertiam uxorem ducit. 565
Lombardiam & Auſtriam occupat. 566. 568
Filium Ducis Venetorũ ſuſpendi jubet. 570
Excommunicatur à Papa. 570
Bello Venetis illato victor evadit. 570
Italiam vaſtat. 572
Romam obſidet. 572
Papam Româ fugere compellit. 577
Ab Imperio deponitur. 580
Parmam obſidet. 581
Filius ejus à Bononienſibus occiditur. 584
Moritur. 586
Epitaphium ejus. 587
Friſones Hollandiam devaſtant. 596
Wilhelmum Imperatorem interficiunt. 597
Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Doctor. 159
Fulco Rhemorum Archiepiſcopus à Balduino Comite interficitur. 45. 52
Fulda Florens famâ litterarum. 11
Habet eodem tempore 270. Monachos. 5
Religione & diſciplinâ famoſum. 4
Mittit fratres in Hirſaugiam. 5
Ab Ungaris crematur. 58
Ob diſſolutionem ab Imperatore Henrico ſancto ſpoliatur. 159
Fundatio Monaſterij Hirſaugienſis. 3
Fundatores Hirſaugiæ qui fuerint. 178
Fürſtenfeldenſis Cœnobij fundatio in Bavaria. 583

G

GAldericus ex Monacho Epiſcopus Antiſiodorenſis. 64.
Gallorum regnum malè diſpoſitum Rege capto. 66
Gandersheim Monaſterium Monialium fundatur. 24.
Ganfredus Monachus Altiſiodorenſis & ſcripta ejus. 458
S. Gaudentius ex Monacho Fuldenſi Epiſcopus Pragenſis. 147
Gebhardus ex Abbate Elwangenſi Epiſcopus Auguſtanus. 138
Gebhardus ex Abbate Hirſaugienſi Epiſcopus Spirenſis. 266. 334
Gebhardus ex Epiſcopo Eichſtattenſi Papa Victor II. 195
S. Gebhardus ex Monacho Hirſaugienſi Epiſcopus Conſtantienſis. 266
Gelaſius II. ex Monacho Caſſinenſi Papa. 365
Genua à Saracenis ſpoliatur. 72
Obtinet à Conrado III. Imperatore jus monetam cudendi. 413
S. Georgij Monaſterium in Nigra ſylva fundatur. 265
Gerardus Archiepiſcopus Moguntinus à Duce Brunſchwicenſi capitur. 598
A Richardo Anglo liberatur. 598
Richardum imperatorem eligit. 598
S. Gerardus ex Monacho S. Gregorij Romæ Epiſcopus Moriſenus Martyr. 161

Gerbertus è Monacho Floriacensi PP. Sylvester II. 136. 141. 145
Gerlacus Abbas Tuitiensis XI. millium Virginum corpora invenit. 450
Gerlandus ex Monacho S. Germani Altisiodorensis Episcopus Senonensis. 94
Germanorum veterum mos in scribendis gestis Veterum Heroum. 399
Gigniacense Monasterium fundatur à Bernone Comite. 47
Gilbertus Abbas Cistertiensis Doctor & scripta ejus. 488
Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis & scripta ejus. 436
Gisila Imperatrix Conradi II. uxor. 165
Gisila Henrici Imp. III. filia Monialis. 184
Gisilbertus Lotharingiæ Dux Regi Ottoni rebellis. 76
Fugiens in Rheno perit. 79
Girberga uxor ejus castro suo excludit fratrem. 81
Nubit Ludovico Regi Gallorum. 81
Gladbach Monasterium fundatur. 115
Golscherus Monachus S. Matthiæ Treviris Scholasticus. 154
Opuscula ejus. 155
Gosseggense Monasterium fundatur in Thuringia. 198
Gotfridus Bullionius Dux Christianorum in terram sanctam. 310
Fit Rex in Jerusalem. 323
Moritur. 324
Gotfridus ex Monacho Weissenburgensi Episcopus Spirensis. 101
Gotfridus ex Palatino Comite Monachus Hirsaugiensis. 418
Post mortem apparet Buggoni Episcopo Wormatiensi. 418
Gotfridus Abbas S. Jacobi ob necem Archiepiscopi Moguntini proscribitur. 449
Gotfridi Viterbiensis fabula circa fundationé Monasterij Hirsaugiensis refutatur. 175. 488
S. Gothardus ex Abbate Altahensi & Hirsfeldensi Episcopus Hildesheimensis. 163
Sub ejus nomine Cœnobium fundatur. 163
Gozaugiense Monasterium fundatur. 348
Grafffschafftense Monasterium fundatur. 210
Grandimontensis ordinis initium. 248
Gratianus Classensis Auctor Decretorum. 399
S. Gregorius Anglorum Regis filius Eremita in Einsidlen. 99
S. Gregorius filius Nicephori Imp. Constantinop. fundator Monasterij in Porticeto, 117
Gregorius V. ex Mon. Corbeiensi Papa. 138
Imperij dignitatem Germanis in perpetuum astruit. 138
Gregorius VII. fit Papa. 187. 233
Concilium celebrat contra Simoniacos & concubinarios. 236
Ejus depositio tentatur à concilliabulo Wormatiensi. 246
Henricum IV. ab excommunicatione absolvit. 247
Prædicit falsum Regem moriturum. 252
Moritur. 264
Gronaugiense Monasterium fundatur. 391
Guelforum & Gibellinorum origo. 409
Eorundem contentio. 603. 605
Guelfi Florentiâ ejiciuntur. 584
Guido Abbas Pomposiensis Ravennæ obit. 183
Guido Aretinus Monachus Crucis S. Leufredi Musicus peritissimus. 162
Guido Bonatus Forolivienſis Astronomus & scripta ejus. 612
Guido Carthusiæ Prior quintus, & scripta ejus. 398
Guillelmus institutor Ordinis Guillelmitarum. 437
Gundelfingense Monasterium fundatur. 265
Gundhildis uxor Henrici III. Imp. monomachiâ pueruli contra gigantem se adulterij crimine purgat. 172
Fit Monialis. 173
Guntherus Monachus Elvonensis S. Amandi & scripta ejus. 210
Guntherus Poëta Ligurinus & scripta ejus. 480
Gutta filia Ottonis II. vi è Cœnobio extracta, & Bohemiæ Ducis uxor facta. 115
S. Gutta Virgo S. Elisabeth pedissequa sanctè obit. 590
Gwimundus ex Monacho Crucis S. Leufredi Archiepiscopus Aversanus Doctor. 180
Gymnasia olim Monachorum Monasteria. 12
Quæ Monasteria. 13. 16

H

HAdemarus Abbas Fuldensis Regi Ottoni charus. 77. 83. 100
Exosus Archiepiscopo Moguntino. 77
S. Hademarus II. Abbas Cluniacensis. 77
Hagano Aulicus Caroli Regis Galliæ maleficijs Regem dementat. 45
Hagenaw à Friderico II. Imp. occupatur. 521
Haimo ex Monacho Hirsfeldensi Episcopus Halberstattensis. 15. 23
Haimo Prior Hirsaugiensis, & scripta ejus. 302
Hamburgenses Episcopi olim Bremenses. 23
Hartmondus Monachus S. Galli, Doctor & opera ejus. 30. 68
Hasungen Monasterium fundatur. 235
Hatto Abbas Fuldensis per Ludovicum Imperatorem deponitur. 28
Hatto Archiepiscopus Moguntinus ex Monacho Fuldensi. 44

Pellitur ab Episcopatu. 49
Hattonis Archiepiscopi Moguntini perfidia in Comitem Adalbertum Babenbergensem. 54
Hatto II. ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus. 110
Fertur à muribus devoratus. 116
Hedericus Monachus Weissenburgensis Doctor & scripta ejus. 110
Hegenense Cœnobium fundatur. 401
S. Helenæ corpus Rhemos transfertur. 21
Helfridus Monachus Hirsaugiensis Doctor & opera ejus. 33
Helmandus Monachus Frigidi montis Doctor & opera ejus. 488
Helpericus Monachus S. Galli Doctor & opera ejus. 80
Henricus Comes Flandriæ Comitatum suum Friderico Imperatori donat. 464.
S. Henricus Abbas in Breitenaw Doctor & scripta ejus. 394.
Henricus Archiepiscopus Ebrodunensis Cardinalis Ostiensis Doctor. 612
Scripta ejus. 612
Henricus Episcopus Spirensis ambit Episcopatum Herbipolensem. 611
Vincit rebelles Spirenses.
Henrici Leonis Ducis Saxoniæ fabulosa historia. 399
Imperatorem Fridericum deserit. 461
Bavariæ Ducatu privatur. 462
Ejus miranda vitæ historia. 463
Henricus Superbus Dux Bavariæ rebellis Conrado III. Imperatori. 404.
Ducatu Saxoniæ privatur. 404.
Conradum prælio vincit. 406
Henricus I. Dux Saxoniæ fit Imperator Romanorum. 61
Ungi renuit, & quare. 61
Ejus uxor & liberi. 63
Daniam subjugat. 49
Misnensem Episcopatum fundat. 65
Latrones facit milites. 65
Comparat sibi lanceâ Christi cum clavis. 70
Henricus frater Ottonis Imperatoris profugus ad gratiam revertitur. 81. 85
Ducatum Bavariæ recipit à Fratre. 81. 85
S. Henricus II. Rex Romanorum eligitur. 147
Cum Cunegunde conjuge sua castissimè vivit. 147
Omnia sibi subjugat. 148
Romæ coronatur Rom. Imperator. 154.
Saracenos & Græcos in Apulia debellat. 163
Conradum Salicum hostem successorem sibi destinat. 164.
Moritur. 164.
Post mortem apparet Brunoni fratri suo Episcopo Augustano, eúmque corripit. 165
Canonizatur. 418
Corpus ejus de terra levatur. 500
Henricorum numerus dubius & contentiosus. 179
Henricus III. fit Rex Romanorũ. 166. 179. 184.
Gunthilde repudiatâ Agnetem Pictaviensem ducit. 181
Bohemiam Imperio subijcit. 180
Histrionum & joculatorum osor. 181
Ungariam subjugat. 182
Romanos electione Pontificiâ excludit. 184.
Galliam vastat. 186
Italiam visitat. 196
Moritur piè à Victore II. Papa provisus. 197
Henricus IV. fit Romanorum Imperator. 198
Contemnit Principes. 216
Episcopatus & Abbatias pretio vendit. 231
Ottonem Bavariæ Ducatu privat. 230
Saxones rebelles experitur. 232
Et Episcopos Germaniæ. 233. 234.
Gregorium VII. Papam persequitur. 233
Devastat Saxoniam. 237
Hirsaugiam exemptione donat. 239
Instituit Wormatiæ Concilium contra Gregorium VII. 245
Excommunicatur à Gregorio VII. 246
Romam profectus absolvitur à Papa. 247
Rursus Papam persequitur. 248
A Principibus deponitur. 249
Præliatur contra Rudolphum de Rheinfelden. 250. 251
Devastat Sueviam. 252
Romam capit. 256
Synodum Moguntiæ habet contra Gregorium VII. 263
A Wezilone Archiepiscopo Moguntino defenditur. 264.
Herbipolim recuperat. 281
Secundas contrahit nuptias. 289
Italiam intrat. 290
Persequitur Hirsaugienses. 304.
Conradum filium rebellem sentit. 306
Uxorem Praxedem custodiæ mandat. 306
Denuo excommunicatur. 307. 326
Henricum filium habet rebellem. 331. 338
Imperium abdicat. 338
Moritur. 341
Spiræ corpus ejus sepelitur. 351
Henricus V. Imperator filius Henrici IV. 338
Conventum Principum celebrat Ratisbonæ. 349
Italiam ingreditur. 349
Rex concedit Papæ investituras, & Papa Regi Ecclesiarum regalia. 350
Concessio Papæ ab Episcopis cassatur. 350
Papa datur custodiæ. 350

Rursus obtinet privilegium investiturarum. 350
Privilegium hoc iterum revocat Papa. 351
Privilegium Spirensibus concedit aureis litteris scriptum. 351
Sifridum Comitem Palatinum ad gratiam recipit. 352
Saxoniæ Principes rebelles patitur. 353
Coloniam obsidet. 361
Cum Saxonibus bellat, sed vincitur. 361
A Civibus Moguntinis obsidetur. 362
Ducatum Francorum aufert Episcopo Herbipolensi. 363
Dolosè pacem petit à Papa. 365
Antipapam Gregorium VIII. creat. 366
Moguntiam obsidet. 373
Pacem firmat cum Principibus & Episc. 374
Concordia fit inter Regnũ & Ecclesiam. 376
Scriptum Cæsaris ad Papam, & Papæ ad Cæsarem. 376
Wormatiam subigit. 383
Obit, & Spiræ sepelitur. 385
Henricum V. sequidam mentitur. 409
Henriciana Hæresis damnatur à Synodo Romana. 326
Henricus VI. uxorem ducit Constantiam. 475
In cloacam cadit. 475
Fit Imperator Romanorum. 480
Principes rebelles domat. 483
Italiam ingreditur. 484
Siciliam sibi subjicit. 484. 485
Philippũ fratrem Ducem Sueviæ creat. 486
Moritur. 492
Henricus filius Friderici II. Imperatoris. 532
In Regem Romanorum eligitur. 532
Conventum Principum in Franckfort celebrat. 534
Uxorem ducit. 536
Uxor ejus coronatur. 537
Contra Patrem suum conspirat. 560
Prælio vincitur à Marchione Badensi. 561
Deseritur ab omnibus suis conjuratis. 562
A Patre capitur. 562
In carcere moritur. 574
Henricus Hassiæ Landtgrafius Rex Romanorum eligitur. 581
Franckofurtum occupat. 582
Prælium committit cum Conrado, & vincit. 582
Aquisgrani coronatur. 582
Ulmam obsidet. 582
Moritur. 584
Herbipolis obsidetur à Suevis. 281
Herbipolenses semper Duci suo rebelles. 586
Herbipolense schisma inter Adelberonem & Meginhardum. 281
Inter Gebhardum & Ruggerum. 374
Herbordus Mon. Hirsaugiensis Scholasticus. 76
Herdericus Mon. Hirsaugiensis Doctor. 47
Heribaldus ex Monacho S. Germani Archiepiscopus Altisiodorensis. 95
Opuscula ejus. 112
S. Heribertus Colonienſis Archiep. moritur. 162
Heribertus Mon. Hirsaugiensis Scholasticus. 95
Herigerus Abbas Lobiensis Doctor & opera ejus. 121
Heriolus Rex Daniæ per Corbeienses convertitur. 18
Baptismum suscipit. 18
Hermannus Dux Suevorum. 86
Lutolfum generum sibi deligit. 86
Moritur. 87
Hermannus Contractus Monachus S. Galli Doctor. 148
A Beata Virgine sibi apparente scientiam petit. 149
Ejus opera. 149
Salve Regina, & Alma redemptoris composuit. 149
Piè moritur. 181
Hermannus de Riberg Imp. Wilhelmi uxorem capit, & spoliat. 594
Hermannus Dux Lotharingiæ eligitur Romanorum Rex. 254
Nomen Regis rursus abdicat. 282
Hermannus Hassiæ Landtgrafius rebellis Imperio. 507
Philippo Imperatori se submittit. 507
Hermannus Marchio Badensis Austriam occupat. 595
Hervæus Archiepiscopus Rhemensis Carolum Regem Galliæ captivum liberat. 48
Hatho Abbas Fuldensis ruinas Cœnobij restaurat. 73
Hetti ex Mon. Archiepiscopus Trevirensis. 14
Hetwidus vexat Monasteriũ Hirsaugiense. 36
Per S. Aurelium corripitur. 36
Hiedmannus ex Monacho S. Dionysij Archiepiscopus Senonensis. 94
Opera ejus. 94
Hildeberti Episcopi Cenomanensis opera. 308
Hildebertus Monachus & Abbas Fuldensis. 69
Fit Archiepiscopus Moguntinus. 69
Diethmaro Abbati Hirsaug. familiaris. 69
Moritur. 76
Hildebrandus ex Monacho Cluniacensi Cardinalis. 187
Deponit Episcopos Simoniacos. 215
Fit Papa Gregorius VII. 233
S. Hildegardis Virgo sanctissima. 415
Colloquium ejus cum S. Bernardo. 415
Opuscula ab eadem scripta. 416
Scripta ejus Eugenio PP. præsentantur. 420
Eugenius PP. rescribit eidem. 421

Scripta ejus myſtica. 422
Qui ſcripſerint ad eandem. 422
Quæ Abbatiſſæ eidem ſcripſerint. 423
Hirſaugiam inviſit. 443
Ad Abbatem & Conventum Hirſaugienſem ſcribit. 445
Piè in Domino moritur. 471
Hildegundis Virgo Monialis mirabilis moritur. 476
Hildeslevenſe Cœnobium fundatur. 101
Hildoinus Abbas S. Dionyſij & vitæ ejuſdem ſancti ſcriptor. 14
Hildovinus ex Abbate Lobienſi Epiſcopus Leodienſis. 62
Per Papam deponitur. 62
Fit Epiſcopus Veronenſis. 62
Fit Archiepiſcopus Mediolanenſis. 62
Hildulphus Monachus Fuldenſis doctiſſimus. 12. 22. 26
Hirſaugienſis Cœnobij fundatio. 1
Ejuſdem Cœnobij conſummatio. 3
Dedicatio. 5
Dotatio. 6
Advocatiæ libertas. 7
Hirſaugia Virorum doctorum nutrix. 48
Hirſaugienſes Monachi peſte conſumuntur. 131
Hirſaugienſis fundatio fabuloſa explodi-tur. 175
Hirſaugienſ. Monaſterij Abbas I. Lutbertus. 10
Ejus ſcripta. 11. 23
Abbas II. Gerungus eligitur. 24
Moritur. 36
Abbas III. Regenbodo, eligitur. 36
Sponte reſignat. 41
Abbas IV. Harderadus eligitur. 42
Moritur. 60
Abbas V. Rudolphus Comes ab Helffenſtein eligitur. 60
Sub eo tepeſcit regularis diſciplina. 60
Moritur. 67
Abbas VI. Diehmarus è Monaſterio S. Galli poſtulatus. 67
Ejus encomion. 86
S. Hildeberto Archiepiſcopo Moguntino ſummè familiaris. 69
Obijt reformato Monaſterio. 95
Abbas VII. Sigerus promovetur. 96
Moritur. 124
Abbas VIII. Lupoldus eligitur. 124
Moritur. 129
Abbas IX. Hartfridus eligitur. 129
Moritur. 132
Abbas X. Conradus, & Eberhardus ambo in diſſenſione electi. 132
Eberhardus ſpoliat Monaſterium. 134
Eberhardus moritur. 136
Conradus ad Cœnobium redit. 136
Conradus moritur. 145
Hirſaugienſis Abbatia vacat, & deſolatur. 145
Hirſaugiæ reſtaurandæ præludia. 205
Hirſaugia rurſus inhabitatur. 212
Abbas XI. S. Fridericus ex Einſidlen poſtulatus. 213
Incurrit odium Monachorum. 217
Injuſtè deponitur. 218
Obit miraculis clarus. 219. 221
Abbas XII. S. Wilhelmus ex Priore S. Emmerammi. 220
Ordinari Friderico vivente recuſat. 221
Varijs virtutibus decoratus. 222
Miſericors erga pauperes. 224
Monaſteria pluſquam centũ reformavit. 225
Monaſteria octo nova conſtruxit. 225
Conſtitutiones fratribus converſis ſcripſit. 228
Regales litteras exemptionis obtinet ab Henrico IV. Imperatore. 239
Exemptio confirmatur à Gregorio VII. Papa 243
Hirſaugiam majorem ædificat. 254
Familiaris S. Anſelmo. 288
Priorem Adelbertum virum ſanctum conſtituit. 288
Reliquias dono accipit à S. Hugone Cluniacenſi. 292
Mortis ſuæ præſcius. 292
Ejus exhortatio ultima. 293
Sanctè moritur. 293
Monaſteria vel nova inſtituta, vel reformata ab ipſo. 294
Monaſteria confraternitatem habentia cum Monaſterio Hirſaugienſi. 296
Abbas XIII. Gebhardus Comes ab Urach. 298
Prius Canonicus Argentinenſis. 299
Mirabilis ejus converſio. 299
Brachium ei à S. Wilhelmo bis curatur. 300
Ad Urbanum II. PP. mittitur. 301
Fit Abbas Hirſaugienſis. 301
Ejus encomium. 302
Monachos de Veteri Monaſterio in Novum transfert. 303
Abs Urbano II. obtinet confirmationem privilegiorum Monaſterij. 316. 318
A S. Wilhelmo per viſionem corripitur. 328
Fit Epiſcopus Spirenſis. 334
Abbatiam reſignare invitus conſenſit. 334
Moritur. 335. 348
Abbas XIV. Bruno Comes de Wirtenberg fit Abbas. 336
Moritur piſſimè. 369
Cæcus ad ſepulchrũ ejus illuminatur. 370
Abbas XV. Volmarus eligitur. 371
Hirſaugia ſub eo donationibus ditata. 373

Cæſarem

Cæsarem implorat contra spoliatores. 402
Moritur. 430
Abbas XVI. Hartwigus eligitur. 430
S. Hildegardi Virgini familiaris. 431
Moritur. 436
Abbas XVII. Manegoldus promovetur. 436
Magna inter eum & Conventum discordia. 444
Scribit S. Hildegardi Virgini. 445
Responsum obtinet ab eadem. 445
Pacem init cum Conventu. 446
Moritur. 455
Abbas XVIII. Rupertus eligitur. 455
Bona Monasterij auget. 457
Cum Ecclesia Romana sentit. 466
Resignat Abbatiam. 467
Fit Præpositus in Roth. 467
Abbas XIX. Conradus II. eligitur. 467
Ejus vita. 468
Moritur. 477
Abbas XX. Henricus eligitur. 477
Tepidus in Regimine. 479
Dissentit cum Conventu. 482
Abbatiam resignat. 487
Abbas XXI. Marcquardus Comes de Sonnenberg. 489
Gravatur ab Adelberto Advocato suo. 490
Causam obtinet Romæ contra Adelbertum. 490
Moritur. 508
Monachi è Monasterio pelluntur. 508
Abbas XXII. Lutfridus eligitur. 509
Privilegia Monasterij renovari curat. 524
Moritur. 525
Abbas XXIII. Eberhardus eligitur. 526
Præposituram Rothensē propugnat. 527
Moritur. 545
Abbas XXIV. Ernestus eligitur. 545
Moritur. 577
Abbas XXV. Volpoldus. 578
Moritur. 616
Hucbaldus Monachus Elvonensis Doctor. 33
Opera ejus. 33
Hudeckin spiritus in Saxonia plura facit miranda. 395
Hugbertus ex Duce Monachus & Abbas S. Richarij. 26
Hugo Blancus Schismaticorum fautor. 243
Hugo Comes in Italia tyrannidem affectat. 69
Hugo Comes Palatinus de Tubingen capitur. 458
Hugo Etherianus Thuscus Doctor & opera ejus. 460
Hugo de Folieto Mon. Corbeiensis Doctor. 399
Opuscula ejus. 399
Hugo Dux Neustrasiæ Ludovicum Regem Galliæ capit. 83
Anglos Regis libertatē urgentes spernit. 83
Verba ejus ad Regem captivum. 84
Regem liberum dimittit. 84
Arnolphum Comitem persequitur. 86
Rhemos obsidet. 87
Divina temere invadit. 87
Damnatur à Synodo Ingelheimensi. 88. 91
Episcopos contemnit. 89
Excommunicatur à Papa. 94
In gratiam redit. 95
Humbaldus Monachus Elvonensis Doctor. 33
Opera ejus. 33
Humbertus ex Mon. Tullensi Cardinalis. 187
Constantinopolim missus Græcos convincit. 187
Humbertus Viennensis Prior Generalis S. Dominici. 613
Scripta ejus. 613
Husense Cœnobium Monialium Limpurgensi Monasterio incorporatur. 532

I

Jacobus de Vitriaco Cardinalis Tusculan⁹. 531
Opera ejus. 531
S. Jacobi Herbipolense Cœnobium fundatur. 400
S. Jacobi Moguntinum Cœnobium in monte speciosō fundatur. 191
Incendio destruitur. 442
Rursus restauratur. 469
S. Januarij in Monte Ferrato Monasterium fundatur. 131
Ida ex Comitissa Spanheimensi Monialis. 480
Jerusalem occupatur ab Infidelibus. 160. 476
Jerusalem destruitur à Saracenis. 529
Restituitur Christianis. 540
Jerosolymitana peregrinatio à multis instituitur. 325
Jerosolymitanum templum reædificatur. 183
Imperator Romanorum per Electionem, non per sanguinis successionem instituendus. 147
Imperij Romani Occidentalis divisio. 14. 17. 25. 33
Imperij Romani dignitas Germanis perpetuò asserta à Gregorio V. PP. 138
Incendio conflagrant simul tria Monasteria Fuldense, S. Galli, & Schutterense. 74
Infans biceps in Suevia nascitur. 208
Infans in cunis Cremonæ loquitur. 364
Infantis pueruli duellum cum viro pro innocentia Imperatricis asserenda. 166. 172
Ingo Ducem Nortmanorum inter baptizandum interficit. 40
Captus ob cædem causam agit. 40
Ab Ottone veniam consequitur. 40
Innocentius III. PP. & opuscula, quæ scripsit. 492

Non favet Philippo Imperatori. 493
Moritur. 527
Innocentius IV. Cardinalis Amicus, Papa factus inimicus Cæsaris. 575
Opuscula ejus. 575
Fugit ex Italia ob metum Friderici Imp. 576
In Gallia Concilium convocat. 577. 579
Fridericum Imperatorem citat. 579
Fridericum ab Imperio deponit. 580
Conradinum persequitur. 589
Manfredum Salernitano Principatu donat. 590
Moritur. 590
Inquisitio fit Hæreticorum. 543
Hæreticorum articuli. 543
Signis certis se internoscunt. 544
Insula Rolandi Cœnobium Monialium fundatur. 315. 391
Investiturarum privilegium Henrico V. Imp. conceditur à Papa. 350
Id privilegium cassatur in synodo Romana. 353. 363
Joachimus Abbas Florensis & opera ejus. 487
Joannes S. Albani Mon. Doctor eruditus. 66
Joannes Erigena Abbas Vercellensis Doctor. 18
Joannes Monachus S. Matthiæ Doctor & opera ejus. 184
Joannes Episcopus Carnotensis, Doctor & opera ejus. 471
Joannes Imperator Græcorum Patrem suum occidit. 112
Ejus filiam Theophanam Otto II. uxorem ducit. 112
Joannes Theutonicus ex Ord. S. Dominici Episcopus Bossinensis. 576
Opuscula ejus. 576
Joannes PP. X. in carcere moritur. 69
Joannes PP. XII. in synodo Romana accusatur. 104
Deponitur à Concilio. 106
Depositus solicitat Romanos. 106
Moritur. 107
Joannes PP. XIII. à Romanis capitur. 108
Ab Ottone Magno Imp. liberatur. 110
Moritur. 114
Joannes PP. XIV. in carcere moritur. 125. 126
Judæus medicus Ludovici Imperatoris. 34
Præstigiator & Magus. 34
Judæi cujusdam maleficium contra Archiepiscopum Trevirensem. 203
Judæi puerorum occisores Fuldæ flammis cremantur. 566
Judicij Divini appellatio facta abs Abbate Hirsfeldensi contra Burckhardum Episcopum Halberstattensem. 204
Judith Imperatrix fit Monialis ob injustam cædem Friderici Episcopi Trajectensis. 20
S. Jutta de Spanheim Monialis sanctissima. 402
S. Justi Monasterium apud Secontiam fundatur. 131
Juvenis per maleficium in asinum mutatus. 155

K

Keiserwerda frustra obsidetur à Wilhelmo Imperatore. 586
Kirsgarten Cœnobium Monialium fundatur. 527
Königslauterense Cœnobium fundatur. 401

L

Lacense Monasterium fundatur à Palatino Rheni. 290
Lampertus Monachus Hirsfeldensis historiographus. 202
Lampertus Monachus S. Laurentij Leodiensis, Doctor, & opuscula ejus. 180
Lampertus Monachus S. Matthiæ Treviris Doctor. 174
Opuscula ejus. 174
Moritur. 184
Lancea Christi per S. Henricum Imperatorem comparatur. 70
Lanfrancus ex Abbate Cadonensi Archiepiscopus Cantuariensis. 203
Opera ejus. 203
Lateranense Concilium celebratur pro terra sancta. 523
Laurisheimense Monasterium fundatur. 345
Laurissense Monasteriũ ab ordine alienatur. 535
Monasterij desolati historia. 547
Fundatum à Canckore Comite Rheni. 547
Una ex quatuor Abbatijs Imperialibus. 548
Sæpius reformatum fuit. 548
Principatus Monasterij ambitur abs Archiepiscopo Moguntino. 549
Eidem confertur & unitur à Friderico II. Imperatore. 549
Exemplar litterarum Imperatoris. 549
Ab Henrico Imp. confirmantur. 550
Monachi Laurissenses à Gregorio Papa uniuntur Ecclesiæ Moguntinæ. 552
Monachos facti sui serò pœnitet. 552
Episcopus Hildesheimensis visitat Laurissam. 552
Gregorius Papa Monachos Laurissâ pelli jubet. 553
Cistertienses introducuntur. 554
Rursus expelluntur. 555
Laurissa Præmonstratensibus datur. 555. 576
Leo IV. ex Mon. Papa miraculis clarus. 19. 23
Leo V. ex Mon. Brandalienſi Papa V. 55
A Christophoro familiari suo dejicitur. 55
Leo VIII. ex Mon. Cardinalis, postea Papa. 106
Romanorum insidias fugit. 107

Moritur

Moritur Romæ. 108
Leo IX. ex Monacho Episcopus Tullensis. 185
Opuscula ejus. 185. 194.
Germaniam visitat. 187
Hirsaugiam restaurari jubet. 189
Apuliam devastat. 193
Moritur. 194
Leodium capitur & spoliatur. 519
Liber mirandus reperitur in Saxo concavo. 571
Limpurgense Monasterium fundatur. 170
Incendio destruitur per Comites Leiningenses. 170
Lingua Teutonica à Carolo Magno in regulas digesta. 29
Lintici pagani à Conrado II. Imp. superati. 170
Litterarum ingeniosa permutatio. 176
Lobenfeldense Cœnobium fundatur. 401
Locustæ Galliam infestant & vicinas regiones. 31. 292
Longobardi conspirant adversus Fridericum II. Imperatorem. 536
Lotharingia Imperio Romano recuperatur & unitur. 66. 121
Ejusdem termini antiqui. 155
Lotharingiæ Ducis Gottfridi bellum contra Comitem Montensem. 155
Lotharingorum militum nefandum scelus prope Andernach. 496
Lotharius Imperator Romæ coronatur. 19
Fit Monachus Prumiensis. 25
Lotharius Imperator ob repudiatam Waldradam excommunicatur. 29. 31
Lotharius Dux Saxoniæ Henricum V. Imperatorem prælio vincit. 361
Rex II. constituitur. 385
S. Norbertum Archiepiscopum Magdeburgensem creat. 387
Ulmam rebellem domat. 389
Spiram occupat. 390
Synodum Moguntiæ celebrat pro Innocentio. 392
Innocentium Sedi suæ restituit. 397
Daniam Imperio subijcit. 399
Rogerium Apuliæ Ducem vincit. 402
Moritur. 404
Lubecensis Episcopatus instituitur. 428
Lubentius ex Monacho Hirsfeldensi Archiepiscopus Bremensis. 126
Lucas Abbas S. Cornelij Doctor & scripta ejus. 398
Ludericus ex Monacho S. Pantaleonis I. Abbas Lunæburgensis. 114
Ludovicus I. Imperator moritur. 14
Ludovicus II. Imperator Principes suos capitibus truncari jubet. 28
Mortem ejus cometa præcedit. 31
Regnum inter filios dividit. 33
Moritur. 34
Ludovicus III. Imperator Adelbertum Comitem rebellem debellat. 53
Moritur. 57
Ludovicus fit Rex Galliæ sed infelix. 69
Capitur à Principibus suis. 83
Ab Hugone duce dimittitur sub certis pactis. 84
Bellum instruit contra Hugonem. 84
Equi casu concussus mori cogitur. 97
Ludovicus Boso Berengarium evertit. 56
Ludovicus Comes Rheni fit Monachus. 346
Ludovicus Hassiæ Landtgrafius, S. Elisabethæ maritus moritur. 538
Ludovicus Palatinus Mariam uxorem interficit. 583
Ad secundas transit nuptias. 604
S. Ludovicus Rex Gallorũ in Syria capitur. 586
Filius tunc temporis natus Tristanus ob eventum nominatur. 586
Ludovicus ex Monacho Cassinensi Cardinalis, & Episcopus Marianensis. 164
Lunæburgense Monasterium S. Michaëlis fundatur. 114
Lupus Servatus Godelschalcum Hæreticum convincit. 21
Lutbertus I. Abbas Hirsaugiæ Fuldâ postulatus. 5
Lutgerus Mon. Lunæburgensis Doctor. 167
Luthelmus Monachus Hirsaugiensis Scholasticus. 42. 63
Lutolphus contra Patrem Ottonem Imperatorem conspirat. 97
Patri reconciliatur. 97
Adelbertum tyrannum Italiæ bello superat. 100
Lutolphus Dux Magnus Saxoniæ. 55
Progenies ejus. 55
Luxoviensis Schola à S. Columbano instituta. 15
S. Lybacius S. Adelberti socius Russorum Episcopus ex Monacho S. Albani. 102. 125

M

MAcarius Scotus Primus Abbas S. Jacobi Herbipolensis. 400
Moritur. 425
S. Maiolus Abbas Cluniacensis. 102
Majorica capitur à Christianis. 542
S. Malachias Hibernus ex Monacho Wintonienſi Episcopus Lessmorensis. 388
Moritur. 419
Manfredus Friderici Imperatoris nothus Conradinum persequitur. 590
Eundem veneno perimere tentat. 591
Excommunicatur. 595
Papam Româ fugere compellit. 595

Papam Româ fugere compellit. 595
Occupat regna Siciliæ & Apuliæ. 600
Papam persequitur. 604
Conducit Saracenos contra Papam. 607
In prælio contra Carolum Andegavensem perimitur. 614
Manus amputata post annum restituitur dormienti. 73
Mariæ Imperatricis nefandæ tragœdia. 138
Marianus Scotus Monachus S. Martini Coloniæ. 207
Scripta ejus. 207
Marinus Monachus S. Maximini Doctor. 143
Scripta ejus. 143
Marquardus Monachus S. Burckhardi Herbipol. Doctor & opuscula ejus. 186
Marquardus Mon. Epternacensis Doctor. 71
Opera ejus. 71
S. Martini Scotorum Cœnobium Coloniæ fundatur. 115
Mathildis filia Ottonis M. Abbatissa in Quedelburg. 99
Mathildis Henrici I. Imp. filia, Prima Abbatissa Quedlenburgensis. 70
Mathildis Mater Ottonis I. moritur meritis plena. 111
S. Matthiæ corpus reperitur Treviris. 400
Maulbrunnense Cœnobium fundatur. 405
S. Mauri corpus transfertur Fossatum. 30
S. Maurini Abbatis & Martyris corpus invenitur. 103
Mauritius Episcopus Parisiensis vir pius & doctus. 488
S. Maximini Abbas cum Monachis expellitur. 411
Comitē Namurcensem in auxiliū vocat. 411
Sed sine successu. 412
Mediolanum obsidetur à Conrado II. Imperatore. 171
Ab obsidione liberatur per S. Ambrosiū. 171
Ab Imperatore Friderico destruitur. 439
Rursus ab eodem vastatur in ultionem illusæ Agnetis Imperatricis. 447
Restauratur invito Fridericо Imperatore. 461
Mediolanenses Fridericum prælio vincunt. 466
S. Medericus Abbas Eduensis miraculis clarus. 127
S. Meginfridus Mon. Fuldensis Doctor. 128. 153
Opuscula ejus. 128
Meginfridus ex Monacho S. Burkhardi Herbipolensis Archiepiscopus Magdeburgensis. 159
Meginherus Archiepiscopus Trevirensis in carcere moritur. 386. 389
S. Meginradus Eremita interficitur à latronibus. 27
Meginradus Monachus Hirsaug. Doctor. 109
Opera ejus. 95. 98. 109
Mendicorum turba à Comite Rothenburgensi in horreo crematur. 140
Mesue Joannes Medicus & opera ejus. 458
Metense schisma inter Alberonem & S. Theogerum. 286
S. Michaëlis Monasterium Bambergæ fundatur. 151
S. Michaëlis Monasterium in Hildensheim fundatur. 136
S. Michaëlis de stella Monasterium juxta Anilianum fundatur. 131
Micho Monachus S. Richarij Doctor, & scripta ejus. 28
Milo Monachus Elvonensis Doctor & opera ejus. 33
Minorum Fratrum Regula confirmatur. 533
Miraculum Catenæ S. Petri Romæ. 111
Misnensis Episcopatus fundatur à S. Henrico Imperatore. 65
Mitræ usus Decano Moguntino conceditur. 577
Modus coronandi Reges Romanorum. 73. 585
Moguntia à dæmonio seu spectro vexatur. 27
Cives Henricum V. Imperatorē obsident. 362
Archiepiscopum Arnoldum occidunt. 441
Ab Imperatore Friderico puniuntur. 449
Muri urbis destruuntur. 449
Mœnia urbis reædificantur. 498
Moguntinus Archiepiscopus coronat Reges Bohemiæ. 539
Moguntinæ Ecclesiæ proventus augentur per Abbates. 592
Moguntino Decano mitræ usus conceditur. 577
Moneta ex corio distributa à Friderico II. Imperatore. 574
Monsardensin Quedlenburg. 73
Montisferrati Marchionatus initium. 131
Marchiones fundant plura Monasteria. 131
Montis Monachorum Bambergæ Ecclesia consecratur. 162
Mulieris de extremo die falsa prædictio. 21
Mulieris maleficæ sub tortura præstigiæ. 45
Mulier venefica juvenem in asinum mutat. 155
Münch-Neuenburgense Monasterium fundatur. 114
S. Mymborinus I. Abbas S. Martini Coloniæ. 115

N

NOnnenmünster Monasterium monialium reformatur. 560
Norbertus Ordinis Præmonstratensium institutor. 369
Reliquias Sanctorum Coloniæ reperit. 378
Ad Honorium Papam proficiscitur. 384.

Cæcum illuminat. 384
Fit Archiepiſcopus Magdeburgenſis. 387
Antwerpienſes ab hæreſi liberat. 388
Cellenſe Monaſterium fundat. 389
Moritur. 400
Nortmanni devaſtant Galliam & Hollandiam. 25. 30
Belgium. 34
Monaſteria plurima. 35
Bingenſe oppidum. 43
Moguntiam & Wormatiam. 44
Norwagia convertitur ad fidem, per Nicolaum Epiſcopum Albanenſem. 418
Notingus ex Monacho S. Galli Epiſcopus Conſtantienſis. 72
Opuſcula ejus. 72
S. Notkerus Monachus S. Galli Doctor, & auctor Sequentiarum. 22
Notungus Epiſcopus Vercellenſis fundator Hirſaugiæ. 1
Novum Monaſterium Herbipoli fundatur. 137
Neuenburgenſe Monaſterium in Saxonia fundatur à Gerone Archiepiſc. Colonienſi. 114
Nuenburgenſe Monaſterium fundatur in Palatinatu. 185

O

Octava Nativitatis B. V. Mariæ inſtituitur. 429
Odenheim Monaſterium fundatur. 377
Odernheim oppidum Canonicis Eccleſiæ Moguntinæ venditur. 600
Odericus ex Monacho Corbeienſi Archiepiſc. Magdeburgenſis. 122
S. Odilo ex Clerico Brivatenſi Abbas Cluniacenſis. 137. 186
S. Odo ex Monacho Gigniacenſi Abbas Cluniacenſis. 47
Ejus opera. 47
Odo ex Abbate Corbeiæ antiquæ Epiſcopus Beluacenſis. 126
Odo S. Rhemigij Abbas Doctor ſcripta ejus. 398
Oesbruck Monaſterium dictum carcer Monachorum fundatur. 374
Offo filius Regis Angliæ fit Monachus in Schutteren. 152
Oppenheimenſis Eccleſiæ Parochialis nova erectio. 599
Ordinum Monaſticorum multiplicatio quando cæperit. 232
Ordo Cruciferorum reſuſcitatur contra Albigenſes. 527
Ordo fratrum Eremitarum S. Auguſtini inſtauratur. 527
Ordo Grandimontenſium inſtituitur. 248
Ordo Guillielmitarum exoritur. 435
Ordo Minorum S. Franciſci initium ſumit. 517
Ordinis Prædicatorum exordia. 500
Osbertus Monachus Glaſconienſis Doctor. 117
Scripta ejus. 117
Oſthacus ex Monacho Augienſi Epiſcopus Hildesheimenſis. 127
Oſterburg caſtrũ deſtruitur per Nortmanos. 43
Oswaldus ex Monacho Floriacenſi Archiepiſcopus Eboracenſis. 120
Otfridus Mon. Weiſſenburgenſis Doctor. 19
Scripta ejus. 28
Otgarius Archiepiſcopus Moguntinus. 19
Otgerus ex Monacho Hornbacenſi Epiſcopus Spirenſis. 109
Otto ſit Rex Gallorum & victor Nortmannorum. 38. 44
Inſaniens moritur. 44
Otto I. Rex Francorum & Imperator Romanorum. 73
Bohemos fundit. 74
Herburg oppidum expugnat. 74
Danckmarum patruum debellat. 75
Bellè reſpondet Comiti Abbatiam poſtulanti. 78
Caſtellum Briſacenſe obſidet. 78
Gallos Lotharingiâ excedere cogit. 81
Adelheiden è vinculis liberat. 85
Eandem ſibi nuptijs copulat. 86
Lutolfo filio Hermanni Suevorum Ducis filiam deſpondet. 86
Berengarium tyrannum captivum in Germaniam ducit. 96
Ungaros cum Conrado Lotharingo debellat. 100
Romæ coronatur. 100
Romam capit, ac Leonem PP. reſtituit. 107
Joannem XIII. PP. ab injurijs Romanorum tuetur. 110
Ottonem II. filiũ in Regẽ coronari curat. 114
Otto II. Rex Germanorum. 103
Romæ coronatur. 110
Ducit uxorẽ Theophanam Græcam. 112, 113
Imperium Romanum ſuſcipit. 114
Nobilibus rapinas interdicit. 119
Lotharium Gallorum regem vincit. 120
Lotharingiam Imperio vendicat. 121
Apuliam & Calabriam capit. 122
A Græcis victus natando evadit. 123
Romæ tædio animi moritur. 124
Otto III. Impẽrium Romanum capeſcit. 124
Coronatur Rex Romanorum. 128. 138
Marchionẽ Mutinenſem injuſtè damnat. 138
Marchioniſſam perorantem audit. 138
Mariam Conjugem ignibus juſtè cremari jubet. 138
Creſcentium Italiæ tyrannum ſubigit. 143
Ac membratim truncatum ſuſpendit. 144
Creſcentij uxorem adamat. 144
Ab eadẽ philtro venenoſo intoxicatur. 144
Moritur

Moritur dissimulatâ aliquandiu morte. 144
Otto IV. Dux Saxoniæ à parte Electorum eligitur Romanorum Imperator. 492. 494
Coronatur apud Aquasgrani. 494
A Lotharingis deseritur. 496
Denuo in Regem coronatur. 506
Infirmus à Principibus deseritur. 508
Prælio vincitur à Philippo Suevo. 511
Secedit in Angliam. 512
Denuo in Regem eligitur. 514
A Pontifice Romano approbatur. 515
Prædones persequitur. 516
Eidem tributa solvunt Itali. 516
Coronam Imperij Romæ suscipit. 516
Apuliam vastat. 517
Innocentij Papæ odium incurrit. 517
Excommnnicatur & deponitur. 517
Conventum Principum convocat. 518
Nuptias celebrat 519
Imperio abdicatur. 520
De Brisaco profligatur. 520
A Rege Gallorum superatur. 522
Moritur. 528
Otto Dux Bavariæ conspirat contra Henricum IV. Imperatorem. 232
Otto Comes Palatinus de Wittelsbach Philippum Imperatorem occidit. 514
Otto Comes Palatinus Rheni moritur. 579
Ejus filij & progenies. 579
Otto Saxonum Dux Friderico Imp. reconciliatur. 563
S. Otto Episcopus Bambergensis fundator Monasterij Pruveningensis. 356
Quâ occasione id fundaverit. 356
In Poloniam vocatur. 383
Pomeranos ad fidem convertit. 384
Sanctissimè moritur. 407
Otto Episcopus Monasterienſis à Colonienſibus capitur. 522
Liberatur per Adolphum de Monte. 523
Otto Episc. Frisingensis historiographus. 596
Ottocarus Bohemiæ Rex Austriâ occupat. 595
Uxorem Margaretham Austriacam repudiat. 596. 606
Ottwinus ex Monacho S. Joannis Magdeburgensis Episcopus Hildesheimensis. 126

P

PAdelbronnensis civitas tota ignibus crematur. 201
Padi Fluminis in altũ elevatio prodigiosa. 364
Palatinorum Comitum Genealogia. 206
S. Pantaleonis Monasterium Coloniæ fundatur. 103
Papæ tres simul Romæ deponuntur. 183
Papias Grammaticus, & opera quæ scripsit. 501
Parma obsidetur à Friderico II. Imp. 581
Sed invicta. 583
Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis Doctor. 35
Opera ejus. 35
Paternus Monachus Abdinghoffensis, in cella sua volens comburitur. 201
S. Paulina nobilis vidua inclusa. 342
Monasterium Cellæ Paulinæ fundat. 342
Gerungum Abbatem primum accipit. 343
Pauperum de Lugduno hæresis oritur. 442
Damnatur. 443
S. Petri Apostolorum Principis capilli Hirsaugiam Cluniaco translati. 294
Ejus catena Energumenum liberat. 111
Petridomus Monasterium Constantiæ fundatur. 267
S. Petri Monasterium Eporediæ fundatur. 131
Petrus Abelardus Monachus doctissimus Cluniaci. 410
Petrus Blesensis Doctor & opera ejus. 471
Petrus Cantor Ecclesiæ Parisiensis Doctor. 501
Opera ejus. 501
Petrus Cluniacensis Doctor & opera ejus. 501
Petrus Comes Altisiodorensis fit Imperator Græcorum. 528
Capitur. 528
Petrus Comestor Author historiæ Scholasticæ. 425
Petrus Damiani ex Monacho Cardinalis & scripta ejus. 202
Mittitur Legatus in Germaniam. 231
Petrus de Vineis Doctor Cancellarius Friderici Imperatoris. 541
Scripta ejus. 541
Papam scriptis persequitur. 541
Abs Imperatore in Monasterium excæcatus truditur. 541
Consilium dat Imperatori pernitiosum. 541
Petrus Lombardus composuit quatuor libros sententiarum. 435
Petrus Rex Bulgarorum filius Simeonis olim Monachi. 112
Pestis in Hirsaugia tribus mensibus absumit sexaginta Monachos. 131
Philippus Galliæ Regis Ludovici filius à porcello præcipitatus ex equo moritur. 390
Philippus Gallorũ Rex Flandriam devastat. 522
Friderico II. Imp. confœderatur. 522
Philippus de Falckenstein Vicarius Imperij constituitur à Richardo Anglo Imp. 599
Philippus de Hochenfels Ejusdem Richardi Vicarius Imperij. 599
SS. Philippi & Jacobi Monasterium Leodij fundatur. 154.
Philippus Sueviæ Dux Rex Romanorum eligitur. 492
Innocentio III. Papa non favente. 493

Aquasgrani præoccupat. 494
Alsatiam peragrat. 495
Argentinam obsidet. 495
Coronatur Moguntiæ. 495
Ottocarum Bohemiæ Regem coronat. 496
Devastat agrum Colonienſem. 496
Lotharingos in partes suas trahit. 496
Excommunicatus denuntiatur. 500
Thuringiam devastat. 506
Hassiam subjugat. 507
Colonienſem Archiepisc. sibi conciliat. 507
Denuo eligitur & coronatur. 508
Iterum infestat Colonienſes. 511
Ottonem æmulum prælio vincit. 511
Pax cum Innocentio Papa tentatur. 512
Ab Ottone Comite Palatino interficitur. 514
Phylacterij cum Reliquijs mira operatio. 155
Pilgrinus ex Monacho S. Burkhardi Herbipolenſis Archiepiſcopus Colonienſis. 162
Odio prosequitur Scotos Monasterij S. Martini Coloniæ. 172
Pirminius fundator pluriũ Monasteriorũ. 152
Poppo Monachus Fuldenſis Doctor. 113
Scripta ejus. 113. 128
Porticetum Aquisgranenſe Monasterium fundatur. 117
Posavienſe Cœnobium fundatur in Thuringia. 379
Posavienſis fundator Theodoricus Episcopus Cicenſis à Converso occiditur. 379
Prædicatorum Ordinis initium. 500
Prædones quingenti à Lothario Imp. suspenduntur. 403
Prædonũ multitudo ob vacans Imperium. 591
Prælium cruentum inter Romanos & Græcos in Calabria. 123
Præmonstratenſis Ordinis initium. 369
Praxedes Henrici IV. uxor incestûs periculo exponitur. 306
Magnis injurijs vexatur. 306
Fugiens fit Monialis. 307
Priamus Rex à Tartarorum Rege Cingni vincitur. 503
S. Probus Monachus S. Albani obit. 27
Prodigia sequentium malorum signa. 43. 73. 80. 82. 120. 308
Propheta erroneus Bernardus Thuringius. 103
Pruveningen Monasterium fundatur in Bavaria. 356
Psalterium Græcum antiquis Græcorum litteris scriptum Tholegiæ servatur. 173
Pueruli cum grandi viro monomachia. 166. 172
Puella hæretica sponte in ignem prosilit. 452

Q

Quedelburgenſe Monasteriũ fundatur. 70
Quinque Monachi Ord. S. Benedicti Martyrium subeunt apud Russos. 126

R

Rabanus ex Monacho Fuldenſi Archiepiſcopus Moguntinus. 19
Pater Pauperum. 21
Rabbi Moses nefandus maleficus. 203
Rainhardus Episcopus Halberstattenſis Dux belli contra Henricum V. Imp. 361
Rasis Medicus in Affrica clarus. 307
Ratbodo Mon. S. Maximini doctissimus. 143
Hæreticum convincit. 143
S. Ratbodus ex Monacho Episcopus Trajectenſis. 59
Ratherus ex Monacho Lobienſi Veronenſis Episcopus. 62
Sede suâ pellitur. 62. 72
Fit Leodienſis Episcopus. 63. 97
Leodio pulsus redit ad Monasterium. 63. 99
Ejus libri & opuscula. 63. 118
Ratisponenſes Ecclesiæ spoliantur à Duce Bavariæ Henrico. 518
Rebdorffenſe Monasterium fundatur. 440
Rebellio Principum Germaniæ contra Regem Ottonem. 75
Regenboldus ex Monacho Hirsaugienſi Episcopus Spirenſis. 82
Reginhardus Monachus Hirsaugienſis Scholasticus. 120
Reginherus Comitatum Montenſem armis obtinet. 118
Regino Abbas Brumienſis Doctor. 44
Opera ejus. 44
Deponitur. 50
Regum trium expeditio contra Hugonem Neustriæ Ducem. 84
Regum trium corpora Mediolano Coloniam transferuntur. 448
Reichenbacenſe Monasterium fundatur. 392
Reichenstein castrũ prædonum destruitur. 592
Reinhardus Mon. S. Burckhardi Doctor. 72
Scripta ejus. 72
Reliquiæ Sanctorum Coloniæ à Brunone Archiepiſcopo illatæ. 103
Reliquiarum collo appensarum mira operatio. 155
S. Rembertus ex Monacho Corbeienſi Archiepiſcopus Bremenſis. 37
Remigius ex Mon. Episcopus Altisiodorenſis. 35
Opera ejus. 35
Remigius Abbas Mediolacenſis Doctor & scripta ejus. 122
Rhemorum civitas obsessa capitur. 85
Rhemenſis Historiæ scriptores Flodoardus & Richerus. 46
Rhemense schisma inter Hugonem & Arnoldum. 87. 89
Componitur in Concilio Ingelheimenſi. 90
Richardis Caroli Crassi uxor fit Monialis. 57

Richardus ex Monacho S. Germani Altisiodorensis Episcopus. 113
Richardus de S. Victore Mon. Parisiensis. 435
Scripta ejus. 435
Richardus Rex Angliæ de Syria revertitur. 483
Capitur in Austria. 484
Richardus Anglus Comes Cornubiæ eligitur Rom. Imperator. 598
Coronatur. 598. 600
Largus dici ambivit. 598
Deseritur à Principibus. 598. 606
Gerhardum Archiepiscopum Moguntinum è vinculis liberat. 598
In Angliam revertitur. 599
Tres Imperij Vicarios constituit. 606
S. Richardus Eremita claruit in Alsatia. 608
Richarius, aliàs Richerus ex Abbate Brumiensi Episcopus Leodiensis. 50. 62
Richbodo Monachus Hirsaugiensis Doctor. 29
Richerus Monachus Rhemensis Doctor. 136
Opera ejus. 136. 137
Ringelnheim Monasterium fundatur à Theodorico Comite. 63
Ripensis Episcopatus ab Ottone Imperatore fundatur. 94
S. Roffoldus ex Monacho Hirsaugiensi Abbas S. Stephani Herbipolensis. 424
Rogerius Apuliam armis occupat. 408
Rogerius Monachus & Scholasticus Corbeiensis, & scripta ejus. 157
Rogerius Mon. S. Crucis Leufredi Doctor. 180
Scripta ejus. 180
Romana Synodus contra Henricũ V. Imp. 363
Romani Alexandro IV. PP. adversantur. 607
Rosuitha Monialis Gandersheimensis doctissima. 113
Scripta ejus. 113
Rotam quare Moguntia in insignibus ferat. 119
Rottenburgij Comites Cambergense Monasterium fundant. 137
Rottenburgius Comes mendicos in horreo comburit. 140
Rudgerus Mon. Epternacensis Scholasticus. 112
Scripta ejus. 112. 135
Rudgerus Trevirensis Archiepiscopus volumen Decretorum comportat. 64
Rudgerus Monachus S. Pantaleonis scriptor vitæ S. Brunonis Archiep. Colonienſis. 97
Rudgerus alius Monachus S. Pantaleonis Doctor. 158
Opuscula ejus. 158
Rudolphus Mon. Hirsaugiensis Doctor. 46
Opera ejus. 46
Rudolphus Episcopus Herbipol. Sede suâ pellitur ab Adelberto Comite Babenbergensi. 53
Rudolphus Dux Burgundionum Berengarium bello devincit. 66
Rudolphus Monachus Flaviacensis Doctor. 66
Scripta ejus. 66
Rudolphus Rex Burgundionum ultimus. 169
Rudolphus de Rheinfelden Dux Sueviæ eligitur Imperator. 249
Herbipolim obsidet. 249
Prælio confligit cum Henrico IV. 250. 251
Dexterâ in prælio mutilatus moritur. 252
Rudolphus Abbas S. Trudonis Doctor. 369
Scripta ejus. 369
Rupertus Monachus S. Albani Doctor. 46
Opera ejus. 46
Rupertus Gallorum Rex doctissimus & pijssimus. 141. 142
Rupertus Abbas Augiensis ut Simoniacus deponitur. 250
Rupertus Abbas Limpurgensis carnibus semper abstinebat. 380
Reprehenditur ab Arnoldo Episcopo Spirensi. 380
Sed aptè respondet Episcopo. 381
Relegatur in Hassiam. 382
Opuscula ejus. 382
Rupertus Abbas Tuitiensis miraculosè acquirit scientiam. 379
Opuscula ejus. 380
Rupertus ex Monacho Weissenburgensi Episcopus Spirensis. 142. 153
S. Ruperti Cœnobium fundatur in Bingen. 416
Ruthardus Mon. Hirsaugiensis Doctor. 26
Opuscula ejus. 26
Responsum ejus super oblatione Episcopatus Halberstattensis. 26
Piè moritur. 29
Epitaphium ejus. 29
Ruthardus ex Monacho Corbeiensi Abbas Hirsfeldensis. 204
Scripta ejus. 204
Rutheni seu Russi gentiles superantur à Christianis. 559
Fidem Christianam suscipiunt. 102. 560
Rüthlingen oppidum obsidetur abs Henrico Hassiæ Landtgrafio. 582
Liberatur ex voto ad B. V. Mariam facto. 582

S

Saladinus miri operis tentorium Friderico II. Imperatori dono mittit. 546
Saladinus Rex Saracenorum fundit Christianos. 476
Ejus factum memorabile. 485
Moritur. 485
Salfeldense Monasterium fundatur. 210
Salomon ex Monacho S. Galli Episcopus Constantiensis. 22
Salve Regina componitur à S. Hermano Monacho S. Galli. 149

Publicè in Eccleſia cantari Papa Gregorius IX. jubet. 573
Sanguis pluit, & cruces in cœlo videntur. 30
Saraceni devaſtant Italiam. 29. 51
Cæduntur à fidelibus in Syria. 519
Vincuntur in Hiſpania. 542
Sanderatus I. Abbas Gladbacenſis. 115
Saxones per S. Anſcharium ad fidem Chriſti convertuntur. 22
Saxoniæ Ducum Genealogia. 563
Saxoni cuidam manus amputata poſt annum dormienti reſtituitur. 73
Schaffhauſenſe Cœnobium fundatur. 205
Scheurenſe Monaſterium fundatur. 392
Scheurenſis Comitis ſua diabolo donantis temeritas. 392
Schlavi & Dani ab Imp. Henrico vincuntur. 67
Schleſwicenſis Epiſcopatus abs Ottone Imperatore fundatur. 93
Schönaugienſe Cœnobium in Diœceſi Trevirenſi fundatur. 384
Schönaugienſe Cœnobium prope Heidelberg fundatur. 401
Schönreinenſis Cœnobij bona confirmantur. 406
Schutterenſis Abbatia fundatur. 151
Epiſcopo Bambergenſi feudalis conſtituitur. 152
Schwarzacenſe Monaſterium renovatur. 238
Scoti Monachi in Colonia fundantur. 172
S. Sebaſtiani corpus Româ in Galliam transfertur. 14
Caput in Gromaugienſi Cœnobio oſtenditur. 14
Sebulo Abbas S. Dionyſij Regibus Galliæ charus. 46
Ictu lapidis interijt. 46
Sedechias Judæus Ludovici Imperatoris Medicus magus. 34
Segebergenſe Monaſterium Coloniæ fundatur. 197
Selgenſtattenſe Monaſterium fundatur. 12
Selgenſtattenſe Concilium Provinciale. 164
Sergius II. Pontifex primus nomen mutat. 18
Siebdaus ex Monacho Fuldenſi I. Epiſcopus Ripenſis in Dania. 94
Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus ob turbas regni Cluniacum intrat. 234
Sigebertus Monachus Corbeienſis Doctor. 56
Opuſcula ejus. 56
Sigebertus Mon. Gemblacenſis Doctor. 355
Scripta ejus. 355
Sigiſmundus ex Monacho Hirſaugienſi Epiſcopus Halberſtattenſis. 47
S. Simeon Mon. in turri Trevirenſi incluſus. 158
Simeon Monachus Aſſliginienſis Doctor. 576
Scripta ejus. 576
Simoniacus quidam non poteſt recitare totum: *Gloria Patri.* 215
Smaragdus ex Monacho S. Maximini Abbas S. Michaëlis Doctor. 68
S. Sonderoldus ex Monacho Fuldenſi Archiepiſcopus Moguntinus. 39
A Normannis occiditur. 44
S. Sophia Comitiſſa Hollandiæ devotiſſima. 438
Sophia Filia Ottonis II. Abbatiſſa in Gandersheim. 115
Spanheimenſe Cœnobium fundatur. 378
Spira capitur à Lothario Imperatore. 390
Spirenſium civium ſeditio adverſus Epiſcopum. 611
Victi pœnas luunt. 612
Spirenſes Canonici olim erant Regulares. 32
Spirenſis Eccleſia Cathedralis nova fundatur. 170
Stephanus Epiſcopus Leodienſis Doctor. 51
Opera ejus. 51
S. Stephanus Rex Ungariæ ad fidem convertitur. 153
Stephanus ex Abbate Ilſenburgenſi Epiſcopus Haberſtattenſis. 304
Scribit contra Henricum IV. Imp. 304
Stephani VI. PP. contra Formoſum Papam defunctum indignatio. 49
Stephanus Clericus Eccleſiæ Metenſis Doctor. 51
S. Stephani Monaſterium in Herbipoli fundatur. 140
Stephanus Anglicus Doctor. 501
Strabus Monachus Fuldenſis Doctor. 19. 31
Opera ejus. 501
Suidegerus ex Epiſcopo Bambergenſi creatus Papa Clemens II. dictus. 184
Synodus Trecenſis. 33
Triburienſis. 48. 169
Erpfordienſis. 73
Virdunenſis. 88
Moſonienſis. 88
Ingelnheimenſis contra Hugonem Ducem cum actis ejus. 90
Synodalis epiſtola ad Hugonem Ducem. 92
Lugdunenſis Hugonem excommunicat. 93
Romana contra Joannem XII. 104
Moguntina pro reformatione Eccleſiæ. 108
Moguntina à Leone IX. celebratur. 190
Moguntina pro vero Pontifice. 393
Syriaca expeditio adornatur. 477

T

TAncredus Rex Apuliæ & Siciliæ occiditur. 485
Ejus uxor & filia fiunt Moniales. 485
Filius excæcatur. 485

Tartarici

Tartarici imperij initium. 502
Tartarorum Regum succeſſio. 503
Terræmotus per totum orbem. 364. 532
Homines abſorbet. 461. 502
Teutonica lingua per Carolum Magnum in regulas redigitur. 29
Teutonici Ordinis initium, ejúſque officium. 482
Germaniæ immigrat. 483. 538
Contra Ruthenos militat. 559
Thariſſa caſtrum à Ludovico Rom. Rege deſtruitur. 53
Fit Monaſterium. 55. 239
Theobaldus Monachus & Scholaſticus Hirſaugienſis. 120
Theodo Friſius præſtigiator mirabilis. 608
Theodoricus Comes de Montbelgard vaſtat Alſatiam in odium Abbatis Murbacenſis. 559
Capitur, & paulo poſt dimittitur. 559
Theodoricus Monachus S. Albani Doctor & ſcripta ejus. 117
Theodoricus Mon. Floriacenſis Doctor. 134.
Theodoricus Mon. S. Matthiæ Doctor. 121. 154.
Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis. 14.
S. Theogerus ex Monacho Hirſaugienſi tertius Abbas S. Georgij in Nigra ſylva. 282. 283
Luckesheim Monaſterium conſtruit. 284.
Cœnobiũ pro 100. Monialibus fundat. 284
Septingentis Monachis & Monialibus provident. 285
Metenſis Epiſcopus ordinatur. 286
Moritur pijſſimè. 287. 364
Theophana Imperatrix contemnit Germanos à Græcis victos. 113. 123. 133
Theſauri mirabilis inventio per umbram. 173
Tholegienſis Monaſterij fundatio. 161
S. Thomas de Aquino doctiſſimus. 610
S. Thomas Archiepiſc. Cantuariâ pellitur. 454.
Canonizatur. 465
Tonitrui horribilis exemplum Senonis in Gallia. 452
Tornacenſi Eccleſiæ proprius datur Epiſcopus. 414.
Torneamentum ſolemnitas dæmonum. 560
Trevirenſes canonici Regularem vitam abijciunt. 116
Treviris multa Martyrum corpora inveniuntur. 232
S. Trinitatis Ordo de redemptione captivorum exoritur. 483
Tuitienſe Monaſterium fundatur Coloniæ. 140

U

VAllis Umbroſæ ordo inſtituitur. 231
S. Udalricus fit Epiſcopus Auguſtanus. 66
Eidem apparet Arnolfus Bavarus ut gladius ſine capulo. 64
Udalricus Dux Wirtenbergiæ Conradinũ hoſtis. 609
Venetorum Ducis filius captus ab Imperat. Friderico II. in furcam agitur. 570
Vercellenſe Conciliũ contra Berengarium. 194.
Victor ex Epiſcopo Eichſtatenſi PP. II. 195
Florentiæ ſynodum celebrat. 195
Venenum ei in calice propinatur. 195
Germaniam viſitat. 198
Moritur. 200
Victor III. ex Abbate Caſſinenſi fit Papa. 264.
Victoria Urbs ædificatur à Friderico II. Imp. contra Parmenſes. 581
S. Victoris Monaſterium in Monte Ferrato fundatur. 131
S. Victoris Monaſterium prope Moguntiam fundatur. 121
Vienna olim ad Imperium ſpectabat. 567
Viennæ Monaſterium Scotorum fundatur. 586
S. Vincentij Metenſe Cœnobium fundatur. 111
Vincentius Beluacenſis Ord. S. Dom. ſcriptis clarus. 613
SS. Virginum XI. millium corpora reperiuntur. 450
Miraculum ab illis factum ob neglectum feſtum in Aſchaffenburg. 473
Ulma obſidetur à Lothario Imperatore. 389
Ab Henrico Haſſo electo Imperatore. 582
Ungarorũ gens Germaniæ aditus occupat. 39
Devaſtant totam Germaniam. 51
Funduntur ab Alemannis. 58
Cæduntur ab Henrico Imperatore. 72
Sternuntur ab Ottone I. Imperatore. 100
Uraugienſe Monaſterium fundatur à S. Ottone. 366
S. Urſus ex Duce Venetorum Monachus S. Felicis. 59

W

VWAlbertus ex Abbate Corbeienſi Epiſcopus Wormatienſis. 61
S. Waldpurgis Monaſterium fundatur. 393
Waldemarus Daniæ Rex coronam ab Imperio ſuſcipit. 448
In captivitatem ducitur. 532
Prælio ſuperatur. 537
Walo ex Mon. Epiſcopus Antiſiodorenſis. 31
Clericorum tantum præſentiâ utitur. 32
Walrammus ex Monacho Fuldenſi Abbas Mersburgenſis & ſcripta ejus. 209
Wandelbertus Mon. Brumienſis Doctor. 22
Wandelbertus Monachus S. Galli Doctor. 22
Weingartenſe Monaſterium à Welfone ditatur. 472
Welfo fit Dux Bavariæ. 232
Welfo Dux Bavariæ rebellis Imperatori Conrado III. 408

Wenzeslaus Rex Bohemiæ occiditur à fratre suo. 74.
Werenbaldus Monachus Hirsaugiensis recusat Episcopatum Spirensem. 118
Wernbertus Mon. S. Galli & opera ejus. 28
Wernherus ex Monacho Hirsaugiensi Abbas S. Albani. 109
Wernherus Episcopus Argentinensis Schismaticus subitaneâ morte punitur. 305
Wernherus Abbas S. Blasij & opera ejus. 502
Wernherus de Falckenstein Vicarius Imperij Archiepiscopus Moguntinus. 599
Wibertus ex Comite Monachus & fundator Gemblacensis. 58
S. Wiborada Monialis ad S. Gallum prophetissa. 59
Wigbertus Episcopus Ravennas in Antipapam Clementem II. erigitur. 257
Wilhelmus Aquitaniæ Dux fundator Cluniaci. 47
Wilhelmus ex Comite Monachus Gellonensis furnum scapulari everrit. 57
Wilhelmus filius Ottonis Magni fit Archiepiscopus Moguntinus. 98
Wilhelmus Abbas S. Theodorici & scripta ejus. 436
Wilhelmus Hollandiæ Comes eligitur Rex Romanorum. 584
Ceremoniæ coronationis ejus. 585
Conradum Imp. è Germania profligat. 589
Hospitatur apud S. Albertum magnum. 592
Uxor ejus capitur & spoliatur. 594
A Frisijs interficitur. 597
Corpus ejus bis sepelitur. 597
Willa Regina Italiæ Berengarij uxor fit Monialis. 101
Willegisus fit Archiepiscopus Moguntinus. 119
Wiltrudis prudens consilium de reparanda Hirsaugia. 211
Wimarus interfector S. Fulconis miserè perit. 53
Wimo ex Monacho Corbeiensi Archiepiscopus Bremensis. 56
Windekindus Monachus Corbeiensis & scripta ejus. 98
Winspergense oppidum capitur à Conrado III. Imp. 409
Winspergensium Mulierum amor erga maritos. 409
S. Wolfgangus ex Monacho Einsidlensi Episcopus Ratisbonensis. 113
Wolfhelmus Abbas Bruwilerensis & scripta ejus. 296
Wormatiensis Ecclesiæ Schisma. 599

Y

YVo Episcopus Carnotensis Jurista doctissimus. 263

Z

ZWenteboldus Moraviæ Dux ab Arnulfo Imp. prælio vincitur. 39
Zwifaltense Monasterium fundatur. 265

FINIS.

Collegii Soetij Soc. Jesu Paderbornæ
1691.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Tomus I.

Th
497a

Trithemij
An. Hirsaug:
To. I
S V
15